PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

TOMUS I,

PRIMAM PARTEM COMPREHENDENS,

in quo
varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis
sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur
ac notis illustrantur.

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS;

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLARUM,

9, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC L

Digitized by Google

Digitized by Google

926 D
Ph. B. 1 f. 304

PONTIFICALE ROMANUM.

Digitized by Google

EXCUDEBAT BEAU, SANCTI GERMANI IN LAYA.

Digitized by Google

108831

PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM.

TOMUS I,

PRIMAM PARTEM COMPREHENDENS,

in quo
varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis
sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur
ac notis illustrantur.

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS;

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGIÆ BIBLIOPOLARUM,

9, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC L

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTO JESU

REGUM REGI

AC DOMINO DOMINANTIUM

UNIGENITO

ÆTERNI PATRIS

FILIO

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

ECCLESIÆ FUNDATORI
FUTURORUM BONORUM
PONTIFICI
DEI ET HOMINUM
MEDIATORI
QUI SOLUS EST
REMUNERATOR LABORUM
ET NON EST
IN ALIQUO ALIO SALUS
NEC SPES APUD HOMINES ULLA

PONTIFICALE ROMANUM
NUNC PRIMUM
PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS
ILLUSTRATUM
JOSEPHUS CATALANUS
DEDICAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

DE HAC PARISIENSI EDITIONE MONITUM.

Dudum in votis habebamus typis iterum edi eximios Josephi Catalani in Romanum Pontificale Commentarios, cum illud sane meritorium opus a præclaris Parisiensibus Mequignoneæ domus editoribus attentari audivimus, quin et ab iisdem opem nostram in tali ac tanto consilio adjuvando exquiri. Jucundum fuit nuntium, et licet multis attriti laboribus, novam hanc, liturgicæ scientiæ amore, curam suscipere non renuimus. Equidem non agi poterat de reficiendo tantæ eruditionis libro; satis superque penditur ab iis omnibus quibus cordi est et sacræ antiquitatis studium, et venerabilium Catholicæ Ecclesiæ rituum zelus. Sed menda plurima, romani typographi oscitantia, irrepserant, quibus aliquando auctoris elocutio misere deturpabatur. Quædam omissa erant in explicandis sacrarum cæremoniarum rationibus, quorum defectu liber minoris utilitatis evadebat. Apud nos quidam abusus in Pontificalis libri ritibus exsequendis irrepserant, quibus obviam ire forte non inutile erat. Sacræ Congregationis Rituum recentibus decisionibus cautum est exactiori ejusdem libri intelligentiæ, quas dolendum erat in nova tam alias plenissimi commentarii editione non reperiri. Tandem rarissimis in locis, plus æquo indulserat auctor quibusdam præjudiciis statui Regulari minus faventibus, quæ ad normam sanioris et justioris sensus reducere fas erat, ac etiam doctrinæ quæ tenenda est magis consentaneum. Hæc sunt quæ notulis nostris per totum opus passim diffusis, salvo perillustris scriptoris honore, attingere conati fuimus. Animadversiones istæ qualescumque textui insertæ sunt, uncinis evidentibus inclusæ, ut eas melius perspectas lector haberet, neque cum proprio Commentariorum sermone confundi possent. Quidquid sit de nostri satis exigui laboris merito, nihil textui auctoris detractum est, gaudereque possunt docti et indocti de hujus eruditione pietateque, quarum thesauros plenissime, in hoc opere, juxta morem suum, effundit. Pateat igitur, ex hac nova rarissimi libri recusione, sacræ theologiæ cultoribus immensæ fons doctrinæ. Mysticorum arcanorum sub liturgicis speciebus delitescentium intelligentia proficiat. Christianæ antiquitatis quorum flores et fructus tam luxurianter ab auctore collecti sunt, notitia peramplius invalescat. Talia sunt quæ ex laudabili aurei hujus libri retractatione nobis exspectanda videntur, et pro quibus Deo immortali grates non satis amplas agere credimus.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIONES CENSORUM.

I.

Pontificale Romanum in tres partes distributum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, nunc primum Prolegomenis et Commentariis illustratum a Josepho Catalano, congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi de Charitate presbytero, summa cum animi lætitia ac voluptate attente legi atque pervolvi. Sane in ipsis sum admiratus singularem doctrinam, eximiam industriam, ac profundissimam eruditionem, quibus difficillima quæque enodavit, explicavit obscura, recondita diu et penitus abdita, commoda sinceraque interpretatione patefecit. Parvi siquidem momenti est pertractare res in quibus plurimorum hominum jam antea vel industria laborarit, vel cura insudarit : at illud arduum et perdifficile ab omnibus semper est habitum res novas et a nemine tentatas aggredi, et summa cum laude perficere; id quod tanta ingenii ubertate, doctrinæ præstantia, eruditionis latinæ ac græcæ varietate est assecutus vir clarissimus, ut ad sacra vel cognoscenda vel peragenda nihil sit præterea ab ipsis Episcopis requirendum. Quapropter, cum hunc librum omnibus perutilem et necessarium existimem, iis præsertim qui sacris ministeriis addicti sunt, publici juris fieri posse censeo, ut ejus auctor tantæ industriæ, labori atque eruditioni debitam ac parem laudem, Christiana vero, Ecclesiastica ac litteraria respublica plurimum utilitatis consequantur. Datum kal. augusti, Romæ 1737.

VENANTIUS-PHILIPPUS PIERSANCTES,
Sanctissimi Domini Nostri Papæ Capellanus secretus,
et Apostolicarum Cæremoniarum Magister.

II.

Rem laboriosæ plenam operæ, sed cui fructus, meo judicio, responsurus sit amplissimus, tractandam suscepit vir clarissimus Josephus Catalanus, presbyter congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, opere inscripto : *Pontificale Romanum Prolegomenis et Commentariis illustratum.* Hoc quidem, reverendissimo patre Jo. Benedicto Zuannelli, sacri Palatii Apostolici Magistro mandante, accurate expendi; cumque percurrerem, magnopere afficiebar. Non enim modo Catholicæ fidei ac bonis moribus omnia in ipso consona, sed et collectam illustrem bibliothecam potius, lumen sacris ritibus in Romano Pontificali præscriptis undequaque admoventem, quam commentarios mihi videbar pervolutare. In his plane labore summo, opportuno præclaris ingeniis ad magna perficienda instrumento, tum veterum, tum recentiorum, sive editorum, sive manuscriptorum monumentorum seges uberrima laudatur, allegatur, excutitur : repetuntur a sua origine, atque conferuntur Ecclesiarum cæremoniæ, ritus, mores ministeria sacra spectantes; omnia vel ex sanctorum Patrum sententia, vel ex sacrarum legum dispositione, vel ex probatarum historiarum auctoritate resolvuntur, exponuntur, asseruntur, et quam cumulate, et quam solide, et quam facillime ! At inde majorem operi suo admirationem auctor ipse conciliat, quod cum ignea quadam vi mentis perpetuam laboris constantiam, et calamum æque ac ingenium incitatissimum ita conjunxit, ut potuerint ab ipso, plurimis religiosis curis vacante, excolendæque insuper sacris Litteris insigni cum animi benevolentia et contentione lectissimæ juventuti, dispendia temporis adeo feliciter compensari, ut simul tantæ molis fetum conceperit, formaverit, effuderit.

Digitized by Google

Equidem, si quid judicare possum, arbitror Commentarios hosce magno cum Religionis incremento, Ministrorum Ecclesiæ utilitate, et Fidelium omnium æditicatione lucem aspicere posse. Datum Romæ, ædibus Sancti-Andreæ de Valle, v. Idus septembris 1737.

D. Josephus Maria DE PETIO,
Clericus regularis, SS. Congregationum Indicis et Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum Consultor, in Urbe Cleri Examinator Apostolicus, atque Serenissimi Augusti III, regis Poloniæ, electoris Saxoniæ, etc., theologus.

III.

Opus inscriptum : *Pontificale Romanum Prolegomenis et Commentariis illustratum* a doctissimo et præstantissimo viro Josepho Catalano, presbytero congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, summa mentis attentione atque animi voluptate perlegi. Mira in ipso elucet auctoris diligentia in colligendis eruditionis sacræ monumentis, quibus non modo Pontificiorum rituum antiquitas ostenditur, sed et eorumdem majestas ac ratio in aperto lumine collocatur, tum ad instruendum universum Clerum pariter ac populum de vetere Ecclesiæ disciplina, tum ad hæreticos confutandos qui impie sacros Catholicæ Ecclesiæ ritus irrident. Clarissimi viri in investiganda rituum origine, atque in enodandis gravissimis difficultatibus, ingenii acumen, ac laboris immensitatem nemo non admirabitur, præsertim si ante oculos habeat intentatam hactenus curam ab ipso susceptam fuisse. Publicam itaque lucem aspiciat opus, quod eximii auctoris famam aliis jam laboribus partam aucturum, et Ecclesiasticæ eruditionis, et sacrarum Cæremoniarum cultoribus gratissimum fore non ambigo. Datum ex ædibus Sancti-Silvestri in Quirinali, hac die 15 octobris 1737.

D. Cajetanus-Maria MERATI,
Cl. Reg., sacræ Congregationis Rituum Consultor.

IV.

Postquam Conciliorum quatuor generalium a doctissimo viro Josepho Catalano, presbytero congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi de Charitate, nuper in lucem edita Prolegomena et Commentaria attente ac magna cum animi voluptate legeram, factum est ut ejusdem auctoris *Pontificale Romanum in tres partes distributum, Clementis VIII ac Urbani VIII auctoritate recognitum, nunc primum Prolegomenis et Commentariis illustratum*, ad manus venerit. De quo ut paucis complectar quod sentiam, magnum sane illud, eruditum, pulcherrimum totum censeo atque perfectum opus. Confirmabunt, ut spero, judicium meum sacrarum rerum Antistites, qui politissimam inde rituum et legum Ecclesiasticarum cognitionem accipient; confirmabunt docti antiquitatis amatores, qui veteris Ecclesiæ usus, majorum instituta, priscorum facta et mores ad plenum intelligent; confirmabunt denique viri severioribus studiis ac doctrinis dediti, qui gravissimas ibidem solide appositeque enodatas quæstiones, et sacrorum Canonum ac Theologiæ normam gravem juxta, ac dilucidam Ecclesiasticæ disciplinæ explicationem reperient. Quamobrem, cum nihil in opere animadverterim quod fidei ac bonis moribus adversetur, opportunissimum judicarim ut publici illud juris fiat. Hujus quippe operis editio, et nostram commendabit ætatem, et dabit in manus hominum quod placere ac prodesse simul et semper et omnibus possit.

Romæ, e domo Professa Societatis Jesu, kalend. decembris ann. 1737.

Andreas-Hieronymus ANDREUCCI,
Societatis Jesu.

Digitized by Google

V.

Ubi ætas nostra eruditissimorum aliquot scriptorum opera variis egregiis annotationibus, scholiis, commentariis elucidatos inspexit codices Missalis Romani, Ritualis, et Ecclesiastici cursus, pius quisque et gravissimarum ejusmodi rerum studiosus præsensit venturum tempus quo non absimili diligentia illustratum, nec dissimilibus ornamentis excultum publica donaretur luce Romanum Pontificale. Quod vero hujusce gravitatis opus indicibili celeritate simul et maturitate aliquando perficeretur, nemo sibi suasit unquam. Quis enim nescit ea in Pontificali Romano contineri, quæ vel ab illa capessenda provincia viros quoque summos perpetuo territura viderentur? Ibi innumeræ Sacrorum voces explicandæ, retegendæ præstantiorum rituum originationes, tota ferme Ecclesiastica disciplina ad sua revocanda principia. Ibi dissertandum crebro de pluribus ethices Christianæ capitibus, de Canonibus magni ponderis; discurrendum sæpe per annales Ecclesiæ; adyta sacratiorum orthodoxæ religionis mysteriorum penetranda: et, quod gravius ac molestius, instruendi quodammodo ipsi primi subsellii doctores, seu promptuarium iis parandum, ex quo opportune depromerent idonea ad regendam ordinatius, quam ipsis Deus commisit, Ecclesiam. Quis hæc tam facili auderet, nedum prompte apteque præstaret? Sed nihil non fert Romana tellus. Prodiit apud hanc supremam religionis arcem, qui pertinaci, herculeo labore arduam plane rem tentavit, et vix tentatam digne confecit. Is est aliis præclarissimis elucubrationibus notus Pater Josephus Catalanus, Presbyter congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi de Charitate, auctor voluminum quibus titulus: *Pontificale Romanum nunc primum Prolegomenis et Commentariis illustratum.* Excurri ego immensum opus, adhibita pari viribus meis animi attentione, et quidem jussus ac ad ferendum de eodem judicium provocatus. Quale autem feram? Num aliud quam quod veritas ipsa vel ab invitis extorqueret? Illud est ergo opus, me judice, in quo ignoretur quid magis homines mirari debeant, an celeritatem qua meditatum, digestum paratumque prælo; an stylum rebus excutiendis accommodatissimum, nobilem, perspicuum; an rerum ipsarum multitudinem, varietatem, œconomiam; an assertorum soliditatem, prudentiam, quæ ubique se profert; an illustratoris doctrinam, eruditionem, peritiam et amorem antiquitatis, cujus testes erunt pretiosa fragmenta huc e latebris arcanarum bibliothecarum translata. Opus est in quo portio quæque illustris Ecclesiasticæ hierarchiæ, ac potissimum Episcopi, habebunt unde insigniter proficiant; theologi cujusvis generis, unde abstrusissimarum quæstionum nodos exsolvant; sacrorum Canonum interpretes, unde tuto et ad tramites venerandæ antiquitatis exponant Ecclesiæ disciplinam; rerum liturgicarum cultores, sanctis cæremoniis præfecti, unde instructiores fiant; tandem eruditionis tum sacræ, tum profanæ amatores, genus hominum avidissimum, unde sæpe oblectentur saturique discedant. Breviter: opus est vere maximum, vere aureum, vere auctore suo et Roma dignissimum. Si quis dubitat, legat. Ego certe tale esse judico, et per hanc paginam nunquam fortassis interituram fidentissime pronuntio. Jamque satis. Nisi quod unum superesse video: scilicet oro obtestorque clarissimum ac religiosissimum tanti operis conditorem, ut vividum limatumque ingenium et calamum mire velocem statim admoveat ad illustrandos pari sedulitate quotquot reliqui sunt Doctorum inexperti manus, Rituales codices. Id ab eo postulat adeo sibi charus Religionis splendor, id rei liturgicæ decus, id litteraria respublica, id denique inclytæ suæ Congregationis, quæ semper viris pietate ac doctrina spectatissimis abundavit, gloria nomenque sempiternum. Romæ, kalendis augusti, anno 1738.

PETRUS MORETTUS,
Canonicus insignis basilicæ Sanctæ-Mariæ trans Tiberim.

Digitized by Google

APPROBATIO

Illustrissimi et reverendissimi Domini D. F. Joseph-Mariæ PERRIMEZZI, *ex ordine Minimorum Sancti-Francisci de Paula, Archiepiscopi Bostrensis, SS. D. N. Prælati domestici, et Pontificio Solio Episcopi assistentis, Episcoporum in Urbe Examinatoris, et congregationis Examinis pariter Episcoporum a secretis, ac sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Consultoris.*

Quod usquemodo nemo hominum intentavit opus, Pontificalis nimirum Romani Commentarium exhibens, hoc feliciter clarissimus vir et de republica litteraria optime meritus, Joseph Catalani conterraneus et affinis noster, congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyter, ac utriusque juris doctor, invicto animo aggressus est, ac cumulatissime complevit; et ita quidem, ut nullam in eo perlustrando vel noxam vel noxæ suspicionem adinvenerim, etsi illud fuerim accurato rigidoque oculo perscrutatus. Quapropter censuræ loco eidem elogium apponere non hæsito; ac si Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro visum fuerit, ejusdem editionem non solum commendarem, verum quoque ad Ecclesiasticæ eruditionis Candidatorum solatium, atque ad antiquæ Ecclesiæ majestatem et disciplinam promoventium incitamentum quam ardenter optarem. Romæ pridie kalendas augusti, anni 1738.

Fr. Joseph-Maria PERRIMEZZI,
Archiepiscopus Bostrensis.

Digitized by Google

PROLEGOMENA

IN

PONTIFICALE ROMANUM.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

CAPUT PRIMUM.

Operis difficultas, argumentum, et protestatio Auctoris ad Lectorem.

I. Arduam provinciam, et immensum opus aggredior, Lector benevole, Commentarios in Romanum Pontificale, quos jamdiu exoptarunt viri eruditi, religiosissimi episcopi, ac inter Pontifices Maximos, duo ob eximiam pietatem, et zelum, ac studium erga christianam et litterariam rempublicam, ac præsertim rem liturgicam, præstantissimi, Benedictus XIII sanctæ memoriæ, et CLEMENS XII, quem diu Deus nobis sospitem servet. Vix tomum I *Commentariorum in Concilia œcumenica* absolveram, cum, summa nonnisi audacia susceptum hoc opus perfeci, quanquam morbo fere quotidie affectus, et curis Ecclesiæ vacans. Fateor meipsum non semel mirari quomodo tomo huic primo, qui partem primam Romani Pontificalis continet, finem imponere, et, nulla facta mora temporis, typis mandare potuerim nullo adjutore usus, vel qui materiam colligeret, vel qui saltem quæ ego componerem, prompte describeret. Quod si fortasse arguat me quispiam non modo imprudentiæ, sed et temeritatis, quod rem tanti momenti tumultuarie, ut dici assolet, ausus sim scribere : ingenue respondebo secutum me fuisse ea in re præstantissimorum theologorum sententiam, qui constanter asserere non dubitarunt nihil esse infelicius nihilo, longeque feliciorem censendum esse abortum, quam nullo modo fuisse.

II. Cum itaque nullus adhuc, quod sciam, in Romanum Pontificale scripserit, puto equidem nostros hosce labores non adeo fore inutiles, ut saltem tironibus sacrorum rituum studiosis aliqua ex parte non sint profuturi. Neque enim tam audax fui, ut in hoc tanto adornando opere, proprio ingenio, ac libris contentus fuerim, et non potius viros doctissimos consuluerim, et primarias Urbis bibliothecas lustraverim; ut omittam egregios codices, quos ad hunc laborem perficiendum eruditi præsules, cardinales amplissimi, atque alii docti et religiosi viri benigne et affluenter commodarunt : quos inter non est sine elogio memorandus eminentissimus S. R. E. cardinalis Franciscus Antonius Finy, notitia rerum Ecclesiasticarum conspicuus, sacrorum rituum si quis alius peritissimus, ob eximiamque erga homines studiosos munificentiam paucis procul dubio comparandus.

III. Jam vel ex opere nostro constabit quanto studio varios antiquosque Sacramentorum libros, ac de divinis officiis codices evolverim, non modo latinos, sed etiam et græcos; et non solum quos Hittorpius collegit, verum etiam quos recensent Morinus, Goar, Martenius, et alii doctissimi doctores. Quibus addi possunt non pauci mss. codices insignium Urbis bibliothecarum, nempe Vaticanæ, Angelicæ Fratrum Eremitarum S. Augustini, et Casanatensis Dominicanæ Familiæ; quos quidem propria manu descripsi, et non modo sparsim in *Commentariis* allegavi, sed etiam ad singulos fere titulos hujusce nostri I tomi in appendice retuli, notisque non semel illustravi. In iis describendis ea quidem a nobis servata est fides, ut etiam curarim cum ipsis erroribus, quibus exarati sunt, typis mandari. Majoris quoque intelligentiæ gratia illud effeci, ut titulis numeri apponerentur, rubricæ autem in varios paragraphos dividerentur. Quoniam vero Ecclesia non aliunde quam ex unitate, quæ cum varietate conjuncta, suum adauget splendorem, de qua felicius supra cæteros more suo Regius Propheta cecinit : *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, idcirco non semel in explicandis latinis ritibus

Digitized by Google

Pontificalium et auctorum Græcorum testimoniis usi sumus. Variæ etenim cæremoniæ, ut sapienter docet eruditissimus Goar in proœmio sui *Euchologii*, fimbriæ sunt aureæ, varietatibus distinctæ, quarum diversitate ad unius Dei cognitionem simul et amorem allicit. Una est quippe Orientalis Ecclesia, una est Occidentalis, unum Deum auctorem omnium suspicit ac veneratur; quia unus et idem operatur in ea Spiritus, qui se sponsæ facturum murænulas aureas vermiculatas argento profitebatur.

IV. Curatum præterea in hoc ipso adornando opere a me fuit, ex assidua Conciliorum, sanctorum Patrum, scriptorumque veterum ecclesiasticorum lectione, ea quæ illi scopum facere poterant, diligenter colligi, ut ea quæ dicenda susciperem, eorum maxime auctoritate stabilirentur. Ut recte enim vel de suo ævo Salvianus in Epistola IX ad Salonium scribit : « Tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, » ac pene jam nulla, ut hi qui legunt non tam » considerent quidquam cujus legant ; nec tam » dictionis vim atque virtutem, quam dictato- » ris cogitent dignitatem. » Tractarunt quippe de Ecclesiæ ritibus auctores plerique præclarissimi nominis, quales sunt sancti Pontifices Clemens, Dionysius, Leo, Gelasius, Isidorus, Gregorius Magnus, et alii complures non obscuri scriptores, ut Alcuinus, Amalarius, Ivo Carnotensis, Hugo Victorinus, Durandus, Simeon Thessalonicensis, et complures alii, qui iis postea successerunt. De quibus ritibus licet cum theorica et mystica analogia propria ex mente disserunt, privati quidem audiant rei tractatores tantum ; verum cum de re ipsa quæ suo tempore, jam in Ecclesia Dei gerebatur, prout suis prospiciebant oculis, aliquid referant, jam non interpretum, sed testium personam gerunt, induuntque publicæ fidei auctoritatem; unde factum est, ut illud secuti simus, quod scite monebat Vincentius Lirinensis ecclesiasticum quemvis dictatorem, nempe, « ut nova nusquam » diceret, sed vetera diceret nove; » nihil enim pridem dictum est, aut etiam dicetur postea, quod prius non fuerit dictum.

V. Cum autem frequenter, ut sapientissime observat S. Ambrosius in Epistola sua XLVIII quam ad Sabinum scripsit circa annum 390, juxta calculum Patrum Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, unumquemque fallant sua scripta, et aurem prætereant, atque, ut filii etiam deformes delectant parentes suos, sic etiam scirptorem indecores sermones sui palpent, propterea non me fidens proprio ingenio, librum prius viris apprime doctis, et sacrorum rituum peritissimis examinandum commisi, ut eorum judicio corrigeretur, si quid moveret, vel perperam dictum esset, priusquam foras prodiret, unde jam revocandi nulla postea facultas esset; neque enim ab ipsis legi mea duntaxat quæ editurus sum, sed in suæ ipsorum calculum venire sententiæ desideravi. Eorum fuit aperte decernere, et scrutanter discutere, an nostrum hoc opus prodire deberet in lucem, an multa quæ in ipso narrantur correctione indigerent, ne sibi deinde vitio vertant quæ nobis potuerint subrepere ; incautius enim plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum. Si itaque non semel peccavi in explicandis Pontificalis hujusce ritibus, non lubens certe peccavi, imo lubens, ubi monitus fuero, errores corrigam. Felices enim errores nostros putabo, si veritatis inquirendæ studium adversariis nostris incenderint, et melius sentiendi occasionem eisdem præbuerint; libensque repetam quod Salvianus in Præfatione librorum *De gubernatione Dei* dixit : « Hoc ipsum, infructuosum saltem » non erit, quod prodesse tentavi ; mens enim » boni studii, ac pii voti, etiamsi effectum non » invenerit boni operis, habet tamen præmium » voluntatis. »

VI. Quod stylum scribendi spectat, curavi profecto illius perspicuitatem, prout res gravissimas decet, non affectatam elegantiam, vel multorum verborum ambitum, memor præclarissimæ ejusdem Salviani sententiæ, qui in laudata Præfatione inquit : « Nos qui, rerum magis quam » verborum amatores, utilia potius quam plau- » sibilia sectamur; neque id quærimus, ut in » nobis sæculorum ornamenta, sed ut salubria » rerum emolumenta laudentur : inscriptiuncu- » lis nostris non lenocinia esse volumus, sed re- » media, quæ scilicet non tam otiosorum auribus » placeant, quam ægrorum mentibus prosint. » Cum vero tanta Pontificalium diversitas, priscarumque rerum caligo sit, ut quorumdam sacrorum rituum origines ac rationes vix explicari potuerint, professus et ego non semel sum me ipsas origines ac rationes ipsas nescire, sapientissimum Cassiodori nostri consilium secutus, qui in libro *De Anima*, capite XIV, scriptum reliquit, « melius esse in occultis causis confiteri ignoran- « tiam, quam periculosam sumere audaciam ; » præsertim cum Jurisconsultus in L. *Non omnium*, ff. *De Legibus*, diserte nos admoneat, non omnium quæ a majoribus nostris definita sunt, certam rationem reddi posse. Denique errata quæ mihi exciderunt, spero te mihi, Lector benevole, pro tua benignitate condonaturum, tum

Digitized by Google

quia, ut præclare scribit Dionysius Longinus, « In magnis labi, generosum peccatum est; » tum etiam quia, ut præclarissime inquit Justinianus in *Pandectarum* Præfatione, omnium habere notitiam, nec in nullo peccare, magis divinitatis esse quam humanitatis; tum vero insuper, quia immemor esse non debes insignis illius sapientis moniti, « usuvenire apud prudentes viros, cor» datosque, ut sit in alienis operibus judicatio » semper resecatior; in rebus subitariis (cujus » modi sunt ut plurimum mei litterarii fetus, » venia prolixior. »

VII. Scio non defuturos qui hæc nostra carpant; qui volunt videri docti, etsi nunquam vel versiculum unum typis mandarint; qui viris magnis se homines maximos, et Ecclesiæ reparatores se venditant; qui nodum, ut dici assolet, in scirpo quæritant, ut se ostendant delicatissimos rerum æstimatores. Sed istiusmodi ingeniis respondit jam ille olim qui dixit :

« Carpere vel noli nostra, vel ede tua. »

Constat non semel homines istiusmodi alienorum operum conculcatores aliquando quidem scripsisse, sed verum fecisse illum versiculum :

« Parturient montes, nascetur ridiculus mus. »

Sunt et alii quidam, qui novos libros commendant, sed ut eosdem ab auctoribus expiscentur :

« . . . Didicit jam dives avarus
» Tantum admirari, tantum laudare disertos,
» Ut pueri Junonis Avem, »

id est pavonem, ut ab illius cauda aliquam pennam avellant. Sed hisce omissis, illam tandem ex animo amplector S. Bernardi sententiam, qui in Epistola sua CLXXIV ita scripsit : « Quæ au» tem dixi, absque præjudicio sane dicta sint » sanius sapientis, Romanæ Ecclesiæ præsertim » auctoritati, atque examini totum hoc, sicut et » cætera quæ hujusmodi sunt universa reservo; » ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio » emendare. »

CAPUT II.

De origine, progressu, emendatione, et auctoritate Romani Pontificalis.

I. Sacros pontificios Ecclesiæ ritus, quos tantopere conculcare vel irridere dicteriis suis hæretici non erubescunt, ab Apostolorum ævo magna ex parte suam ducere originem, docent passim sacræ Synodi et scriptores ecclesiastici ex celebri illo Pauli apostoli testimonio, qui in Epistola II ad Corinthios, cap. XIV, quos christianæ religionis instituta edocebat, diserte mandavit, ut apud illos *omnia honeste et secundum ordinem fierent.* Hæc enim verba de cæremoniis quæ in Ecclesia obeuntur, intelligi debere, observat quidem Joannes Chrysostomus, aliique Patres, et scriptores græci æque ac latini. Quamobrem recte statuit Concilium Tridentinum, sessione VII, *De Sacramentis in genere,* canone XIII, ut « Si quis dixerit, receptos et approbatos » Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramen» torum administratione adhiberi consuetos, aut » contemni aut sine peccato a ministris pro libi» to omitti, aut in novos alios per quemcumque » Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema » sit. » Et can. VII, sessione XXII, *De sacrificio Missæ,* hæreticos nostri temporis sugillans, ita inquit : « Si quis dixerit, cæremonias, vestes, et » externa signa quibus in Missarum celebratione » Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis » esse magis quam officia pietatis; anathema » sit. » Damnant in iis canonibus Tridentini patres tum aliorum, tum præsertim Joannis Calvini impietatem, qui libro IV *Institutionum* multa adversus catholicæ Ecclesiæ ritus, ac cæremonias, ex sacra Scriptura et sanctis Patribus testimonia congessit, quæ tamen egregius Bellarminus, tomo III *Controversiarum*, lib. III *De Sacramentis in genere*, multis capitibus catholicum dogma defendens, mirifice explicat, et contra hæreticos ipsos retorquet.

II. Sed ut videas quantum hac in re præsertim delirent heterodoxi, non modo fuerunt multæ in veteri Testamento cæremoniæ apud Hebræos a Deo institutæ, uti liquet ex Pentateucho, sed et Christus ipse vix aliquid illustre miraculum patravit, in quo cæremonias non adhibuerit; nam lutum fecit ex sputo, et linivit oculos cæci nati (*Joann.* IX), extendens manum tetigit leprosum, et mundavit eum (*Luc.* V), digito scribebat in terra (*Joann.* VIII), exspuens, et suspiciens in cœlum, aures aperuit surdi, et vinculum linguæ dissolvit (*Marc.* VII). Atque, ut alia omittam, asserit S. Augustinus, lib. XIX *Contra Faustum,* cap. XI, nullam esse religionem sive veram, sive falsam, quæ sine cæremoniis subsistere possit. Mitto rituales libros, quos, ut Cicero tradit *De Divinatione*, ethnicorum Etruscorum sacrificuli custodiebant de ritibus et disciplina civitatis; mitto, apud antiquos nihil aliud fuisse, theologum esse, quam scire quæ numina, quibus cæremoniis colerentur, ut ex Platone in libro *De Regno* colligitur. Quod vero ad nostram religionem attinet, licet ipsæ cæremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem; sunt tamen

Digitized by Google

actus externi religionis, quibus quasi excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad suprema elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio, et veri fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur, ut scite docet Joannes cardinalis Bona in celebri opere *De divina Psalmodia*, cap. XIX, ubi plura de cæremoniis scribit.

III. Sane quemadmodum catholica nostra Ecclesia, quod natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, cæremonias in Missa adhibuit, veluti mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur, ut loquuntur Tridentini Patres, sessione XXII, *De Sacrificio Missæ*, cap. V; ita etiam dicendum autumo de aliis plerisque ecclesiasticis functionibus, in quibus sacræ profecto cæremoniæ adhibentur ex vetustissima primorum sæculorum disciplina et praxi, quam nemo alius instituisse videtur, quam Apostoli ipsi, eorumque discipuli et successores, quorum aliqui etiam a Christianæ religionis exordio rituales ac pontificales libros fuse non modo scripserunt, sed et minutissima quæque ritus et cæremonias Ecclesiæ spectantia scriptis mandarunt. Tales sunt S. Dionysius episcopus, et S. Clemens papa, quorum alterius *Ecclesiastica Hierarchia*, alterius *Constitutiones Apostolicæ*, vix dici potest, quam distincte, quam exacte, quam religiose primævæ Ecclesiæ sacra, ritus, mysteria prosequantur. Scio de eorum operibus nonnullos addubitare an genuini sint ipsorum fetus: verum ut multos omittam eruditissimos viros, qui opera ipsa propugnant, laudatisque auctoribus vindicant, jam extra controversiæ aleam est, fatenturque vel ipsi critici, quæ in memoratis libris continentur, doctrinam, et ritus, ac cæremonias esse trium priorum Ecclesiæ sæculorum.

IV. Quarto sæculo habemus plures quidem synodos, tum diœcesanas, tum provinciales, tum etiam duas œcumenicas, in quibus legere est varios ritus ab Episcopis et Sacerdotibus in sacramentis ministrandis, et in aliis sacris functionibus adhibendos. Refert Gennadius, qui floruit labente sæculo V, in opere *De Scriptoribus ecclesiasticis*, Voconium Castellanum Mauritaniæ oppidi episcopum, et Musæum presbyterum Massiliensem, Sacramentorum Officiorumque egregia volumina scripsisse; quæ utinam hodie exstarent, multa enim nobis de antiquis ritibus perspectiora essent. Exstant certe et hodie varii Sacramentorum libri variis temporibus a sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificibus Maximis, a S. Leone, a S. Gelasio, a S. Gregorio scripti, sive potius collecti, auctive; de quibus vide præclarissimum virum doctrina, sanctimonia et dignitate eminentissimum in Præfatione ad Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores, Hugonem Menardum, scriptorem profundæ eruditionis, et novissime virum clarissimum reipublicæ litterariæ suis operibus notum Josephum Blanchinum, tomo IV ad Anastasium bibliothecarium, cui veterem ms. codicem Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ a S. Leone papa I confectum, qui exstat in celebri bibliotheca amplissimi capituli Veronensis, ad universæ Ecclesiæ utilitatem, et eruditorum ecclesiasticorum commodum inseruit.

V. Accedunt et hisce sequiori ævo varii Romani Ordines ab egregio viro Melchiore Hittorpio collecti, et novissime alii ab eruditissimo Joanne Mabillonio digesti, quorum plerique venerandæ antiquitatis sunt; etsi enim octavo sæculo, vel nono exarati fuerint, neminem tamen adeo vecordem puto, et antiquitati infensum, ut nongentorum aut mille annorum Sacramentaria, quæ vel mss. habemus, vel a viris eruditis edita, illo ipso tempore tum primum inventa, et composita, cavillari queat; cum illi ipsi qui ea descripserunt, perspicue testentur, se non nova, sed antiqua, et in omnibus diœcesibus suis publice usurpata describere, uti liquido constat ex Præfationibus Sacramentariorum Grimoldi, et Rodradi apud Menardum, et Pamelium, qui paulo post annum Christi 850 ea collegerunt. Certe orationum, aliorumque rituum præcipuorum, qui in iis enarrantur, verba, phrasis, stylus, tempus longe antiquius evidentissime demonstrant, nec possunt esse Silvestro Julioque pontificibus maximis posteriora, sed sapiunt omnino tempora quæ imperatorem Constantinum præcesserunt, ut scite observat ac docet eruditus Joannes Morinus, lib. IX *De Pœnitentia*, cap. XXX, num. II.

VI. Quoniam vero cæremoniarum et sacrorum rituum ordo non ita ab Apostolis et apostolicis viris institutus fuit, ut perpetuus foret et immutabilis, atque communis cunctis Ecclesiis, ut scite docet Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. VI, non mirum, si variæ Ecclesiæ variis Pontificalibus usæ sint;

Digitized by Google

hue enim spectat quod scribit S. Hieronymus in Epistola ad Lucinium : « Illud, inquit, te bre- » viter admonendum puto, traditiones Ecclesias- » ticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita ob- » servandas, ut a majoribus traditæ sunt, nec » aliorum consuetudinem aliorum contrario mo- » re subverti. » Cujus rationem addiscere licet ex pervetusto Ecclesiæ Latinæ scriptore Tertulliano, qui in libro *De velandis Virginibus*, ita scribit : « Regula fidei una omnino est, sola immobilis » et irreformabilis ; cætera jam disciplinæ et » conversationis admittunt novitatem. » Hinc asserit Sozomenus, lib. VII, cap. XIX, neminem posse easdem traditiones per omnia similes in omnibus Ecclesiis reperire, quamvis inter se consentiant. Cui suffragatur Socrates, lib. V, capite XXI, dicens cujusque religionis varios esse ritus, etsi in eadem fide consentiant.

VII. Licet autem rituum varietas nihil fidei obsit, ejusque unitatem minime lædat, cum tamen ipsa varietas ingens augmentum sumpserit ex nimia libertate quam sibi temere arrogarunt quidlibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium episcopi, et ipsi quoque monasteriorum præfecti, adeo ut nonnulli, Apostolicis institutionibus neglectis, veterumque Patrum auctoritate posthabita, multa prorsus insulsa et ab ecclesiastica gravitate aliena, teste laudato Bona cardinale, ritualibus libris inseruerint, quæ in antiquatis codicibus hodie legimus, et detestamur ; recte admodum a variis Romanis Pontificibus cautum fuit, ut omnes aliæ in divinis officiis et sacris ritibus cum Romana Ecclesia, omnium capite atque magistra, se conformarent. Id quidem testatur in sua constitutione quæ incipit, *Ex quo in Ecclesia Dei, etc.*, Clemens VIII, pontifex maximus, qui idcirco districte mandavit, ut omnes Ecclesiæ præsules non aliis quam a se edito Pontificali in posterum uterentur ; suppressitque ac abolevit omnia et singula Pontificalia, quæ usque ad diem novi sui Pontificalis editionis in quibuscumque terrarum orbis partibus erant impressa et approbata, et quibusvis privilegiis apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata. Edita est ea constitutio anno Christi 1596, pontificatus vero quinto memorati Clementis VIII.

VIII. Post editam laudati Pontificis constitutionem, quamvis Pontificale Romanum tunc multis et non levibus erroribus scatens, piorum atque insignium virorum in pontificalibus cæremoniis et ritibus versatorum opera undequaque corrigi et restitui curatum sit ; cum tamen successu temporis compertum fuerit, plurimos errores in Pontificale hujusmodi, typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsisse, sedulam suam operam Urbanus VIII præstitit quidem, ut sua iterum auctoritate Pontificale Romanum, recognitum repurgatumque ederetur, uti liquet ex ipsius constitutione quæ incipit, *Quamvis alias, etc.*, edita anno Christi 1644, pontificatus sui vigesimo primo. Post Urbanum VIII, nemo, quod ipse sciam, Romanorum Pontificum vel quid minimum ad Pontificale Romanum apposuit, vel ab illo detraxit; imo mihi non semel contestatus est vir clarissimus, sanctissimi domini nostri Papæ capellanus secretus et apostolicarum cæremoniarum magister, Venantius Philippus Piersanctes, quod cum Benedictus XIII Vaticanis typis ipsum Romanum Pontificale variis egregiisque figuris insignitum commisisset, illud quidem districte mandavit, ne quid minimum in ipsa nova editione immutaretur : non omittendum tamen, editum Romæ fuisse anno 1725, ex typographia Hieronymi Mainardi, Pontificalem ritum pro parvulorum et adultorum Baptismi et Confirmationis Sacramento conferendo, in cujus fine etiam legitur : ROMÆ DE SPECIALI MANDATO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIII, ANNO MDCCXXV, PONTIFICATUS SUI II. In eo siquidem Pontificali ritu, ubi agitur de confirmandis, post illa verba : N. *Signo te signo Cru✠cis*, ita Rubrica admonet : *Et dum hoc dicit, imposita eadem manu dextra super caput confirmandi, producit pollice signum Crucis, etc.*, cum cæteroqui in aliis passim Pontificalibus, etiam auctoritate Clementis VIII et Urbani VIII editis, hunc in modum legatur : N. *Signo te signo Cru✠cis.* Quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius ; deinde prosequitur : *Et confirmo te, etc.* Ubi nota præscribi in novo Benedicti XIII Pontificali ritu, imponendam esse ab episcopo dexteram manum super caput confirmandi. Id quod et sacris Scripturis, et pristinæ Ecclesiæ disciplinæ consentaneum est.

IX. Et si vero variis temporibus pro diversitate Ecclesiarum varii etiam ab Episcopis libri Pontificales ederentur, primus certe nostri tum Pontificalis, tum Cæremonialis Romani auctor fuisse creditur Augustinus Patricius Pientinus episcopus, qui illud Innocentio papæ VIII dedicavit; testatur id quidem non modo Bartholomæus Gavantus in indice auctorum, quem suo *sacrorum Rituum Thesauro* præfixit, sed et ipse Augustinus Patricius in litteris ad ipsum Innocentium datis, uti videre est apud virum clarissimum Joannem Mabillonium tomo II *Musæi Italici*. Porro minime inficias iverim, post ipsum Augustinum varias fuisse factas mu-

Digitized by Google

tationes, uti apparet ex editis sæculo xv, in quo Augustinus scripsit usque ad solemnem emendationem Clementis VIII auctoritate peractam. Fatetur Albertus Castellanus Venetus, inclyti ordinis Prædicatorum, in Pontificali quod Leoni X nuncupavit, multa se in ipso addidisse. Testes etiam esse possunt libri ipsi Pontificales, in quibus passim varietas cernitur; id quod nos non semel notavimus in Commentariis nostris, uti in decursu Operis videre est.

X. Demum quicquid sit de hisce mutationibus, illud profecto constat, Pontificale Romanum habuisse semper vim legis; allegatur enim a Clemente V pontifice maximo in sua Clementina unica *De jurejurando*, ubi verba facit de juramento ab Imperatore consecrationis et coronationis suæ tempore præstando : « Quod in » libro, inquit, Pontificali Romano præstandum » Pontifici per Imperatorem coronationis suæ » tempore continetur. » Notat ibi glossa canonici juris, eum librum alias vocari Ordinarium episcopale; probatque ex Hostiensi in titulo *De servis non ordinandis*, eumdem librum esse authenticum, quia illius libri verba ibi ponuntur. Appellari Pontificale etiam nomine Ordinarii episcopalis, constat ex variis mss. Pontificalibus, ac præsertim ex illo Vaticanæ bibliothecæ num. 4744. Constat præterea ex Necrologio Ecclesiæ Parisiensis, ubi xiii Kal. novembris ita legitur : « Obiit Bartholomæus episcopus » Parisiensis, qui dedit nobis Missale in iii volu» minibus, et unum Ordinarium episcopale. » A plerisque antiquis scriptoribus dicitur *Liber Sacramentorum*, itemque *Liber officialis*, quin et a patribus concilii Celichit, quod in Anglia anno 816 celebratum est, *Liber mysterialis* vocatur.

XI. Hodie postquam Romanum Pontificale a Clemente VIII et Urbano VIII, pontificibus maximis, emendatum fuit, suaque ipsorum auctoritate etiam communitum, veteribus omnibus Pontificalibus abolitis, ab ipso emendato laudatorum Pontificum libro Pontificali nullatenus recedere licet, uti passim docent canonici jurisconsulti, inter quos Prosper Fagnanus in cap. *Presbyter*, num. xli, *De sacramentis non reiterandis*. Hinc cum Archiepiscopus Mechliniensis prætenderet, quod regulares ab ipso ordinandi nova forma juramenti, alia quam in hodierno Romano Pontificali præscriptum est, uti deberent, promittendo obedientiam ipsi, ejusque successoribus, quodque in litteris dimissorialibus, ut aiunt, prælatorum regularium Archiepiscopo dirigendis, obedientiæ erga eum mentionem facerent, recursum idcirco habuerunt ad sanctæ mem. Clementis X regulares Belgii, cum sub hoc motivo Archiepiscopus ordinationes ipsorum retardaret; remissaque causa ad sacram Congregationem Concilii, ista sub die 29 maii anni 1676, proposito præ cæteris dubio, « An Archiepiscopus, quando ordinat re» gulares, possit ab ipsis exigere promissionem » obedientiæ sibi præstandæ ex forma Ritualis » Alethensis a Clemente IX præscripti? » censuit *Negative;* sed servandam formam in Pontificali Romano existentem, uti habetur tomo xxix Decretorum, pag. 254 a tergo, apud eminentissimum Vincentium Petram S. R. E. cardinalem, tomo iv *Commentariorum ad Apostolicas Constitutiones*, ubi interpretatur constitutionem vii Gregorii XI, num. xi.

CAPUT III.

Describuntur binæ Constitutiones, quas super editione Romani Pontificalis ad perpetuam rei memoriam edidere Pontifices Maximi Clemens VIII et Urbanus VIII.

CLEMENTIS VIII CONSTITUTIO.

Ex quo in Ecclesia Dei multa, tum a sacris Conciliis, tum a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ad Dei gloriam augendam, et ad catholicæ fidei unitatem ubique retinendam, pie ac sapienter instituta sunt, nihil magis iidem Pontifices prædecessores nostri curandum sibi esse statuerunt, quam ut communes ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam servata antiquitatis auctoritate, revocarent. Hac sollicitudine impulsus fel. rec. Pius papa Quintus prædecessor noster, formulam primum psallendi Horas Canonicas et celebrandi Missas, varie prius constitutam, et a nonnullis prædecessoribus nostris restitui et instaurari cœptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario ac Missali propterea summo studio ac diligentia edito, redigendam curavit. Atque hoc sane consilio alii Romani Pontifices qui eumdem Pium præcesserunt, pontificales etiam cæremonias ac ritus, quibus ejusdem catholicæ Ecclesiæ præsules in suorum munerum functione uterentur, certis similiter forma et modo præfinitis, in Romanum Pontificale retulerunt. Cæterum, quia eædem cæremoniarum ac rituum formulæ ibi expressæ, postea, sive diuturnitatis injuria, sive typographorum negligentia, sive alia de causa, in ipso Pontificali partim immutatæ, partim corruptæ, veteris instituti atque auctoritatis gratiam magna ex parte amiserant; idcirco necessaria res visa est, ut eædem formulæ in sacris præsulum ecclesiasticorum muneribus servandæ, recupe-

Digitized by Google

rato prioris integritatis statu, omnino restituerentur, et ab omnibus, præscripta firma aliqua ratione, observarentur. Nos igitur ad summum apostolatus apicem, meritis licet imparibus, evecti, prædictorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, omni cura et sollicitudine adnitendum nobis esse duximus : ut errores, qui quidem nec pauci nec leves in idem Pontificale, depravatis passim locis, irrepserant, quam accuratissime tollerentur. Idem enim Pontificale corrupti et mendosi voluminis speciem adeo præ se ferebat, ut (multis dictionibus, hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures distincta, partim iisdem male ac perperam collocatis et trajectis, partim denique ipso orationis sensu mutato) dubium esset, quibus tandem officiis, vel laudibus iidem Ecclesiæ præsules divinum Numen prosequerentur; præterquam quod in rubricis etiam sparsim turbata ordinis serie dispositis, tanta erat varietas et obscuritas, ut multis in locis recte ne se haberent, opinione magis quam judicio esset statuendum. Hanc ergo ad rem, tam cum Ecclesiæ cultu officioque nostro conjunctam, tamque eorum qui, pro impositi oneris debito, sacris Ecclesiæ muneribus vacare debent, concordiæ et unitati congruentem, examinandam et absolvendam, piis quibusdam atque insignibus viris, diu multumque in pontificalibus cæremoniis et ritibus versatis, negotium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi et restituendi, necnon quæcumque ad exactam illius editionem spectare viderentur, perquirendi et præstandi. Cumque apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum quotidie fere uteremur, re tota tandem ad nos perlata, et in hanc, quæ nunc editur, formam redacta, singulari Dei benignitate (neque enim aliter accipimus) Pontificale Romanum tandem restitutum et absolutum est, atque ita ex omni parte dispositum (quod ii etiam qui negotio ac muneri huic præfuere confirmarunt), ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus urbis ecclesiis, tum in nostra Vaticana bibliotheca, ac denique in quibusdam aliis insignibus locis asservantur, alienum aut discrepans irrepserit. Ad quam operam in vetustis libris inter se conferendis, strenue ac fideliter navatam, id commodi quoque accessit, quod ii qui ea in re industriam collocarunt, ex gravissimis scriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatissimi haberentur, secuti fuerint : quodque, ambiguis omnibus ac dubiis rebus prætermissis, eas duntaxat quæ essent in veteris Pontificalis volumine comprehensæ, delegerint, iis tamen exceptis quæ ad Romanum Pontificem attinebant, quod nimirum in Cæremoniali sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt expressæ. Ex rubricis vero, multis detractis quæ exactiore methodo in librum Cæremoniarum episcoporum sunt relata, plerisque etiam, uti necessitatis ratio postulabat, adjectis, et præterea non paucis quibusdam in melius commutatis, clariusque expositis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (permultis syllabis, pro temporum natura ubi ratio eas produci et corripi postulabat, contra quam prius in antiquo Pontificali expressum erat, magis apposite extensis, vel contractis) a viris ejus rei peritis, ad hoc jussu nostro delectis, diligenter redacto, opus jam absolutum probavimus, et Romæ edi, editumque divulgari mandavimus. Ut autem ipsius operis labor finem eum, ob quem est susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus et singulis ecclesiis uno eodemque modo cæremoniæ et ritus pontificales observentur : Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa, et approbata, et quibusvis privilegiis apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per præsentes supprimimus et abolemus, eorumque usum in posterum universis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, ordinibus et locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus, et singulis personis ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus utriusque sexus, interdicimus et prohibemus, et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum orbis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam exemptis, si quæ sunt, recipi, et observari præcipimus. Statuentes Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum aut omnino detrahendum esse, ac quoscumque qui pontificalia munera exercere, vel alias quæ in dicto Pontificali continentur facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda, ex hujus Pontificalis præscripto et ratione teneri; neminemque ex iis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis quæ hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse. Omnibus igitur et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et cæteris Ecclesiarum Prælatis, necnon aliis quibuscumque personis ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus utriusque sexus, ad quas id spectat, præcipimus ac mandamus, ut omissis, quæ sic suppressimus et

Digitized by Google

abolevimus, cæteris omnibus Pontificalibus, hoc nostrum in suis ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus, militiis, diœcesibus, et locis prædictis recipiant, illoque posthac perpetuo utantur. Cæterum ut præsentes litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque præterea, et motu atque auctoritate similibus decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus; qui vero intra montes, octo; et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Pontificalis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Pontificali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur. Ipsarum autem litterarum exempla, manu notarii publici, et sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima Februarii 1596, pontificatus nostri anno quinto.

URBANUS PAPA VIII.

Quamvis alias fel. recor. Clemens papa Octavus, prædecessor noster, Pontificale Romanum tunc multis et non levibus erroribus scatens, piorum atque insignium virorum in Pontificalibus cæremoniis et ritibus versatorum opera undequaque corrigi et restitui curaverit; attamen successu temporis compertum est plurimos errores denuo in Pontificale hujusmodi typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsisse. Unde curæ nostræ pastoralis esse rati sumus, ad novam ejusdem Pontificalis, quod cæremoniarum et rituum, quibus catholici antistites in suorum munerum functione uti debent, norma existit, correctionem animum appellere. Idcirco, ut idem Pontificale denuo typis quam emendatissime auctoritate nostra ederetur, emendationem errorum qui in illud, ut præfertur, irrepserunt, nonnullis venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et aliis viris doctrina et pietate conspicuis, pontificalium cæremoniarum et rituum peritis, commisimus: quorum opera cum Pontificale prædictum ab omnibus, quibus scatebat, mendis et erroribus accuratissime repurgatum fuerit, nos ne tam exacta cardinalium et aliorum prædictorum hac in re industria et diligentia optato frustretur effectu, mandavimus dilecto filio Andreæ Brogiotto, typographiæ nostræ apostolicæ præfecto, procurationem emendati Pontificalis hujusmodi elegantibus typis et insigni forma in lucem edendi, quod exemplar qui posthac Pontificale Romanum impresserint, sequi omnes teneantur; extra Urbem vero nemini licere volumus idem Pontificale in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate id scriptis accepta ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, siquidem inibi fuerint, sin minus, ab locorum Ordinariis. Quod si quis quacumque forma contra præscriptam hoc Pontificale Romanum, aut typographus impresserit, aut noviter impressum bibliopola vendiderit, extra ditionem nostram ecclesiasticam excommunicationis latæ sententiæ pœnæ subjaceant, a qua nisi a Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo constituti) absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium eidem Cameræ applicandorum, pœnas absque alia declaratione irremissibiliter incurrant; et nihilominus Pontificalia sine prædicta facultate impressa, aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur. Inquisitores vero locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant quam Pontificale, tam ante quam post impressionem cum hoc ipso exemplari auctoritate nostra vulgato, diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint; in ipsa autem facultate cujus exemplum in fine aut initio cujuscumque Pontificalis impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolutæ hujusmodi collationis, repertæque inter utrumque Pontificale conformationis, sub pœna inquisitoribus privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu ecclesiæ; eorum vero vicariis, privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendæ. Injungimus autem nuntiis nostris ubique locorum degentibus ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque ad præscriptum hujus voluntatis nostræ confici curent. Non obstantibus licentiis, indultis et privilegiis Pontificalia imprimendi quibuscumque typographis per Nos, seu Romanos Pontifices prædecesso-

Digitized by Google

res nostros, hucusque concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus et ordinationibus generalibus, et specialibus in contrarium præmissorum quomodocumque editis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium litterarum nostrarum exemplaribus, etiam in ipsis Pontificalibus impressis, vel manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII junii 1644, pontificatus nostri anno vigesimo primo.

CAPUT IV.

De cantu Ecclesiastico, variis ipsius tonis et Schola cantorum, ac de instrumentis musicis.

I. Quoniam occurrit quam frequentissime in Romano Pontificali, antiphonas et psalmos præsertim cani sub aliquo ex octo tonis cantui præscriptis, sciendum et illud est, cantum quidem omni ævo ad laudandum Deum adhibitum tam apud Hebræos quam apud christianos fuisse. Legimus in Scriptura qua ratione Israelitæ canticum gratiarum actionis cecinerint postquam Erythræum transfretassent. Scimus Mariam sororem Moysi sumpsisse tympanum in manu sua, ipsique præeunti cæteras omnes mulieres concinuisse ea quæ illa cecinerat, repetentes : *Sumpsit Maria tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, et choris, quibus præcinebat, dicens : Cantemus Domino, gloriose enim, etc.* Apud christianos ab ipso Christo, ab Apostolis et apostolicis viris ecclesiastici cantus initia fuisse doctissimus cardinalis Baronius tam evidenter ostendit ad annum Christi 60, ut nihil ejus eruditioni adjungi possit. Testis est ejus rei luculentissimus ipse Apostolus qui in Epistola ad Ephesios, cap. V, ita scribit : *Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus.* Quæ verba de mutuo et alterno cantu intelligenda esse, interpretes docent; quod quidem nec sectarii negare possunt, cum Plinius, ethnicus scriptor, de cantu primorum Christi fidelium luculentum perhibeat testimonium in Epistola ad Trajanum imperatorem, qua eorum mores describens ait solitos fuisse « stato die ante lucem convenire, et carmen » Christo quasi Deo dicere secum invicem, » alterna videlicet modulatione.

II. Sed omisso scriptore ethnico, testatur in Epistola CXIX, cap. XVIII, S. Augustinus, usum cantus in Ecclesia viguisse exemplo, documento et præcepto tum Christi Domini, tum Apostolorum : « De hymnis, inquit, et psalmis canendis ipsius Domini et Apostolorum habemus documenta, et exempla, et præcepta. » Quod quidem fuse probant patres concilii Toletani IV, allatis variis novi Testamenti locis : « Nam et ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo evangelista attestante; *et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Et Paulus » Apostolus ad Ephesios scripsit, dicens : *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis » in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus.* » Quod itaque Theodoretus, lib. IV *Historiæ*, cap. XXIX, et Nicephorus, lib. IX, capite XIX, sancto Ephrem Syro harmoniacæ modulationis inventionem attribuunt, id ita intelligendum esse recte docet eminentissimus Joannes Bona cardinalis in Tractatu *De divina psalmodia*, capite XVII, § III, quod vel antiquum cantum in aliqua particulari ecclesia instituerit, vel canendi methodum, et notulas intervallorum, ac vocum indices aliqua faciliori ratione innovarit.

III. Licet autem, ut diximus, ab initio Ecclesiæ usus canendi ubique fere locorum fuerit, præsertim vero Romæ, S. Gregorius tamen planum et unisonum adinvenit cantum, quem ab ipso Gregorianum nuncupant, progrediturque per certos limites, et terminos tonorum, quos modos, seu tropos vocant musici, et octonario numero definiunt, secundum naturalem generis diatonici dispositionem. Huic cantui, quo hactenus usa est Ecclesia Occidentalis, cum Galli et Germani nonnulla miscuissent, testatur in Vita S. Gregorii Joannes Diaconus, lib. II, cap. VI, religiosissimum imperatorem Carolum Magnum ad primogeniam S. Gregorii harmoniam restitui curavisse; eaque in re admirabilem fuisse pii Principis sollicitudinem, fusius docet in lib. *De ecclesiastica Cura Caroli Magni*, cap. V et seq. monachus Sangallensis. Aiunt complures prisci scriptores petiisse ab Hadriano I papa Carolum cantores, eosque missos fuisse in Galliam, ut veram cantandi normam docerent. Refert quoque Duchesnius, *Historiæ Francorum* tom. I, scriptoris cujusdam testimonium dicentis, Carolum Magnum ab Hadriano

Digitized by Google

papa cantores Romanos obtinuisse, qui duo Antiphonaria secum attulerant, quorum unum Metis, alterum Suessione repositum fuit.

IV. Quod autem scholam cantorum spectat, antiquissima est illa in Ecclesia : summo enim semper studio tum Romani Pontifices, tum aliarum Ecclesiarum præsules religiose curarunt, ut clerici a teneris annis canendi regulas addiscerent, dato eis magistro qui, ut scite docet Tertullianus in lib. *De Pallio*, cap. ultimo, « primus » esset informator litterarum, et primus edo- » mator vocis. » Ideo Romæ scholam cantorum institutam fuisse, ait Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. IV, num. XX, ejusque originem Petrus episcopus Urbevetanus in Scholiis ad Vitam Leonis IV ita describit : « Quamvis circa tempora Sylvestri papæ plures » fuerint in Urbe ecclesiæ, non tamen singulæ » clericos vel monachos habebant, qui in illis » officia obirent. Presbyteri enim titulis, et dia- » coni diaconiis præfecti, suo quisque tantum » officio vacabant, illi sacramentis administran- » dis, hi pauperibus procurandis; ideoque or- » dinata fuit schola cantorum, quæ in Urbe » communis erat, et stationes, processiones, ac » festa principalia ecclesiarum Urbis sequebatur: » qua in schola pueri in cantu, lectione et mo- » ribus sacris instituebantur, in communi vive- » bant, et primicerium, cujus tunc magna erat » in Urbe dignitas, præfectum habebant. »

V. Hinc ad reliquas civitates eamdem propagatam esse institutionem, recte admodum docet laudatus Bona. Etenim Leidradus Lugdunensis archiepiscopus ad Carolum Magnum scribens ait : « Habeo scholas cantorum, ex quibus ple- » rique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire » possint. » Afferri possent alia de eadem re testimonia, sed satis erit describere canonem XVIII concilii Valentini sub Lothario : « Ut de scholis » tam divinæ quam humanæ litteraturæ, nec- » non et ecclesiasticæ cantilenæ, juxta exem- » plum prædecessorum nostrorum aliquid inter » nos tractetur, et, si potest fieri, statuatur et » ordinetur. » Sunt qui primam hujus scholæ institutionem Hilario papæ attribuant, alii vero S. Gregorio Magno, cui etiam debetur ecclesiastici cantus in meliorem formam instauratio. Verum hujusmodi scholam in qua pueri cantu, et litteris, ac moribus instruerentur, ducentis fere annis ante Gregorium Magnum exstitisse in Africa Victor episcopus indicat, lib. V *De persecutione Vandalica sub impio rege Hunerico*, ubi describens multitudinem fidelium pergentium in exilium, separatos ex illis ait, suggerente quodam Terchario, qui cum lector catholicus esset, accesserat Arianis, duodecim infantulos teneros, et aptos modulis cantilenæ, quos ipse in Ecclesia discipulos habuerat. Porro quantum vigeret in Africa studium ecclesiastici cantus, luculenter ostendit S. Augustinus lib. X *Confessionum*, capite XXXIII.

VI. Vetus Ordo Romanus ait, ex prædicta schola pueros nobiles cubicularios Summi Pontificis fieri consuevisse. Transferebantur nimirum, inquit memoratus Bona, in oratorium Pontificis, quod olim cubiculum vocabatur, ut docet cardinalis Baronius ad diem XI junii, et inter clericos Pontificios numerabantur. Sic a tenera ætate nutritus fuit Sergius I, de quo hæc refert Anastasius bibliothecarius : « Hic veniens » Romam tempore Adeodati, quia studiosus » erat, et capax in officio cantilenæ, scholæ can- » torum pro doctrina est traditus, et acolythus » factus per ordinem ascendens, a Leone II in » titulo S. Susannæ presbyter ordinatus est. » Sergius item II, cum puer esset, a Leone III scholæ cantorum traditus, ut erudiretur litteris, et cantilenæ melodiis, ascendens deinde per omnes gradus, Summus Pontifex creatus est. Similia scribit idem Anastasius de Gregorio II, Stephano III et Paulo I. Quandonam Romæ sublata sit schola cantorum sub primicerio communiter viventium, difficile est divinare. Viguisse eam scholam sæculo XIII, videtur quidem asserere Cæsar cardinalis Rasponus in suo erudito Opere *De Basilica Lateranensi*, lib. II, cap. IV, ubi refert conventionem anno 1232 initam inter Lateranensem ecclesiam et primicerium, ac scholam cantorum, in qua conventione assignantur quidam proventus ipsi primicerio cum decem cantoribus pro officio in die S. Joannis Baptistæ, et in stationibus ejusdem ecclesiæ. Plura de cantu ecclesiastico, ejusque tonis, et schola cantorum, videri possunt apud Thomassinum, parte I *Disciplinæ*, lib. II; Grancolas in Breviarium Romanum, cap. XVII; Lupum in Scholio ad canonem LXXV concilii Trullani, et apud alios viros doctos, quos in tractatu *De divina Psalmodia*, cap. XVII, citat Joannes cardinalis eruditissimus Bona.

VII. Docet autem inter alia Grancolas, undecimo Christi sæculo, cum Guido Aretinus, monachus S. Benedicti, musicam regulam, sive elementa invenisset, cantum eo pervenisse, quo loco deinceps spectatus est; musices vero, atque plurium instrumentorum musicorum illi accessionem factam esse, quasi ad Davidis imitationem, qui plurium instrumentorum meminit quibus ad Deum laudandum pie homines excitat; ut in psalmo CXLIV videre est, et in Apoca-

Digitized by Google

lypsi, cap. v, ubi instrumentorum concentus describuntur, quibus Angeli atque Sancti ad Deum glorificandum utuntur. Fatetur quidem S. Joannes Chrysostomus, *in Psalmum* CXLIX, Deum instrumentorum musicorum usum in religioso Synagogæ cultu permisisse, eodem fere pacto quo sacrificia tolerabat, ut scilicet populi sui infirmitati obsequeretur; cæterum eorum usum ipse non improbat, si ad excitandos pietatis sensus in fidelium animis adhibeantur.

VIII. Hodie res eo devenit, ut non modo cuncta fere Ecclesiæ bona ac reditus a solis musicis absumantur, sed et Ecclesia Dei alicubi facta videatur velut *castrorum acies* inordinata; adeo ut locum dari puto justæ expostulationi S. Aelredi abbatis Rievalensis, qui teste Trithemio, in sanctis Scripturis, et jugi studio exercitatus, sæculo XII floruit. Is itaque, lib. II *Speculi charitatis*, cap. XXIII, postquam eos suggillavit qui, sub specie religionis, negotium voluptatis, et qui ea quæ antiqui Patres in typis et figuris futurorum salubriter exercebant, in usum suæ vanitatis usurpant, hunc in modum in sui nostrique temporis abusum invehitur: « Unde, quæso, cessantibus jam typis et figuris, » unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad » quid, rogo, terribilis ille follium flatus, toni» trui potius fragorem, quam vocis exprimens » suavitatem? » Mox musicos canentes describens, sic inquit: « Ad quid illa vocis contractio » et infractio? Hic succinit, ille discinit, alter » supercinit, alter medias quasdam notas dividit » et incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, » nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dila» tatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equi» nos hinnitus cogitur, aliquando, virili vigore » deposito, in femineæ vocis gracilitate accitur, » nonnunquam artificiosa quadam circumlo» cutione torquetur, et retorquetur. Videas ali» quando hominem aperto ore, quasi intercluso » halitu, exspirare, non cantare, ac ridiculosa » quadam vocis interceptione quasi minitari si» lentium, nunc agones morientium, vel exta» sim patientium imitari; interim histrionicis » quibusdam gestibus totum corpus agitatur, » torquentur labia, rotant oculi, et ad singulas » quasque notas digitorum flexus respondet; et » hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio, et » ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo hono» rabilius serviri clamatur. »

IX. Pergit sanctus Abbas, aliaque subjungit, quæ nos quotidie in nostris fieri templis cernimus: « Stans, inquit, interea vulgus, sonitum » follium, crepitum cymbalorum, harmoniam » fistularum, tremens attonitusque miratur; » sed lascivas cantantium gesticulationes, me» retricias vocum altercationes et infractiones » non sine cachinno risuque intuetur, ut eos » non ad oratorium, sed ad theatrum, non ad » orandum, sed ad spectandum æstimes conve» nisse; nec timetur illa tremenda majestas cui » assistitur, nec defertur mystico illi præsepio » cui ministratur, ubi Christus mystice pannis » involvitur, ubi sacratissimus ejus sanguis ca» lice libatur, ubi aperiuntur cœli, assistunt » Angeli, ubi terrena cœlestibus junguntur, ac » Angelis homines sociantur. » Fateor me non improbare musicam in ecclesia, sed abusum, sed tympana bellica, sed nimiam ecclesiasticorum bonorum prodigalitatem erga musicos, adeo ut ineptum vulgus felicius putet castrari filios, et musicam potius quam alias bonas artes addiscere, quia scilicet castratos honoratos vident et divitiis affluentes, homines vero doctos summa inopia laborare. Ne autem videamur peculiari hoc capite adversus musicos loqui, consulto omittimus quid de iisdem Joannes Sarisberiensis Carnotensis episcopus, qui, teste Trithemio, floruit anno 1140, scribit in lib. I *De nugis Curialium*, cap. VI. Cui addi potest Wilhelmus Lindanus, *Panopliæ Evangelicæ* lib. IV, cap. LXXVIII; Stephanus Duranti, lib. III *De Ritibus*, cap. XXI, num. XI, et novissime in canonem I Nicænum nostro I tomo Conciliorum eruditus, et magnæ exspectationis adolescens, Raphaël Justinianus Chius, quem acerba mors rapuit die XI mensis octobris anni 1737, non sine animi mei mœrore: diligebam siquidem illum ob ingenii sui præstantiam, qua quidem adeo præditus fuit, ut unius anni spatio, me docente, prima utriusque Juris elementa, et notitiam Conciliorum, sanctorum Patrum atque ecclesiasticæ historiæ facile, et non sine magno progressu perdidicerit.

CAPUT V.

De Cathedra, Baldachino, et Faldistorio Episcopi.

I. Ex quo Christus episcopatum instituit, cœperunt Apostoli quidem ac ipsorum successores cathedras in ecclesiis suis erigere, quæ alio nomine *throni* ac etiam *solia* vocabantur. Cathedræ sancti Petri meminit in secundo contra Parmenianum libro S. Optatus Milevitanus: « Sed et habere vos in urbe Roma partem ali» quam dicitis. Ramus est vestri erroris, pro» tensus de mendacio, non de radice veritatis. » Denique Macrobio dicatur ubi illic sedeat? » Numquid potest dicere, in cathedra Petri,

Digitized by Google

» quam nescio si vel oculis novit. » Per Petri cathedram Optatus profecto intelligit ejus episcopalem thronum, atque ita affirmat sanctum Petrum sedisse Romæ episcopum, et istiusmodi thronos esse ipsius institutum. De cathedra Jacobi apostoli scribit Eusebius, lib. VII *Historiæ*, cap. XIX : « Jacobi apostoli cathedram, qui primus ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ episcopatum electus a Servatore et ejus Apostolis, ad istud tempus servatam, Episcopi qui illic ordine successerunt, omnibus ostendunt. » Quod plerique latini interpretes vertunt *Jacobi cathedram*, in græco legitur : Τὸν Ἰακώβου θρόνον, *Jacobi thronum*. Eamdem ob causam S. Gregorius Nazianzenus sedem episcopi Alexandrini, thronum Marci appellat, quod in ea scilicet S. Marcus Evangelista primum episcopus sederit. Loquens itaque Nazianzenus in Oratione XXI de S. Athanasio ita scribit : « Neque per vim ac cædem, sed apostolico et spirituali modo ad Marci thronum evehitur. »

II. Dignitatis causa ut thronus Episcopi collocetur in medio sacrario seu presbyterio, sanxit auctor *Constitutionum apostolicarum*, lib. II, cap. LVII. *Sit solium Episcopi*, inquit, *in medio positum, et ex utroque ejus latere sedeant Presbyteri, et adstent Diaconi*. Erat sedes illa Episcopi paulo elatior quam Presbyterorum sedes, quæ ad latus positæ, *secundi throni* dicebantur; uti constat ex celebri epistola Constantini magni imperatoris ad Chrestum episcopum Syracusanum, ubi eum ad concilium Arelatense evocans, duos ex *throno secundo*, hoc est duos presbyteros adducere secum jubet. Exstat ea Epistola apud Eusebium, lib. X *Historiæ*, cap. V. Ad hoc etiam alludens S. Gregorius Nazianzenus, ubi de sua ipsius ordinatione in presbyterum loquitur, a parente qui ordinarat ipsum, se collocatum fuisse dicit in secundis sedibus. Et in somnio de Templo Anastasiæ hunc in modum diversos Ecclesiæ ordines repræsentat : « Ego sublimi quidem throno, sed non item elato, aut supercilioso animo (neque enim, ne per somnum quidem, superbiam unquam et arrogantiam colui) insidere mihi videbar : utrimque porro, inferioribus tamen subselliis Presbyteri, hoc est gregis Christiani duces considebant. At vero Diaconi candidis vestibus ornati stabant, Angelici splendoris speciem præ se ferentes. »

III. Est autem hic illud notandum, quod quamvis non semel thronus episcoporum altus et sublimis dicatur ab iis præsertim qui stylo oratorio utuntur, comparate id tamen tantum, et intuitu inferiorum sedium presbyterorum, intelligi debet, uti scite observat Binghamus, lib. II *Originum Ecclesiasticarum*, cap. IX, § VII. Hoc ipsum enim unum erat e criminibus quæ Concilium Antiochenum Paulo Samosatensi in synodali sua adversus ipsum epistola assignabat, quod tribunal, et sublimem thronum, non ut Christi discipulus, sed ut quidam hujus mundi princeps, sibi ipse construxerit, et secretum habuerit perinde ac sæculares magistratus, quorum apud tribunalia adhuc alius quidam locus erat per velum separatus, quem *secretum* vocabant; et quod ambitiosus ipse Paulus episcopus Samosatensis eodem illud nomine appellaverit. Porro admiranda magis quam imitanda est humilitas S. Martini Turonensis episcopi, qui in secretario ecclesiæ nunquam visus est sedere, sed tantum humiliori sellula, cujus comparatione fastum cujusdam episcopi qui in sublimiori sede, veluti regio solio, considebat, merito reprehendit Severus Sulpitius in Vita S. Martini, dialogo III. « Illud, inquit, non præteribo, quod in secretario sedens, nunquam cathedra usus est; nam in ecclesia nemo unquam illum sedere conspexit, sicut quemdam nuper, testor Dominum, non sine meo pudore vidi, sublimi solio, quasi regio tribunali, celsa sede residentem. Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut est in usibus servulorum, quas nos rustici Galli *tripetias*, vos scholastici, ut certe tu qui de Græcia venisti, *tripodes* nuncupatis. »

IV. Quidquid sit de memorato S. Martini exemplo, aliter certe sancti Patres docuerunt : « Oportet, inquit S. Augustinus in Epistola CCXXXIV, ut in congregatione Christianorum præpositi plebis eminentius sedeant, ut in ipsa sede distinguantur, et eorum officium satis appareat; non tamen ut inflentur de sede, sed ut cogitent sarcinam, unde reddituri sunt rationem. » S. Ambrosius in libro *De Dignitate sacerdotali*, cap. VI, hanc aliam celsioris throni episcopalis adducit rationem : « Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi superinspector, maxime cum in solio in ecclesia editiore resideat, et ita cunctos respiciat, ut et cunctorum oculi in ipsum respiciant. » Sane in docendi officio maxime elucebat dignitas cathedræ episcopalis, etsi solerent etiam episcopi ad populum habere conciones e suggestu pro gradibus altaris, uti fuse ostendit auctoritate veterum Patrum vir clarissimus Bernardinus Ferrarius, *De ritu Sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum*, lib. III, cap. VI et seq. Eaque consuetudo vigebat tum in Orientalibus, tum in Occi-

Digitized by Google

dentalibus ecclesiis. S. Gregorius Nazianzenus ait, se concionante, cancellos vim passos a confluente multitudine avida verbi Dei. De S. Chrysostomo prodit Socrates, quo facilius audiri ab universa plebe posset, accedere solitum ad ambonem, ut inde concionaretur. Prudentius autem in carmine de S. Hippolyto martyre, ubi ejus basilicam describit, ita canit :

« Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
» Tollitur, antistes prædicat unde Deum. »

Et Sidonius Apollinaris in carmine Eucharistico ad Faustum episcopum ait :

« Seu te conspicuis gradibus venerabilis aræ
» Concionaturum plebs sedula circumsistit,
» Expositæ legis bibat auribus ut medicinam. »

Atque hic nota cathedram episcopalem, quæ in hemiciclo absidis templi erat, et quidem lapidea, uti videre est in templo SS. Nerei et Achillei, divinis quidem officiis ut plurimum inserviisse; de qua Cathedra vide tomum II hujus nostri operis, tit. I, § I.

V. Fuit olim denique Episcoporum cathedra non solum gradibus elevata, sed et velo etiam adornata, uti ex Paciano patet, qui in Epistola II ad Sympronianum, Novatiano exprobrat, quod « consecrante nullo linteatam sedem acceperit. » Id etiam innuere videtur S. Augustinus in Epistola XXIII, ad Maximinum episcopum Donatistam, ubi ait, « nec absidas gradatas, nec cathedras ve» latas » cuiquam in Christi judicio profuturas. Celebre certe et antiquissimum est quod ea de re legitur in Vita S. Cypriani per Pontium diaconum scripta, num. XVI. Loquens enim laudatus scriptor de accessu sancti Episcopi ad prætorium proconsulis : « Illic, inquit, cum post iter lon» gum nimio sudore madidatus sederet (sedile » autem erat fortuito linteo tectum, ut et sub ictu » passionis episcopatus honore frueretur), qui» dam ex tesserariis quondam Christianus res » suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis » humidis sicciora mutare, etc. » Ubi nota primo, linteis Episcoporum sedes cooperire fuisse solitas etiam in Africa; secundo autem, quod obiter dictum sit, tesserarios eos dici qui tesseras per militum contubernia nuntiabant, vel ab excubitoribus exigebant. De his vide Vegetium, lib. II *De re militari*, cap. VII.

VI. Porro sola adeo fuit antiquitus Episcoporum prærogativa in presbyterio solium suum habere, ibique sedere, ut ne ipsis quidem imperatoribus in presbyterio consistere permitteretur. Nemo nescit, quam episcopali auctoritate Theodosium imperatorem S. Ambrosius, choro ut decederet, adduxerit, postquam munus suum obtulisset : « Cum Theodosius Imperator, » inquit in *Ecclesiastica Historia* Theodoretus, lib. V, cap. XVII, « dona attulisset, intus prope » cancellos mansit. At magnus ille Ambrosius » non conticuit, sed laicorum differentiam eum » docuit ; ac primum sciscitatur, ecqua re ege» ret. Et cum respondisset Imperator, se expec» tare divinorum Mysteriorum perceptionem, » significavit illi per primarium Diaconum, qui » ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdo» tibus aditum patere, eademque aliis omnibus » inaccessa esse, nec debere tangi. Jubet igitur » ut exeat, et cum reliquis laicis consistat. Nam » purpura, inquit, imperatores, non sacerdotes » efficit. » Addit, reversum Theodosium Constantinopolim, cum regiæ modestiæ specimen edere vellet, et choro decedere, instanti Nectario episcopo Constantinopolitano ut ibidem maneret, gementem respondisse, addidicisse se ab Ambrosio quid discriminis intersit inter imperatorem et episcopum, unumque sibi videri Ambrosium vere episcopum : « Pietatis præ» cepta quæ ab illo episcopo *Ambrosio* didicerat, » etiam cum revertisset Constantinopolim, ob» servavit. Nam cum divino quodam festo ad » templum denuo veniret, statim ut dona sacræ » mensæ obtulerat, exivit; atque cum Necta» rius, qui id temporis fuit antistes illius Eccle» siæ, rogaret cur non maneret intus? gemens » inquit : Ægre tandem didici, quid inter impe» ratorem intersit ac episcopum; æque tandem » reperi veritatis magistrum. Nam solum Am» brosium novi episcopum dignum eo nomine. »

VII. Idem docet Hermias Sozomenus in sua *Ecclesiastica Historia*, lib. VII, cap. XXIV, sed paulo explicatius, nimirum Ambrosium ita secum statuisse, ut emendaret scilicet quod adulatio ordinisque perturbatio invexisset, ac ne imperator quidem inter clericos sederet, sed ante cancellos sedes ipsi locaretur, ut honorificentius et propius ad altare sederet, quam cæteri laici, inferius tamen remotiusque quam clerus : « Moris erat ut imperatores, dum sacris » interessent, in sacrario sederent, majestatis » ergo a populi consortio separati. Ambrosius » autem, considerans eam consuetudinem, vel » ex assentatione, vel ex ordinis perturbatione » esse natam, imperatori in ecclesia locum as» signavit ante sacrarii cancellos, ita ut popu» lum imperator, imperatoremque sacerdotes » ordine sedis antecederent. » Adjungit hanc Ambrosii constitutionem a Theodosio fuisse probatam, ac a successoribus ejus corroboratam, adeo ut suo etiam tempore observaretur :

Digitized by Google

« Hanc autem optimam constitutionem Theo-
» dosius imperator approbavit, et successores
» ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque
» tempore conservatam cernimus. » Enimvero, ut scite observat Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LXXIX, num. II, Theodosius junior in ea lege quam post Ephesinum concilium promulgavit, nimirum de asylis, contestatur ipsemet, non adire se unquam ad ipsa altaria, nisi ad oblationem, et statim discedere : « Ad
» sacra altaria munerum tantummodo offeren-
» dorum causa accedimus, et cum circumscri-
» ptum sacrorum aditum ingressi sumus, statim
» egredimur, nec quidquam ex propinqua Divi-
» nitate nobis arrogamus. » Recte autem dicit laudatus Sozomenus, consuetudinem natam ex episcoporum assentatione. Etenim Constantinum Magnum, quod episcopalem sermonem stans in ecclesia inter populum audierit, positumque istic ab Episcopis regale solium, nec bis rogatus sedere voluerit, laudat Eusebius Cæsariensis, lib. IV, cap. XXXIII. Erat vero solium istud non in sacrario, sed in atrio populi.

VIII. Hinc quis non videt quanta fuerit alicubi baronum temeritas, qui non modo in ecclesiis suorum feudorum, verum intra presbyterium coram Episcopi solio sedem sibi cum baldachino erigere non erubuerint; quamobrem coacta non semel fuit sacra Rituum congregatio laicis prohibere usum baldachini, et alia quæcumque ipsius signa, gradus, suppedanea, et similia tam in presbyterio quam extra, uti videre est in cap. VIII, tit. XL decimiquarti provincialis concilii Beneventani, sub Vincentio Maria cardinale Ursino, Beneventanæ civitatis metropolita, qui postea fuit Benedictus XIII, pontifex maximus. Etsi autem compluries ipsa sacra Rituum congregatio inhærendo decretis alias editis, et præsertim in Lucerina, die 22 novembris 1664, itemque die 28 septembris 1675, et 13 martii 1688 declaraverit, nullo modo dandum esse Evangelium sæcularibus deosculandum, etiam præsidi in celebratione missarum, simulque prohibuerit usum baldachini in Acernina, die 26 junii 1666; Barensi, 5 martii 1667, et 17 junii 1684; Marsicensi, Polignacensi et Miletensi, 5 martii 1667; Hieracensi, die 1 octobris 1683, et Bitectensi, 23 septembris 1684, et in aliis plurimis, de quibus mentio fit in quodam decreto generali, quod exstat in Appendice ad memoratum provinciale Concilium XIV Beneventanum, pag. 574 : adhuc nonnulli barones contumaces sunt, ac decreta ipsa sacræ Rituum congregationis in suarum animarum perniciem floccipendere non verentur.

IX. Est autem hodie baldachinum pars throni, id est umbraculum quoddam, quod super episcopi thronum appendi solet, ut patet ex Cæremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XIII et XIV, ubi etiam ita legimus : *Umbraculum, seu baldachinum, duplex est, aliud quod appendi in altum debet super altare, et supra sedem Episcopi, forma quadrata,* etc., *aliud quod supra Episcopum ac res sacras in processionibus gestari consuetum est, sex vel octo hastis sublevatum.* Id honoris delatum Joanni Vincentio ordinis Prædicatorum a Bononiensibus non sine calumnia apud Gregorium IX accusato, quasi se pro apostolico gereret, narrat Thomas Cantipratensis, lib. II, cap. I : « Ut au-
» tem civitas Bononiensis approximantem audi-
» vit, occurrit et nobilium, et magnatorum, ci-
» vium et populorum innumerabilis multitudo,
» qui nescientes aliquid majoris honoris impen-
» dere, pannum sericum in quatuor hastis supra
» sanctum Virum in magno laudis jubilo deporta-
» bant, etc. » Hujusmodi baldachinum Innocentius III, lib. II *De Mysteriis Missæ*, cap. VII, mappulam quatuor baculis colligatam, eosque qui illos deferunt, Mappularios vocat. Plura de mappulariis dicemus infra in Appendice post titulum *De benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii*, in Notis ad Ordinem III desumptum ex ms. codice Vaticanæ bibliothecæ.

X. Nunc demum aliqua de faldistorio dicamus, de quo fuse ac erudite scripsit vir clarissimus Dominicus Georgius Rhodiginus, tomo I, lib. I, *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. VIII, num. VI et seqq. in quibus post allatas aliorum opiniones de faldistorii etymologia, docet, Faldistorii nomen barbaris sæculis exaratum esse, cum prius a Latinis *Sella*, deinde græco vocabulo *Cliothedrum*, quod *Sellam plicatilem* significat, sit appellatum. Probat id quidem medii ævi scriptorum auctoritate, quinimo et quodam S. Gregorii testimonio, lib. X, Epistola XXIII, indictione V, ubi de sellis plectilibus mentio fit. Porro figura illius, qualis erat sæculo IX, visitur in insigni codice qui olim, ad Christinam Suecorum reginam pertinuit, deinde vero ab Alexandro VIII, pontifice maximo, una cum aliis ab eadem regina miræ vetustatis ac veritatis comparatis codicibus, bibliothecæ Vaticanæ attributus est. In quadam codicis ipsius figura sedet S. Martinus in sella quadrata, nimirum quatuor ligneis fulcris flavi seu aurei coloris fabrefactis compacta sine fulcimento ad reclinandum dorsum, habetque suppedaneum, et super sellam est pulvinar, in quo assidit S. Martinus pontificalibus ornamentis indutus.

Digitized by Google

XI. Etsi autem hac pictura faldistorium designari constet, occurrit quidem vox Faldistorium seu Faudestolium in multis antiquis mss. Rituali libris a Martenio editis, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo XI, at præterea in priscis monumentis, quorum in suo Glossario meminit Carolus Dufresne, verbo *Faldistorium*. Certe apud Cencium Camerarium non semel Pontificis faldistorium usuvenit, uti videre est in Ordine Romano XII a Mabillonio edito, pag. 168 et 183. In Actis quoque Adriani IV de ipso habetur quod *descendit, et in præparato sibi faldistorio sedit:* et in gestis Alexandri III legitur, quod *in eminentiori loco positus, in faldistorio suo resedit.* Hodie ex Cæremoniali Episcoporum, lib. I, cap. XII, § X, non modo cautum est quo loco sit collocandum, sed et quomodo cooperiendum sit faldistorium, nempe usque ad terram colore eodem cujus erunt cætera paramenta. Vide et de hac re Michaelem Bauldry, in *Manuali Cæremoniarum.*

CAPUT VI.

De sacris Sacerdotum, Episcoporum, et Ministrorum Indumentis.

I. Quanquam in decursu hujus operis sparsim multis in locis de sacris hisce indumentis dicturi simus, operæ nihilominus pretium censeo de eadem re in hoc et pluribus sequentibus capitibus disserere, cum de ipsis indumentis in omnibus fere nostri hujus Romani Pontificalis titulis mentio occurrat. Ergo, antequam singula expendamus, repetendum hic opportune est, quod in opere nostro *De codice sancti Evangelii*, diximus lib. II, cap. VII, inter hæreticos scilicet qui Ecclesiam catholicam perturbarunt, scelestissimos procul dubio fuisse recentiores, qui a diabolo acti, usum quoque sacrarum vestium, quem pia mater Ecclesia divino ducta Spiritu ab ipsis Apostolis acceptum ad nostram usque transmisit ætatem, ausi sunt floccipendere et petulantissime irridere. Verum non modo ex laudato nostro opere, sed ex iis quæ mox dicemus, quam misere istiusmodi nebulones hallucinentur, palam profecto omnibus fiet.

II. Si quis autem longe plura desiderat, videre potest, præter antiquos scriptores, recentiores viros eruditissimos Josephum Vicecomitem, Andream Saussajum, Stephanum Duranti, Joannem cardinalem Bona, Edmundum Martenium, Dominicum Georgium Rhodiginum, et novissime amicum nostrum, auctorem clarissimum, Cajetanum Merati in novis observationibus et additionibus ad *Thesaurum sacrorum Rituum* Bartholomæi Gavanti. Quibus omnibus aureum plane opusculum adjungimus mole quidem exiguum, sed utilitate reipsa maximum, quod de mysteriis Evangelicæ legis, ac sacramenti Eucharistiæ, et Missæ, concinnavit vir clarissimus, omnique laude dignus, archiepiscopus Ravennas, Hieronymus Crispi, quodque semel et iterum Romæ editum vidimus non sine magno sacerdotum emolumento. Utinam omnes sacrificio altaris destinati ipsum opusculum manibus tererent, quo sacras cæremonias in Missæ sacrificio devote peragerent, et, quicquid illæ significent, recte intelligerent.

CAPUT VII.

De hujusmodi Indumentorum colore.

I. Tametsi sex fere ab hinc sæculis quinque sint colores quibus in sacris indumentis Romana Ecclesia uti consuevit, id est albus, rubeus, viridis, violaceus et niger, certum nihilominus est varium fuisse primis Christi sæculis, usque ad annum millesimum et ultra, colorem adhibitum in sacris vestibus, ut testatur Gavantus in *Thesauro sacrorum Rituum*, parte I, cap. XVIII, et videre est apud Dominicum Georgium, lib. II, *De liturgia Romani Pontificis*, cap. IX. Quando autem utendum est albo, vel alio colore, videri possunt Rubricæ Missalis. Notandum illud, ait Durandus, lib. III *Rationalis*, cap. XVIII, quod licet in consecratione Pontificis, talibus sit indumentis utendum qualia secundum diei proprietatem conveniunt, in dedicatione tamen ecclesiæ semper est utendum albis, quocumque die dedicatio celebretur; quoniam in consecratione pontificis cantatur missa de die, sed in dedicatione basilicæ, de dedicatione missa cantatur.

II. Fateri et illud cogimur, uti Ecclesiam variis coloribus, ut varia nobis significet, et quidem pie ac mystice. Quod mirum videri non debet quibusdam criticis nostri temporis, qui tantopere, sed perperam, conati sunt sensum mysticum in rebus et functionibus ecclesiasticis irridere et petinaciter inficiari. Albus color, teste S. Hieronymo in libro adversus Pelagianos, adhibitus olim fuit in sacrificiis, et quidem apud christianos; aitque idem S. Doctor in Ezechielem, et alii sancti Patres, significari eo indumento albo gloriam, gaudium et innocentiam. Hoc ego non semel argui, semperque, ubi se occasio dederit, suggillabo, profana stemmata sacris vestibus intexi, cum alias, ut videre est in antiquis picturis, sacris imaginibus ordinarentur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Caligis et Sandaliis.

I. Scripsimus et de sandaliis in opere nostro *De Codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. VIII. Sciendum hic autem est, quod etsi caligæ et sandalia pro eadem re aliquando usurpata sint, fuerunt tamen deinde distincta; egregiumque hujusmodi distinctionis testimonium est Ivonis Carnotensis episcopi, qui in sermone III *De significationibus indumentorum sacerdotalium* hæc habet : « Antequam induantur sandaliis, » vestiuntur caligis byssinis vel lineis usque ad » genua protensis, et ibi bene constrictis ; per » quas significatur, quia debent rectos gressus » facere pedibus suis, et genua debilia, id est » negligentiis resoluta roborare. » Ergo sandalia pedum sunt tegumenta, caligæ vero hic pro tibialibus usurpantur, quamvis de caliga veterum diversa sit eruditorum sentientia, ut apud Pitiscum videre est.

II. Sunt qui caligarum, quas prisci scriptores *Campagos*, barbarissimi autem librorum exscriptores *Gambagos*, *Compagos*, *Campobos* vocant, et sandaliorum usum a primordiis Ecclesiæ ducunt; id quod facillime comprobant ex celebri testimonio S. Gregorii Magni, qui libro VII, Epistola XXVIII indictionis I ad Joannem episcopum Syracusanum scribens, ait Diaconos Ecclesiæ Catanensis calceatos campagis procedere præsumpisse, quod solis Diaconis Ecclesiæ Messanensis a prædecessoribus suis concessum fuerat. Papias notat, campagos esse « genus calceamenti, quo utebantur Diacones Romani, vel qui» bus a Pontifice licentia daretur, cæteri non. »

III. Sequioribus sæculis sandaliorum usum fuisse familiarem non modo Episcopis, Presbyteris et Diaconis, sed et aliis Ecclesiæ ministris, testis est locupletissimus Amalarius, lib. II *De ecclesiasticis Officiis*, cap. XXIII, ubi etiam varia clericorum sandalia, eorumque differentiam ac mysticos sensus apprime exprimit. Primi enim, uti recte docet cardinalis Bona, lib. I *Rerum liturgicarum*, cap. XXIV, num. IX, nostræ religionis antistites, cum semper studuerint maximam divinis mysteriis reverentiam impendere, omnes eorum ministros splendidis vestibus, tantoque ministerio congruis ornari decreverunt, adeo ut nec quidem sordidis et communibus calceis fas illis fuerit ad altare accedere, multo minus nudis pedibus, quod nec ipsis acolythis licere vetus Ordo Romanus in tit. *De die Parasceves* edixit. Ut omnis Presbyter Missam celebret ordine Romano cum sandaliis, jussit jam olim Carolus Magnus, lib. I *Capitularium*, cap. CCXIX. Quibusdam ab hinc sæculis cum Presbyteri ob paupertatem calceamenta mutare non possent, sandalia Episcopis reliqua fuisse, tradit quidem Grancolas, in Breviarium Romanum, cap. XXVII. Utuntur itaque hodie sandaliis Episcopi solemniter celebrantes, præterquam feria VI in Parasceve ex Cæremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXV, § VI, et in missis pro defunctis ex eodem Cæremoniali, lib. II, cap. XI, § III. Pontificale Guillelmi Durandi a Martenio editum, lib. I, *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, articulo XII, pag. 589, eam affert rationem cur Episcopus sandaliis in missis Defunctorum non utatur; *quia tunc omnis solemnitas cessare debet.*

CAPUT IX.

De Amictu.

I. Prima hodie Sacerdotis vestis est amictus, qui primum capiti, deinde humeris injicitur, appellaturque idcirco *Humerale*, vel *Superhumerale*, a priscis scriptoribus. Honorius Augustodunensis, lib. I, *De antiquo Ritu Missarum*, cap. CCI, *Humeralis* quidem voce ad amictum significandum utitur, sic inquiens : « Hume» rale, quod intellige Ephod, apud nos Amic» tus dicitur, sibi imponit *Sacerdos*, et illo ca» put, et collum, et humeros, unde et Hume» rale dicitur, cooperit, et in pectore copulatum » duabus vittis ad mammillas cingit. » Tum explicans quid ea vestis significet : « Per hume» rale, inquit, quod capiti imponitur, spes » cœlestium intelligitur ; caput amictu coope» rimus, dum pro spe cœlestium Deo servimus ; » collum, per quod vox depromitur, eo cir» cumdamus, si pro spe vitæ custodiam ori » nostro ponamus, ut nihil, nisi quod laudem » Dei sonet, de ore nostro proferamus. » Similia habet Hugo Victorinus, lib. I *De Sacramentis*, cap. XLV, mysteriaque ejus vestis in eumdem modum, quo Honorius Augustodunensis, explicat.

II. Superhumerale amictum quidem vocant tum auctor editus nomine Alcuini, tum etiam Rabanus Maurus, ac alii complures, aiuntque fieri ex lino purissimo : « Post sandalia, inquit » Alcuinus in lib. *De Divinis Officiis*, cap. XXXIX, » in ecclesiasticis vestimentis sequitur superhu» merale, quod fit ex lino purissimo. » Rabanus vero, lib. I *De Institutione clericorum*, cap. XV, ita scribit : « Primum ergo eorum indumentum » est ephod-bad, quod interpretatur superhu-

Digitized by Google

» merale lineum, quod significat munditiam » bonorum operum. » Atque hinc vides varia amictui tribui nomina; nam, sicuti diximus, Humerale et Superhumerale vocatur, et per analogiam ad legalium sacerdotum indumenta, *Ephod*, quia, ut S. Hieronymus docet in Epistola CXXVIII ad Fabiolam, ubicumque in Exodo seu Levitico *superhumerale* legitur, apud Hebræos *ephod* appellatur. An vero amictus idem prorsus sit cum ephod veteris legis, quæstio anceps est, ut notat eruditissimus Bona cardinalis, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, ubi de amictu agit. Eam quæstionem fuse tractat vir clarissimus Andreas Saussaius, parte I *Panopliæ sacerdotalis*, lib. I, cap. II.

III. Sunt et alia quoque amictus nomina, nempe Anabolagium, Ambolagium, Anagolagium, uti videre est in *Ordine antiquo Romano*, ex quo etiam addiscimus, Summos Pontifices indutos fuisse amictu a subdiaconis regionariis post albam et cingulum : nam *Ordo Romanus* ubi agit, qualiter in Romana Ecclesia Missa celebretur, sic inquit : « *Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anabolagium, id est, amictum, alius laneam dalmaticam, et alius planetam, et per ordinem sic induunt Pontificem.* Similia alibi *Ordo* idem *Romanus* præscribit. Unde non mirum, si mos ipse induendi amictum post albam hodieque in Ecclesiis Mediolanensi et Lugdunensi servatur, ut adnotavit Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo I. Cæterum illud constat, in Romana Ecclesia jam ante XI sæculum morem invaluisse induendi amictum ante albam et quamcumque aliam vestem sacerdotalem; satis enim Missale Romanum Vallicellanum sæculi XI accipiendum esse amictum ante albam indicat. Sed et Rupertus, abbas Tuitiensis, lib. I *De divinis Officiis*, cap. XIX, non modo primo loco amictum inter vestes sacerdotales collocat, sed refert etiam, amictu caput a quibusdam fuisse coopertum, quemadmodum hodie fit a plerisque regularium ordinibus : « Sacerdos, inquit, in officio altaris, capitis sui, » scilicet Christi, cujus membrum est, personam » gerit. Quidem amictu caput suum obnubit, » donec super os casulæ illum revolvat, et velut » caput, aut coronam illum coaptet.

CAPUT X.

De Alba.

I. Alba, quæ etiam Camisia, Camisius et Camisile vulgari vocabulo appellatur, vetustissimum episcoporum, sacerdotum, cæterorumque ministrorum indumentum est. Statuit enim Concilium Carthaginense IV, anno Christi 398 habitum, can. XLI, « ut Diaconus tempore oblationis » tantum, vel lectionis alba utatur. » In Narbonensi vero synodo anno 589 celebrata, can. XII, cautum fuit, « Ne Diaconus aut Subdiaconus, vel » Lector, antequam Missa consummetur, alba » se præsumat exuere. » Meminere et ejus vestis antiqui Ecclesiæ Patres, tum latini, tum græci, inter quos celebre est S. Hieronymi et S. Joannis Chrysostomi testimonium; ac ille quidem ad albam alludere mihi videtur, cum in libro I adversus Pelagianos, candidæ vestis usum commemorat, dicens : « Quæ sunt, rogo, inimicitiæ » contra Deum, si tunicam habuero mundio» rem? si Episcopus, Presbyter, Diaconus, et » reliquus ordo ecclesiasticus in administratione » Sacramentorum, candida veste præcesserint? » Chrysostomus vero, sive potius auctor *Homiliarum in Evangelium sancti Matthæi*, homilia LXXXIII, cap. VI, sacros ministros admonens, ita scribit : « Idcirco vos Deus tanto voluit ho» nore decorare, ut hæc diligentissime discer» natis : hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, » hæc corona, non quia tunicam induti candi» dissimam per ecclesiam ambuletis. »

II. Erat et in veteri Testamento linea tunica talaris, prima sacerdotalis vestis, diciturque græco vocabulo *Poderis*, quia descendit usque ad pedes, quos illi *podas* vocant. Hac veste, seu linea tunica talari indutum, sacris olim fuisse operatum S. Jacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini, primumque Hierosolymorum antistitem, testatur apud Eusebium Cæsariensem Egesippus vicinus apostolicorum temporum, ipseque Eusebius, lib. VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XVII. Ea veste in sacris functionibus cæteros Apostolos uti consuevisse, eorumque successores Ecclesiæ antistites, cæterosque sacros ministros, persuasum mihi videtur, cum Paulinus Tyriorum episcopus orationem in templi dedicatione habitam his verbis exorsus sit : « Amici, et sacerdotes Dei, qui podere induti estis : » sacra scilicet linea talari tunica, quali hodie in celebratione Missæ Sacerdotes utuntur; etenim definiente S. Isidoro Hispalensi episcopo, lib. XIX *Originum*, cap. XXI : « Poderis est tunica sacerdotalis linea, corpori » adstricta usque ad pedes descendens, unde et » nuncupatur; πόδας enim Græci pedes dicunt. » Hujusmodi veste usos olim fuisse ipsos etiam inferiores clericos, aperte liquet ex ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Capuanæ, quod hodie in

Digitized by Google

Casanatensi bibliotheca asservatur; ibi enim clerici oblongis induti vestibus repræsentantur. Vide infra in Appendice ad titulum *De Ordinatione Presbyteri.*

III. Lineam tandem tunicam ab ethnicis in sacris fuisse adhibitam, testatur in sua Apologia Apuleius, sic inquiens : « Mundissima lini se» ges inter optimas fruges terræ exorta non » modo indutui et amictui sanctissimis Ægyp» tiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in » rebus sacris usurpatur. » Usos et lineis vestibus Pythagoricos, tradit Schefferus in libro *De Italica Philosophia*, cap. XIV. Quamobrem interrogatus Apollonius apud Philostratum, lib. VIII, ita respondit : « Quia me terra quæ » alit, etiam vestit. » Et paulo post : « Vestem » quam a morticinis plerique ferunt, non puram » esse ratus Pythagoras, linea veste usus est. » Sed hæc usum profanum spectant; cæterum de sacerdotibus Isidis nota sunt Ovidii carmina :

« Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim
» Quæsieris. »

Et alibi idem poeta cecinit :

«Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba. »

IV. Docet præterea S. Hieronymus, in Epistola CXXVIII, ad Fabiolam, albam, seu poderem, *camisiam* fuisse appellatam, adeoque corpori stricte adhæsisse, ut nulla omnino in ea veste ruga appareret; ejusque verba hæc sunt : « Hæc » autem adhæret corpori, et tam arcta est stric» tis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga, » et usque ad crura descendat. » Tum addit : « Volo pro legentis facilitate, abuti vulgato ser» mone : solent militantes habere lineas, quas » camisias vocant, sic aptas membris et adstric» tas corporibus, ut expediti sint, vel ad cur» sum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere » clypeum, ensem vibrare, et quocumque ne» cessitas traxerit. » Concludit autem sic : « Er» go et Sacerdotes parati in ministerium Dei, » utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudi» nem vestimentorum, nudorum celeritate dis» currant. » Animadvertit jampridem hunc S. Hieronymi locum Amalarius, lib. II, *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XVIII, ubi scite observat vestimentum illud, cujus Hieronymus meminit, in hoc ab indumento ecclesiastico quo hodie utimur differre, quod illud scilicet strictum fuerit, ecclesiasticum vero largum, illud ad crura tantum, ecclesiasticum ad pedes descendat; cujus discriminis hanc etiam subjicit rationem : « Etenim hi qui in veteri Testamento, » spiritu servitutis erant adstricti, de quo dice» bat Paulus, *Non enim accepistis spiritum ser» vitutis in timore.* Nos vero quia Filius libera» vit, liberi sumus, non accepimus spiritum » servitutis in timore, sed spiritum adoptionis » filiorum. Ac ideo sic illorum strictum, nos» trum largum propter libertatem, qua Christus » nos liberavit. »

V. Idipsum docet Innocentius III, lib. I *Mysteriorum Missæ*, cap. LI, ubi etiam tradit ipsi albæ auriphrygium et gemmas fuisse adnexas : « Hæc vestis in veteri sacerdotio stricta » fuisse describitur. In novo larga est propter » spiritum adoptionis in libertate. Quod autem » auriphrygium habet, et gemmata est in diver» sis locis, et variis operibus ad decorem, illud » insinuat, quod Propheta dicit in psalmo : *As» titit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, » circumdata varietate.* » Præter auriphrygium et grammas, caputium et lingulam notat fuisse in alba Durandus, non autem gemmas; sic enim ait in suo *Rationali*, lib. III, cap. III, num. III : « Habet autem alba caputium, quod » est professio castitatis : habet etiam lingulam, » quæ significat linguam sacerdotalem, quæ » ligat contumaces, et absolvit pœnitentes. » Sane fuisse antiquitus morem, ut alba aurifrisis et grammis ornaretur, fuse ac erudite ostendit vir clarissimus Dominicus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, lib. I, cap. XVI, num. IV, ubi inter alia affert locum Anastasii Bibliothecarii, qui in vita Benedicti III refert, Saxonum regem Romæ consistentem obtulisse beato Petro Apostolo varia dona, et inter illa « camisias albas sigillatas holosericas, et cum » chrysoclavo, » id est, aureis clavis distinctas. Celebre est etiam ea in re quod de alba qua sepultus fuit Bonifacius VIII, narrat Bzovius ad annum 1303, § X : « Alba, inquit, quæ et Ca» misum dicitur, erat ex tela subtili Camera» censi, cum fimbriis ante et post tibias, nec» non ad manus et pectus; quæ fimbriæ ante » et post tibias singularum ipsarum habent in » latitudine palmos tres cum dimidio, in lon» gitudine palmum unum, in quibus auro et » serico acu pictæ (ut vulgo dicitur *riccamo*) » infrascriptæ habentur historiæ, *scilicet* An» nuntiationis, Visitationis, Nativitatis, Appa» ritionis Angelorum ad pastores, et aliæ per» multæ. Alba longa erat usque ad pedes, et in » pectore aderat fimbria cum imagine Annun» tiationis. » Evangelicis hisce historiis fuisse veterum Pontificum vestes olim insignitas, picturæ musivæ tum Romæ, tum alibi ostendunt.

VI. Alba denique varia denotat. Primo quidem perseverantiam in bona actione, ex auctore

Digitized by Google

sub nomine Alcuini in lib. *De divinis Officiis*, cap. *Quod significent vestimenta*. Secundo, castigationem corporis, uti docet Amalarius, lib. II, cap. XVIII; vel castitatem totius vitæ, ex Honorio Augustodunensi in *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCII; sive munditiam animæ aut carnis, juxta expositionem Hugonis Victorini in *Speculo Ecclesiæ*, cap. VI, et in *Eruditione Theologica*, lib. I, cap. XLVI. Tertio, novam vitam Sacerdotis, ex Ruperto abbate Tuitiensi, lib. I, *De divinis Officiis*, cap. XX. Quarto, libertatem filiorum Dei, ex Innocentio III, in lib. I, *De Mysteriis Missæ*, cap. LI. Quinto, demum, fidem et innocentiam, ex S. Thoma Aquinate, parte III, quæstione LXXXIII, articulo V. His addi possunt variæ precationum formulæ a Martenio allatæ, a Sacerdotibus olim, cum albam sumebant, dici solitæ, ex quibus erui possunt aliæ piæ ipsius indumenti significationes.

CAPUT XI.

De Cingulo.

I. Quoniam alba, ne diffluat et gressum impediat, cingulo stringitur, ideo nunc de Cingulo agamus. De quo hæc habet S. Hieronymus in laudata Epistola ad Fabiolam, de veste sacerdotali : « Tertium genus est vestimenti quod illi » (*Hebræi*) Abner, nos Cingulum, vel Balteum, » vel Zonam possumus dicere. » Quæ verba passim usurpant scriptores de divinis officiis. Varii olim coloris fuisse cingulum, imo etiam auro ac gemmis intextum, docet nos Riculfus episcopus Helenensis, qui Ecclesiæ suæ anno Christi 916, uti videre est apud Baluzium in Appendice ad Regionem, pag. 616, legavit « Zonas quinque, » unam cum auro et gemmis pretiosis, alias quatuor cum auro. » Apud Ughellum, tom. VII *Italiæ sacræ*, pag. 1275, legimus, Falconem judicem Vigiliensem ecclesiæ S. Margaritæ dono dedisse *unam zonam de seta rubea*. Certe cingulum quod inter ornamenta Pontificalia Bonifacii VIII, Pontificis Maximi, fuit repertum, erat « ex serico » rubro, et viridi, pulchre quidam intertextum » cum suis chordulis sericeis ante pendentibus, » suisque globulis et floccis. »

II. Creditus Alcuinus in eo cap. *Quid significent vestimenta*, per zonam inquit, quæ Cingulum dicitur, qua restringitur poderis, seu alba, ne laxe per pedes diffluat, designari discretionem omnium virtutum. Amalarius in laudato lib., cap. XXII, continentiam significari docet per ipsum cingulum. Cui quidem consentit Durandus, lib. III *Rationalis*, cap. IV : « Debet, inquit, alba » circa lumbos Sacerdotis seu Pontificis zona, » seu cingulo, quod in Lege et apud Græcos » ζώνη, sive balteum dicebatur, præcingi, ne de- » fluendo incessum impediat, ut castitas sacer- » dotalis per albam significata, nullis incentivo- » rum stimulis dissolvatur ; cingulum namque » continentiam significat. Unde, *Sint lumbi » vestri præcincti, et lucernæ ardentes in ma- » nibus vestris.* » Alludit ad locum Evangelii S. Lucæ, cap. XI. *Gemma animæ*, cap. CCIII, dicit denotari per cingulum custodiam cordis; Rabanus, *De institutione Clericorum*, lib. I, cap. XVII, fervorem continentiæ, ne sit remissa; alii arcum contra hostes, alii fortitudinem, alii alia.

CAPUT XII.

De Rochetto et Superpelliceo.

I. Genus albæ sunt Rochettum et Superpelliceum ; utrumque sicut alba ex lino conficitur; in eo autem ab ipsa differunt, quod alba usque ad talos, rochettum vero et superpelliceum usque ad genua extenditur. Differt tamen rochettum a superpelliceo, quod illud strictas, istud vero latas manicas habet. Docet Gavantus in *Thesauro sacrorum Rituum*, parte II, tit. I, *De Præparatione Sacerdotis celebraturi*, dictum olim Rochettum Lineam, quæ ante amictum ex Ordine antiquo Romano suscipiebatur, quia scilicet in ipso Ordine post amictum sequitur alba. Cardinalis Baronius, ad annum 261, de rochetto mentionem fieri censet in Actis Proconsularibus S. Cypriani, inquibus dicitur, « quod cum se » dalmatica expoliasset, et Diaconibus tradidisset, » in linea stetit. » Lineam hic ait esse Baronius non lineam interulam, qua nuditas operitur, sed commune Episcopis omnibus indumentum, quod Rochettum dicitur, etsi aliter velint Theodoricus Ruinartius in *Acta Martyrum*, pag. 218 editionis Parisiensis, et Stephanus Baluzius in *Notis* ad acta ipsa S. Cypriani, aliique scriptores non pauci. Verum hanc sententiam Baronii non modo Claudius Molinetus et alii amplectuntur, verum etiam tueri videtur laudatus Gavantus, et novissime vir clarissimus Dominicus Georgius, lib. II *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. II, § III et seq. ubi etiam variis allatis veterum auctorum locis, perspicue ostendit, ante sæculum Christi millesimum consuevisse non modo Episcopos, sed et Presbyteros Missæ sacrificium celebraturos, rochettum ante albam induere. Porro ex laudato auctore et illud quidem constat, antiquum esse hujus indumenti genus, quod alio vocabulo camisiam albam,

Digitized by Google

camisiam lineam, Romanam camisiam, albam Romanam, et succam lineam appellitabant.

II. Quod rochetti etymologiam spectat, eam a voce Germanica *roch* derivat Joannes Meursius in *Glossario*, Gerardus Vossius, lib. II *De Vitiis sermonis*, cap. XVI, Octavius Ferrarius in *Originibus linguæ Italicæ*, et alii. At vero aliter docent Guillelmus Sonnerus in *Dictionario Saxonico-Latino-Anglico*, et Henricus Spelmannus in *Glossario Archæologico*, qui etymon ejus vocabuli a voce anglo-saxonica *rocc* deducendum putant. Bartholomæus Gavantus in laudata parte II, tit. I, *De Præparatione Sacerdotis celebraturi*, gallicam vocem esse contendit, et Avenione forte, cum ibidem Summi Pontifices degerent, introductam; probatque hanc suam opinionem ex Calepino septem linguarum, quod ibi nimirum vox *Supparus*, quæ significat quod superinduitur, gallice vertatur *Roquet*. Sed labitur certe Gavantus, cum satis liqueat ex *Monastico Anglicano*, tomo III, pag. 331, in descriptione ornamentorum ecclesiæ S. Fidis in cryptis S. Pauli Londinensis, facta anno Christi 1298, enumerari *duo rochetta et quatuor superpellicea*. Ubi nota, distingui quidem rochettum a superpelliceo, et ante quam Romani Pontifices Avenionem sedem transferrent, fuisse in usu *rochetti* vocem.

III. Quæret quispiam, cur tantopere Romanum Pontificale moneat, ut si Episcopus sit religiosus non rochettum, sed loco illius superpelliceum induere debeat? Aiunt nonnulli, inter quos Pompeus Sarnelli episcopus Vigiliensis, *Epistolarum Ecclesiasticarum* tomo VIII, epistola XXIII, Fratrem religiosum, et monachum ad episcopatum assumptum, ideo loco rochetti gestare superpelliceum, quia, cum ex præscripto sacrorum Canonum, suæ religionis habitum, qui latas manicas habere solet, deferre teneantur, rochetti manicas, quæ strictæ sunt, vix brachium caperet. Sed hanc responsionem, quam plerique alias viri docti amplectuntur, puto levis esse momenti, cum quotidie videamus Fratres vel monachos alba indutos, quæ instar rochetti strictas manicas habet, vel cum ipso rochetto subtus albam, ut de generali magistro ordinis Prædicatorum testatur laudatus Sarnellus, divinum Missæ sacrificium celebrare. Sed etsi sacros consulamus Canones, præscribit quidem Innocentius III, in concilio generali Lateranensi IV habito anno 1215, cap. VI : « Ut Pontifices in publico et in ecclesia superindumentis » lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint quos » oportet ferre habitum monachalem. » Ubi nota nullam hic fieri mentionem superpellicei, quo uti possint monachi episcopi, nullum inter rochettum et superpelliceum haberi discrimen, sed solum dici, debere Pontifices Cleri utique sæcularis veste linea tam in ecclesia quam extra uti, monachos vero ferre habitum monachalem debere.

IV. Quidquid autem de ea quæstione sit, mos certe invaluit, et pluribus quidem abhinc sæculis, ut Fratres Mendicantes, et monachi, facti episcopi superpelliceum gestent, Clerici autem tam sæculares quam regulares rochettum. Cujus disciplinæ tenax semper fuit Dominicani ordinis præstantissimum sidus, Vincentius Maria cardinalis Ursinus, postea Benedictus XIII, Pontifex Maximus. Is enim, ex Canonum quidem præscripto, quamdiu cardinalis fuit, habitum semper inclytæ suæ religionis detulit, et loco rochetti superpelliceum. Sane cautum est ex generali decreto sacræ Rituum Congregationis, § IX, die XXVII septembris 1659, Alexandro VII Pontifice Maximo, ne regulares Prælati rochettum deferant, nisi ex tali ordine fuerint quibus indumentum hujusmodi competat. Cæterum non omittendum quod narrat civis meus vir clarissimus archiepiscopus Bostrensis Joseph Maria Perrimezzi, tomo I *Dissertationum Ecclesiasticarum*, dissertatione IV, nonnullos Summos Pontifices usum rochetti Episcopis quibusdam a monachatu assumptis concessisse; quod mirum videri non debet, cum alicubi vel Clerici inferiores, nescio quo fulti Apostolicæ Sedis indulto, vel prisco Ecclesiarum suarum more, rochettum ferant. Qui tamen abusus est, cum ipse habitus proprie signum jurisdictionis sit; unde Urbanus VII, Pontifex Maximus, ubi rochettum sumebat, suspirans ex imo cordis, dicere solitus erat : « Quis crederet, sub tam » levi sindone tantum pondus delitescere? » Certe rochettum jurisdictionem indicat, si nudum gestetur, mantelletta, ut aiunt, nequaquam coopertum, quemadmodum docet laudatus Sarnellus, tomo II *Epistolarum Ecclesiasticarum*, epistola XXXI, ubi refert Pium II, ac Julium pariter II Summos Pontifices, dum iter agerent, mandasse Episcopis, ut in propriis diœcesibus, etiam coram ipsis Pontificibus, cum rochetto cooperto mozzettam ferrent.

V. Quod tandem spectat superpelliceum, seu lineam superpellicialem, appellari quidem eo nomine hoc indumentum cœpit circa sæculum Christi XI. Legimus enim in Eduardi regis Anglorum legibus editis anno Christi 1060, ubi agitur de exsequiis mortuorum, ut Episcopus « faciat » invenire processionem cum sacerdote induto » alba, et manipulo, et stola, et Clericis in super-

Digitized by Google

» pelliceis cum aqua benedicta.» Regulæ quoque S. Gilberti pro monasteriis de Sempingham, sub Eugenio Papa III editæ, præcipiunt, ut «ministris » altaris fiant superpellicea cum caputiis, quæ » caput et colli nuda protegant, cum sacerdota» libus vestimentis induendi fuerint, etc. » Dicitur autem Superpelliceum, eo quod antiquitus super tunicas pelliceas de pellibus mortuorum animalium factas imponebatur. Id quod suo tempore in quibusdam Ecclesiis observatum refert Guillelmus Durandus in suo *Rationali*, lib. III, cap. I, num. XI, ubi eam adducit rationem, ut repræsentarent, « quod Adam post peccatum tali» bus usus est pelliceis.» Puto veriorem rationem illam esse, quam alii viri eruditi docent, vocari scilicet Superpelliceum, quod Canonici qui Psalmos in choro canebant, frigoris arcendi causa, in regionibus præsertim aquilonaribus, pellibus corpus tegebant, super quas lineam tunicam imponebant, quam idcirco appellatam fuisse Superpelliceum, facile est intelligere.

VI. Superpelliceum etsi hodie ita contractum aliqui deferunt, ut vix illis ad pectus perveniat, olim tamen ad talos usque descendebat, teste Stephano Tornacensi, qui vivebat anno 1180, in Epistola sua CVI, ad Albinum S. Rom. Ecclesiæ presbyterum cardinalem, cui non modo ejus vestimenti formam, sed et mysterium in hunc modum explicat : « Hujus habitus indicium » principale vobis mitto, superpelliceum novum, » candidum, et talare, quod repræsentet vobis » vitæ novitatem, munditiæ candorem, persève» rantiæ finem. » Contractum deinde fuit ad medias tibias, uti constat ex sessione XXI concilii Basileensis, in qua constitutum fuit :« Ut Clerici » tunica talari et superpelliceis mundis ultra me» dias tibias longis, sine confabulationibus choro » intersint.» Servatam passim hanc disciplinam ferendi superpelliceum usque ad medias tibias ad sæculum usque XVI, docent nos temporis ipsius picturæ, quæ nobis Cardinales, vel Episcopos, seu alios inferiores Sacerdotes, aut Clericos, rochetta vel superpellicea usque ad medias tibias habentes. Cœpit, elapso sæculo, ea vestis usque ad genua contrahi, qua brevitate homines hodierni quidam ecclesiastici nequaquam contenti, priscum morem floccipendentes, simulque mysteria, quæ ob suam longitudinem habitus ille significat, rochetta vel superpellicea gestant quæ vix ad pectus perveniunt. Quamobrem et in hoc laudandus cardinalis Thomasius, qui veteris disciplinæ tenax, rochettum crispum quod ei ab eminentissimo viro dono datum fuerat, manibus ad genua usque protraxit.

VII. Qualia esse debeant superpellicea, edicit in Supellectili Ecclesiastica S. Carolus, cujus verba hæc sunt : « Superpelliceum e tela lini, » aut cannabi puri sit ; eaque non rudi, sed can» dida, non crassiori, sed tenui potius ; manicis » ita oblongis, ut crispatæ usque ad digitos sum» mos pertingant; quæ esse possunt cubitis » circiter duobus, vel circa, late autem patenti» bus in orbem cubitos circiter quatuor : in ipso » ore forma rotunda potius quam quadrata, » latum pro capitis crassitudine ; a pectore nullo » modo scissum, aut dissectum : longe ductum » infra genua, atque adeo fere usque ad crura » media : late pateat ab extremis oris in ambi» tum cubitis circiter tredecim, vel circa, absu» mens cubitis octo circiter; ita ut apte consu» tum et crispatum decenter appareat, pro hume» rorum latitudine, corporisve crassitudine : a » nulla parte neque nimis, neque affectata arti» ficiosi operis elegantia elaboratum, ab humeris » præsertim non specioso artificio ornata. » Similia præscribunt multæ provinciales synodi in Italia et in Galliis post sanctum Carolum celebratæ, inter quas Burdigalensis synodus habita anno 1583, cap. XIII, ubi agit de Capitulis, Dignitatibus, et Canonicis, eisdem prohibet superpelliceis patulis curiosius acu elaboratis uti : eamque rationem subjicit, quam hic lubet describere ad suggillandum quorumdam Canonicorum, vel aliorum Clericorum vanitatem : « Ri» diculum est enim, inquit, abuti eo quod ad » demonstrandum simplicitatem animorum, et » corporum puritatem religiose introductum » est. »

CAPUT XIII.

De Cruce pectorali Episcoporum.

I. Nemini adhuc satis exploratum est, an primis sæculis in usu fuerit Episcopis crucem cum sanctorum reliquiis, quam nos Pectoralem dicimus, collo appensam deferre. Eminentissimus cardinalis Bona, et Andreas Saussaius, ex alto de ea re veterum scriptorum silentio eum ritum non admodum antiquum putant. Cui tamen sententiæ adhærere nequeo. Cum enim, ut scite docet Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVIII, num. IV, antiquitus libero quidem, et peculiari instinctu Christiani fere omnes, seu Orientis, seu Occidentis crucem, vel ipso Crucis ligno vel sacris reliquiis munitam collo appensam gestarent, haud dubium quin et illam non modo Episcopi, sed et Clerici etiam deferrent. Certe quod prisci fideles muniti cruce incederent, ostendit fuse eruditus Gretserus in opere suo quod *De Cruce* inscripsit. Quod autem Epi-

Digitized by Google

scopos spectat, egregium est quod refert S. Gregorius Turonensis episcopus, lib. I *De gloria Martyrum*, cap. XI. Ait enim se crucem auream ad collum gestasse, in qua erant reliquiæ beatæ Virginis, sanctorum Apostolorum et beati Martini, cujus ope incendium restinxit, quod aqua tolli non poterat : « Tunc, inquit, extractam a » pectore crucem elevo contra ignem; mox in » adspectu sanctarum reliquiarum, ita cunctus » ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus. » Alia ejusdem rei exempla post laudatum Thomassinum refert vir clarissimus Dominicus Georgius, lib. I *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. XIX.

II. Fateri hic illud necesse est, quod, etsi multa de eo Episcoporum ritu exempla afferri possint, cum tamen nec prisci Sacramentorum libri, nec antiqui præsertim scriptores liturgici, qui ornatus sacros Pontificum aliorumque ministrorum tam in Oriente quam in Occidente pertractarunt, ad earum significationes mysticas enucleandas, cum ipsi, inquam, nunquam pectoralem crucem attigerint, argumento id est, nulla tunc eam lege vel consuetudine generali usurpatam fuisse, adeo ut labente sæculo XIII in potestate Episcopi esset crucem pectoralem deferre, vel non; sic enim in suo Pontificali scribit Durandus, qui sæculo illo vivebat : « Indumenta » vero sibi (Episcopo) per ordinem necessaria » sunt hæc, videlicet, caligæ, sandalia, amictus, » alba, cingulum cum subcinctorio, quod habet » similitudinem manipuli et dependet a cingulo » in latere dextro, crux pectoralis, si quis ea ve» lit uti, stola, tunicella, dalmatica, etc. » Sane recte docet laudatus Georgius loco citato in fine, a Romanis quidem Pontificibus, qui pectorali cruce jampridem usi sunt, inter Episcoporum peculiaria ornamenta fuisse adscriptam.

III. Vocari in dubium minime potest, quin pectoralem crucem Romani Pontifices vel antiquitus prægestarent; constanter id quidem asserit Joseph Vicecomes, lib. IV, *De Missæ apparatu*, cap. XXX, et laudatus Thomassinus, num. IV, ubi usum pectoralis crucis reliquiis Sanctorum refertæ ex S. Gregorii Papæ Vita per Joannem Diaconum scripta eruunt. Joannes quippe, lib. IV, cap. VIII, dum sacras enumerat vestes quibus indutus fuerat memoratus Pontifex, dum tumulo inveheretur, ait phylacteria ipsius magna veneratione a Christi fidelibus fuisse habita; phylacteriorum autem nomine designari sacram reliquiarum thecam collo appensam, idem scriptor ibidem demonstrat; imo Gregorius ipsemet eamdem vocem de cruce sacris fœtam pignoribus, maxime autem sanctissimo Christi crucis frustulo interpretatur; uti videre est lib. XII, Epistola VII quam ad Theodolindam Longobardorum reginam scripsit, dicens : « Excellentissimo autem filio nostro Adu» lovaldo regi transmittere phylacteria curavi» mus, id est, crucem cum ligno sanctæ Crucis » Domini, et lectionem sancti Evangelii theca » persica inclusam. »

IV. In sequentibus sæculis pectoralem crucem specialem fuisse Romani Episcopi ornatum, luculenter docet Innocentius III Pontifex Maximus, lib. I *Mysteriorum Missæ*, cap. LIII; singulas enim Papæ vestes ad altare explanans, pro lamina illa aurea quam solus Pontifex Summus gestabat in fronte, subjicit crucem a collo catenulis suspensam, ut quæ et ipsa laminæ loco esset Summi Pontificis propria : « Quia signo Crucis, inquit, auri lamina cessit, » pro lamina quam Pontifex ille gerebat in » fronte, Pontifex ipse crucem gerit in pectore. » Nam mysterium quod in quatuor libris auri » lamina continebat, in quatuor partibus forma » crucis explicuit, juxta quod inquit Aposto» lus : *Ut comprehendatis cum omnibus Sanc» tis, quæ sit longitudo, et latitudo, et sublimi» tas, et profundum.* Ideoque Romanus Pontifex » crucem quamdam insertam catenulis a collo » suspensam sibi statuit ante pectus, ut sacra» mentum quod ille tunc præferebat in fronte, » hic autem recondat in pectore. Nam *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ita Innocentius, cujus verba pene exscripsit Durandus, lib. III *Rationalis*, cap. IX, ubi adjungit, Summum quidem Pontificem crucem statuere sibi ante pectus, ad designandum, quod ait Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. VI : *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Tradit deinde idem Durandus, Pontificem imponendo sibi et deponendo crucem, ipsam exosculari, ad denotandum quod Christi passionem, quæ per illam significatur, credit et confitetur, quodque ad eamdem repræsentandam in officio Missæ se parat.

V. Sunt qui autumant, etiam Græcos Episcopos pectolarem crucem gestasse, eamque ab ipsis *Encolpion* appellari. Quod tamen non satis exploratum est; quinimo a compluribus doctis viris constantissime pernegatur. Patriarcharum Orientalium legati Constantinopolim appulsi, ut VIII generali interessent synodo, testificati sunt quidem ut primum ad Imperatorem admissi sunt, illum crucem quæ ex pectore ejus pendebat, ipsorum collo imposuisse, qua eos obtestaretur, non alias persequi, non alias promovere Ecclesiæ utilitates; « Imposuit super

Digitized by Google

» colla nostra Encolpion suum, et dixit : Ecce » judicium Ecclesiæ exigat Deus a cervicibus » vestris in die judicii. » Exstant hæc verba in actione v memoratæ Synodi viii, ubi animadvertere aiunt Anastasium Bibliothecarium, Græcos sinu semper crucem circumferre, eique insertum semper aliquid esse veræ et vivificæ Crucis, vel sacrarum alioqui reliquiarum, idque a Græcis *Encolpion* appellari. « Encolpion, in» quit, est quod in sinu portatur. Colpos enim » græce, sinus latine dicitur. Moris enim Græ» eorum est, crucem cum pretioso ligno, vel » cum reliquiis Sanctorum ante pectus portare » suspensam ad collum. »

VI. Sed non inde satis valide infertur, Encolpion fuisse insigne Episcoporum; nam primo qui illud imposuit, fuit imperator; secundo, Helias, vicarius sedis Hierosolymitanæ, qui narrans adventum suum in regiam civitatem, et qualiter ab Imperatore ipse cum sociis receptus fuerat, ea verba dixit : *Imposuit super colla nostra Encolpion*, etc., non erat episcopus, sed presbyter; tertio, ut Gretserus, lib. ii *De Cruce*, cap. xxxiv, animadvertit, et post eum Saussaius, *Panopliæ Episcopalis* lib. iv, pag. 299, non inficiatur *Encolpii* vocem neque in græco textu memoratæ actionis v, neque in latina versione haberi, sed ὠμόφορα, id est, *humeralia*, seu *superhumeralia*. Idipsum confirmat Georgius, libro i *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. xix. Quarto demum frustra ea verba ad crucem pectoralem Episcoporum referuntur, cum, ut late probant qui de Cruce scripserunt, crucem secum ferre commune esset omnibus christianis, et præsertim hodie ditioribus feminis, quæ in signum potius vanitatis quam christianæ religionis crucem lapidibus pretiosis intextam collo appensam deferunt. Cæterum quod spectat crucem quam pectoralem vocant, quam nimirum Episcopi Latini gestare solent, benedici aliquibus abhinc sæculis consuevit, exstatque hodie titulus in ii• parte nostri hujus Romani Pontificalis, qui inscribitur : *De benedictione crucis pectoralis*. Vide quæ in ejusdem tituli commentario a nobis dicentur.

CAPUT XIV.

De Manipulo, et Stola.

I. Egimus de manipulo et stola in opere nostro *De Codice sancti Evangelii*, lib. ii, cap. x, acturique iterum de istis opportunius erimus, de manipulo scilicet, infra ad titulum x, *De Ordinatione Subdiaconi;* de stola vero, ad titulum *de Ordinatione Diaconi*. Verum cum in iis locis tractandum sit de eisdem, quatenus sunt Subdiaconi et Diaconi vestes, idcirco ea in præsenti solum dicemus, quæ manipulum et stolam, quatenus sunt indumenta Pontificis, spectant. Scio manipulum, ex *Ordine antiquo Romano*, esse ultimam Episcopi vestem; sed proxime enarratis conjungendum duximus, ne a recensendis ordinatim sacris vestibus declinaremus. Cur autem manipulus sit ultima vestis Pontificum, pluribus exponit Durandus, lib. iv sui *Rationalis*, cap. vii. Primo, inquit, ut dum accipit in confessione ante Missam, ornamentum accipiens inferioris ordinis, et ab inferiori ministro, id est, Subdiacono, cujus propria vestis est manipulus, humilietur Episcopus coram Deo. Secundo, ut quod ore confitetur, se peccasse, per fructum boni operis, qui significatur in manipulo ad brachium ligato, reficiatur in mente. Tertio, ut concessa temporalia per manipulum adumbrata videatur accipere per alienam manum, et cum sui cognitione in humilitate, ne ob temporalia elevetur in superbiam. Quarto, ad notandum quod tunc bonorum operum manipulum cum præmio portabimus cum Christo, quando ad altare Dei æterni tribunal Judicis pervenerimus; nam Episcopus typum gerit Christi capitis nostri.

II. Usum manipuli, quem prisci auctores et mss. Pontificales libri antiqui mappulam vocant, proprium fuisse Ecclesiæ Romanæ, luculenter docet S. Gregorius Pontifex Maximus, qui, lib. ii, Epistola liv, ad Joannem archiepiscopum Ravennatem, ita inquit : « Illud autem, » quod pro utendis a clero vestro mappulis » scripsistis, a nostris est Clericis fortiter ob» viatum dicentibus nulli hoc unquam alii cui» libet Ecclesiæ concessum fuisse. » Addit, se honoris causa primis Diaconibus Ecclesiæ Ravennatis, quod ex aliorum fide didicerit nullos ex eis usos esse, in obsequio duntaxat Archiepiscopi, mappularum usum permittere; alio autem tempore, vel alias personas hoc agere, vehementissime se prohibere. Ergo mappulæ fuere olim Cleri Romani ornamentum, earumque usum primis tantum Diaconis Archiepiscopi Ravennatis S. Gregorius impertitus est, ac tum duntaxat cum Ravennatem Antistitem ad ecclesiam comitarentur.

III. Recte itaque vir clarissimus Dominicus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, lib. i, cap. xxx, num. ii, ex laudata Epistola S. Gregorii colligit, mappulas olim aut inter sacra ornamenta fuisse habitas, aut si ad tergendas sordes vultus in ministerio Altaris illarum usus permittebatur, ut plerique auctores antiqui au-

Digitized by Google

tumant, id non licuisse, nisi ex concessione Romani Pontificis : « Ut quid enim adeo urgeret sanctus Gregorius, si hæ mappulæ non » adhibebantur nisi ad sudorem depellendum? » An non licebat cuivis ex sacris ministris su» darium deferre, dum divinis mysteriis ope» ram daret? » Verba sunt laudati scriptoris, qui etiam ex eo quod S. Gregorius ipsas mappulas non permittat, nisi Diaconis et Presbyteris, recte conjicit, nonnisi Altaris ministris dignioribus mappulas fuisse concessas : « Ec» quid enim, inquit, Subdiaconis et Acolythis, » si detergendo sudori tantum inserviebant, » non permisisset? »

IV. Quod autem mappula inter sacra indumenta vel olim accenseretur, testimoniis comprobatur ex sæculo IX desumptis. Etenim in Missa Illyrici, post quam recensita est oratio ad casulam accipiendam, statim hæc precatio subjicitur ad accipiendum manipulum, quem mappulam nuncupat : « Investione istius » mappulæ subnixe deprecor, Domine, ut sic » operer in temporali conversatione, quatenus » exemplo priorum patrum in futuro merear » perenniter gaudere, per omnia, etc. » Mox vero ex eadem Missa, ubi Pontifex inducbat mappulam, istam pronuntiabat verborum formulam : « Da, Domine, virtutem manibus meis » ad abstergendam omnem maculam immun» dam, ut sine pollutione mentis, et corporis » valeam tibi servire. » In codice monasterii Sancti Dionysii, ætate Caroli Magni scripto, ut monet Martenius, post orationem ad casulam legitur : *Ad Manipulum*. Et statim sequitur hæc oratio : « Præcinge me, Domine, virtute, et pone » immaculatam viam meam. » Affert præterea Martenius, lib. I, cap. IV, articulo XII, ex mss. codicibus annorum circiter octingenta alias precationum formulas in quibus expressa fit mentio manipuli; quamobrem assentiri nequeo Joannis Bona cardinalis opinioni, qui libro I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, num. V, mutationem mappulæ in manipulum factam sæculo X ait. Etsi enim Alcuinus et Amalarius, qui floruerunt sæculo IX, mappularum usum tunc viguisse ostendant, ex editis tamen, postquam memoratus Bona vita functus est, antiquitatis monumentis, Manipuli nomen in ministerio Altaris antiquius sæculo X esse constat ex laudato præsertim codice monasterii S. Dionysi sub Caroli Magni tempora exarato.

V. De stola insuper jam diximus, locutos nos abunde fuisse, cum in opere *De Codice sancti Evangelii*, tum infra esse locuturos in titulo XI, *De Ordinatione Diaconi*. In præsenti nonnulla de ipsa dicemus, quatenus est Episcopi vestis, qui alio modo eam gestat quam Diaconus vel Sacerdos, ut in istorum Ordinatione suo loco explicabitur. Diaconi quidem stolam a sinistro humero ad tibias recta descendentem portant, Sacerdotes vero eam ad collum et ante pectus in formam crucis conformant; cujus differentiæ meminit in suo *Rationali* Durandus, lib. III, cap. V, eamque rationem reddit : « Orarium, » inquit, jugum simul et onus est; jugum » Sacerdotibus, onus Diaconis : unde fit, ut Sa» cerdotibus circa collum, Diaconis super sinis» trum humerum ponatur. Sicut enim jugum » collo portatur, sic et humeris onera feruntur. » Lege in Levitico, et videbis solos levitas fe» rendis oneribus destinatos. » Nomine Orarii, stolam intelligit, de eaque voce fuse nos disseruimus in laudato opere *De Codice sancti Evangelii*, cap. X, lib. II.

VI. Episcopi porro stolam ita sibi aptant, ut æque hinc inde pendeat, neque in crucis formam ante pectus complicetur. Id quod suo tempore animadvertit in suo *Pontificali* memoratus Durandus, apud Martenium, lib. I, cap. IV, articulo XII; stolam scilicet, sive orarium Episcoporum nequaquam in modum crucis ante pectus deflecti. Durandi verba hæc sunt : « Et » quanquam inferiores Presbyteri debeant ora» rium in modum crucis ante pectus reflectere; » in Episcopo tamen decet illius capita recte » anterius deorsum dependere. » Ita etiam docet Innocentius III, lib. I, *De Mysteriis Missæ*, cap. LIV, ubi ait, stolam Romani Pontificis a collo per anteriora descendere, dextrum et sinistrum latus adornare. Hodie etsi Romani soli Pontifices extra rem etiam sacram stola utantur, olim tamen non modo Episcopi, sed et Presbyteri stolam perpetuo deferebant, uti dictum est in laudato opere *De Codice sancti Evangelii*, ubi etiam notavimus, præ cæteris olim quidem Episcopos sine ulla propemodum intermissione stolam gestasse; narrat enim de S. Thoma Cantuariensi archiepiscopo in ejus Vita ms. Joannes Saresberiensis, episcopus Carnotensis, « beatis» simum illum Martyrem stolam jugum Christi » suave circa collum diebus ac noctibus habuis» se. » De stola a novo Sacerdote collo appensa jugiter per integram hebdomadam a die suæ ordinationis gestata, a Diacono vero indesinenter per annum integrum, vide infra in Append. ad tit. XII.

VII. Olim quoque etsi Romanus Pontifex sacra facturus stolam sumeret post dalmaticam, ut ex Ordine Romano III et V colligit eruditus Georgius lib. I, cap. I; observat tamen Innocen-

Digitized by Google

tii III ætate morem invaluisse, ut stolam ante tunicam et dalmaticam indueret. Cui ritui non modo adstipulatur Durandus, sed et vetustissima Missa Illyrici, ubi post præcinctorium, ante tunicam quæ ibi *Subtile* vocatur, succedit stola cum hac duplici precatione. Prima est : « Stola » justitiæ circumda, Domine, vocem meam, et » ab omni corruptione peccati purifica mentem » meam. » Altera vero : « Dirumpe, Domine, » vincula peccatorum meorum, ut jugo tuæ » servitutis innixus, valeam tibi cum timore et » reverentia famulari. » Eamdem hanc habet orationem codex monasterii S. Dionysii, Caroli Magni ævo scriptus. Afferi possent et aliæ precationes ex aliis antiquis codicibus, quæ tamen videri possunt apud laudatum Martenium.

CAPUT XV.

De Tunicella et Dalmatica.

I. Alia est tunicella et dalmatica qua Subdiaconus et Diaconus utitur, alia est tunicella et dalmatica Episcopi. Vetus quidem Ordo Romanus utriusque indumenti meminit, cum Espicopales vestes pernumerat, et unam quidem dalmaticam minorem, alteram majorem dalmaticam nuncupat. Tunicam docet Amalarius, lib. II, cap. XXII, proprium esse Pontificis indumentum ; additque Ivo Carnotensis antistes, in sermone habito in synodo de significationibus indumentorum sacerdotalium, simplices Sacerdotes non uti duabus tunicis, sed tantum Episcopos : « Novi quoque Testamenti sacerdotes, in» quit, non omnibus illis utuntur indumentis, » quia nec duabus tunicis utuntur, nec Ratio» nali, præter solos Pontifices. » Hugo tandem a S. Victore, lib. *Eruditionis Theologicæ de Sacramentis*, cap. LII, eam Episcopi vestem ita definit, atque interpretatur : « Tunica quæ stric» tas habet manicas, et non usque ad talos sicut » alba, sed usque ad medium crus porrigitur, » militem Christi vult esse liberum, et ad bona » opera expeditum. »

II. Quanquam vero in Missa Ratoldi abbatis, apud Hugonem Menardum, inter indumenta Episcopalia, unius duntaxat tunicæ, quæ in Missa appellatur etiam *Subtile*, mentio fiat, observant tamen Stephanus Eduensis in lib. *De Sacram. Altaris*, cap. XI, et Durandus, lib. III, cap. X sui *Rationalis*, alios quidem Episcopos una, alios duabus tunicis usos fuisse : « In veteri Testa» mento, inquit Durandus, erant duæ tunicæ, » videlicet byssina, et jacenthina (*Exodi cap.* » XXXIX), et hodie etiam quidam Pontifices dua» bus utuntur, ad notandum, quod proprium » est eorum habere, scientiam duorum Testa» mentorum, ut sciant de thesauro Domini pro» ferre nova et vetera ; sive, ut se ostendant » Diaconos et Sacerdotes. » Porro quid tunica Episcopalis significet, erui potest ex variis precationum formulis quas olim Episcopi illam sumpturi dicebant. In Missa Illyrici hæc erat precatio : « Indue me, Domine, vestimento sa» lutis, et circumda me lorica fortitudinis. » Pontificale Ecclesiæ Cameracensis ad Tunicam hanc exhibet precationis formulam : « Indue » me, Domine, vestimento salutis, et tunica jus» titiæ, et indumento lætitiæ circumda me. Per » Christum. » In Missa tandem Ratoldi, in qua una tantum memoratur tunica, Episcopus sumens tunicam hos versus recitabat :

« Sanctifica tunicam, qua nunc superinduor, istam,
» Omnipotens æterne Deus, sine numine cujus
» Nil humana valet devoti condere virtus :
» Et qui me sacris voluisti vestibus uti,
» Da servire tibi, Judex pie, mente fideli. »

III. Quod dalmaticam spectat, fuit et hæc quidem vestis antiquorum Episcoporum ; constat enim ex Actis S. Cypriani Carthaginensis antistitis, per Pontium ejus diaconum scriptis, mortem ipsum oppetiturum, se dalmatica expoliasse, et tradidisse diaconis. Erat itaque dalmatica indumentum Episcopi, imo et Diaconi, ut aperte docet auctor *Quæstionum novi et veteris Testamenti*, cap. XLIV, inter opera S. Augustini, cui a nonnullis præfatæ quæstiones adscribuntur, tomo III : « Quasi non hodie, inquit, Diaconi » dalmaticis induantur, sicut Episcopi. » Sive autem is auctor sit Augustinus, sive Hilarius diaconus ut plerique existimant, sive alius quispiam, profecto se scripsisse testatur in sua *Quæstione* XLIV, trecentis annis post Hierosolymæ excidium, quæ urbs capta et destructa fuit anno Christi 81, ut testatur cardinalis Baronius.

IV. Certe fuisse dalmaticam unum præsertim ex indumentis Summi Pontificis, ubi Missarum solemnia erat celebraturus, patet ex Ordinibus Romanis I, III et V, itemque ex testimonio Joannis diaconi, qui lib. IV *Vitæ S. Gregorii*, capite LXXXIV, dalmaticam ipsus Pontificis memorat. In antiquis musivis operibus quæ adhuc Romæ conspiciuntur, repræsentantur passim non modo Romani Præsules dalmaticis induti, sed et Diaconi, ut scite observat vir clarissimus Joannes Ciampinus, tom. II *Monumentorum*. In musivo absidæ ad S. Praxedem, initio noni sæculi, sive anno 818 elaborato, Paschalis I cernitur dalmatica indutus albi coloris, talari et variis lineis diversorum colorum variegata ; quæ lineæ ab artifice musivi operis de

Digitized by Google

industria effictæ videntur, ad significandum plicas ejusdem dalmaticæ. In eadem absida Diaconus etiam spectatur, fortasse S. Laurentius, dalmatica albi coloris indutus, quæ manicas latas habet, describiturque a laudato Ciampino eodem tomo II, tabula XLVII, pag. 148. In absida quoque basilicæ S. Mariæ Transtiberim, ubi musivum opus Pontificis Maximi Innocentii II fabrefactum est, S. Innocentius Papa cum dalmatica talari albi coloris conspicitur, in qua sunt lineæ coloris cærulei, et ad extremam oram fimbriæ cum auro. Ibidem et S. Laurentius diaconus cernitur dalmaticam candidam gestans lineis coccinis distinctam, manicas latas habentem, et circa collum et circa talos ad extremitatem, fimbrias cum auro. In eadem tandem insigni basilica apparet S. Callistus Papa dalmatica alba cum latis manicis, fimbriis, et aurifrysiis ornata, et cum lineis cærulei et coccinei coloris indutus. Simili quoque modo ibidem repræsentantur effigies S. Cornelii et S. Julii Romanorum Pontificum.

V. Fuit itaque olim priscis sæculis dalmatica non modo propria vestis Romanorum Pontificum, et aliorum Episcoporum, atque Diaconorum; verum sequiori ævo non omnes Episcopos Diaconosque dalmaticis usos credendum est. Liquet enim ex S. Gregorio Pontifice Maximo, Aregium episcopum Vapincensem ab ipso Gregorio usum dalmaticæ pro se et pro Archidiacono Ecclesiæ suæ petiisse atque obtinuisse; sic enim idem Gregorius ipsi Aregio scribit, lib. VII, epistola CXII, indictione II: « Communis filius Petrus diaconus, nobis innotuit, » quod fraternitas vestra, tempore quo hic fuit, » poposcerit ut sibi et Archidiacono suo utendi » dalmaticis licentiam præberemus. » Et paulo post: « Hujus auctoritatis nostræ serie, petita » concedimus, atque te, et Archidiaconum tuum » dalmaticarum usu decorandos esse concessi» mus, easdemque dalmaticas, filio nostro Cy» riaco abbate deferente, transmisimus. » Ex cujus concessionis tenore usum dalmaticarum Episcopis ab Apostolica Sede tributum fuisse recte deducit Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, num. XI. Id enim ipsum jam ante docuerat Walafridus Strabo, qui, teste Bellarmino, in libro *De Scriptoribus*, floruit anno 849; sic enim scribit in lib. *De rebus Ecclesiasticis*, cap. XXIV: « Ipsos » Pontifices eis (dalmaticis) uti debere, ex eo » clarum est, quod Gregorius, vel alii Roma» norum præsules aliis Episcopis earum usum » permiserunt, aliis interdixerunt. Ubi intelli» gitur non omnibus tunc fuisse concessum, » quod nunc fere omnes Episcopi et nonnulli » præbyterorum sibi licere existimant, id est, ut » sub casula dalmatica vestiantur. » Ubi obiter nota, ævo Strabonis, nonnullos Presbyteros, ubi rem faciebant divinam, more Episcopi, sub casula gestasse dalmaticam. Ostendit autem Dominicus Georgius, lib. I *De Liturgia Romani Pontificis*, capite XXII, num. XIV, Diaconos in Gallia, quousque liturgia Gallicana viguit, nempe usque ad Hadrianum I, dalmaticis non usos esse, sed tantum alba ac stola, iis tantum exceptis quibus Romani Pontifices potestatem dalmaticæ induendæ fecerant.

VI. Dalmaticæ forma ea videtur fuisse antiquitus, qualis hodie exstat, in modum scilicet crucis, uti docet auctor nomine Alcuini in eo cap. quod inscribitur, *Quid significent vestimenta*, ubi primo quidem ait, dalmaticam ideo sic appellari, quod in Dalmatia reperta sit. Id quod jam ante docuerat S. Isidorus, lib. XIX *Originum*, cap. XXI, ubi ita dalmaticam describit: « Dalmatica vestis primum in Dalmatia pro» vincia Græciæ contexta, est tunica sacerdo» talis candida cum clavis ex purpura. » Tradit secundo creditus Alcuinus, usum dalmaticarum a beato Sylvestro Papa institutum fuisse, quia scilicet, ut ipse inquit, « antea colobiis ute» bantur, » quæ vestis genus sine manicis erat, unde cum nuditas brachiorum culparetur, propterea laudatum Pontificem tradit dalmaticarum usum reperiisse. Verum videtur is auctor labi, cum supra ostendimus, S. Cyprianum dalmatica indutum fuisse, dum ad martyrium duceretur. Ait autem tertio, dalmaticas in modum crucis confectas indutorem suum monere, crucifixum esse debere mundo, juxta Apostolum, qui in Epistola ad Galatas, cap. VI, inquit: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Similia et alii docent, inter quos Durandus, lib. III, cap. IX, de sua ætate et illud prodit, quindecim lineas purpureas inesse dalmaticæ; adjungitque, dalmaticam Diaconi ampliores habere manicas, quam Subdiaconi tunicella, et Episcopi dalmaticæ latiores inesse manicas, quam dalmaticæ Diaconi. Olim licet inter Diaconi Dalmaticam et Subdiaconi tunicam, seu tunicellam aliqua esset differentia, hodie nulla reperitur, nisi quod alicubi hujus manicæ strictiores et breviores sunt: quæ differentia passim et in omnibus fere Ecclesiis prorsus negligitur.

VII. Tandem tunicella, quæ in Episcopo non videtur, ex Amalario, lib. II, cap. XXII, demonstrat virtutes intimas Episcopi proprias. Dalmatica vero immaculatæ vitæ typus est, uti docet Durandus; sive liberalitatis erga pauperes,

Digitized by Google

uti interpretatur Innocentius III, sive etiam charitatis geminæ, ex Hugone a S. Victore. Porro in Missa Illyrici, ubi induebat dalmaticam Episcopus, hanc orationem recitabat: « Indumento » hoc typico, priscorum Patrum ritu in modum » crucis tramitibus purpureis contexto, vestitus » humiliter postulo, ut ex commemoratione » passionis tuæ, fiam tibi, Domine Jesu Christe, » gratiosus. Qui vivis, etc. » Aliæ precationum formulæ videri possunt apud Martenium, *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, lib. I, capite IV, articulo XII; et apud Dominicum Georgium, qui easdem formulas descripsit in laudato lib. I *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. XXII, num. XVI.

VIII. Quod attinet ad Subdiaconorum tunicam, seu tunicellam, de qua initio capitis hujus mentionem fecimus, ea ipsos non prius usos constat, quam post sanctum Gregorium Magnum, nam ante sola quidem induti alba ministerio suo fungebantur; quem morem alias Ecclesias a Romana accepisse Ecclesia, idem S. Gregorius asserit, lib. VII, Epistola LXIV, ad Joannem Syracusanum. Successu temporis, testatur Honorius Augustodunensis in *Gemma Animæ*, lib. I, cap. CCXXIX, duas illis vestes peculiares tributas fuisse, tunicam, quam Subtile vocat, quia subtilius contexta, et sudarium, sive mappulam, cui deinde successit manipulus, de quo infra dicemus. De dalmatica autem, prout est Diaconi vestis, præter illa quæ in hoc capite attigimus, vide quæ scripsimus in opere nostro, *De Codice sancti Evangelii*, libro II, cap. XI, et infra ubi de ipsius Ordinatione agemus.

CAPUT XVI.

De Chirothecis.

I. Chirothecarum in Ecclesia usum, sunt qui ab Apostolis ipsis deducunt : « Chirothecarum » usus ab Apostolis est traditus,» inquit Honorius Augustodunensis in sua *Gemma Animæ*, lib. I, cap. CCXV ; cui sententiæ adhærent Hugo Victorinus, lib. I *Eruditionis Theologicæ de Sacramentis*, cap. LV; Durandus, lib. III *Rationalis*, cap. XII ; Joseph Vicecomes, lib III *De Ritibus Missæ*, cap. XXXVII; Emmanuel Gonzalez; Bulengerus, lib. I, opusculo IV, et alii complures. Verum cum nullum exstet vestigium, vel apud priscos auctores, vel in musivis operibus vetustioribus, quod Apostoli scilicet chirothecas gestarint, gratis videntur id asseruisse præfati scriptores : propterea contemnendum. Porro inficiari nos minime audemus, quin hæc præclara manuum tegmina, sive *Guantorum*, sive Chirothecarum, sive Manicarum nomine significata, ab ævo sint antiquissimo Episcoporum ornamenta peculiaria, et in sacris liturgiis ac cæremoniis ecclesiasticis usu recepta. In veteri Missa Illyrici, quam sæculo VII scriptam eruditi autumant, ubi Pontifex sacra facturus chirothecas induit, hanc recitat precationis formulam : « Creator totius creaturæ, dignare me » indignum famulum tuum indumentis justitiæ » et lætitiæ induere, ut puris mentibus ante » conspectum tuum assistere merear mundus.»

II. Item *Ordo Romanus* ab Hittorpio editus, agens de ordinatione Episcopi, hanc orationem dicendam statuit, quando electus chirothecis, quas vocat manicas, induitur : « Immensam » clementiam tuam rogamus, omnipotens et » piissime Deus, ut manus istius famuli tui fra- » tris nostri, sicut exterius obducuntur manicis » istis, sic interius aspergantur rore tuæ bene- » dictionis. » In Missa denique Ratoldi abbatis Corbeiensis, ante annos octingentos scripta, chirothecæ, quæ etiam manicæ appellantur, cum ab Episcopo induebantur, pronuntiari ab eodem solebat formula versibus hisce contenta :

« Digna manus nostras Christi custodia servet,
» Ut tractare queant nostræ monumenta salutis. »

III. Fuisse hæc manuum tegumenta non solum Episcopis, sed interdum etiam Presbyteris communia, addiscimus plane ab auctore anonymo in Expositione Liturgiæ Gallicanæ apud Martenium, tomo V *Anecdotorum*, pag. 99, ubi ita legimus : « Manualia vero, id est manicas in- » duere sacerdotibus mos est, instar armillarum » quas regum vel sacerdotum brachia cons- » tringebantur. Ideo autem ex quolibet pretioso » vellere, non metalli duritia exstant, vel ut » omnes communiter Sacerdotes etiam minoris » dignitatis in sæculo facilius inveniant. » Teste Leone Ostiensi, lib. II *Chronici Cassinensis*, chirothecarum usum abbatibus Cassinensibus concessit Leo IX, id quod ab Apostolica Sede aliis postea abbatibus indultum fuit; quod mirum videri non debet, cum vetus *Ordo Romanus* in Ordinatione Abbatis, ex Canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690, post datam ei ab Episcopo regulam, porrigendas eidem chirothecas præscribat : *Tunc*, inquit, *tradat ei chirothecas*.

IV. Qualis olim essent materiæ chirothecæ Episcoporum, difficile est definire. Bruno Signiensis episcopus, *De sacramentis Ecclesiæ*, *mysteriis*, *etc.*, ex lino illas confectas dicit, eamque rationem assignat, ut scilicet manus, quæ lineis chirothecis induuntur, « castæ sint, » mundæ sint, et ab omni sorditate mundæ sint » et nitidæ. » Ex Bsovio ad annum Christi 1303,

Digitized by Google

§ IX « Chirothecæ, » quibus sepultus fuit Bonifacius Octavus, erant « ex serico albo ad acum cum » phrygio pulcherrimo ad perlas cum longitu- » dine palmi unius et quarti. » Exstant similia exempla apud virum religiosissimum Laurentium Surium, et apud eruditos Bollandianos in *Vitis sanctorum Episcoporum* qui circiter annum Christi 1000 floruerunt. Cæterum fuisse chirothecas tantummodo albi coloris sæculo XIII, ex Durando refert vir clarissimus Dominicus Georgius. Sic enim scribit laudatus Durandus : « Per ipsas vero chirothecas albas, casti- » tas et munditia denotatur, ut manus, id est, » operationes sint mundæ et ab omni sorde im- » munes. » Ornari antiquitus auro vel geminis consuevisse chirothecas, ex *Monastico Anglicano* addiscere licet, tomo III, pag. 314, ubi legimus in sacro Cimeliarchio ecclesiæ S. Pauli Londinensis, anno Christi 1295, recenseri chirothecas « geminis et lapidibus pretiosis ornatas. »

V. De chirothecis insuper cum nonnulla inferius dicturi simus titulo XIII, *De Consecratione electi in Episcopum*, in commentario ad § XLIII, propterea hic tantum adnoto quod tradit S. Mediolanensis antistes Carolus Borromæus, qui agens de ipsarum forma : « Chirothecæ, » inquit, Episcopales contextæ esse debent, et » circulo aureo insigniter in extrema parte or- » natæ. » Est forma non modo ab antiquis scriptoribus descripta, verum etiam explicata. Ut enim alios omittam, Guillelmus Durandus in superius laudato loco, de chirothecis agens, ait primo, chirothecas circulum desuper habere aureum, quod etsi Dominus dixerit in Evangelio Matth. V : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est;* dixit etiam et ipse : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ait secundo, esse quidem inconsutiles chirothecas, « quoniam actiones Pontifici fidei rectæ » debent esse concordes. » De chirothecis, vulgo *guantis*, opusculum edidit variis notitiis plenum tam profanis quam sacris Joannes Baptista Pacichellius Neapoli, anno 1683. Vide Macrum in suo *Hierolexico*, et eruditum Dufresne.

CAPUT XVII.

De Annulo.

I. Constat ex Missa Illyrici, et ex illa quam describit Ratoldus abbas Corbeiensis, statim post chirothecas consuevisse ab Episcopo sumi annulum, cum hac precationis formula, juxta Illyrici Missam : « Circumda, Domine, digitos » meos virtute, et decora sacrificatione. » Ex Missa autem Ratoldi hos versus pronuntiabat, ubi ipsi Episcopo annulus in dextera manu dabatur :

« Pignore me fidei signatum pacis, et arrha,
» Custodi dextra, Rex benedicte, tua. »

Meminit annuli episcopalis non modo S. Isidorus, ut dicemus in Commentario ad § XVIII tit. XIII ; verum et ad ipsum quoque videtur alludere S. Optatus Milevitanus, lib. I contra Parmenianum, his verbis : « Bene revocasti claves ad » Petrum, bene subduxisti annulum iis quibus » aperire non licet ad Fontem. » Certe S. Isidorus, lib. II, *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. V, de ritu consecrandi Episcopi scribens, ita de annulo inquit : « Datur ei annulus propter signum Pon- » tificalis honoris, vel signaculum Secretorum. » Nam multa sunt quæ carnalium minusque » intelligentium sensibus occultantes Sacerdo- » tes, quasi sub signaculo abscondunt, ne indi- » gnis quibusque sacramenta Dei aperiantur. » Quæ verba esse Isidori affirmat quidem, et in nonum primi sui libri caput recenset prima Synodus Aquisgranensis.

II. Ex hoc loco S. Isidori sunt qui annulum gestatorium cum annulo signatorio confundunt. At certum est labi, ut scite observat eruditus Lupus, tomo IV, dissertatione *De S. Leonis Noni Actis*, cap. XV, calumnia X. Etenim signatorium annulum fuisse ferreum, et gestari inhabilem, liquet ex Epistola LXXVIII S. Aviti Viennensis episcopi ad Sidonium Apollinarem episcopum Arvernensem. Quod etiam monachi olim haberent annulos signatorios, testatur et queritur Joannes Cassianus, lib. IV *Monasticarum Institutionum*, cap. XIII. S. Augustini integritatem vel in eo etiam laudat ejus Vitæ auctor Possidius, cap. XXIV, quod clavem et annulum utique signatorium non servaret secum, sed suis clericis crederet. Quod enim Augustinus annulo signaret litteras, addiscere licet ex ipsius Epistola CCXVII, ad Victorium episcopum : « Hanc epistolam, inquit, signatam » misi annulo, qui exprimit faciem hominis » attendentis in latus. » Tandem quod gestatorium annulum laudatus Augustinus episcopus habuerit, videtur non ambigendum; etenim annulum, quem inter Ecclesiæ dotes recenset, ac laudat memoratus S. Optatus Milevitanus, omnino videtur esse sacer Episcoporum annulus gestatorius.

III. Græci prisci Episcopi an velut Latini annulos gestarint, plerique auctores hodieque

Digitized by Google

addubitant. Verum constat tamen, istiusmodi ornamento honorem sibi a Latinis delatum a Græcis Episcopis summopere fuisse probatum. De Maronitis ad Romanæ Ecclesiæ unitatem post hæresim et schisma redeuntibus, ita scribit in *Orientalis Ecclesiæ Historia*, cap. LXXVIII, Jacobus cardinalis de Vitriaco : « Cum omnes » Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, » annulis et mitris pontificalibus non utantur; » Maronitæ, in signum obedientiæ, consue- » tudines et ritus observant Latinorum. » Tradit præterea Franciscus Bosquetus, Montispessuli episcopus, in Vita Innocentii III, hunc Pontificem Maximum Basilio Trinobi episcopo, quem ad eamdem Romanæ Ecclesiæ unitatem venientem, in totius Bulgariæ et Blachiæ primatem evexit, misisse mitram, chirothecas et annulum; Basilium vero Innocentio papæ summas egisse gratias. Constat Gregorium IX, Constantino Armeniorum primati postulanti pallium, etiam mitram et annulum addidisse, idque « in signum Apostolicæ dilectionis et gra- » tiæ, ac in ejus devotionis indicium. » Et de Episcopis quos imperator Michael Palæologus misit ad Lugdunense œcumenicum Gregorii X papæ concilium, scribit, lib. V, cap. XXI, Georgius Pachimeres, quod « perhumaniter illos excepit Papa, » adeo ut eos honoraverit mitris et annulis, quibus » insignibus Episcopos ornari mos illic obtinet. »

IV. Restat nunc illud monere, præter Episcopum, et Abbatem habentem usum Pontificalium, non posse protonotarios titulares (quos non participantes vocant), neque doctores, canonicosve cathedralium ecclesiarum, deferre annulum cum gemma in Missa, tum ad differentiam Episcopi, tum ad humilitatis indicium, coram sanctissimo Sacramento, quod manu tractari debet, uti docet Gavantus, ex decreto sacræ Rituum Congregationis. Observat autem vir clarissimus Cajetanus Merati in novis Observationibus ad ipsum Gavantum, pag. 339, ex alio ejusdem Congregationis decreto die IV augusti 1663, statutum fuisse, posse Canonicos Missam celebrare cum annulo aureo, et de rigore uti, sed sine gemma et sine aliqua effigie. Solus itaque Episcopus et Abbas, ut dixi superius, annulo cum gemma uti possunt; nihilominus ab ipsis esset legendus S. Petrus Damiani, qui preciosas annulorum margaritas graviter damnat.

CAPUT XVIII.

De Planeta, seu Casula.

I. Exstat præclara planetæ et casulæ mentio in Concilio Toletano IV, can. XVII : « Presbytero, » inquit, in sua ordinatione planeta datur, quæ » idem est ac casula. » Teste S. Isidoro Hispalensi episcopo, quem ipsum Concilium Doctoris nomine decoravit, lib. XIX *Originum*, casula per diminutionem a casa dicitur, quod totum hominem tegat, quasi minor casa; Planetæ vero nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur; et, ut ait Honorius Augustodunensis, lib. I, cap. CCVII, limbus ejus errabundus utrinque in brachia sublevatur. Casulæ nomen in barbaram vocem *Casubulam*, seu *cassibulam*, sumpto a Gallis vocabulo temporum vice deflexisse, docet in sua *Liturgia Romani Pontificis* Dominicus Georgius, lib. I, cap. XXIV, num. IX. Certe historia translationis S. Wandregisili abbatis ad montem Blandinum, quæ fuit anno Christi 944, reliquiarum loco ponitur: » Pars casubulæ S. Wandregisili, Tunica et » pars casubulæ sancti Ansberti, et casubula » S. Gregorii papæ, et S. Sibuini episcopi. » In Vita quoque S. Popponis abbatis, apud Bollandum die XXV januarii, num. LVIII, casula qua ipse S. Abbas celebrabat, lacrymisque aspergebat, Casubula nuncupatur : « In celebratione, inquit, » Missarum, casubulam, qua induebatur, lacry- » mis humectabat. »

II. Sunt qui ejus antiquitatem ab Apostolis ipsis derivant; nam penulam, quam S. Paulus in Epistola II ad Timotheum, cap. IV, se Troide apud Carpum reliquisse scribit, vestem fuisse sacram, constanter cum Baronio, ad annum Christi 58, plerique eruditi auctores affirmant, adeo ut, etsi Bernardinus Ferrarius in prima sui operis *De re vestiaria* editione contrarium senserit, in secunda tamen editione, ad finem capitis XXXVII palinodiam cecinerit his plane verbis : « Hæc olim opinabamur, cum nondum » penulæ figuram in antiquis monumentis vi- » dere contigisset, decepti etiam clarorum vi- » rorum auctoritate, qui penulam vestimentum » apertum esse docuerunt. Sed postquam non » una penulæ imago in manus venit, mutare » opinionem cogimur, vestemque sacrifican- » tium cum Baronio penulam fuisse fatemur. » Agit idem auctor *De penulis*, toto lib. II partis II, ubi penulæ exstat figura admodum similis planetæ sacerdotali.

III. Non ergo mirum videri debuerat Calvino, si Romæ casula S. Petri asservaretur, quam tantopere ipse sugillat, adeo ut hæc impie de ipsa scribere non erubescat : « Quod casulam » ejus spectat, est quod Papistarum inscitiam » merito deploremus : hos dicere non pudet » Petrum gestasse casulam, quia scilicet mores

Digitized by Google

» ætatis Apostolicæ prorsus ignorant; tempus » sane nondum advenerat, ut ministri Eccle- » siæ divinæ larvati celebrarent, mimicisque » ludis, ut postmodum factum est fitque nunc » usque, in Sacris lascivirentur. » At hic, uti ex doctissimo Saussaio in opere nostro *De Codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. VII, notavimus, crassa Calvini ignorantia perspicue se prodit. Si enim primæ antiquitatis legit scripturas, qui fit ut nesciat Jacobum Apostolum, cognomento Fratrem Domini, podere indutum, seu linea tunica talari sacerdotali, Sacris operatum? Testatur id quidem apud Eusebium Egesippus, vicinus Apostolicorum temporum, ipseque Eusebius, lib. VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XVIII.

IV. Sed, omissis impiis Calvini dicteriis, quem solide laudatus Saussaius in sua *Panoplia sacerdotali* confutavit, casula olim, teste Amalario, lib. II *De Officiis*, cap. XIX, vestimenti quoddam genus omnibus clericis commune fuit. Quoad formam ipsius attinet, scite docent auctores eruditissimi, Angelus Rocca in peculiari disquisitione *De S. Gregorii ejusque parentum imaginibus*, tomo II, pag. 368 novæ editionis, et Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, § VIII, et alii, rotundam illam prorsus fuisse, totum hominem a collo usque ad pedes ambientem, unicamque in medio aperturam habentem, per quam caput immitteretur; eaque de causa necessarium fuisse aiunt, ut sacerdos operari et manibus libere uti posset, ipsam casulam super brachia revolvere et complicare. Certe sic indutos Pontifices et Sacerdotes Romæ passim in priscis ecclesiarum parietibus cernimus; quamvis in opere musivo quod olim erat in basilica Lateranensi, cujus ectypon exstat in Musæo Barbarino, postea typis cusum a Cæsare Raspono, qui fuit deinde S. R. E. cardinalis, lib. I *De Basilica Lateranensi*, cap. XIV, expressa est effigies Joannis XII papæ, quem ministri induunt planeta ex utroque latere aperta, et tam in parte anteriori quam in posteriori in acumen desinente, et ultra cubitum protensa, quam certe non erat necessarium in utroque brachio duplicare aut triplicare, ut *Gemma animæ* ait. Factum autem fuisse illud opus anno Christi 960 laudatus Bona ibidem testatur.

V. Etsi ergo generaliter olim cum apud Græcos, qui adhuc hodie antiquam casulæ formam retinent, tum apud Latinos, ipsa casula nullam scissuram pro emittendis brachiis haberet, sed tota integra circulatim et undequaque ad pedes usque demissa totum corpus ita tegeret et circumveniret, ut brachia emitti non possent, nisi limbus vel fasciola extremitatem casulæ ambiens super scapulas projiceretur errabunde, aut plicis revolveretur usque ad scapulas; Latini certe, ad vitandum incommodum ex amplitudine et protensione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eam paulatim a lateribus scindere et decurtare cœperunt ad eam formam quam hodie intuemur. Conqueritur tamen Wilhelmus Lindanus, *Panopliæ Evangelicæ* lib. IV, cap. LVI, pag. 480, planetam, seu casulam, ita fuisse decurtatam, ut nullum pene supersit antiquæ formæ vestigium: « Ita enim accisa est, inquit, et decur- » tata, atque aliam prope in speciem defor- » mata, ut si cum illa sua prisca, unde defluxit » atque degeneravit, componatur, vix suum » tueatur nomen. »

VI. Quia vero planeta seu casula totum olim, ut diximus, Sacerdotem involvebat, hinc ortum esse usum plerique autumant, ut a ministro elevetur cum Sacerdos sacram Hostiam et Calicem elevat; quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua impedimento esset, adhuc perseverat, tametsi cessante causa superflua sit, ut scite observat laudatus Bona; qui etiam adjungit, exinde ortum etiam fuisse usum, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadragesima aliisque diebus jejuniorum, quibus ministri utuntur planetis, complicatæ sint a parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum; sicque paulatim introductum esse ait, ut Diaconus, cujus in Missa potissimum est ministerium, planetam exuat, ejusque loco stolam latiorem accipiat, quod ævi recentioris est; nam Ordo vetus Romanus non exui planetam, sed elevari mandat: *Diaconi*, inquit, *levant planetas in scapulas*. Porro docet Grancolas in *Commentario historico ad Breviarium Romanum*, cap. XXVII, ubi agit de casula, Diaconum quidem ex ritu Romano casulam deponere ad evangelium, nimirum in Quadragesima, et nonnisi post communionem illam iterum assumere, quo liberius munere suo fungatur; Subdiaconum etiam Epistolam lecturum, casulam exui juxta veterem morem quo Lectores, dum munus suum exercebant, albis erant induti.

VII. Casula insuper, quæ super omnes vestes induitur, charitatis symbolum est, ut post Alcuinum omnes fere qui eum secuti sunt scriptores de divinis Officiis agentes docent. Aliæ tropologicæ expositiones erui possunt ex variis antiquis precationum formulis, quæ a Ponti-

Digitized by Google

ticibus vel a Sacerdotibus recitari solebant, dum illam sumebant. De quibus videri potest Edmundus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, articulo XII; et Dominicus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, lib. I, cap. XXIV, num. XIV. In antiqua Missa Illyrici duæ ad casulam statuuntur precationum formulæ, quarum prima hæc est: « Indue me, » Domine, sacerdotali justitia, ut indui merear » in tabernacula sempiterna. » Altera vero est hujusmodi: « Indue me, Domine, ornamento » humilitatis et charitatis, et concede mihi pro» tectionem contra hostem insidiatorem, ut » valeam puro corde et casto corpore laudare » nomen tuum sanctum in sæcula sæculorum. » Amen. » Missa Ratoldi hanc hisce versibus præscribit formulam ab Episcopo casulam sumente recitandam:

« Spes æterna Deus cunctorum certa, salusque,
» Tu memor esto mei toto te corde petenti,
» Exequar ut dignus cœlestia munia vitæ:
» Dumque meis manibus tractatur mystica virtus,
» Dispereat quicquid contraxerat ordo veternus. »

CAPUT XIX.

De Mitra.

I. Postquam Episcopus planetam induit, mitra loco cidaris, seu tiaræ, seu infulæ capiti ejus imponitur, uti docet Durandus, lib. III *Rationalis Divinorum Officiorum*, cap. XIII. Sumptam esse mitram Pontificalem ex veteri Testamento, recte admodum tradit Honorius Augustodunensis in sua *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCXIV. Ea enim utebantur passim sacerdotes antiquæ Legis, ut aperte indicant sacræ Litteræ, cap. XXIX Exodi, et cap. VIII Levitici. Fuisse et mitram profanum etiam capitis ornamentum, quo primum Mæonii, deinde Ægyptii, Syri, Phryges et Lydi usi sunt, scriptores non pauci tradiderunt. Brachmanes sacerdotes mitra gemmis ornata uti consuevisse, in Vita Apollonii refert Philostratus. Eamdem usurpasse summum sacerdotem Deæ Syriæ, Lucianus in Dea Syria scripsit. Accepta insuper fuit aliquando mitra pro muliebri corona, ex qua pendebant fasciolæ, quæ phylla dicebantur, quod foliorum instar dependerent. Apud Græcos non solum pro ornatu capitis, sed etiam pro fascia in loricæ modum contexta ad latera defendenda sumebatur. Unde Virgilius, lib. VIII Æneidos cecinit:

« Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ. »

Docent nonnulli fuisse mitram zonæ quoddam genus, quam parientes primum solvebant et Deæ Dianæ consecrabant, quam ob causam eam λυσιζώνιν cognominabant.

II. In Christiana religione primis quidem Christi sæculis imponi consuevisse mitram sacratis Deo virginibus, testatur Optatus Milevitanus, lib. II adversus Donatistas, ubi ita inquit: « Felix, inter crimina sua et facinora nefanda, » ab eo comprehensam puellam, cui mitram » ipse imposuerat, a qua paulo ante pater voca» batur, nefarie incestare minime dubitavit. » Testatur et S. Isidorus, episcopus Hispalensis, qui lib. XIX *Originum*, cap. XXXI, eamdem rem docet: « Mitra, inquit, est pileum Phrygium » caput protegens, quale est ornamentum capi» tis devotarum. Sed pileum virorum est, mitra » autem feminarum. » Vide quæ infra de hoc ritu dicemus imponendi mitram consecratis virginibus, in Commentario § XIX, titulo XIX, *de Consecratione Virginum*.

III. Quod mitram Episcopi spectat, sane constat, nullam ipsius fieri mentionem in antiquis libris Pontificalibus mss. neque apud Amalarium, Rabanum, vulgatum Alcuinum, aliosque priscos auctores, qui cætera Pontificum ornamenta descripserunt. Hinc forte natam plerique autumant esse opinionem eruditissimi Onuphrii Panvini, qui circa medium sæculum decimum sextum in explicatione vocum obscurarum ad calcem Vitarum Romanorum Pontificum asserere non dubitavit, « mitrarum usum » in Ecclesia Romana non ante sexcentos annos » esse. » Cui sententiæ patrocinari strenue conatur Hugo Menardus, qui in notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 362, ita scribit: « Existimo, vix ante annum post Christum » natum millesimum mitræ usum in Ecclesia » fuisse »: respondetque ad argumenta quæ ad probandam mitrarum antiquitatem repetuntur a nonnullis ex Ennodii Epigrammate LXXVII, de vita et moribus S. Ambrosii; ex Eusebio, qui lib. X *Historiæ*, cap. IV, in Oratione panegyrica coronæ meminit; ex Oratione apologetica S. Gregorii Nazianzeni, ubi de consecratione sua agens: « Iccirco, inquit, me pontificem ungis, » et podere cingis, capitique cidarim impo» nis; » ex laminis illis aureis, quas in fronte S. Jacobum et S. Joannem gestasse ferunt; et denique ex Ammiano Marcellino, qui lib. XXIX scribit, Firmum in Africa victum, ut sibi quodammodo Theodosium imperatorem conciliaret, signa militaria, et coronam sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, restituisse. De laminis laudatorum Apostolorum Jacobi et Joannis, quarum alias meminere, S. Epiphanius, *Hære-*

Digitized by Google

si, XXIX, fretus auctoritate Eusebii, et Clementis, et Polycratis apud Eusebium, lib. III *Historiæ*, cap. XXXI, adjungit ipsas laminas aureas, ut in eis incœpere, sic et in eis desiisse.

IV. At vero e contrario mitræ antiquitatem acerrime propugnarunt Andreas Saussaius, *Panopliæ Episcopalis*, lib. I; Joseph Vicecomes, lib. III, *De apparatu Missæ*, a cap. XXIX usque ad XXXIII; Christianus Lupus, tomo III, dissertatione de octava Synodo, cap. X, actione I, ubi ait, « mitræ Episcopalis usum etiam in quibus» dam Græcorum Ecclesiis esse Apostolicam tra» ditionem; » et alii complures, quibus etiam suffragari videtur Thomassinus, part. I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVIII, num. II, ubi multa loca affert, ad quæ alias respondit Menardus: quem in eo quidem labi putamus, quod dicit laminas illas Apostolorum, ut in eis incœpere, sic et in eis desiisse. Etenim earum usum in Jacobi successoribus, episcopis scilicet Hierosolymitanis, perseverasse constat ex Epistola Theodosii patriarchæ Hierosolymitani ad S. Ignatium Constantinopolitanum patriarcham, quæ refertur in Concilii octavi generalis actione I, ubi ita inquit: « Poderem, et superhumerale cum mi» tra, et pontificalem ornatum S. Jacobi fratris » Domini, et primi archiepiscoporum, quo an» tecessores mei Patriarchæ circumamicti, » semper in sancta sanctorum ingrediebantur, » sacerdotio fungentes, videlicet sanctam me» moriam vitæ, et sanctum calciare quo et ipse » indutus sum, eadem gerens tuo desiderabili » et honorando capiti, ex amore et dilectionis » copia transmisi. » Calciare idem est ac calceus, uti explicat Carolus Dufresne in suo medio et infimæ Latinitatis Glossario.

V. Præterea in Occidentali Ecclesia longe ante annum Christi millesimum mitras obtinuisse, contra Menardi sententiam, ex eo probant autores non contemnendi, quia scilicet ex tabellis atque imaginibus Summorum Pontificum, quas ex antiquis Romanæ urbis monumentis æri incisas repræsentant Bollandiani in Propylæo Maii, maxima pars post S. Silvestrum cum mitra oblonga et rotonda, ut in antiqua lapidea S. Petri effigie ante annos mille erecta ad portam Basilicæ Corbeiensis monasterii cernitur. Tum inter alia argumenta locum afferunt ex Theodulphi Aurelaniensis episcopi carmine III, lib. I, ubi de ornamentis Pontificis ita canit :

« Illius ergo caput resplendens mitra tegebat. »

VI. In tanta scriptorum dissensione, putat Joannes cardinalis Bona, Rerum Liturgicarum lib. I, cap. XXIV, num. XIV, utramque opinionem posse facillime conciliari, si dixerimus mitram quidem, qualis est hodie, nuperum ornatum esse, qui ante millesimum Christi annum vix fuerit in Ecclesia; negari tamen non posse, quin a temporibus Apostolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, si non omnes, aliqui saltem Episcopi usi sunt. Certe constanter id dici potest non modo de Episcopis Latinis, verum etiam de priscis Patriarchis Ecclesiæ Orientalis. De Alexandrino ita scribit Theodorus Balsamon in Medit. de Patriarch. Privileg. lib. VII Juris Orientalis : « Cum om» nes alii Pontifices capitibus apertis res sacras » peragant, solus Alexandrinus Patriarcha rem » divinam facit mitra caput obvolutus. » Mitra hic est Phrygium illud, quod S. Cælestinus papa S. Cyrillo patriarchæ Alexandrino misit, ut concilio Ephesino vice ipsius præsidens, Phrygio illo ornatus Nestorium condemnaret; quod late explicuimus nostro tomo I *Conciliorum*, ubi de concilio Ephesino egimus. Porro cætoros etiam Patriarchas Græcorum gestasse vel olim mitras, perspicue ostendit Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, art. I.

VII. Eruditus Joannes Mabillonius, in præfatione sæculi IV, Benedictini parte II, num. CLXXXII, aliam iniit rationem conciliandi auctores, qui tantopere inter se in mitræ antiquitate definienda digladiati sunt. Existimat enim, usum mitræ semper in Ecclesia fuisse, sed non quibusvis Episcopis absque speciali Sedis Apostolicæ facultate licuisse. Idque probat ex privilegio Leonis papæ, Anschario Hamburgensi episcopo concesso, in quo ipsi Anschario ejusque successoribus, præter usum pallii tribuit « ornari caput ejus mitra, portari ante ipsum » crucem; » et ex litteris Alexandri papæ III, ad Godewaldum Trajectensem episcopum, in Chronici Belgici lib. XVI, cap. X, relatis, ad quem Summus Pontifex ita scribit: « Episco» palem mitram tibi tuisque successoribus de» ferendam concedimus. » Ex quo argumentum sumit, id non cuivis Episcopo citra privilegium licuisse, alioquin inutiles fuissent illæ Pontificiæ concessiones. Hanc opinionem Mabillonii strenue tuetur laudatus Martenius, qui eam in rem id refert quod narrat S. Bernardus in Vita S. Malachiæ archiepiscopi Hiberni, ubi describens quali tum benevolentia ab Innocentio papa II acceptus fuerit, ita inquit : « Tollens, sci» licet Innocentius, mitram de capite suo, im» posuit capiti ejus. » Quo forte ornamento ante hoc tempus nondum fuerat insignitus. Ea verba S. Bernardi cum retulisset Baronius, anno

Digitized by Google

1137, num. xxxv, hæc habet : « Mos namque » erat nonnisi mitratos Romanos Pontifices ad » audientiam admittere petentes audiri. » Addit denique idem Martenius ad istam opinionem constabiliendam, in chartis Majoris-Monasterii plura se tractasse Episcoporum qui sæculo XII floruerunt sigilla, in quibus pontificalibus ornamentis induti, sed sine mitra, repræsentantur; quod argumentum esse ait, illos ea non usos fuisse. Cæterum cardinales etiam non episcopos olim quoque, ut hodie, mitram gestasse; eorumque viventium imagines super altare fuisse positas, tradit Mabillonius in præfatione II ad sæculum IV Ordinis Sancti Benedicti, num. CLXXXIV.

VIII. Sed et sæcularibus quandoque principibus mitræ usum concedi consuevisse a Romanis Pontificibus, illustria apud scriptores Ecclesiasticos exempla exstant. Teste vel ipso Pontifice Maximo S. Gregorio VII, in Epistola ad Vratislaum ducem Bohemiæ, Alexander papa II, anno 1168, eidem duci expetitam ab eo mitram misit, utendamque concessit, hactenus et inusitatam laicis et inconcessam : « Ad » signum, inquit, lib. I, epistola XXXVIII, intimæ » dilectionis, quod laicæ personæ tribui non » consuevit, mitram, quam postulasti, direxi.» Præter hoc illustre exemplum, suppetit et aliud longe illustrius petitum ex Epistola nomine Senatus populique Romani data ad Conradum Romanorum regem, quem certiorem faciunt Pontificem iniisse pacem cum principe Siculo, concessis illi ornamentis compluribus quæ Sacerdotio magis concinere videbantur. Rem gestam aiunt fuisse anno 1144, exstatque epistola apud Ottonem Frisingensem, lib. I *De rebus gestis Frederici I imperatoris,* cap. XXVIII, ubi ita de ea re scriptum legitur : « Concordiam » inter Siculum et Papam hujusmodi esse » accepimus. Papa concessit Siculo virgam, et » annulum, et dalmaticam, et mitram, atque » sandalia. »

IX. Leguntur præterea passim in Vitis Romanorum Pontificum qui scilicet post annum millesimum floruerunt, variæ concessiones gestandarum mitrarum non modo abbatibus factæ, uti infra in titulo XVII de Benedictione Abbatis fuse ostendemus, sed et Canonicis Ecclesiarum. Constat ex litteris Leonis IX Papæ, ad Hartuvicum episcopum anno 1052 datis, et in Vita S. Henrici apud Surium, die 14 julii relatis, ipsum Leonem Pontificem Canonicis Bambergensibus mitram gestandi licentiam concessisse, ea scilicet ratione, ut ab Episcopo provideantur digniores et honestiores Presbyteri, et Diaconi, qui bonis moribus, vel maturis ætatibus, vel etiam prælationibus ipsius loci eminant, his diebus, in Natali Domini, in Cœna Domini, et in Sabbato Sancto, in diebus Resurrectionis et Pentecostes, in die S. Georgii, in die SS. Petri et Pauli, Assumptionis Beatæ Virginis, et S. Dionysii, et in anniversario die domini Henrici imperatoris ejusdem loci fundatoris. Addit mox Pontifex, hanc se his dignitatem concedere « qui tantum specialiter excubant vel deser- » viunt apud prædicti prædecessoris nostri se- » pulcrum, » Clementis scilicet papæ II, in ecclesia Bambergensi, unde ad summi Pontificatus solium assumptus fuerat, quiescentis; uti explicat Martenius loco laudato, ubi etiam scribit se alicubi legisse eumdem Leonem IX Bisuntinis Canonicis permisisse ut Diaconus et Subdiaconus ad altare ministrantes, mitris uterentur.

X. Episcopos Græcos mitræ ornamentum non modo non respuisse, sed probasse, ex eo liquet, quod ad Romanæ Ecclesiæ unitatem venienti Basilio Trinobi episcopo, cum illum in totius Bulgariæ et Blachiæ primatem evexit Innocentius III, pontifex maximus, una cum pallio misit etiam mitram, chirothecas et annulum; summasque ille Summo Pontifici gratias egit. Rem narrat Franciscus Bosquetus Montis-Pessuli episcopus, in Vita laudati Pontificis. Constat præterea id quod in præsenti asserimus ex eodem Innocentio III, qui ad Thomam a Flandris occupatæ Constantinopolis primum patriarcham, ita scribit apud eumdem Bosquetum : « Nobis humiliter supplicasti, ut de nostra tibi » permissione liceret constitutos et constituendos » in ecclesiasticis dignitatibus, mitris, annulis et » sandaliis insignire. Nos ergo personaliter tibi » volentes facere gratiam, indulgemus, quate- » nus illis concedas insignia supradicta, quibus » secundum morem Apostolicæ Sedis possint » honeste concedi. » Ubi scite notat Lupus, tomo IV, in Dissertatione de S. Leonis IX actis, cap. XV, calumnia X, Latinos Orientalium civitatum Episcopos semper habuisse ista insignia, atque ita pro redeuntibus ad unitatem Græcis Episcopis postulasse illa Thomam, et impetrasse. De Episcopis quos imperator Michael Palæologus ad Lugdunense œcumenicum Gregorii X concilium misit, scribit quidem Georgius Pachymeres lib. V, cap. XXI, quod « perhumaniter illos excepit » Papa, adeo ut eos honoraverit mitris et annu- » lis, quibus insignibus mos illic obtinet. » Hodie nonnullos Græcorum Pontifices mitram in celebrandis sacris mysteriis adhibere Leo Allatius, vir profundissimæ eruditionis, in epistola ad virum clarissimum Jacobum Goar perhibet. Vidi et ipse non semel Romæ Episcopos Græcos

Digitized by Google

celebrantes cum mitra quidem, sed a nostris omnino diversa; est enim rotunda, non acuminata aut oblonga, sed obtusa, qualis illa est cum qua Callixti II effigies in Bollandiano Maii propilæo repræsentatur.

XI. Successu temporis apud Latinos constitutum est, ut tres mitrarum species haberent Episcopi, pro temporum ratione ab eisdem deferendas. *Mitræ usus*, inquit Cæremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XVII, § I, *antiquissimus est, et ejus triplex est species : una quæ pretiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis vel argenteis, contexta esse solet; altera auriphrygiata sine gemmis, et sine laminis aureis vel argenteis, sed vel ex aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermixto, vel ex tela aurea simplici, sine laminis et margaritis; tertia quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis et vittis pendentibus.* Hæc triplicis mitræ distinctio videtur quidem antiquitus fuisse recepta, non vero recens inventa; Ordo enim Romanus XIII, jussu Gregorii X conscriptus, num. XII, tres quidem species mitræ designat, uti videre est apud Joannem Mabillonium in suo Musæo Italico, ubi Ordinem illum edidit.

XII. Est autem vestigium mitræ aureæ in lamina illa aurea quam, ut scribit Polycrates apud Eusebium, lib. III *Historiæ*, cap. XXXI, Joannes Apostolus gestabat in fronte. Ornamentum capitis gemmis quidem distinctum tribuere videtur Ennodius S. Ambrosio Mediolanensi antistiti, ubi de ipso ita cecinit in egregio suo Epigrammate :

« Sacra redimitus gestabat lucida fronte
» Distincta gemmis. »

In gazophylacio Ecclesiæ S. Pauli Londinensis, uti liquet ex Catalogo sacræ supellectilis confecto labente sæculo XIII, variæ mitræ diversi coloris una cum earum ornatibus ac lapidibus pretiosis enumerabantur, quæ in Londinensium Episcoporum usu fuerunt. De quibus vide *Monasticum Anglicanum*, tomo III, ubi inter alia legitur : « Item una mitra de dono Ricardi episcopi ornata perlis albis per totum campum, et » flosculis argenteis deaurata, lapidibus insertis » ordine spisso; et deficit una campanula in uno » pendulorum. » Locum integrum hujus catalogi descripsit explicavitque Dominicus Georgius, lib. I *De Romani Pontificis Liturgia*, cap. XXVI, num. VI. Ubi etiam scite observat, fimbrias rubei coloris, quas in mitris simplicibus videmus, memorari quidem a Guillelmo Durando, lib III *Rationalis Divinorum Officiorum*, cap XIII, ubi mysticas infulæ utriusque et fimbriarum significationes exponit.

XIII. Primus e Constantinopolitanis patriarchis Joannes, ut Cantacuzenus narrat, lib. III, cap. XXXVI, cum Joannem Andronici filium imperatorio diademate cinxisset, mitram auro cœpit ornare, et Christi Domini, Deiparæ ac sancti Præcursoris Joannis imaginibus insignire, cum eatenus antecessores ejus, nisi monachi essent, mitram gestassent lineam, albove linteo vestitam : « Flammeum, inquit, seu tegmen capitis, » quod antea Patriarchis, si de monachis non » essent, album ferre mos erat, ipse auro il- » lustravit, Salvatoris nostri, et Deiparæ, et » Joannis Baptistæ depictis in eo iconibus. » Docet et Glycas, parte IV, lineam tantum olim fuisse Patriarcharum mitram, cum de Methodio patriarcha disserit; cujus genas Theophilus imperator, innovata adversus sacras imagines persecutione, tot colaphis cædi jusserat, ut eas jam flaccidas pendulasque lineis mitræ redimiculis sustentare ac constringere cogeretur : » Ut malas tenui quadam fascia linea obligaret.» Et statim addit, inde morem inolevisse ad sua usque tempora durantem, «ut Pontifices ab an- » teriori parte fascias alligatas haberent.» Porro consuevisse olim in Ecclesia Latina, contexi in mitra Deiparæ, ac Christi Domini, et aliorum Cœlitum sacras imagines, probari potest ex antiqua mitra, quam aiunt fuisse S. Silvestri, et servari Romæ in ecclesia S. Martini in Montibus; est enim acuta, non altior palmo communis manus, serico et auro contexta, coloris cærulei, cum imagine Beatæ Virginis et pueruli Jesu inter duos Angelos stantes, diaconali veste indutos. Scio dubitare nonnullos an ea sit vere S. Silvestri mitra, sed sat nobis fuit antiquam ejus formam descripsisse.

XIV. Mitræ Episcoporum, quæ olim ab hodierna paulo humilior erat, uti videre est in antiquis Episcoporum imaginibus, significationem, materiam ac formam egregie explicat Innocentius III, pontifex maximus, in egregio opere *de Mysteriis Missæ*, lib. I, cap. LX, his verbis : « Mitra scientiam utriusque Testamenti » significat : nam duo cornua, duo sunt Testa- » menta; duæ fimbriæ, spiritus et littera; cir- » culus aureus, qui anteriorem et posteriorem » partem complectitur, indicat quod omnis » scriba doctus in regno cœlorum, de thesauro » suo nova profert et vetera. » Eadem paulo fusius docet Durandus in suo Rationali, lib. III, cap. XIII, ubi etiam notat quosdam hæreticos,

Digitized by Google

qui mitram et ejus cornua, et Episcopum illam ferentem more quidem nostri temporis hæreticorum condemnabant, inducentes in fomentum sui erroris, quod Joannes ait in Apocalypsi, cap. XIII : *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agno, et loquebatur sicut Draco.* Verum locus iste hæreticos tum recentes cum veteres aperte damnat; nam, ut ibidem S. Thomas docet, duo cornua ibi significant duo Testamenta, quæ hæretici sibi usurpant, etsi agni videri velint, et per hæc male exposita fideles in errores et interitum ducant. Vel duo cornua significant sapientiam et vitam, quæ vere in Christo fuerunt; utramque tamen se habere simulant hæretici. « Quæ ergo, » ut scite concludit Stephanus Duranti, lib. II *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. IX, « eo loco scripta sunt, in » perniciem catholicorum et divini cultus, non » sunt retorquenda. »

CAPUT XX.

De Baculo.

I. Baculum pastoralem antiquum esse ornamentum Episcoporum in Ecclesia, tam Latina quam Græca, una cum aliis scitu dignis dicemus, atque explicabimus infra ad titulum XIII, *De consecratione electi in Episcopum*, in commentario § XXVI et XXVII; itemque in commentario § XVII, tit. *De Benedictione Abbatis*. De baculi seu pedi episcopalis, sicut et sceptri regii origine tradit Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVIII, num. II, initio quidem non fuisse illa, nisi baculos quibus gressum firmarent episcopi ac reges, dum longum emetiebantur iter, eaque tandem lapsu temporis, addita iis opulentia, evasisse utrorumque insignia. Notum est aureum illud Apostolici quondam Præsulis dictum, aureos olim Episcopos ligneis baculis uti solitos fuisse, nunc autem aureis uti baculis Episcopos ligneos. Ligneus erat S. Burchardi baculus, etsi Virsburgensis Ecclesia, cui præerat, longe opulentissima esset. Ex quo scriptor ejus Vitæ apud Surium die 14 octobris, lib. II, cap. I, ansam arripit commendandæ ejus modestiæ, et exagitandæ quorumdam Episcoporum intemperantiæ, qui ab ipsa sæculorum magnificentia inanissimam gloriam aucupantur : « Virga, inquit, sambucea semper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla. Unde » constat, quanto pretiosior sit coram illo qui » humilia respicit, et alta a longe cognoscit, » pastor Burchardus cum sua pastorali virga, » modernis Pastoribus, qui pascentes semetipsos, vix in istis baculis suis aliqua carent » pompa. »

II. Variis nominibus appellatum olim baculum pastoralem Episcoporum, scite observat Joannes cardinalis Bona post Stephanum Duranti, Bartholomæum Gavantum, Josephum Vicecomitem, et alios. Appellatur ergo virga pastoralis, et latina voce *pedum*, quod Festo auctore est baculus recurvus quo pastores utuntur ad comprehendendas oves vel capras; unde Virgilius, Egloga V sic canit:

» At tu sume pedum, quod me cum sæpe rogasset,
» Non tulit Antigenes. »

Honorius Augustodunensis, lib. I, cap. CCXVII, etiam Ferulam vocari ait, quæ a feriendo nomen habet; est enim baculus, seu virga, qua puerorum manus feriuntur; unde Juvenalis, Satira I, inquit :

« Et nos ergo manum ferulæ subduximus. »

In Vitis Sanctorum Galli, et Magnoaldi, et aliorum complurium, uti videre est apud Surium et apud Bollandianos passim, Cambuta, seu Cambutta vocatur, quæ significat baculum retortum. Ab aliis dicitur etiam Capuita, Gambuta, Camboca, Cambuca, et Crocia; de quibus videri potest ad ea verba Carolus Dufresne in suo mediæ et infimæ Latinitatis Glossario.

III. Fuisse olim hujusmodi baculos cupressinos, testimonium habemus in Epistolis Stephani Tornacensis CXXIII et CXXIV. In priori quidem abbas Sylvæ Majoris ipsi Stephano scribens, ait : « Mittimus vestræ charissimæ Paternitati munusculum indignum dignitate » vestra, sed officio congruum, baculum scilicet » cypressinum. » Et in posteriori ad episcopum Aurelianensem : « Munusculum, inquit, vobis » mittimus baculum pastoralem cypressinum, » etc. » Etiam S. Burchardum habuisse baculum ligneum, ex auctore illius Vitæ ostendi superius. Fuerunt autem aliquando et baculi ossei, teste Honorio in *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCXIX, ubi Episcopalem baculum ita describit : « Hic baculus ex osse et ligno efficitur, cristallina vel deaurata sphærula conjunguntur, » supremo capite insignitur, in extremo ferro » acuitur. » Fuerunt insuper vel antiquitus baculi argentei et aurei. Etenim in Ecclesiæ Moguntinæ sacrario, teste Conrado episcopo in Chronico rerum Moguntinarum, erant anno Christi 1142, « baculi pastorales duo vestiti argento. » Baculum S. Remigii auri laminis coopertum, cælaturisque artificiosis circumquaque

Digitized by Google

exornatum vidisse se Rhemis, affirmat Andreas Saussaius, *Panopliæ Episcopalis* lib. II.

IV. Circa baculi formam, observat Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, art. X, num. XVIII, eum olim fuisse a capite arcuatum, in ima reflexum; probatque ex lib. I Miraculorum S. Dionysii, cap. III. Hujusmodi baculum cuidam Episcopo minime placuisse, qui sceptrum regale Caroli Magni pro baculo deferre cupiebat, testis est monachus Sangallensis, lib. I, *De Ecclesiastica cura Caroli Magni*, cap. XIX. Ait delegatum a Carolo Magno ad reginæ custodiam Episcopum, dum ille Hunnicis bellis destinaretur, vehementi illum exarsisse cupidine ejus sceptri, ut eo in locum pastoralis pedi uteretur; verum cum hanc Episcopi procaciorem a regina postulationem redux accepisset Carolus, indignanter ipsum tulisse inquit, quod imperatorio sceptro manus admovere voluisset, cui pastoritius baculus in sua ordinatione donatus fuisset. Hæc ejus verba : « Episcopi contemptores hujus mundi esse debuerunt, et alios » exemplo suo ad petenda cœlestia provocare. » Nunc vero præ cæteris mortalibus tanta ambi- » tione corrupti sunt, ut quidam ex eis non con- » tentus episcopatu quem in prima Germaniæ » sede retinet, sceptrum nostrum quod pro si- » gnificatione regiminis nostri aureum ferre » solemus, pro pastorali baculo, nobis ignoran- » tibus, sibi vendicare voluisset. » Sane ex singulari privilegio olim abbas Casauriensis pro pedo pastorali sceptrum regale deferebat, cujus icon depicta exstat tom. V Spicilegii Dacheriani.

V. Fuit quoque mos apud Latinos, ut non solum sacris imaginibus baculos insignirent, et litteris, ut videre est apud Gavantum, verum etiam ante se deferri curarent Episcopi cum iter agerent : cujus rei testem habemus Cyprianum, lib. II de Vita S. Cæsarei Arelatensis, ubi ita de ipso scribit : « Cum ergo vir Dei Cæsareus per » eamdem pergeret ecclesiam, Clericus cui cura » erat baculum illius portare, quod notariorum » officium erat, oblitus est. » Etiam apud Græcos mos antiquus fuit Patriarcharum Ecclesiæ Constantinopolitanæ pastoralem baculum in solemnibus actibus sibi præferre, aut præferendum curare. Etenim de Josepho patriarcha Constantinopolitano, in Synodi Florentinæ Historia, lib. IV, cap. XIV, narrat Sylvester Sguropolus, quod Ferrariæ ad Eugenium IV papam ingressurus, pedum quod elevatum famulus ante ejus equum ad Papale usque palatium portaverat, in manus sumpsit, ac deinde a Papa regressus in thecam gestatoriam occultari jussit. Apud Utopienses, loco baculi pastoralis, Episcopis præferri solet cereus, si vera sunt quæ refert Morus, lib. II, suæ *Utopiæ*, ut statim scilicet moneantur, se, ubicumque se contulerint, cæteris in sanctitate ac vitæ puritate prælucere. Cæterum apud ipsos memoratos Græcos, forma baculi a nostra quidem diversa est; non est enim in summitate curvus, seu retortus, sed summa pars desinit in globum eburneum, vel in signum Crucis, vel in lignum transversum ad instar litteræ T; vel duobus serpentibus ex ebore ornantur, qui reflexis capitibus se mutuo respiciunt.

VI. Denique cum de baculo pastorali dicturi simus tum in titulo XIII *de Consecratione electi in Episcopum*, tum in titulo XV *de Benedictione Abbatis*, tum insuper in tomo III Commentariorum ad tertiam partem nostri hujus Romani Pontificalis, operæ pretium puto in calce hujus capitis investigare cur Pontifex Romanus baculo sicut cæteri Episcopi non utatur? Innocentius III in Epistola, ut ibi inscribitur, ad Patriarcham Constantinopolitanum, sive, uti alii sentiunt, ad Archiepiscopum Trinovitanum Bulgariæ primatem, quæ relata est in cap. I *De Sacra Unctione;* S. Thomas in IV Sententiarum, distinctione XXIV, quæstione III, ad VIII; Durandus, lib. III Rationalis, cap. XV, et alii pene innumeri scriptores laudatum Innocentium sequentes, constanter asserunt, Papam non uti baculo, tum propter historicam, tum propter mysticam rationem.

VII. Ejus rei historiam et rationem ita post Innocentium breviter narrat S. Thomas : « Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus » misit ipsum ad suscitandum quemdam disci- » pulum suum, qui postea factus est episcopus » Trevirensis; et ideo in diœcesi Trevirensi Papa » baculum portat, et non in aliis; vel etiam in » signum quod non habet coarctatam potesta- » tem, quod curvatio baculi significat. » Ejus rei factum aliter quidem refert Durandus, sic enim totam seriem describit : « Historia est, inquit, » quoniam Beatus Petrus Apostolus Martialem » discipulum suum, quem Dominus inter dis- » cipulos constituit, cum dixit : *Nisi efficiamini* » *sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum* » *cœlorum*, misit cum quibusdam aliis ad præ- » dicandum Germanis. Qui in via ad viginti die- » tas defuncto Fronto collega ejus, rediit ad » nuntiandum hoc Petro. Cui Petrus : Accipe » hunc baculum, et tangens illum, dic : Surge » in nomine Domini, et prædica. Ille vero in » quadragesimo die tempore mortis illius, teti- » git eum, et surrexit, et prædicavit. Et ita Pe- » trus baculum a se removit, et subditis dedit,

Digitized by Google

» nec recuperavit. » Tum Innocentii opinionem recenset, scripsisse nempe ipsum in Ecclesiæ Speculo, Beatum Petrum misisse baculum suum Euchario primo Trevirorum episcopo, quem una cum Valerio et Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ destinavit, eique successisse in episcopatu Maternum, qui per baculum S. Petri de morte fuerat resuscitatus; baculum vero suo adhuc tempore magna cum veneratione in Treverensi Ecclesia asservari, ideoque Papam in illa tantum diœcesi uti baculo.

VIII. Exponit tandem Durandus mysticam rationem cur Pontifex Romanus baculo non utatur, dicens : « Quia baculus in summitate est » curvus, quasi ad attrahendum, quod in Ro» mano Pontifice necesse non est, quia nullus » ab eo finaliter divertere potest. » Addit mox et hanc aliam rationem : « Præterea per bacu» lum designatur coercitio, quam quia cæteri » Pontifices ab homine recipiunt, ideo a suis su» perioribus baculos recipiunt et habent. Ro» manus vero Pontifex, quia potestatem a solo » Deo accipit, baculum non habet. » Porro de historiis hisce ac rationibus huc usque relatis non est meum ferre judicium : unum dico, multa exstare apud scriptores ecclesiasticos testimonia luculentissima, quæ nos condocent Romanos Pontifices usos olim fuisse baculo; eaque de re videri potest eruditissimus Georgius, lib. I *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. XXIX, num. I.

CAPUT XXI.

De Pluviali, seu Cappa, et Pallio.

I. Pluviale, seu Pluvialis, apud veteres quidem Scriptores, vestis erat quæ totum hominem operiebat et a pluvia tuebatur. Joannes Monachus, in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, lib. II, *pallium pluviale;* Wibertus, in Vita Leonis Papæ IX, cap. VIII, *vestem pluvialem* vocant. Sed hi de veste communi, non vero sacra loquuntur, qualis est hodie cappa in ministerio ecclesiastico, quæ alio nomine appellatur Pluviale, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius, lib. I *De re vestiaria*, cap. XXXIX, suspicatur. Hinc emanasse inquit Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, num. XVII, ut a parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod Caputium vocamus, cujus quædam forma seu vestigium in hodiernis pluvialibus remansit. Guillelmo auctore Durando, lib. III *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. I, num. XIII, vestimentum hujusmodi ita describitur, et explicatur : « Est etiam et alia vestis, quæ Pluviale » vel Cappa vocatur, quæ creditur a Legali » tunica mutuata. Unde sicut illa tintinnabulis, » sic ista fimbriis infigitur, quæ sunt labores » hujus mundi sollicitudines. Habet etiam ca» putium, quod est supernum gaudium. Proli» xa est usque ad pedes, per quod perseveran» tia usque ad finem significatur. In anteriori » parte aperta est, ad denotandum quod sancte » conversantibus vita patet æterna, seu quod » eorum vita patere debet aliis in exemplum. » Rursus per cappam gloriosa corporum im» mortalitas intelligitur, unde illam nonnisi in » majoribus festivitatibus induimus, aspicientes » in futuram resurrectionem, quando electi » deposita carne binas stolas accipient, videlicet » requiem animarum et gloriam corporum. » Idem docet Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ*, lib. I, cap. CXXVII; et Hugo Guidardius, archiepiscopus Beneventanus, in sua Synodo Provinciali anno 1374 celebrata, ubi singillatim sacra indumenta recenset.

II. Cappæ mentio seu pluvialis habetur apud priscos scriptores, tum ante, tum post annum Christi millesimum. Ordo Romanus agens de ordine processionis, quando Episcopus celebraturus est, *Duo*, inquit, *Presbyteri ita ut ad Missam, excepto quod cappis induti sunt, vestiti ministrent ei.* Guillelmum Anglorum regem S. abbati Cluniacensi Hugoni misisse cappam pene auream, refert auctor Miraculorum ejus, in qua nil nisi aurum apparebat, vel margaritarum et gemmarum textus; inferius autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea pendebant. Consuevisse novum Romanum Pontificem pluviali rubei coloris ab Archidiacono Romanæ Ecclesiæ indui, testatur Cæremoniale Cencii Camerarii, ubi de Summi Pontificis inauguratione agit : *Prior Diaconorum ipsum de pluviali rubeo ammantat, et eidem electo nomen imponit.* Ad hunc ritum videtur alludere Arnulfus episcopus Lexoviensis in Epistola de electione Alexandri Papæ III; « Im» positumque sibi manibus fere omnium plu» viale repellit. » Et in alia idem auctor de eodem Epistola : « Præparatoque, inquit, furtim, » sicut dicitur, pluviali, de manibus offerentis » arrepto, in humeros suos tanta festinatione » conjecit, ut hærentibus collo fimbriis, pavi» mentum lamberet pars superior indumenti. » Vide Leonem Ostiensem, apud quem ea vox passim occurrit, lib. II, cap. LXXIX, XCIX, præsertim vero cap. CII, ubi de Friderico abbate

Digitized by Google

Casinensi, qui postea Stephanus papa X fuit anno 1057, inquit, donasse illum monasterio Casinensi, inter alia sacra dona, *pluvialia sex.*

III. Tradit Dominicus Georgius in suo celebri opere *De Liturgia Romani Pontificis,* lib. I, cap. XXXI, num. XVI, simul ac quis olim in Romanum Pontificem eligeretur, statim vestibus coloris purpurei indui consuevisse, varieque illas a sæculi XI et sequentium scriptoribus compellari, *cappam*, scilicet, *mantum*, *chlamydem et pluviale;* probatque variis antiquorum scriptorum locis; rationem vero ejus ritus eam reddit ex sententia Papebrochii in *Propylæo ad Acta Sanctorum maii*, parte II, pag. 211, § XIV, cur electus recens Romanus Pontifex sæculo XI, cappa rubea indueretur potius quam alio vestimento ecclesiastico; quia nempe, cum Pontifex ex quovis cleri gradu deligi posset, neque par esset ut adoratio electi protraheretur usquequo ad cæteros gradus ascendisset, aptissima omnium cappa, communis omnibus clericorum gradibus vestis visa est : rubea vero seu purpurea idcirco selecta est, ob præcellentem Pontificis dignitatem. Fuisse autem antiquum morem, ut Pontifex Romanus rubeam cappam gestaret, liquido constat ex S. Petro Damiani, qui lib. I, epistola XX, Cadaloum antipapam hisce increpat verbis : « Habes nunc forsitan » mitram, habes juxta morem Romani Ponti- » ficis rubeam cappam ! »

IV. Nostro primo tomo Conciliorum, in Prolegomenis, capite XIX inscripto : *Quibus olim induti vestibus patres conciliis interessent,* abunde eum morem probavimus, post annum scilicet Christi millesimum uti patres in synodis cappis seu pluvialibus consuevisse. Certe, ut alia omittam loca, in Concilio Budensi, quod anno Christi 1279 habitum est, ita cautum legimus can. XIX : « Præterea statuimus, quod Archiepiscopi, » Episcopi, Abbates, et quilibet alii qui ex pri- » vilegio mitris utuntur, mitrati cum superpel- » liceis, stolis et cappis, seu pluvialibus; Præ- » positi vero, Priores, et alii inferiores Prælati » cum superpelliceis et stolis, si Diaconi saltem » sint, et, si velint, pluvialibus seu cappis; Re- » ctores vero, et simplices Sacerdotes, cum cot- » tis, seu superpelliceis, et stolis tantum. » Ubi nota antiquum morem induendi cappas, seu pluvialia, ubi patres conciliis interessent; eamque in rem multi alii canones afferri possent, et historiæ Conciliorum, quas brevitatis studio præterimus.

V. Fuit etiam olim cappa, seu pluvialis, non modo propria vestis Cantorum, ut tradit Honorius in sua *Gemma animæ*, lib. I, cap. CXXVII, verum etiam genus vestis ecclesiasticæ, qua hodieque, uti observat vir clarissimus Cajetanus Merati in Gavantum, pag. 275, utuntur Cardinales, Episcopi, et in multis cathedralibus ecclesiis etiam Canonici. Verum cum nostra nihil intersit de ea re fuse disserere, videri potest laudatus auctor, et scriptor eruditus Petrus Moretus in sua Disceptatione epistolari, *De ritu variandi chorale indumentum.*

VI. De pallio insuper, quod Patriarcharum, Primatum ac Metropolitanorum postremum et proprium indumentum est, et per illud a cæteris Episcopis discernuntur, cum non modo fuse in opere nostro *De Codice sancti Evangelii* egerimus, verum etiam infra titulo integro XIV, de ipso pallio acturi simus, supervacanei prorsus esset laboris, de eodem in cap. præsenti disserere. Legendus ergo memoratus titulus XIV qui *De Pallio* inscribitur, ubi etiam in Commentario § VIII et fuse de cruce Pontifici Maximo, Patriarchis, Archiepiscopis, et Apostolicæ Sedis Legatis jam olim præferri solita fuse a nobis disputabitur.

CAPUT XXII.

De Gremiali, Sudario et Bugia.

I. Gremiale, latina voce *gremium*, ut inquit Grancolas, *Commentarii historici in Breviarium Romanum* cap. VII, frustum telæ quadratum est, quod ponebatur in gremio celebrantis, dum sederet, ne illius manibus casula inquinaretur. Joseph Vicecomes, lib. III, *De Ritibus Missæ,* cap. V, putat gremiale idem esse ac subcinctorium, sed omnino errat; nam gremiale pannus est, qui in gremio Episcopi divina officia celebrantis ponitur, cum sedet, et cum Ordines confert; ut docet Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, num. XV, ubi etiam tradit, quod etsi olim subcinctorium, seu subcingulum, sive præcinctorium, ut dicitur in Missa Illyrici, esset unum ex indumentis Episcoporum (id quod etiam apparet ex S. Thoma, qui in IV Sententiarum, distinctione XXIV, articulo III, tradit subcinctorium inter novem ornamenta Episcoporum peculiaria accenseri), hodie tamen nemo illo utitur in Ecclesia Latina, nisi solus Romanus Pontifex, cum solemniter celebrat : estque instar parvi cujusdam manipuli e sinistro latere pendens. Huic apud Græcos assimilari inquit laudatus Bona epigonatium formæ quadrangularis palmi, et dimidii ex utroque latere, quo e zona appensum gestatur, solisque Episcopis, et aliis in dignitate constitutis permitti.

Digitized by Google

II. De sudario mentionem facit Durandus in suo *Rationali*, lib. III, cap. XVI, ubi ait, esse quidem sudarium lineum pannum, quem ministrans Episcopo semper paratum habet, quo ille sudorem et omnem superfluum corporis tergat humorem. Ait in quibusdam Ecclesiis suo tempore Diaconum sudarium habentem, illud in dextro altaris cornu deponere consuevisse, ut si forte quicquam sordidum accessisset, illo protinus tergeretur, et mundissimum maneret sudarium Sacerdotis.

III. Bugia, seu palmatoria, denique instrumentum argenteum est, in quo ponitur candela accensa ad præbendum Pontifici lumen, ut commode legere possit. Docet Macrius, gallice eo vocabulo candelam ipsam denotari, et in quodam antiquo Glossario etiam *scotulam* dici, fortasse a vocibus græcis σκότον ἐλαύνω, id est *tenebras expello*. Aiunt nonnulli moraliter significare bugiam, Episcopum non debere tantum lumini suæ cognitionis fidem præstare, sed alterius testimonio uti. Sane utitur Papa candela, sed absque hujusmodi instrumento, fortasse quia ipsius cognitionis lumen alio terreno fulcimento non indiget, uti opinatur memoratus Macrius. Sed omissis hisce mysticis interpretationibus, hodie *bugia* quidem seu *palmatoria* Episcopi sacra facientes utuntur, ejusque usus Canonicis in celebratione Missæ interdictus fuit ex sacra Rituum Congregatione, die XI julii 1699 *In Vicentina*, uti videre est in Indice Decretorum apud virum clarissimum Cajetanum Merati in Gavantum, tomo II, pag. 1409, num. DXLI, et apud eumdem, tomo I, pag. 340.

CAPUT XXIII.

De Capellanis et Scutariis.

I. Capellani, uti docent passim eruditi auctores, primitus dicti sunt qui cappam, seu capellam S. Martini, vel in regum palatiis asservabant, vel in præliis cum cæteris Sanctorum reliquiis deferebant, quemadmodum patet ex Walafrido Strabone, et Honorio Augustodunensi, quibus consentanea scribit Durandus in suo *Rationali divinorum Officiorum*, lib. II, cap. X. Ab hujusmodi reliquiarum forte custodia, custodes simpliciter dicti fuerunt Capellani. Unde Anastasius Bibliothecarius in S. Leone I pontifice maximo, ita inquit : « Hic constituit » super sepulcra Apostolorum custodes, qui » dicuntur Capellani, ex clero Romano; » id est qui sacratissima Apostolorum corpora, quæ in variis seorsim sacellis in Majori ecclesia Romæ asservabantur ex officio sibi injuncto custodirent : unde *Martyrarii*, et *Custodes Martyrum* etiam dicti. Scio in laudato Anastasii loco juxta quasdam editiones legi *Cubicularios*, sed cubiculariorum et capellanorum idem fuisse munus docet eruditus Carolus Dufresne in suo mediæ et infimæ Latinitatis Glossario, verbo *Cubicularii*. Plura de capellanis videri etiam possunt apud Thomassinum in sua veteri et nova Ecclesiæ disciplina.

II. Sunt hodie Capellani, qui Episcopo vel Cardinali inserviunt in recitatione divini officii et in sacrificii divini Missæ celebratione. Quod etsi munus nobilissimum sit, qui tamen illud alicubi exercent, non sine piorum virorum admiratione, cæteris aulicis sæcularibus posthabentur; adeo ut nonnulli etiam, non modo laici barones, sed et Prælati ecclesiastici eosdem capellanos divino ministerio cæteroqui destinatos, equilibus vilioribusque domus officiis præficere non verecantur. Quod scutarios tandem, seu scutiferos, qui familiares Episcopi hodie sunt, spectat, hi assistere debent Episcopo decenter induti clericali habitu, ex *Cæremoniali Episcoporum*, cap. II, non autem brevi habitu, nec cum calcaribus et armis, nec induti ad modum laicorum diverso colore, sed tamen sine cottis, ut in eodem Cæremoniali præcipitur; et regulariter ad credentiam stare semper debent inter eam et parietem, et nudo capite, facie ad Episcopum versa; nec inde discedere, nisi quando Episcopum exuunt et calceant communibus indumentis et calceamentis. Ad minus duo, et ad summum quatuor assistere debent, ut idem *Cæremoniale Episcoporum* præscribit. Plura de iis et de eorum munere vide apud Michaelem Bauldry in suo *Manuali sacrarum Cæremoniarum*, parte V, ubi fuse agit de sacris cæremoniis servandis ab Episcopo, et aliis Prælatis superioribus et inferioribus, et eorum ministris specialibus.

CAPUT XXIV.

Rituum ac Cæremoniarum Pontificalium notitia Episcopis pernecessaria.

I. Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, ut scite docent patres Concilii Tridentini, sess. XXII, *De Sacrificio Missæ*, cap. V : « Idcirco magistri nos- » tri, » ait S. Joannes Chrysostomus, Homilia I in Matthæum, « Ecclesiarum institutores usque » ad humilia et minuta præcepta deduxerunt » diligentiam disciplinæ. » Enimvero si veteris

Digitized by Google

Legis umbratiles cæremonias ac varios ritus Hebræo populo Deus tam diligenter injunxit, ut de iis scriptum sit, Deuteronomii cap. v: *Audi Israel cæremonias atque judicia quæ ego loquor in auribus vestris hodie; discite ea, et opere complete;* quanto majori cum ratione de novi Testamenti ritibus ac cæremoniis Paulus Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. XIV, dixisse putandus est, ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant.* Hæc enim verba de cæremoniis ac ritibus qui in Ecclesia obeuntur, intelligi debere observant quidem laudatus Chrysostomus aliique Patres.

II. Priscos fideles divini cultus cæremoniis sedulo studuisse, vel ex eo ostendit vir sacræ atque ecclesiasticæ eruditionis peritissimus Antonius Caracciolus, Clericorum Regularium eximium decus, in Notis ad constitutiones sui Ordinis, cap. II, quod consueverint eligere certum quempiam virum, præfectum sacris ritibus, videlicet monitorem veteris disciplinæ. Id inquit S. Dorothæi abbatis testari verba quæ in ejus Sermone XI legimus: « Num, inquit, præ» positus cæremoniarum, aut quivis alius e fra» tribus mihi dixit quidquam, et ego non tuli, » sed contradixi? » Laudat et inter alia Nepotianum S. Hieronymus in illius Epitaphio, « quod » cerneretur ejus in omnes cæremonias sollici» tudo disposita. » Si itaque in priscis fidelibus, et antiquis Clericis, qualis erat Nepotianus, tam sedulum erat sacrarum cæremoniarum studium, multo magis hoc exoptandum est in Episcopis, ut quid agunt intelligant, populoque sibi commisso fideliter exponant. Jam non miramur supinam esse in plurimis Christianis ignorantiam rerum sacrarum, quod plurimi ex iis nec primos principales, ut aiunt, fidei articulos norint. Novi alicubi Episcopos pariter ac parochos nihil sollicitos de instruenda plebe sibi commissa in primis christianæ doctrinæ rudimentis, et sacris Ecclesiæ mysteriis Sacramentisque; totum autem in emungendis ovibus suis studium impendere. An non vereri debent quod eisdem Dominus comminatur Jeremiæ cap. XXIII: *Væ*, inquit, *pastoribus qui disperdunt ac dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus?*

III. Sed, hisce omissis comminationibus, quas contra negligentes pastores in sacra Scriptura innumeras fere legere est, præsertim vero Oseæ cap. IV, ubi ita comminatur Dominus ignaro Præsuli ac Sacerdoti: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi;* optandum esset ut in ritibus et cæremoniis observandis Episcopi omnes S. Carolum Borromæum imitarentur, de quo ita scribit in illius Vita Carolus a Basilica Petri lib. VII, cap. XXVI: « Ritus et cæremonias ecclesiasticas exquisite » cognoscere servareque studuit: quo de genere » certum Sacerdotum numerum delegit, qui » consultarent cum dubitationis aliquid afferre» tur; nec vero gravabatur consultationi præes» se, diligenterque de iis quoque diu disquirere » quæ levia sæpe vulgo putantur; nihil enim ad » divinum cultum pertinens non dignum arbi» trabatur in quo curam diligentiamque colloca» ret suam. » Addit eam fuisse in Ecclesia Mediolanensi vel apud laicos sacrorum rituum peritiam, ut cum Episcopus advena post Caroli mortem Missæ solemnia celebriter agens, mitram ab altari ad thronum rediens deposuisset, gubernatoris salutandi gratia, qui erat extra cancellos, quædam mulier Episcopi erratum notans, ne vultus quidem significatione mitratum Carolum, quemquam extra cancellos salutasse dixerit.

IV. Quanta vero diligentia usus sit nostro hoc ævo Benedictus XIII, ut rite, recte ac religiose sacra omnia obiret, omnes jam norunt, qui illum indefessum viderunt in pontificalibus exercendis functionibus, quarum etiam historicos æque ac mysticos sensus, dum illas peragebat, explicare solitus erat. Unde non mirum si principes viri ac præstantissimi Præsules ad eum non semel miserunt a longinquis regionibus Canonicos et Presbyteros, ut cum pontificalia obeuntem observarent, ac ritus omnes addiscerent adnotarentque, ut Antistitem omnium peritissimum atque religiosissimum imitarentur. Novi complures qui de ejus, cum viveret, latere erant, in sacris ritibus summe versatos; inter quos non sine laude memorandus est eminentissimus Franciscus Antonius Finy, S. R. E. cardinalis, qui in notitia sacrarum rerum, præsertim vero liturgicarum ac ritualium, adeo excellit, ut difficillima quæque ac obscura ad eam rem pertinentia, facile ac fuse, eruditeque in promptu explicet: id quod ego non semel expertus fui.

V. Cæterum, ut finem argumento capitis hujus imponamus, cum sacerdotes et prælati Ecclesiæ, teste Apostolo in Epistola I ad Corinthios, cap. IV, ministri Christi sint, et dispensatores mysteriorum Dei; eisdemque, uti ait Christus Dominus in Evangelio Lucæ, cap. VIII, datum sit nosse mysteria; profecto rituum sacramenta intelligere, et virtutibus quæ per illa

Digitized by Google

significantur fulgere debent : alioqui cæci erunt et duces cæcorum, eritque sicut populus, sic Sacerdos ; ut scite argumentatur Durandus in proœmio sui *Rationalis divinorum Officiorum*, num. III. Ut ipsa autem rituum sacramenta intelligant, opus quidem est illis ut assidue libros evolvant antiquorum Pontificalium, ac veterum Ecclesiæ scriptorum qui de sacris ritibus fuse ac erudite scripserunt, tum præsertim quoties minus usitatum aliquod in ecclesia agendum esset ; tunc enim in primis consulere debent quæ ipsis in eo genere agenda vel cavenda essent, exemploque S. Caroli, ad ea libris allatis, ritu omni considerato, experientia adhibita, sese diligenter parare : neque enim aliquando defuerunt Præsules qui, cum nullum ritualibus libris studium impenderint, suo arbitratu pontificales functiones peragere ausi fuerunt. Porro inter alios libros pro sacris intelligendis ritibus, præter illos quos cap. I laudavimus, celeberrimus ille est, quem De Rebus Liturgicis dignitate ac eruditione eminentissimus Joannes cardinalis Bona egregie scripsit ; multa siquidem in eo habentur, quæ non modo officium Missæ, sed et alias Pontificales actiones explicant. Legendi præterea sunt et alii peculiarium rituum tractatores, quales sunt Joseph Vicecomes De Ritibus Baptismi, Confirmationis et Missæ, Franciscus Hallier De Sacris Ordinationibus, Andreas Saussaius, et alii.

CAPUT XXV.

Recensentur versus novis quibusdam Pontificalibus præfixi, ritus omnes in tribus Pontificalis partibus contentos, brevi ac egregie enarrantes.

I. Ne in hoc opere nostro quidquam desideretur quod vel in antiquis vel in novis editis Pontificalibus habetur, operæ insuper pretium duxi versus præfixos cuidam recenti Pontificali hoc loco describere, eo vel magis quod, ut in argumento capitis notatum est, ritus omnes non modo in hac prima parte, sed et in duabus aliis contentos, brevi atque eleganter enarrent et ob oculos ponant. Sunt autem hujusmodi.

Vos o Pontifices, vos o sacra nomina Mystæ
Atque Sacerdotes, vario quos ordine Divum
Mancipat obsequiis ultro jurata voluntas,
Quos votum exsortisque ligat pia regula vitæ,
Huc animum, huc oculos. Vobis hic sancta laborat
Religio, et Latii sancit decreta Senatus :
Multa docens, et quos præscribit Romula ritus
Infula, et antiquum templorum insistere morem.
Vos decet, officii quoscumque sacrata professi
Secta vocat, sanctas animum informare per artes,
Atque vices sacrorum, et debita munera templis,
Ac sibi præscriptam populis impendere curam ;
Illic cuncta patent, seu vos præscribere munus,
Seu præstare juvat. Jam primo in limine libri
Rore sacro puerum, et ligni sudantis olivo
Præsul, et inscriptam perducit Chrismate frontem
Invictumque animum, obnixamque in prælia præstat
Cuncta fidem. Post hæc majoris inserit annos
Ordinibus : tonsis illos ad prima capillis
Templa vovens ; alios, si fani janua poscit
Excubias, sacrisve vocat pia cura legendis ;
Sive truces genios, et conjurata nocentum
Agmina possessis lustrali carmine membris
Exturbare opus est, cerave liquente coruscas
Ferre faces, et pendentes accendere lychnos.
Sunt et quos jam prima gradus ad munera poscunt
Magna ministeria et ritus præstare potentes ;
Inter sacra Deum, circumque altaria stantes,
Dum sacros latices et mystica liba Sacerdos
Immolat, atque suo sistit se victima Patri
Filius ; Aligeris nunquam o concessa potestas
Cœlitibus ! nec quos gentis primæva parentes
Sæcla tulere alias, quamvis de sanguine claro
Abramidum, et regnatoris simulacra futuri.
Jamque suum jus omne, potestatemque regendi
Conferet : unanimi si quem suffragia voto
Optavere sibi, populisque præesse tuendis
Pontificem ; longum solemnes stabit ad aras
Multa precans, sacroque caput lustrabit olivo,
Et pastorali gemma donabit et auro ;
Connubio junget stabili, sponsæque dicabit
Jam proprium. Seu cum Tarpeio a Præsule munus
Rarum, augustum, ingens, humerosque ac pectora circum
Pallia rite dabit. Nunc quos exercita virtus
Cœnobii, tonsæque vocat custodia gentis,
Multa super votis, super officioque fideli
Multa monens, manibus capiti bene fausta precatur
Impositis, mitræque etiam facit esse potentem ;
Seu quas virgineis matres imponere septis
Est opus, optantique datur Antistita turbæ.
Inde novum molitur opus, solemnia regum
Auspicia, et primos templis attollere fasces.
Ecce gravi rex incessu procedit, et aras
Suppliciter venerans, regno sua jura pacisci,
Constantesque animos in relligione piorum
Annuit, atque humeros oleo dextramque perunctus
Accipit oblatum mystis cingentibus ensem,
Et sceptri decus, et radiantia tempora circum,
Imperii specimen, gemmeo diademata textu.
Jam cum prima novo signant fundamina templo,
Attolluntque crucem, sacrata in veste Sacerdos
Spargens rore levi sacræque aspergine lymphæ,
Lustrabitque locum, fundetque precantia vota,
Ac silicem inscriptum faustis pro more sequetur
Omnibus, stabilemque petet per sæcula sedem.
Sed cum delubri se jam fastigia cœlo
Extulerint, et digna Deo domus auspice stabit,
Quid memorem rursus longo celebrata paratu
Prima loci auspicia, et solemnes ordine ritus,
Jejunasque preces, olei et libamina sacri,
Et super aurato lucentes stipite ceras,
Inspersosque solo cineres, inscriptaque signa,
Præsul ubi arcanas voces tacitosque precatus
Fundit humi incumbens, ac verba potentia dicit ?
Idem corporibus terram designat humandis,
Constituitque cruces, triplicemque in vertice figit
Hinc atque inde facem : nebulam fumantis acerræ
Interea, Arabiumque focis adolebit odorem.
At cum templa scelus, sævique licentia ferri
Polluit impulsu tetro, furiisque nefandæ

Digitized by Google

Tisiphones, cessitque animo reverentia Divum;
Concipit ille preces, offensaque numina terris
Conciliat, redditque sacræ sua munia sedi,
Atque profanatos delubro instaurat honores.
Nunc aureos calices, et gemmea vasa dicabit
Usum in sacrorum, et nostris gestamina Mystis:
Et vestes auro rigidas, ac linea texta,
Puraque sternendis mantilia devovet aris.
Auratasque cruces simulacraque sancta Deorum
Spargens rore super: necnon quæ pendula summis
Turribus æra sonant, queis dat Campania nomen,
Nolaque Paulino quondam sub præsule felix:
Telaque in infidos vibranda potentius hostes,
Et clypeum, et loricam hamis auroque trilicem:
Sicubi vel gentes stimulis cœlestibus actas
Isacidum tractus, Solymamque reposcere bello,
Atque Saracenam Syrio de limite pestem
Exturbare procul pelagi trans æquora suasit
Relligionis amor; tunc aurea segmina textu
Quadrifido, insutamque humeros ac pectora circum
Multa crucem precibus, nec non lustralibus undis
Prosequitur, lætosque vovet post bella triumphos.
Elataque manu candentia signa coruscans
Mittit in infidos Superis præeuntibus hostes,
Et certam fausto jam concipit omine palmam.
Sed neque, qui superest, pigeat decurrere campum.
En tibi suggestu Præsul sublimis ab alto
Usque recurrentes fastos, sacrosque quotannis
Evulgare dies, cœtu auscultante piorum,
Ingreditur; seu quo jejunia tempore nobis
Esuriem indicunt, totasque assistere luces
Impransos, donec pronos in cærula currus
Sol invergit, et emerito nox ingruit orbi;
Seu qua luce redux ad vitæ lumina Christus
Mœrentes socios orbumque reviset ovile.
Quid cum justa reos damnante Antistite sontes
Pœna primit, clausique gemunt ad limina templi
Mœsta cohors, scelerum dum longa piacula solvunt,
Impositos cilicum textus setasque rigentes
Tergemino nexu, et nodosa cannabe cincti;
Dum rursum admissis sacra ad communia Præsul
Defletam exemit perfecto tempore labem
Supplicibus, cunctaque animos a sorde piavit?
Hinc disces, quo more oleum mortalibus ægris
Ante parat; seu forte aliquis natalibus undis
Lustrandus primi sistit se ad limina templi;
Seu jam tinctus aquis, interque adscriptus amicos
Christiadum cœtus firmari ad cuncta rogabit
Dura fidem, sacri ceromatis unguine frontem,
Et signo crucis inscriptus. Post agmina Præsul
Longa Sacerdotum, magnis conventibus actis
Cogit, et officii cunctos præscripta tuendi
Multa monens, iterumque iterumque hortatibus ambit,
Aut cessatores urgens ad pensa ministros,
Ignavosve docens. Sed jam quo crimina ritu,
Punirique reos leges sanxere sacrorum,
Perlege; sive malos sacris communibus arcent,
Officiique vices certis cessare diebus
Præcipiunt, et Mysta gradu periturus ab alto
Dejicitur, sacrique gerens insignia cultus,
Paulatim ereptas vestes, ac tegmina membris
Exuit infelix, tota et traducitur urbe.
Cætera quid memorem, cum Præsul ovilia primum
Et populos (si cura recens commissa reposcet)
Lætus adit, primos Cleri excepturus honores.
Seu cum Romulea longe legatur ab urbe
Purpurea de gente aliquis, populosque remotos,
Quos procul innumeris circumerrat flexibus ingens
Sequana, Parisiasque subit solemnibus arces
Auspiciis; vel quos diti Tagus ambit arena,
Vistulave, et longis tendit qua Sarmata campis:
Aut ubi rex fluviorum haud uno nomine notus
Ister in Arctoum præceps evolvitur æquor,
Regna per et Latio fidos sub Præsule flues,
Queis non relligio fallax, promptumque novandi
Ingenium ritus animis excussit avorum.
Hinc et scire licet, reges cum templa subibunt,
Imperiique potens se magnam Augustus ad urbem
Sistet ovans, prope Teutonico comitante senatu:
Aut proceres, aut magnanimo de sanguine regum
Femina pilentis Divorum in mollibus ædes
Accedet venerans, quantos sacer ordo paratus
Molitur, qualique præit solemnia pompa
Obvius Antistes cœtu stipante suorum.
Vade liber, nunquam simili procedere cultu
Ante datum: te cinnabari minioque rubentem
Lætius, et leges ornat Rubrica sacratas;
Exigua tu magnarum compendia rerum
Mole capis, quali nunquam retro ante vel usu,
Vel studio, supraque notis inscripta legendi
Præscribit vox quæque modum, quem longa tenorem
Exigit, utque brevis celeri se syllaba flatu
Proripit accelerans, se subducitque legenti.
At te quis meritum curis pro talibus ornet
Laudibus, aut dignos nam quæ tibi gratia plausus
Rite ferat, cujus studiis ingentibus olim
Ordo Sacerdotum mores insistit avitos
Sanctius, et cunctis orandi pensa diebus
Noster inoffenso decurrit tramite Clerus?
Nunc et Pontifices curis insignibus ipsos
Obstrinxisse juvat, quorum solemnia sacra,
Auspice te, retractat opus, propriasque Tiaræ,
Te curante, vices cultu meliore tuentur.

Digitized by Google

PONTIFICALIS

PARS PRIMA.

TITULUS I.

DE CONFIRMANDIS.

I. Sunt qui non minus imperite quam impie finxerunt, *Confirmationis* vocabulum ab eo deduci, quod olim infantes qui baptizati erant, cum jam adulti essent, ad Episcopum adducebantur, ut fidem Christianam, quam in Baptismo susceperant, confirmarent, ita ut Confirmatio, ut perperam placet Calvino, nihil a catechesi differat. Verum recte docet *Catechismus Concilii Tridentini*, Confirmationem idcirco appellari sacramentum Chrismatis, quoniam qui baptizatus est, cum ab Episcopo sacro chrismate ungitur, additis solemnibus verbis : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, nisi aliud Sacramenti efficientiam, ut aiunt, impediat, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectus Christi miles esse incipit. Unde S. Ambrosius, lib. III, *De Sacramentis*, cap. II, inquit : « Sequitur spirituale signaculum, quod » audistis hodie legi, quia post fontem superest, » ut perfectio fiat; quando ad invocationem Sa» cerdotis, Spiritus sanctus infunditur. » Recte itaque in præsentiarum Confirmatio definiri potest : *Sacramentum novæ legis, quo fideles ad Christi fidem palam et intrepide profitendam, Spiritus sancti plenitudine roborantur.*

II. Multis præterea nominibus Sacramentum istud a Patribus et auctoribus ecclesiasticis appellatur, ut videre est apud eruditissimum Guillelmum Estium, Bellarminum, Sanbovium, et alios passim theologos de sacramento Confirmationis pertractantes. In antiquis editis Pontificalibus, præsens ita inscribitur titulus, *De Chrismandis in fronte*, quia scilicet sacramentum Confirmationis, sacramentum Chrismatis etiam appellatur. Esse autem ipsam Confirmationem verum ac proprium novæ Legis sacramentum, unanimi consensu docent omnes Ecclesiæ Patres, edocti ex luculentissimis divinæ Scripturæ locis, præsertim ex illo Actorum cap. VIII, ad quem locum hujus Sacramenti primordia omnes referunt. Legimus ibi enim, Petrum et Joannem manus imposuisse Samaritanis qui fuerant a Philippo baptizati, atque ita eos accepisse Spiritum sanctum, ut fuse infra explicabimus. *Tunc imponebant*, inquit S. Lucas, *manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.*

III. Sed audiamus aliquos Patres de ea re loquentes, ex compluribus quos infra multis in locis referemus. S. Ambrosius, in opere *De Sacramentis*, et *De his qui initiantur*, ex professo de Sacramentis Ecclesiæ disserens, Confirmationi proximum a Baptismo locum tribuit. S. Augustinus, lib. II Contra litteras Petiliani, cap. CIV, explicans hæc verba Psalmi CXXXII : *Sicut unguentum in capite*, etc., ita inquit : « In hoc unguento sacramentum Chrismatis » vult Petilianus interpretari, quod quidem in » genere visibilium signaculorum, sacrosanctum » est, sicut ipse Baptismus. » Et tractatu III in Epistolam I sancti Joannis : « Unctio spiritualis,

Digitized by Google

» ait, ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramen» tum est in unctione visibili. » S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, sacramentum manus Impositionis Episcopalis ex Scriptura simul et traditione probat, sub nomine quidem Luciferiani, sed approbante Orthodoxo. S. Hilarius in fine cap. IV in Matthæum, Consignationem sacramentum Spiritus appellat, quod bonis jamque lavacro purgatis plenitudo Spiritus per illud detur. Merito itaque Tridentina synodus, sess. VII, *De Confirmatione*, can. I, damnat hæreticos negantes Confirmationem esse verum et proprium novæ legis sacramentum : « Si quis dixerit Confirmationem Bapti» zatorum otiosam cæremoniam esse, et non » potius verum et proprium sacramentum; aut » olim nihil aliud fuisse quam catechesim quam» dam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ ra» tionem coram Ecclesia exponebant; anathema » sit. » Et can. II : « Si quis dixerit, injurios » esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirma» tionis chrismati virtutem aliquam tribuunt; » anathema sit. »

IV. Quanquam vero circa institutionem hujus sacramenti insignes theologi, ut inter alios Alexander de Hales, non parum hallucinati sint, putantes nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in Meldensi concilio fuisse institutum; constat tamen ex concilio Florentino, et Tridentino, sessione VII, *De Sacramentis in genere*, can. I, Christum Dominum, sicut et aliorum, ita et hujus sacramenti esse auctorem : « Si quis dixerit Sacramenta » novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo » Domino nostro instituta, aut esse plura vel » pauciora quam septem, videlicet Baptismum, » Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, » Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimo» nium; anathema sit. » Ratio hujus canonis ea generali ratione nititur, quam docet sanctus Thomas, III parte, quæstione LXXII, articulo I; « Quia scilicet instituere sacramentum pertinet » ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli » Christo. » Unde optime docuit S. Ambrosius, lib. IV, *De Sacramentis*, cap. IV : « Auctor sa» cramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? » Rationes, ob quas Christus Dominus hanc institutionem Sacramentorum sibi soli reservavit, afferuntur ab eodem Angelico Doctore. Prima est propter fidelium utilitatem, ne in homine alio spem ponerent. Altera, ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio oriretur, sicut apud illos qui, ut habetur in Epist. I ad Corinthios, cap. I, dicebant : *Ego quidem sum Pauli : Ego autem Apollo : Ego vero Cephæ.* Tertia, ne essent multa capita in Ecclesia.

§ I.

Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri Baptismatis unda perfusos confirmare volens, paratus supra rochetum, vel, si sit religiosus, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum, et in eo sedens, renibus altari et facie populo versis, baculum pastoralem in sinistra tenens, populum coram se stantem admonet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est.

COMMENTARIUS.

I. Cum de ecclesiastica, ac præsertim pontificia supellectile, cujus mentio in hoc nostro Pontificali Romano passim occurrit, abunde in Prolegomenis dictum sit : idcirco, ut cum methodo procedamus, arbitrati sumus de quatuor hisce tantum disserere : 1° de subjecto ; 2° de tempore ; 3° de loco ; 4° de ministro hujus sacramenti. Quoad primum, omnes et soli homines baptizati Confirmationem valide recipere possunt. Rationem reddit S. Thomas, parte III, quæstione LXXII, articulo VI. Quia scilicet sic se habet ad Baptismum Confirmatio, sicut ad generationem augmentum : quare, sicut impossible est hominem augeri priusquam natus sit, ita fieri non potest ut Confirmationis sacramentum suscipiat antequam sit baptizatus. Est quoque et hæc generalis ratio, quia Baptismus est janua cæterorum Sacramen-

Digitized by Google

torum, sine quo proinde nullum verum sacramentum suscipitur. Unde cum in altera ad Zachariam Papam epistola conquestus esset S. Bonifacius de quodam presbytero Scoto, quod audacter doceret posse homines sine Baptismo fieri christianos per episcopalem manuum impositionem; Zacharias ad ipsum Bonifacium rescribens, inauditum illud dogma his plane verbis damnavit : « Hic qui dicit hoc, vacuus est » Spiritu sancto, et alienus a gratia Christi, at» que a consortio sacerdotali abjiciendus. Quis » enim, nisi baptizetur, juxta præceptum Do» mini, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti, et sic per manus impositionem conse» cretur, potest esse catholicus? Hunc nequis» simum virum talia prædicantem ab Ecclesia » sancta Dei condemnatum expello. » Ex recitato Summi Pontificis testimonio perspicue patet, propter hæc duo proscriptum fuisse Scotum illum sacerdotem, quod nempe contenderet quempiam sine Baptismo fieri posse christianum, ac præterea quod vellet, valere Confirmationem homini nondum baptizato collatam.

II. Catholicum dogma minime infringit, quod Actorum cap. IX legatur, Paulo ab Anania manum impositam fuisse, priusquam sacro Baptismate donaretur. Non enim Ananias episcopus erat, sed diaconus, ut in eum locum scribens testatur Œcumenius, et manum præterea Paulo imposuit, non ad impertiendum ei Spiritum sanctum, sed, quemadmodum Scriptura loquitur, ut visum reciperet. Quod enim postea subditur, *Ut implearis Spiritu sancto*, non ad manus impositionem referendum est, sed ad Baptismum mox secuturum, ut scite observat Estius, et animadvertere quilibet potest, qui locum illum Actorum diligenter consideret.

III. Superata hac difficultate, convenienter hoc loco quæritur, quo tempore olim Confirmationis sacramentum collatum sit? Constat tum ex priscis Patribus, tum sacris etiam canonibus, statim post Baptismum datam fuisse Confirmationem. Diserte id in primis asserit Tertullianus in libro *De Baptismo*, cap. VII, sic inquiens: « Exinde egressi de lavacro perungimur bene» dicta unctione de pristina disciplina, qua un» gui oleo de cornu sacerdotum solebant. » Item cap. VIII hæc habet: « Dehinc manus imponitur, » per benedictionem advocans Spiritum sanc» tum. » Sunt et alia ejusdem scriptoris loca, quæ in unum congessit eruditus Pamelius in nota ad prius recitatum Tertulliani testimonium. Sed audiamus S. Cyprianum qui in Epistola LXX ad Januarium et ad alios scribens, ait : « Ungi » necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto » Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei » et habere in se gratiam Christi possit. » In Epistola quoque LXXIII ad Jubaianum eamdem videtur testari disciplinam his verbis : « Quod » nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ec» clesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offe» rantur, et per nostram orationem ac manus » impositionem Spiritum sanctum consequan» tur, et signaculo Dominico consummentur. »

IV. Hujus disciplinæ apud primæ pariter et mediæ ætatis scriptores Græcos æque ac Latinos, innumera sunt propemodum et obvia testimonia allata a clarissimo viro Hugone Menardo in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, pag. 44. Certe præclarus est S. Dionysii locus in libro *De cœlesti Hierarchia*, ubi ita inquit : « Ipsi, » qui sacratissimo regenerationis mysterio con» secratur, adventum Spiritus sancti consum» mans inunctio largitur unguenti. » Adde concilium Laodicenum, ubi Patres, can. XLVIII, aiunt : « Oportet eos qui illuminantur (sive ut » legit Dionysius Exiguus, qui baptizantur) post » Baptismum inungi supercœlesti Chrismate, et » esse regni cœlestis participes. » Hunc morem confirmandi scilicet mox post datum Baptismum, etiam suo tempore viguisse, quibusdam in locis testatur Jacobus Vitriacus, *Historiæ Occidentalis* cap. XXXVII, his verbis : « Hoc Confirmationis » sacramentum quidam ita conjungunt Baptis» mo, ut statim velint ipsum post Baptismum » conferri, quia per hoc confirmatur fides, quæ » in Baptismo suscipitur. Quæ consuetudo satis » approbanda est, ubi haberi potest copia seu » præsentia majoris Sacerdotis. »

V. Ex hactenus dictis satis evidenter eruitur, nullam olim ætatem ad excipiendum Confirmationis sacramentum exclusam fuisse. Et ut omittam superius laudatos, Tertullianum et Cyprianum, qui illius susceptionem cum Baptismatis receptione conjungunt, Innocentius I Pontifex Maximus, qui floruit desinente sæculo IV, in celeberrima illa ad Decentium episcopum Eugubinum, expresse meminit illius disciplinæ, *De consignandis infantibus*, *etc.* Eamdemque praxim legere est in Sacramenta-

Digitized by Google

rio sancti Gregorii Magni, quod subsequentibus sæculis in administratione Sacramentorum obtinuit. His accedit luculenta auctoritas S. Augustini, qui Tractatu VI in I canonicam S. Joannis Epistolam ita scribit : « Quando imposuimus » manus istis infantibus, attendit unusquisque » vestrum, utrum linguis loquerentur. » Imponendi enim manus locutione Confirmationem significari, constat passim ex novi Testamenti libris ac sanctorum Patrum auctoritatibus. Complures theologi eam disciplinam confirmandi infantes mox post Baptismum probari posse affirmant, tum ex Actorum cap. VIII, ubi omnibus a Philippo baptizatis, inter quos infantes quoque a parentibus oblatos fuisse recte creditur, manus ab Apostolis imponuntur; tum etiam ex eo quod in Evangelio S. Matthæi, cap. XVIII, Christus legitur infantibus manum imposuisse, velut hujus sacramenti figuram quamdam præ se ferens.

VI. Ratio quoque idem faciendum suadere videtur, quia, cum nemo catholicorum dubitet parvulos sicut Baptismi, ita et Confirmationis capaces esse, sequitur, eos accepto per hoc sacramentum gratiæ augmento, majorem etiam in futuro sæculo gloriam habituros, si in ea ætate decesserint, quam si sacramentum hoc non percepissent, quemadmodum post Hugonem de Sancto Victore, in libro *De Sacramentis*, perspicue docet S. Thomas III parte, quæstione LXXII, articulo VIII, ad IV : « Dicendum, inquit, quod » anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, im- » mortalis est, et ideo etiam morituris hoc sa- » cramentum dandum est, ut in resurrectione » perfecti apparcant.... Unde etiam pueri con- » firmati decedentes majorem gloriam conse- » quuntur, sicut et hic majorem obtinent gra- » tiam. » Hanc doctrinam de administranda Confirmatione infantibus morituris accepit certe S. Doctor ex concilio Parisiensi IV anni 829, cap. XXXIII, ubi Patres docent : « Infirmis et » morte periclitantibus, sicut Baptismatis gratia » succurrendum, ita incunctanter donum Spiri- » tus sancti est tradendum. » Huc spectare videntur verba Pontificalis nostri initio recitata : *Pontifex infantes, pueros, vel alios sacri Baptismatis unda perfusos confirmare volens, etc.* Qua loquendi ratione, ut scite observat vir clarissimus Jacobus Sanbovius, *De sacramento Confirmationis*, disputatione VIII, articulo I, significatur esse in arbitrio Episcopi ut confirmet infantes, et eos de quorum morte metuimus, et eos etiam qui versantur extra periculum.

VII. Progressu temporis, sive id contigerit, ut plerique autumant, ex incuria et negligentia parentum, sive ex difficultate habendi commode episcopos, sive denique ad evitandum ejus iterationem, et ut in hoc sacramento, quod est quasi ultima Baptismi consummatio, suscipiens faciat per semetipsum fidei suæ professionem, quam baptizatus in infantia per alium fecit, ac insuper, ut majori cum reverentia suscipiatur, exspectatum est ad annos discretionis, et Confirmatio fuit administrata separatim a Baptismo, neque ante eam ætatem : quemadmodum Eucharistia a Baptismo separatim administrari cœpit, cum ante ministraretur infantibus mox baptizatis : quod S. Augustinus pluribus locis expressit; quamvis nunquam crediderim Eucharistiæ sumptionem infantibus necessariam esse ad salutem, ut recte probat cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XII. Atque hic obiter nota datum quoque fuisse recens baptizatis lac et mel; cujus ritus meminit Tertullianus in lib. *De Corona militis*, cap. III, et in lib. contra Marcionem, ubi ait quod per lactis et mellis societatem Christus suos infantes lactet.

VIII. Porro qui censuerunt ad annos usque discretionis differendam esse Confirmationem, ut neque damnare voluerunt usum veteris Ecclesiæ, ita neque præcise convenere inter se de anno; aliis septennium sufficere docentibus, si duodecimus annus non videatur exspectandus, ut Catechismo Romano placet, *De Confirmationis sacramento*, num. XV, et S. Carolo in concilio Mediolanensi I anni 1565; aliis vero etiam duodecimum annum absolute exspectandum esse sentientibus. Qua in re ac similibus placet illud Ambrosii quod S. Augustinus oraculi vice suscepit : « Ad quam forte Ecclesiam veneris, » ejus morem serva, si cuiquam non vis esse » scandalo, nec quemquam tibi. » Cujus quidem sententiæ idem Augustinus in Epistola CXVIII ad Januarium hanc rationem reddit : « Quod neque contra fidem, neque contra bonos » mores injungitur, indifferenter est haben- » dum, et pro eorum inter quos vivitur societate » servandum est. » Et infra : « Sensi enim » sæpe dolens, et gemens, multas infirmorum » perturbationes fieri per quorumdam fratrum

Digitized by Google

» contentiosam obstinationem, vel superstitio-
» sam timiditatem, qui in rebus hujusmodi,
» quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, ne-
» que universalis Ecclesiæ traditione, neque
» vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt
» terminum pervenire (tantum quia subest qua-
» liscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in
» sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vi-
» dit, ubi peregrinationem suam, quo remotio-
» rem a suis, eo doctiorem factam putat), tam
» litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod
» ipsi faciunt, nihil rectum existiment. » Cæterum ea agendi ratio tunc habere videtur locum, cum simus extra casum necessitatis; si enim necessitas urgeat, penes est Confirmationis ministrum tempus lege aut consuetudine definitum antevertere, quod nempe, ut superius num. VI, ex Hugone de S. Victore, sancto Thoma, et Concilio Parisiensi dictum est, pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequantur.

IX. Quæ huc usque dicta sunt, satis demonstrant quam improbanda sit quorumdam negligentia, qui, ut scribit Jonas Aurelianensis episcopus, lib. I *De Institutione laicali*, cap. VII : « Partim incuria, partim ignorantia, in tantum » hac in re negligentes existunt, ut etiam qui-» dam illorum nonnisi jam in decrepita ætate » hujus doni consecrationem percipiant. » Cui socordiæ præsentissimum remedium attulisse putarunt Patres concilii Lambethensis, anno 1281, cap. IV, prohibentes ne ii ad Eucharistiam percipiendam admittantur qui confirmati non fuerint : « Confirmationis insuper sacramentum » multi negligunt temerarie, quia desunt forsan » ad talia vigiles hortatores : adeo ut plures sint, » imo innumeri inveterati dierum malorum, » qui nondum Confirmationis gratiam recepe-» runt. Cui negligentiæ damnabili obviantes, » statuimus ut nullus ad sacramentum Corporis » et Sanguinis Domini admittatur extra mortis » articulum, nisi fuerit confirmatus, vel nisi » fuerit a receptione Confirmationis rationibi-» liter impeditus. » Conclium Bituricense, quod anno 1584 celebratum est, tit. XX, can. VII, diserte admonet neminem hoc sacramento non insignitum se ad Eucharistiam et Matrimonium admissurum. Græci adhuc hodie servant pristinam praxim conferendi infantibus Confirmationem statim ac illos baptizant, ut ex eorum Euchologiis patet; quinimo adeo illius praxis tenaces sunt, ut ex iis nonnulli contrarium morem Ecclesiæ Romanæ crimini vertere non erubuerint : « Non erit perfecte quispiam baptizatus, » qui non susceperit unguentum. » Absurdum est, quod perperam contra Latinos urgebat auctor schismaticus Simeon archiepiscopus Thessalonicensis.

X. Explicemus nunc breviter tertiam nostræ Rubricæ partem, quæ est de loco administrandæ Confirmationis. Et quanquam hodie vel ex ipsa Rubrica in ecclesia conferri soleat, antiquitus tamen, cum una simul Baptismus et Confirmatio præberetur, puto locum ordinarium Confirmationis fuisse baptisterium, quod extra ecclesiam erat. Joseph Vicecomes, lib. I *De Confirmationis Ritibus*, cap. XVII, existimat in ecclesia Confirmationem ministratam fuisse. Cui tamen opinioni refragatur vetustum sancti Gregorii Sacramentarium, ubi locus ad confirmationem suscipiendam designari videtur sacrarium seu sacristia : nam post præscriptos Baptismi ritus, hæc statim habet : « Pontifex vero » redit in sacrarium, exspectans, ut cum vestiti » fuerint infantes, confirmet eos. » In vulgato vero Ordine Romano apud Hittorpium, locus Confirmationis sacristia erat vel ecclesia, pro arbitrio Episcopi : *Pontifex ergo egreditur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, vel in ecclesia ubi voluerit, et sedeat in ea, et cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.*

XI. Quibusdam in locis peculiarem administrandæ Confirmationi locum præfinitum fuisse legimus, dicebaturque *consignatorium*, quale illud erat quod in ecclesia Neapolitana construxit Joannes, ejusdem civitatis initio sæculi VII episcopus, quodque in libro *De Gestis episcoporum Neapolitanorum* Joannes diaconus describit hunc in modum : « Hic pulchrum con-» struxit ædificium marmoreis columnis affabre » suffultum, atque nobilibus picturis decora-» tum, quod Consignatorium albatorum vocaba-» tur, inter fontes nempe majores quos Soter » episcopus fecerat, et ecclesiam Stephaniam, » per cujus januas duas qui sacrum Baptisma » recepissent, a dextra parte ingredientes, Epi-» scopo, qui illorum in medio residebat, offere-» bantur, et benedictione accepta, ordinatim a » sinistra parte exirent. » Denique non addubito quin in casu necessitatis, seu mortis peri-

Digitized by Google

culo, in ægrotantis cubiculo, sive in alio pro fano loco Confirmatio fuerit administrata. Imo in concilio Beneventano anni 1374, sub Hugone II, Guidardio Beneventi metropolita, titulo v, *De sacramento Confirmationis*, cap. II, absolute dicitur : « Confirmatio fieri potest in » domo, vel in campo. »

XII. Verum quocumque tandem in loco illud sacramentum ab Episcopis traderetur, scite observat Edmundus Martenius, lib. I, *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, articulo I, num. XI, aliique complures eruditi auctores, quod sicut olim mares a feminis separatim baptizabantur, ita et separatim confirmabantur. Quin et laudatus Vicecomes non solum utrique sexui, sed et ætati locum diversum in Ecclesia præstitutum fuisse affirmat ex quadam Simeonis Metaphrastis auctoritate, qui de SS. Inde et Domna sic inquit : » Pii vero cum omnes congregassent simul cate- » chumenos, viros, et mulieres, et pueros, eos- » que in quatuor divisissent, ut pote quod tem- » pus postularet celeritatem, eos divino Baptis- » mo perficiunt, et Chrismate ungunt, et eos » intemeratis impertiunt sacramentis. » Subdit mox Vicecomes, voce illa, *in quatuor,* diversos vitæ status significari, pueros, viros, puerulas et mulieres ; *chrismate* autem *ungi,* pro Confirmationis donatione positum esse. Certe S. Carolus, veteris Ecclesiæ disciplinæ custos ac tenax, distinctum tabulato telave locum maribus ac feminis in Confirmatione præfinivit : cavitque in Ecclesiæ Mediolanensis Actis, quæ jure ac merito ecclesiasticæ disciplinæ thesaurus appellari possunt, ut mares a parte australi, feminæ a septentrionali confirmentur. Quam disciplinam confirmandi scilicet viros a feminis separatim, novissime confirmavit Benedictus XIII in suo concilio Romano anni 1725, tit. XXVI, cap. IV. Cæterum quemadmodum olim ex Ordine Romano mares primum, et postea feminæ baptizabantur, ita quoque mares ante feminas confirmabantur, id quod etiam retineri voluit in concilio Mediolanensi V sanctus Carolus, ita statuens : « Et quod » veteris ritus est, primum mares, deinde femi- » næ confirmentur. »

XIII. Restat ut quartam Rubricæ partem explicemus, qua dicitur nullum alium, nisi solum, Episcopum, Confirmationis ordinarium ministrum esse. Quod quidem in concilio Florentino definitum est, et in Tridentino postea repetitum, sessione VII, can. III, *De Confirmatione*, et sessione XXIII, cap. IV, et can. VII. Fundamentum ejus doctrinæ habetur passim in novo Testamento : nam Actorum cap. VIII, ad confirmandum eos qui in Samaria a Philippo baptizati erant, etiam usque ad infimam plebem, profectus est Petrus et Joannes, cum tamen idem Petrus Cornelium virum insignem, ac divinitus sibi commendatum, una cum ejus familiaribus, non per se, sed aliorum ministerio baptizare voluerit, ut videre est Actorum cap. X. Rursus, ut alia Scripturæ testimonia omittam, in iisdem Actis, cap. XIX, cum Ephesii quidam, Paulo jubente, ab aliis baptizati essent, ipse Paulus mox eis manum imposuit, ut Spiritum sanctum acciperent, cum alioqui, ut scite observat Bellarminus, Estius ac theologi passim, et hujus sacramenti ministerium, sicut Baptismi potuisset aliis demandare, si non judicasset ab aliis quam ab Episcopis fieri non posse.

XIV. Hisce exemplis, ac eo præsertim quod attulimus ex Actorum cap. VIII, edocti Pontifices Maximi ac Patres Ecclesiæ vetustissimi uno ore tradiderunt, ad solum Episcopum pertinere hujus sacramenti administrationem. Sic enim inter cæteros docet Innocentius Papa I, in Epistola I ad Decentium Eugubinum episcopum : « De consignandis vero infantibus manifestum » est, non ab alio quam ab Episcopis fieri licere. » Nam Presbyteri, licet sint sacerdotes, tamen » apicem non habent. Hæc autem Pontificibus » solis deberi, ut vel consignent, vel Paraclc- » tum Spiritum tradant, non solum consuetudo » ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio » Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et » Joannem esse directos, qui jam baptizatis trade- » rent Spiritum sanctum. » Loqui sanctissimum Pontificem de Confirmationis sacramento multa demonstrant : 1° quidem vox *consignandi*, qua utitur; 2° Acta Apostolorum, quæ laudat ; 3° collatio Spiritus sancti, quam asserit per illam consignationem dari ; 4° quod immediate post chrismationem in fronte, hæc subdit : « Nam » Presbyteris, seu extra, seu præsente Episcopo » baptizent, chrismate baptizatos ungere licet, » sed quod ab Episcopo fuerit consecratum : non » tamen frontem ex eodem oleo signare, quod » solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum » sanctum. » An non laudatum Innocentii testimonium satis est ad comprimendam Joannis

Digitized by Google

Calvini temeritatem, qui lib. IV *Institutionum*, cap. XIX, § X, sic adlatrat : « Si quis ab illis (catholicis) sciscitetur : Unde tanta prærogativa » Episcopis delata fuerit : quam rationem affe» rent præter suam libidinem ? » Nonne idem hæreticus tibi delirare videtur, cum iterum in suo pestifero adversus Concilium Tridentinum antidoto obgannit : « Unde, quæso, probabunt » Episcopis magis quam reliquis Sacerdotibus » convenire has partes, nisi quia incertis auc» toribus ita placuit ? » An incertus auctor dici Innocentius potest ? Incertine erunt auctores, qui id ipsum affirmant, Cyprianus in Epistola ad Jubaianum, Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, Augustinus lib. XV *De Trinitate*, cap. XXVI; Chrysostomus in Acta Apostolorum, cap. VIII; Isidorus Hispalensis, lib. VII *Etymologiarum*, cap. XII, et alii sexcenti Patres, qui afferri possent ? Incertumne Concilium Illiberitanum, can. XXXVIII, et can. LXXVII; Concilium Hispalense II, can. VII; Concilium Constantiense in condemnatione artic. XXVIII Joannis Wicleff, et aliæ innumeræ tum veteres cum recentiores Synodi ?

XV. Sed relinquamus tandem in sua perfidia inscitiaque inexcusabili hæreticum, observemusque cum Juenino, dissertatione III, *De Confirmatione*, quæst. V, articulo II, aliisque eruditis viris, varia argumenta quibus memoratus Innocentius utitur, ut presbyterorum Eugubinorum praxim, de qua consultus fuerat a Decentio episcopo, probet, ausum esse temerarium. Ait illam Scripturæ, ac consuetudini Ecclesiasticæ adversari, injuriosam esse Episcopali dignitati, quam Christus ea prærogativa donavit. Miratur deinde, id muneris potuisse invadere illos Presbyteros, cum illud esse penes solum Episcopum adeo manifestum sit ac evidens, ut neminem latere possit. Sed dices : Si tam aperta res sit, cur Decentius de ea dubitavit ? cur Summum Pontificem de re omnibus certa consuluit ? Respondent plerique auctores, id ex eo accidisse, quod, cum abusus ille sub aliquibus Eugubinis episcopis, suis prædecessoribus, jam cœpisset, nonnisi unius Romani Pontificis auctoritate extirpari potuerit. Quæ sententia miritice ex iis comprobatur quæ in memorata Epistola habet Innocentius : « Idcirco » respondemus, non quod te aliqua ignorare » credamus, sed ut majori auctoritate vel tuos » instituas, vel si qui a Romanæ Ecclesiæ insti» tutionibus errant, aut commoneas, aut indicare » non differas : ut scire valeamus qui sint qui » novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quam » Romanæ existimant consuetudinem esse ser» vandam. » Atque hic nota, quæ esset vel a primis sæculis supra cæteras auctoritas Romanæ Ecclesiæ Episcopi, et quæ cæterorum Episcoporum reverentia erga Romanum Pontificem.

XVI. Illud autem hic omnino admonendi sumus, quæ huc usque diximus, nequaquam obstare quominus a Summo Pontifice, urgente gravi necessitate, hæc provincia administrandæ Confirmationis simplici Sacerdoti committi possit, etsi nonnulli, inter quos S. Bonaventura, Adrianus VI antequam esset Pontifex, Durandus, Estius, Sanbovius, et alii sic Episcopum constituant ministrum ejus sacramenti, ut inferiori Presbytero, nulla unquam ratione, nulla Pontificis Maximi autoritate, id muneris competere posse pernegent. Verum tametsi disciplina Ecclesiæ habeat ut soli Episcopi hoc sacramentum administrent : quod tamen Presbyteri subinde extraordinarie, ut aiunt, et absente Episcopo dispensatorie id ministerii exercere queant, evidenter jampridem labente sæculo VI, probavit S. Gregorius, qui licet lib. III, Epistola IX ad Januarium episcopum Calaritanum expresse prohibuerit, ne « Presbyteri baptizatos » infantes signare sacro in frontibus Chrismate » præsumant; » uti autem intellexit idem Pontifex, quosdam Sardos hoc responso scandalizatos fuisse, Epistola XXVI ejusdem libri ad eumdem Episcopum data, hæc rescribit : « Pervenit quo» que ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, » quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte » eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos » quidem secundum usum veteris Ecclesiæ nos» træ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui » contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Pres» byteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate » tangere debeant, concedimus. »

XVII. Respondent hic adversarii, Gregorium quidem Sardinensibus Presbyteris Confirmationis dispensationem permisisse vitandi scandali causa, juxta ea laudati Pontificis verba : « Per» venit quoque ad nos, quosdam scandalizatos » fuisse, etc., » non approbasse tamen S. Gregorium usum illum, quem œconomiæ causa tolerabat. Sed quis non videt quam inepta, quam

Digitized by Google

futilis sit isthæc responsio? Quis unquam credat Ecclesiæ doctorem, Romanum Pontificem falli, et fallere nescientem, S. Gregorium Magnum, a veritate, a fidei dogmate descivisse, ut assentiretur quibusdam contumacibus juris divini, in Sanbovii systemate, infractoribus, præsertim cum indulgentia hujusmodi in animarum perniciem vergeret; quippe quod inani Confirmationis umbra fidelibus in Sardinia illusum fuisset? Præterea, ut scite observat Jueninus, si quorumdam in Sardinia scandalum Gregorius timuit, cur non veritus est ne dispensatio, quam concedebat in re quæ, ex adversariis, juris est divini, cæteris omnibus orbis christiani provinciis gravissimo foret scandalo? cur aliarum regionum Episcopi in illam Gregorii intempestivam ac irritam, ut placet adversariis, indulgentiam non insurrexere?

XVIII. Observatu digna sunt ea memoratæ Gregorii Epistolæ verba : « Nos quidem secun» dum usum veteris Ecclesiæ nostræ fecimus. » Ubi tacite innuit Pontifex, aliam esse Ecclesiæ Orientalis consuetudinem : se autem scripsisse ait Episcopo Calaritano in priori Epistola, ut procederet juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ Presbyteris non permittebat baptizatos sacro Chrismate in frontibus consignare : permisit tandem Gregorius in posteriori Epistola, quæ ad priorem refertur, ad evitandum scandalum, « ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri » etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere » debeant. » Non dubitavit itaque sanctissimus æque ac doctissimus Pontifex, quin etiam subinde esse possent Presbyteri hujus sacramenti ministri : quod et supposuit Eugenius IV, qui in Instructione pro Armenis dixit : « Legitur ta» men aliquando per Sedis Apostolicæ dispen» sationem, ex rationabili et urgenti admodum » causa, simplicem Sacerdotem chrismate per » Episcopum confecto hoc ministrasse Confir» mationis sacramentum. » Sed et idipsum videtur supponere Synodus Tridentina, cum sessione VII, can. III, *de Confirmatione*, dicens ministrum hujus sacramenti esse Episcopum, expresse ad vocem *Ministrum*, addit *ordinarium*, ut passim observant Theologi pariter et Canonici Jurisconsulti.

XIX. Certe apud Græcos etiam hodie Presbyteri confirmant. Neque vero dubium esse debet, apud ipsos Græcos Episcoporum hoc ab initio, et per plura quidem sæcula, munus fuisse. Enimvero sanctus Dionysius, quem illi Apostolis supparem faciunt, in lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. II, de recens baptizato ita scribit : « Rursus illum ad Pontificem ducunt, » qui divinitus operante oleo virum consignans, » sacrosanctæ Eucharistiæ participem facit. » Quin et S. Chrysostomus, Homilia in cap. VIII Actuum Apostolorum : « Philippus, inquit, erat » unus ex septem Diaconis, secundus a Ste» phano; ideo baptizans, Spiritum sanctum non » dabat; neque enim facultatem habebat : hoc » enim donum solorum Apostolorum erat, un» de et Coryphæos, et non alios, videmus hoc » facere. » Hinc etiam Pachymeras, in Paraphrasi ad cap. V *De Ecclesiastica Hierarchia*, ita scribit : « Opus est Pontifice ad ungendum » eum qui baptizatus est. Quippe hic erat mos » antiquus. »

XX. Dicet hic fortasse quispiam : Unde igitur ista consuetudo cœpit apud Græcos ab Episcopis ad Presbyteros devolvi? Turrianus, lib. III in Constitutiones Clementis, Petrus Aurelius, Jacobus Sanbovius, Stephanus Durantius, lib. I *De Ritibus*, cap. XX, et alii nonnulli, existimant ob id Græcos in errore versari. At secus esse manifestum est. Primo enim nusquam legimus Romanam Ecclesiam, cui tanquam omnium magistræ ac principi cæteræ debent fasces submittere, Græcos ritu patrio confirmatos iterum consignasse. Deinde constat ex Concilio Florentino in Appendice post sessionem XXV, Græcos legitime canoniceque fecisse satis quæstioni illi a Latinis propositæ : « Quare Pontifices non in» ungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum » hoc Pontificibus sit datum? » Vide Arcudium, lib. II *De concordia Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ*, ubi agit de Confirmatione, et Isaacum Haberti in Observationibus ad librum Pontificalem Ecclesiæ Græcæ, pag. 710.

XXI. Neque his contrarium est Innocentii III responsum, qui in cap. *Quanto* IV, ad titulum *De consuetudine*, irritam omnino judicare videtur datam per Presbyteros apud Constantinopolim Confirmationem : omnis etenim difficultas illico evanescet, si consulatur ipsa Innocentii Decretalis missa ad Lucium Apostolicæ Sedis legatum, prout exstat in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; e qua eam desumpsit Raymundus, omissa particula *La-*

Digitized by Google

tinis ad vocem *Presbyteris;* quæ ostendit Innocentium tantum respondisse de Presbyteris Latinis Constantinopoli agentibus, quibus præcipit ut consuetudinem Ecclesiæ Latinæ sequantur : « Dilectioni tuæ mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas (ut pote a Sancta Sede nequaquam delegatis) ne talia de cætero sua temeritate præsumant. » Atque hic obiter adnotandum videtur, quod docet Vanespen, parte VIII, *De Decretalibus Gregorii IX*, cap. I, utile esse ac necessarium veteres Decretalium collectiones consulere; multa enim in sua collectione omisit Raymundus, quæ hodie Decretalis sensum obscurum reddunt.

§ II.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

COMMENTARIUS.

I. Confirmationis sacramentum characterem seu signaculum spiritale in anima imprimere, atque idcirco reiterari non posse, tum Græcis, tum Latinis Patribus, vel ex ipso nomine, quo *signaculum Spiritus sancti* dicitur, certum esse ac indubitatum, recte docet vir clarissimus Petrus Arcudius, lib II *De Concordia Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ*, cap. XVII. Sane si Scripturam inspiciamus, Paulus in Epistola ad Hebræos, cap. VI, ita scribit : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati,* per Baptismum (ita enim S. Chrysostomus interpretatur, necnon alii Patres qui Baptismum sacramentum illuminationis passim appellarunt), *et participes facti sunt Spiritus sancti*, per Impositionem manuum, cujus Apostolus paulo ante meminerat, *rursus renovari ad pœnitentiam*, priorem scilicet quæ in Baptismo et manuum Impositione consistit.

II. Audiamus, quæso, ipsum Chrysostomum, qui laudatum Pauli locum sic exponit : « Cur » autem hæc dicit? Quoniam erat verisimile » eos, vel cum jam credidissent, vacillare, vel » male et dissolute vivere. Dicit ergo : *Exper-* » *giscimini*. Non licet dicere : Si dissolute » et negligenter vixerimus, rursus baptiza- » bimur, catechesi rursus instituemur, acci- » piemus Spiritum sanctum, et si a fide non » exciderimus, rursus baptizati poterimus pec- » cata abluere. Erratis : *Impossibile* enim *est* » *eos qui semel sunt illuminati*, » etc. Censit igitur S. Doctor, non minus colligi ex allato Pauli testimonio, iterari non posse manuum impositionem, id est Confirmationem, quæ Baptismum subsequitur, quam ipsummet Baptismum. At quod non iteretur, non aliam posse afferri rationem aiunt theologi, quam quod, sicut Baptismus, characterem imprimat indelebilem.

III. Ratio potissima cur hoc Sacramentum iterari nequeat, ex eo desumitur, quod datur per modum consecrationis : natura autem consecrationis iterationem non admittit. Audi Augustinum qui, lib. II Contra Epistolam Parmeniani, cap. XIII, hanc rationem affert, propter quam neque Baptismus neque Ordinatio iterari possunt. « Utrumque enim, inquit, sacramentum » est, et quadam consecratione utrumque ho- » mini datur : illud, cum baptizatur; istud, cum » ordinatur; ideoque in Catholica utrumque » non licet iterari. » Ratio rationis est, quia res semel ad usum aliquem Deo consecrata, talis quamdiu existit, perpetuo manet. *Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino*; ut habetur Levitici cap. ultimo. Quam rationem omnes pene theologi amplectuntur ex Angelico doctore S. Thoma Aquinate qui, III parte, quæstione LXIII, articulo I et II, hanc statuit regulam : « Sacramenta novæ legis » characterem imprimunt, in quantum depu- » tantur homines per ea ad cultum Dei. » Certe fideles per Confirmationem consecrari Deo, tanquam milites Christi, et deputari ad agenda ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra fidei hostes, omnes Ecclesiæ Patres affirmant relati a Sanbovio, *De Sacramento Confirmationis*, disputatione VI, articulo I.

IV. Tandem tum ex Summis Pontificibus, cum ex Conciliis, quam frequentissime pronuntiatum fuit, Confirmationem iterari non posse.

Digitized by Google

S. Gregorius, lib. XII, Epistola XXXI, Felici episcopo Siciliæ, diserte inquit dogma de non iteranda Confirmatione æque ac Baptismo, et dedicatione ecclesiarum, esse antiquæ traditionis : « Hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus : id » est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel » Confirmatione, quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis nec » testibus ratio certa habetur utrum baptizati » vel confirmati, sive ecclesiæ consecratæ sunt; » ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque » ecclesiæ canonice dedicentur : ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat. Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. » Idem docet Gregorius II, Epistola IX ad Bonifacium, his verbis : « De homine qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est. » Id ipsum habent Concilium Toletanum VIII et Cabilonense II. Quorum primum anno 653 habitum, can. VII, sic ait : « Sanctum Chrisma collatum, et Altaris honor avelli nequeunt. » Cabilonense vero anno 813 celebratum, can. XXVII, ita inquit : « Dictum est nobis quod quidam de » plebe bis et ter ab Episcopis, ignorantibus » eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis » visum est, eamdem Confirmationem, sicut nec » Baptismum iterari minime debere. » Adde his duo Concilia generalia, Florentinum in decreto Armenis dato, et Tridentinum, sessione VII *De Sacramentis*, can. IX, ubi contrarium sentientes anathemate feriuntur.

§ III.

Nullus qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus, nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.

COMMENTARIUS.

I. Habet hoc Ecclesiæ perpetua consuetudo, ut sicut iis qui baptizantur, ita et iis qui confirmantur, patrini seu susceptores adhibeantur. Horum usum sunt qui ad ipsam Apostolorum ætatem referunt, probantque ex eo quod tunc temporis Confirmatio una cum Baptismo præberetur; in quo satis compertum est ejusmodi patrinos vel sponsores adhiberi consuevisse, ut fuse eruditeque ostendunt Baronius, Bellarminus, et alii innumeri, inter quos eruditissimus Joseph Vicecomes, *de Baptismi ritibus*. Occasionem adhibendi susceptores in Baptismo et Confirmatione, ait Ludolphus Saxo carthusianus, *Vitæ Christi* parte I, cap. XXIV, exortam fuisse ex illo Evangelii Joannis, ubi de Andrea Petri germano dicitur cap. I : *Et adduxit eum ad Jesum*. Laudat hæc verba memoratus auctor, statimque hæc subdit : « Ex hoc accepit Ecclesia, quod in sacramentis Baptismi et Confirmationis utitur adducentibus, qui præsentant » suscipientes Sacramentum, qui Patrini solent » appellari. »

II. Ut ut sit isthæc Monachi opinio, ritus est certe in Ecclesia vetustissimus, cujus rationem hanc reddidit Angelicus Doctor, III part., quæstione LXXII, articulo X : « Hoc Sacramentum » exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. » Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructione in his quæ pertinent ad conservationem vitæ : ita illi qui assumuntur ad pugnam, » indigent eruditioribus, a quibus instruantur » de his quæ pertinent ad modum certaminis. » Et ideo in bellis materialibus constituuntur » duces et centuriones, per quos alii gubernentur, et propter hoc etiam ille qui accipit hoc » sacramentum ab alio, tenetur quasi per alium » in pugna spirituali erudiendus. » Præclara est et alia ratio, quam memoratæ subjicit S. Doctor, sic inquiens : « Similiter etiam et quia per hoc » sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur quasi adhuc » spiritualiter imbecillus, et puer. » Eamdem fere rationem graphice describit S. Carolus, parte IV Actorum, *De Sacramento Confirmationis*, ubi hæc habet : « Patrinum hoc etiam sacramento adhiberi ostendet (Parochus), ut sciat » Christianus (confirmatus) se Spiritus sancti » gratia perfectionem ita esse assecutum, ut sibi » ipse tamen non fidat, sed aliorum qui vel

Digitized by Google

» ætate vel disciplina provectiores sunt, monita » consiliaque libenter audiat atque amplecta- » tur. »

III. Explicemus nunc breviter nostram Rubricam. Vult primo neminem non confirmatum patrinum adhiberi posse in sacramento Confirmationis. Et quidem recte. Licet enim baptizatus (ut verbis utar Angelici Doctoris loco laudato in responsione ad II) sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ christianæ. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitus per alium exhibetur jam militiæ christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere qui nondum est confirmatus. Id quod expresse habetur in can. CI, *De Consecratione*, distinctione IV, his verbis : « In Baptisma- » te, vel in Chrismate non potest alium suscipe- » re in filiolum ipse qui non est baptizatus vel » confirmatus. » Sed neque quo die quis confirmatus est, eo ipso die alios confirmandos offerre potest ex S. Carolo in Instructionibus de sacramento Confirmationis, quæ exstant parte IV Actorum Ecclesiæ Mediolanensis. Cæterum, an patrini munus valide quamvis illicite subeat qui non est confirmatus, quæstio est diu inter theologos agitata. Vide Thomam Sanchez, lib. VII, *De Matrimonio*, disputatione LX, num. XX.

[« Hæc tamen controversia modo clausa ma- » net, ex sensu validissimorum canonistarum » Schmalzgrueber, Reiffenstuel, Roncaglia, » Giraldi, etc., qui responso nituntur authen- » tico sacri Concilii Tridentini Congregationis, » *in una Licien.* quo Eminentissimi expresse » asserunt : *Non confirmatum non contrahere* » *cognationem spiritualem.* »]

Vult secundo Rubrica, ne patrini assumi valeant, *pater*, *aut mater*, *maritus*, *aut uxor*; quia nimirum ex hujusmodi susceptione spiritualis affinitas, de qua inferius, oriri solet. Hinc merito Concilium Cabilonense II, anno 813 habitum, can. XXXI, gravem pœnam mulieribus injunxit quæ, ut conjugii fœdus solverent, filios suos in sacramento Confirmationis suscipiebant : « Dictum, inquit, etiam nobis est, quasdam fe- » minas desidiose, quasdam vero fraudulenter, » ut a viris suis separentur, proprios filios co- » ram Episcopis ad confirmandum tenuisse. » Unde nos dignum duximus, ut si qua mulier » filium suum desidia aut fraude aliqua coram » Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter » fallaciam suam, aut propter fraudem, quam- » diu vivet, agat pœnitentiam ; a viro tamen » suo non separetur. » Nefas est hic omittere auctoritatem Edmundi Cantuariensis, qui in *Speculo Ecclesiæ de septem Sacramentis*, cap. LXXIV, hunc scribit in modum : « Parentes » debent se custodire, ne ipsimet teneant suum » infantem coram Episcopo ad confirmandum. » Qui locus tametsi causam, cur parentes filios suscipere non debeant, nequaquam exprimit ; eam tamen, quam superius innuimus, fuisse, ex se quisque, vel ex iis quæ paulo post, vel ante memoratus auctor scribit, facile poterit intelligere. Exstant præterea apud Gratianum, causa XXX, quæstione I, varii canones quibus non modo ii qui filios suos, sed et qui filiastros ad Confirmationem tenent, graviter puniuntur : « Si quis filiastrum suum ante Episcopum te- » nuerit ad Confirmationem, separetur ab uxore » sua, et nunquam aliam accipiat : similiter et » mulier. » Exstat etiam hic canon lib. V Capitularium, cap. V, apud Ivonem et alios.

§ IV.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut christianæ fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc sacramentum, vel ad tenendum Confirmandum.

§ V.

Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari ; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.

COMMENTARIUS.

I. Cum Confirmationis sacramentum ad perfectionem, incrementum et consummationem gratiæ baptismalis institutum sit, secundum ea quæ communiter docent sancti Patres, ac sacri

Digitized by Google

Theologi passim, necesse est ut sint in statu gratiæ qui illud suscipiunt. Quamobrem idem sanctus Cardinalis archiepiscopus Mediolanensis, in laudatis Instructionibus suis, ubi et alias dispositiones tum animi, tum corporis ad illud sacramentum digne suscipiendum, sive ad agendum patrinos, necessarias et opportunas exponit, id etiam inculcandum præcipit, « ut nemo excommunicatus, interdictus, in gravi publicoque peccato jacens, accedat ad hoc sacramentum, neque qui in Paschate communione abstinuerit. » In concilio Parisiensi VI, anno Christi 829 habito, lib. I, cap. LIV, expresse cautum est ut ii etiam qui pœnitentia publica sunt mulctati, neque in Baptismate, neque in percipiendo sancti Spiritus dono patrini existant pro aliis : « Illos tamen in hoc capitulo specialiter ab his officiis removendos judicamus, qui propter reatum suum publica sunt pœnitentia mulctati. Videlicet, ut nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum, aliorumque patrini coram Pontificibus existant; donec per dignam pœnitentiæ reconciliationem mereantur. » Addunt mox ejus concilii Patres hanc notabilem rationem : Quoniam quos et lex divina a castris militaribus, ne ruina sint populi, et auctoritas canonica ab ecclesiarum sequestrant liminibus, multo magis a memoratis peragendis officiis, usque ad tempus pœnitentiæ peractum, dignamque perceptam reconciliationem, hujuscemodi homines, ut jam dictum est, merito sunt excludendi.

II. Recte itaque mandat Rubrica, ut adulti, si graviorum peccatorum rei sint, sacramentali confessione et pœnitentia illa expient, vel saltem, maximo peccatorum dolore, seu perfecta contritione afficiantur. Certe in Capitulari Herardi archiepiscopi Turonensis, num. LXXV, sive in Aurelianensi quodam concilio, ut apud Gratianum legitur *De Consecratione*, distinctione V, can. VI, decretum est : « Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. » Puto quod de confessione peccatorum præmittenda præscribitur, olim non ita servatum fuisse : neque enim observatu necessarium erat, propterea quod soliti essent fideles statim post Baptismum consignari, ac deinde ad mensam Domini accedere, ut supra diximus. Non erat ergo recens baptizatis necessarium pœnitentiæ remedium. Cæterum non eo inficias multas exstare Episcoporum synodos, ac peculiares constitutiones confessionem ante Confirmationem præscribentes, quas lato calamo affert eruditus Edmundus Martenius, lib. I, *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, articulo II; Natalis Alexander in sua Theologia dogmatica et morali, libro secundo, *De sacramento Confirmationis*, cap. V, et alii.

III. Quod si quæras utrum nunc ita sit necesse præmitti confessionem ab eo qui mortali peccato sit obnoxius, ut absque ea fructu Sacramenti defraudetur? Negative respondent, et quidem non improbabiliter, Ruardus et Dominicus a Soto, autumantes eam præparationem ad consequendum fructum Sacramenti sufficere, maxime quod ad legem divinam attinet, qua quis cum pia devotione et corde contrito ad hoc Sacramentum accedat. « Neque enim, » ut recte Estius disputat in libri IV distinctionem octavam, § XXIV, « par est ratio hujus sacramenti et Eucharistiæ; cum Eucharistia sit panis filiorum, ideoque major quædam et singularis sui ipsius probatio, et præparatio ad eam requiratur, scilicet illa quam exponit Synodus Tridentina, quæ utique non exigitur ad alia sacramenta. » Sed nec Rubrica nostri Pontificalis absolute in adultis, si peccatorum lethalium rei sint, confessionem requirit. Ait enim, *ut saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.*

§ VI.

Nullus præsentet, nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi.

COMMENTARIUS.

I. Si qua fides decreto quod Higino Papæ Gratianus adscribit, can. *In Catechismo*, de Consecratione, distinctione IV, compertum habemus, non solum ab initio nostræ Religonis

Digitized by Google

adhibitos fuisse patrinos in Confirmatione, verum etiam consuetudinem fuisse Ecclesiæ Romanæ, ut singuli singulos susciperent. Cui disciplinæ adhærentes zelosiores Episcopi decretis suis caverunt ne patrinus matrinaque plures in Confirmationis sacramento teneat, quam unum. Quod rationi quidem consentaneum multum videtur. Si enim, ut aiunt theologi, unus Angelus, cui unius hominis custodia commissa est, aliorum regimen minime suscipit, quanto magis homo terreus a plurium tutela suscipienda abstinere debet. Magnum sane onus atque munus susceptorum. Unde recte ait Ælias, metropolitanus Cretæ, in responsione ad Dionysium monachum de diversis ejus interrogationibus, lib. III Juris Orientalis : « Susceptores si nossent quæ a Magno Dionysio » definita sunt, et quatenus curam et sollicitudinem habere debent ejus qui per spiritale » lavacrum regeneratur (addam ego, vel Chris- » mate insignitur), et ab illis suscipitur, vix » quidem ad susceptorum munus prodirent, » etiam ardentius accersiti, seu invitati. »

II. Est præterea alia ratio ob quam patrinus non plures quam unum suscipere debet, ne scilicet nimis multiplicentur matrimonii impedimenta. Quamobrem Synodus Buscoducensis, tam sub Metsio quam Masio, consulendum monet parentibus, ut pro præsentantibus seu tenentibus assumant, quantum fieri poterit, consanguineos, aut affines, aut eos qui in sacris Ordinibus constituti sunt. Rationem eam reddit sub Masio Synodus : « Ne multiplicentur » matrimonii impedimenta. » Idipsum monent Decreta diœcesis Gandensis sub Antonio Triest, tit. IV, cap. II. Cæterum non semel accidit ut complures confirmandi, ideo ab uno qui dives est liberalisque teneri curent, ut multam pecuniam vel aliquod bonum munus adipiscantur. Cui cupiditati periculoque etiam reiterandi Sacramenti, provide occurrit S. Carolus, statuens, ne susceptores in sacramento Confirmationis iis quos susceperunt, vel eorum parentibus quidquam omnino largiantur, ne cuiquam, quod aliquando commissum est, iterandi hoc sacramentum (quod nefas est) occasionem præbeat. Id ipsum mandant complures in Neapolitano regno et alibi celebratæ Synodi.

§ VII.

Confirmandi deberent esse jejuni.

COMMENTARIUS.

I. Certant de ritus antiquitate confessio et jejunium in adultis Confirmationem suscipientibus. Utriusque meminit Herardus archiepiscopus Turonensis in suo Capitulari, num. LXXV : « Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ » ætatis, et moneantur confessiones dare prius, » ut mundi donum sancti Spiritus valeant perci- » pere. » Quæ quidem verba tanquam ex Concilio Aurelianensi citat Gratianus, *De Consecratione*, distinctione V, can. VI. Similiter Concilium Bajocense anni 1300, cap. V, ita statuit : « Adulti » autem, qui debent confiteri, et qui confirmandi » fuerint, prius confiteantur..... Jejuni etiam, » si fieri potest, hoc recipiant sacramentum. » Idem decernunt Concilium Beneventanum sub Hugone II, Guidardio archiepiscopo anno 1374 habitum, tit. V, *De sacramento Confirmationis*, cap. I; Trecense anni 1400; Lingonense anni 1404; et novissime Romanum Benedicti XIII, tit. XVI, cap. IV. Tandem, aliis omissis, audire præstat S. Carolum in suis aureis Instructionibus mandantem, ut Confirmandi « in primis » frequentiori et ardentiori religiosæ orationis » studio devote se exerceant, exemplo sancto- » rum Apostolorum, qui dum exspectarent » Spiritum sanctum, perseverantes erant in » oratione et jejunio. »

II. Est sane ritus in Ecclesia pervetustus, præclarissima etiam ratione fundatus, ut non solum jejunis, sed etiam a jejuno Episcopo Confirmatio præberetur, ut aperte constat ex Concilio Parisiensi VI, habito anno Christi 829, lib. I, cap. XXXIII, ubi Patres veluti abusum reprehendunt, quod in quibusdam provinciis plerique Episcopi post perceptionem cibi et potus soliti essent per impositionem manuum tradere Spiritum sanctum. Quod tam excellenti ministerio prorsus non convenire, ac propterea ita deinceps fieri non debere, ex eo probant, quoniam credibile est, et auctoritas Ecclesiæ ita

Digitized by Google

se habet, ut sicut Apostoli unanimes existentes, Deumque collaudantes et benedicentes, ita nimirum jejunantes accipere meruerint Paracletum Spiritum sanctum, eosque nonnisi jejunos, sicut eorum Acta docent, aliis eum tradidisse manifestum est. Hinc concludunt memorati Patres Parisienses, quod sicut Baptismus, excepta infirmorum causa, nonnisi a jejunis celebratur Sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus sancti, excepta præmissa causa infirmorum, nonnisi a jejunis celebranda est Pontificibus. « Dignum quippe est, inquiunt, ut Pontifices » Christi primum jejunando et orando in cordi- » bus suis domum præparent Spiritui sancto, et » sic per impositionem manuum cæteris fideli- » bus eum tradant orando. »

III. Mane itaque olim jejunis ab Episcopo jejuno Confirmatio præbebatur; et quidem post divinum peractum Sacrificium, circa horam tertiam, saltem postquam separatim a Baptismo ipsa Confirmatio administrari cœpit. Pluribus enim ostendit Vicecomes in lib. *De antiquis Baptismi Ritibus*, hora diei nona consuevisse antiquitus Baptismum tradi a Sacerdotibus. Certe de ritu administrandæ Confirmationis hora tertia elegantissimum est testimonium Amalarii Fortunati, qui lib. IV *De ecclesiasticis Officiis*, cap. XXIX, de octava Pentecostes, ita scribit: « Imitando Christi mortem et ejus resurrectio- » nem, debemus consummationem nostri Bap- » tismatis in die Dominica cogitare, ne præce- » dant membra caput, et secundum modum » primitivæ Ecclesiæ, donationem Spiritus san- » cti eadem die, hora tertia: quamvis non iis- » dem diebus vel horis propter aliquas occa- » siones fluctuantis mundi celebretur aliquando » Baptismus, vel Impositio manus, tamen pro- » pter sacramentum quod in se continet, eis- » dem diebus et horis deputantur. Si enim » propterea acceperunt Apostoli Spiritum san- » ctum hora tertia, quia fidem sanctæ Trinita- » tis prædicaturi erant, volvamus et nos in » mente, eadem hora percepisse eumdem Spi- » ritum, in quo copulatur Trinitas, quæ mon- » strat eamdem Trinitatem. »

IV. Ex quibus constat quod ait laudatus Vicecomes, lib. I, *De Antiquis Confirmationis Ritibus*, cap. VII, horam tertiam celebrandæ Confirmationi congruentibus rationibus præfinitam esse, tum quia Spiritus sanctus, qui per eam in animos fidelium sese infundit, eadem hora in Apostolos illapsus est; tum quia idem Spiritus, quem potissimum Confirmati percipiunt, tertia est persona sanctissimæ Trinitatis; tum etiam quod Confirmationis sacramentum fidelibus robur et fortitudinem auget, ut tres naturæ divinæ personas inter cruciatus et tormenta confiteantur. Non ergo mirum si prisci ac sancti Episcopi, inter quos Udalricus episcopus Augustanus, qui sæculo X florebat sanctitate, servabant hanc disciplinam conferendæ Confirmationis hora tertia mane post Missam. Atque hunc ritum revocare studuit S. Carolus in concilio V Mediolanensi, ubi ita statuit: « Hoc sa- » cramentum Episcopus ministrare studebit » hora tertia potissimum, quæ ex antiquo ritu » stata hujus sacramenti hora est. » Apud Græcos Baptismi et Confirmationis ritus tempore sancti Joannis Chrysostomi peragi solitus fuit profundæ noctis silentio; ut liquet ex ipsomet Chrysostomo in oratione *De Baptismo Christi*.

V. Unum vero superest hic admonendum, ritum hunc administrandæ Confirmationis mane post Missam, et constitutionem de jejunio suscipientium atque administrantium hujusmodi sacramentum, non ita obligare, quin ab ea disciplina servanda excusari primum valeant infirmi et morte periclitantes, quemadmodum ex Meldensi Concilio ostendit S. Thomas. Cujus Concilii verba apud Burchardum, lib. IV, cap. LXVII hæc sunt: « Ut Episcopi non- » nisi jejuni per impositionem manuum Spiri- » tum sanctum tradant, exceptis infirmis et » morte periclitantibus. » Idipsum legere est in recitato canone XXXIII concilii VI Parisiensis. Deinde propter multitudinem fidelium, et imminentia pericula aliasve necessitates recte interdum sustinetur, ut a non jejunis hoc sacramentum vel detur, vel accipiatur, propterea quod unus Episcopus, in magna præsertim diœcesi, non sufficeret ad omnes intra tempus vel horam jejunii confirmandos, et sæpe contingat ut ad locum ubi sunt qui confirmentur, sero veniat, cito abiturus, ut scite observat doctissimus Estius et alii.

Digitized by Google

§ VIII.

Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque chrisma desiccetur vel extergatur. Proinde unusquisque Confirmandus portet lineam vittam, mundam, cum qua ligetur caput.

COMMENTARIUS.

I. Est et ille quoque vetustus Ecclesiæ ritus, ut frons Confirmati sacro chrismate illita, linteo, seu vitta linea cingeretur. Deponebatur autem olim linea vitta post septimum diem, quo ipsius Confirmati frons abstergebatur. Atque huc spectat quod inquit Ordo Romanus, tit. De servanda Unctione Chrismatis : *Quanto autem tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super Apostolos, tanto tempore debet servari unctio Chrismatis.* Idipsum iisdem verbis testatur creditus Alcuinus in lib. *De divinis Officiis*, cap. de Sabbato in Albis; ubi tamen hanc rationem subdit : « Quoniam Spiritus sanctus in septem mu- » lieribus, hoc est septem virtutibus, venit ad » hospitem suum. » Expressius certe videtur locutus Amalarius Fortunatus, apud quem, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, ita legimus : « Solet » quæri inter vulgares, quanto tempore de- » beant unctionem Chrismatis observare in ca- » pite, ut non laventur qui accipiunt manus » impositionem absque tempore baptisterii? » Quibus potest responderi : Quanto tempore » generaliter ab Ecclesia celebratur adventus » Spiritus sancti super Apostolos, tanto tempore » celebretur apud unumquemque qui cum acci- » pit, hoc est septem diebus. » Addit mox Hugo a S. Victore, lib. II, *De Sacramentis*, parte VII, cap. VI, egregias hasce rationes : « Quia septem » sunt dona Spiritus sancti; et in septem comi- » tibus ad hospitem suum Spiritus sanctus ve- » nit. Et dignum est ut habeat unusquisque » diem suum, et unicuique in die suo convi- » vium præparetur. Alium diem habet sapien- » tia, alium intellectus, alium consilium, alium » fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium » timor; talia convivia Christus apud hospites » suos exercet; talia et Spiritus sanctus. » Floruit Hugo initio duodecimi sæculi.

II. Illud omnino hic admonendum est, non perpetuo, nec ubique servatam fuisse septem dierum disciplinam. Concilium provinciale Beneventanum sub Hugone II, Guidardio archiepiscopo celebratum anno 1374, tit. V, cap. III, inter alias sanctiones circa sacramentum Confirmationis, statuit admonendos edocendosque a Sacerdotibus suis subditos, « ut bandellos vulga- » riter lentias appellatos, mundos et latos et sa- » tis longos supra chrismationes in fronte positos » tribus diebus deferant propter fidem Trinita- » tis. » Idem edicit Synodus Trecensis an. 1400 : « Confirmandi bandellos longos et latos secum » habeant, quos post Confirmationem triduo die » ac nocte deferant, ne chrisma ab aliis possit » tangi. » Synodus Carnotensis anni 1526, jubet ut bandelli post Confirmationem portentur « ad » minus per viginti quatuor horas. » Porro constat usum linearum vittarum talem esse, ut in arbitrio Episcopi sit in eo ritu dispensare. Quinimo scimus, in nonnullis Ecclesiis minime usurpari usum istum bandellorum, sed frontem abstergi statim post celebrationem Sacramenti. Pontificale Romanum Lugduni editum anno 1542, cui consonat aliud Venetiis impressum anno 1572 : *Non oportet,* inquit, *quod ligatura septem diebus portetur, sed decet ut septem diebus abstineat a lotione capitis.* Et paulo post : *Quidam consueverunt portare ligaturam tres dies, quidam unum tantum : in hoc poterit consuetudo patriæ servari.*

III. Ergo Confirmandi ferre secum bandellos tenebantur, qui quidem ex Concilio Wigorniensi anno 1240 habito, cap. VI, debebant esse *ex nova tela;* quosque ita describit Concilium Coloniense anni 1280, cap. V : « Bandellos de pan- » no lineo spisso, sine fractura et sine nodo, la- » titudine trium digitorum, et longitudinis com- » petentis, albos et bene mundos. » Jubebantur præterea suscepturi Confirmationem, ut pridie omnes a fronte sordes abstergerent, decidentesque ad eam capillos abscinderent. Exstant ea de re plura Conciliorum decreta. Laudatum Con-

Digitized by Google

cilium Coloniense hæc habet : « Moneant Presby-
» teri parentes baptizatorum nondum confirma-
» torum, ut eos ad Episcopum, qui solus potest
» confirmare, ducant septennes, vel majoris æta-
» tis, et tondeantur capilli maxime circa frontem
» dependentes, et laventur frontes diligenter. »
Concilium Mediolanense v, sub S. Carolo Borromæo anno 1580 celebratum, mandat Parocho,
« ut neque hoc quidem is denuntiare omittat,
» ut qui proxime Confirmationem suscepturi
» sunt, pridie illius diei, quo suscipient, caput
» lavent aliove modo mundent, capillosque sibi
» tonderi curent. » Concilium Aquense anni 1585
vult « ut Curatus præmoneat illos, ut non fronte
» sordida, aut capillis, ut aliquando ex nimia
» contigit accedentium incuria, indecenter con-
» tecta accedant. » Eamdem disciplinam passim inculcant cæteræ Synodi.

IV. Quondam insuper vestibus albis Confirmandi induebantur, antequam Episcopo offerrentur. Nec mirum : Confirmatio enim conferebatur statim post Baptismum, quo quidem absoluto, ut omnibus notum est, mox albas vestes donati Baptismate induebant. Huc certe spectare videtur quod ait sanctus Gregorius in suo Sacramentario de die Sabbati Sancti his verbis : « Pontifex vero redit in sacrarium, expec-
» tans ut, cum vestiti fuerint infantes, confir-
» met eos. » Auctor quoque Romani Ordinis apud Hittorpium de eodem Sabbato Sancto loquens, iisdem fere verbis sancti Gregorii sententiam recitat : *Pontifex ergo egreditur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem in ecclesia, ubi voluerit, et sedeat in ea, et cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Testatur de eadem consuetudine auctor nomine Alcuini, qui in libro *De divinis Officiis* laudatos scriptores imitatus, cap. de Sabbato Sancto, sic inquit : « Posteaquam vero vestiti fuerint, deportantur
» ante Pontificem ad confirmandum. » Nostris hisce temporibus, quibus Confirmatio separatim a Baptismo confertur, non aliud requiritur, quam ut mundæ et modestæ sint vestes.

V. Explicandum restat quid olim de bandellis sive de vittis lineis fieret, postquam a Confirmatis die septimo, vel tertio, ut supra dictum est, post susceptum Sacramentum deponebantur. Certe Concilium Beneventanum anni 1374 jubet ut, tribus elapsis diebus, « frons Confirmati
» et bandellus abluatur a Sacerdote supra fontes
» ob reverentiam Sacramenti : bandellus vero ad
» malos usus nullatenus transferatur, sed com-
» buratur, vel in usus mundos ecclesiæ converta-
» tur et deputetur. » Permittit etiam ut bandellus ipse iterato possit ad eumdem usum, si alter non reperiretur, deputari. Synodus Trecensis anni 1400, mandat ut bandelli post triduum ad ecclesiam deferantur, et Confirmatus in fronte, ubi chrismate fuerat linitus, sale et aqua lavetur, et aqua in loco mundo fundenda, ubi nequeat pedibus conculcari. Ex Senonensi Synodo anni 1524, et Carnotensi anni 1526, et Parisiensi anni 1557, idem quidem præscribitur, et præterea, ut bandelli a Parocho comburantur. S. Carolus in Concilio Mediolanensi v diserte præcipit, ut « Confirmati frons
» chrismate ab Episcopo illita primum bombyce
» diligenter a Sacerdote abstergatur, mox a Cle-
» rico in sacris constituto aqua lavetur, quæ
» aqua in baptisterii sacrarium projiciatur. » Notatu dignum est decretum Concilii Bituricensis, quod anno 1584 celebratum est. Ibi enim caverunt Patres « ut tersa a Sacerdote diligenter fron-
» te, fascia in vestiario cremetur, ejusque cineres
» in primum diem quadragesimæ serventur. »
Præscribit demum vetus Pontificale Romanum anni 1542, ut linea vitta qua caput Confirmati ligatur, *cum solvitur, igni comburatur;* sciteque admonet, quod *ligando vel solvendo ligaturam capitis non contrahitur aliqua compaternitas, sed tenendo tantum.*

§ IX.

Nullus Confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit.

COMMENTARIUS.

I. Ea fuit semper quorumdam christianorum erga officia divina turpis segnities, ut antequam illa a Sacerdotibus absolverentur, ab ecclesia discederent, flocci curantes Episcoporum

Digitized by Google

benedictionem, quam in fine officiorum soliti erant fidelibus elargiri. Quamobrem non semel priscæ Synodi conatæ sunt hunc abusum e medio tollere. Agathensis, anno Christi 506 habita, can. XLVII, ita statuit : « Missas die Domi- » nico a sæcularibus totas teneri, speciali ordina- » tione præcipimus ; ita ut ante benedictionem » Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod » si fecerint, ab Episcopo publice confundantur. » Ex Concilio Arelatensi III apud Burchardum, lib. III *Decretorum*, cap. XXIX, et Ivonem, parte III, cap. XXXIV, cautum fuit, ut, « cum ad celebran- » das Missas in Dei nomine convenitur, popu- » lus non ante discedat, quam Missæ solemni- » tas compleatur, et ubi Episcopus non fuerit, » benedictionem accipiat Sacerdotis. » In eamdem sententiam audire præstat B. Cæsareum, homilia V, sic aientem : « Rogo vos, fratres caris- » simi, et paterna pietate commoneo, ut quoties, » aut in die Dominico, aut aliis majoribus festi- » vitatibus Missæ fiunt, nullus de ecclesia disce- » dat, donec divina mysteria compleantur. » Et postea : « Et ideo, fratres, monete eos qui nec » orationem Dominicam dicere, nec benedic- » tionem accipere volunt ; et non desinite cas- » tigare, dicentes eis, quia nihil prodest eis quod » lectiones divinas audiunt, si antequam divina » mysteria compleantur abscedant. »

II. Sapientissime itaque se gessit S. Carolus, qui inter alios ministros, quos ad solemnis ministrationis sacramenti Chrismatis adhibendos mandat, unum in aureis suis Instructionibus designavit, cujus cura esset Confirmatos in ordine continere, dareque operam ut ne quisquam inde discederet, nisi cunctis qui in ordine sunt confirmatis. Quos etiam ubi confirmatos vidisset, inde ad certum locum capellamve deduceret, ubi litaniis aliisque orationibus sancte precarentur, quoad Archiepiscopus, precibus rite peractis, omnes solemni benedictione dimitteret.

§ X.

Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et ideo neque masculi feminis patrini, neque feminæ masculis matrinæ esse deberent.

COMMENTARIUS.

I. Quoniam ad rationem patrini Confirmationis requiritur quod confirmatum vere tangat ac teneat, adeo ut si hæc cæremonia negligeretur, nec obiret patrinus munus suum, nec verus esset susceptor, nec spiritualis cognatio ex eo munere oriens contraheretur, ut cum multis theologis firmat *Sanchez*, lib. VII, *De Matrimonio*, disputatione LVI, nil mirum si in præsenti Rubrica edicitur ut infantes confirmandi teneantur in brachiis dextris; adulti vero ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Qui ritus adeo est in Ecclesia pervetustus, ut illius expresse meminerint, tum sanctus Gregorius in suo Sacramentario, tum auctor Romani Ordinis apud Hittorpium. Prior quidem, de die Sabbati Sancti disserens, ita inquit : « Pontifex vero redit in sacrarium, ex- » spectans ut, cum vestiti fuerint infantes, » confirmet eos. Induti vero ordinantur per or- » dinem, sicut scripti sunt, et infantes quidem » in brachiis dextris tenent ; majores vero pe- » dem ponunt super pedem patrini sui ; dein- » de schola jussa facit litaniam quinam ad » fontes, etc. Alter vero, cap. itidem de Sabbato Sancto, hunc in modum loquitur : *Induti vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu, et infantes quidem in brachiis dextris tenentur; majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui. Interim schola jussa faciat litaniam ad fontem ante altare, primo septenam, et spatio facto faciunt alteram quinam, etc.* Ubi obiter nota solemnes supplicationes ad baptisterium interno externoque religiosæ pietatis officio ante Confirmationem antiquitus celebratas. Quæ consuetudo duravit usque dum Confirmationis statim post Baptismum ministrandæ mos viguit. Quo antiquato etiam illa penitus abolita est, ut scite observat Vicecomes, lib. II, *De antiquis Confirmationis ritibus*, cap. I.

Digitized by Google

II. Memorato ritui, quo infantes confirmandi a susceptoribus manu dextera tenebantur, adulti vero pedem super susceptorum pedem ponebant, mirifice suffragatur auctoritas Nicolai I, pontificis maximi, qui, in Epistola ad Rodulphum Bituricensem, explicans qua pœna afficiendi sint qui uxoris suæ filios in Confirmationis sacramento suscipiunt, hæc scribit : « De his qui filiastros suos ad Confirmationem » coram Episcopis tenent, id est qui filios uxo- » ris suæ de viro priori, dum chrismantur ab » Episcopis, super se sustinent, si in scientia, » sicut asseris, fiat, licet sit peccatum, non ta- » men usque ad separationem conjugii punien- » dum est. » Ubi notanda sunt verba *super se sustinent*, quæ utrumque ritum manutenendi et pedem super pedem tenendi significant. Atque hic mos in Ecclesia pervetustus etiam hodie ex præscripto nostri Pontificalis ubique servatur; eumque laudat in Concilio Mediolanensi v sanctus Carolus, parte I, de his quæ ad sacramentum Confirmationis pertinent, his plane verbis : « Quod antiqui ritus est, id servetur, ut » compater dextera suscipiat et teneat quem in » hoc sacramento ministranti Episcopo offert. » Si vero qui offertur adulta ætate est, pedem » suum super dexterum compatris, qui ipsum » offert, ponat : id quod non sine mysterii si- » gnificatione fit. Quam ob causam, et qui con- » firmatur, et patrinus tunc coram Episcopo » confirmante stet. »

III. Illud ergo recte, et honestati, et veteri Ecclesiæ disciplinæ consentaneum in plerisque Conciliis, ac præsertim in laudato Concilio Mediolanensi v, cautum quoque videtur, ut ne maribus feminæ commatres, nec contra feminis mares compatres in Confirmationis sacramento adhiberentur, quanquam Concilium Beneventanum sub Hugone II, Guidardio anni 1374 perspicue dicat nihil id referre « utrum » vir mulierem, vel mulier virum teneat. » Enimvero si a mulierum aspectu abstinendos homines, et divinæ Scripturæ et sacri Canones passim inculcant, quid dicendum de tactu, ac præsertim de pedum tactu, quo foveri scimus luxuriam, et ob quem multi in dies pereunt? *Pedes eorum*, inquit Isaias, cap. LIX, *ad malum currunt, ut effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas et contritio in viis eorum. Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum, etc.* Addi et alia hic possent, sed in præsenti ista sufficiant.

§ XI.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus, deinde deposita mitra surgit, et stans versa facie ad Confirmandos, junctis ante pectus manibus, Confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus dicit : ***Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.*** ℟. ***Amen.***

§ XII.

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis, dicit :

℣. ***Adjutorium nostrum in nomine Domini.*** ℟. ***Qui fecit cœlum et terram.***

℣. ***Domine, exaudi orationem meam.*** ℟. ***Et clamor meus ad te veniat.***

℣. ***Dominus vobiscum.*** ℟. ***Et cum spiritu tuo.***

§ XIII.

Tunc extensis versus Confirmandos manibus dicit :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum : emitte

Digitized by Google

in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de cœlis. ℟. *Amen.* — *Spiritum sapientiæ et intellectus.* ℟. *Amen.* — *Spiritum consilii et fortitudinis.* ℟. *Amen.* — *Spiritum scientiæ et pietatis.* ℟. *Amen.* — *Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo Cru✠cis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quo ordine in ecclesia disponerentur mares ac feminæ sacramentum Chrismatis suscepturi, jam alibi explicatum est. S. Carolus, qui veterem Ecclesiæ disciplinam sacrosque ritus apprime callebat, in Instructionibus suis ea præscribit quæ Rubricam nostram videntur quam maxime illustrare. Hæc ejus verba : « In ecclesiam introducti, qui confirmandi sunt, mares a parte australi, feminæ a septentrionali manebunt. Genibus item flexis, manibus ante pectus junctis orabunt. Omnes præterea alii, quicumque sacro illi ministerio adsunt, silentio sancto utentur, sancteque precabuntur. Summa animi attentione spectabunt solemnis mysterii celebritatem. Mente secum reputabunt illa Spiritus sancti dona, quæ sacramenti hujus virtute fidelibus impertiuntur. Tacita etiam meditatione videbunt, quantopere ipsis donis indigeant. Accersiti autem primo mares, deinde feminæ cum suis quoque patrinis matrinisque, gravi incessu, non turbulento et celeri, præproperove gressu, manibus junctis ad Confirmationem accedent. » Ita ille.

II. Quod vero Episcopum ministrantem spectat, recte mandat Rubrica, ut ob reverentiam scilicet sacri Chrismatis lavet manus, tum deposita mitra stans junctis ante pectus manibus oret, ut Spiritus sanctus superveniat in Confirmandos. Est sane ritus a christianæ religionis primordio usitatus, ut fideles omnes nonnisi lotis prius manibus, nudo capite, ac stando preces suas funderent, ut ex Tertulliano passim aliisque auctoribus priscis ostendit Baronius, tomo I Annalium. Quod autem subdit Rubrica, ut Episcopus extensis versus Confirmandos manibus, exoret Spiritum sanctum, dicatque illam ipsam orationem, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, quam superius recitavimus, ritus est æque antiquus, cujus in suo Sacramentorum libro meminit S. Gregorius, sic inquiens : « Levata manu sua super capita omnium dicit : *Omnipotens sempiterne, etc.* » Meminit et Ordo Romanus : *Elevata, et composita manu super capita omnium, det orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti.* Item auctor nomine Alcuini, *De divinis Officiis*, cap. de Sabbato Sancto : « Dat Pontifex super eos orationem, imposita scilicet manu super capita eorum. » Meminere tandem et alii complures pervetustissimi auctores, quorum testimonia mox proferemus. Sed non est hic interim omittendus S. Ambrosius, qui non obscure innuit, quam antiqua sit illa oratio, quam hodie extensis manibus versus Confirmandos dicit Episcopus ex Rubricæ præscripto : sic enim inquit sanctus Doctor, lib. II, *De Sacramentis*, cap. III : « Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi. Quia post fontem superet ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis infundiatur Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris. »

III. Certe satis mirari nequeo, cur ea verba nostræ Rubricæ, *Tunc extensis versus Confirmandos manibus*, quæ, ut vidimus, a scriptoribus antiquissimis laudantur, prætermissa fuerint in *Cæremoniali Episcoporum*, auctore Andrea Piscara Castaldo, lib. II, sect. XV; sic enim ait : « Tunc deposita mitra (Episcopus) surgit, et conversus ad Confirmandos, junctis manibus ante pectus dicit : *Spiritus sancti gratia*, etc. Deinde signans se a fronte ad pectus, dicit vers. *Adjutorium;* subdens postea versus et orationem : *Omnipotens*, etc. » Enimvero ad hanc manuum impositionem, sive extensionem, per orationem Pontificis invocatum accipi Spiritum sanctum, omnium est una Patrum sententia, quibus quidem Apostoli præiverunt, de quibus legimus Actorum cap. VIII : *Orave-*

Digitized by Google

runt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Quæ verba aperte nos docent, tradidisse Apostolos baptizatis sacramentum Confirmationis per orationem et manuum impositionem.

IV. Audiendi modo sunt Patres. S. Cyprianus alludens ad recitatum Actuum Apostolorum testimonium, ex quo addiscimus Petrum et Joannem missos fuisse Samariam, ut baptizatos confirmarent, Epistola LXXIII, ad Jubaianum perspicue loqui videtur de eo ritu quem nostra præscribit Rubrica : « Tantummodo, inquit, quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur Præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consignentur. » Cypriano Africano adjungimus binos alios Africanæ Ecclesiæ Patres, unum ipso anteriorem, alterum posteriorem, Tertullianum et Augustinum. Prior in lib. *De Baptismo*, cap. VIII, ita inquit : « Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, et invitans Spiritum sanctum. » Et in libro *De Resurrectione carnis,* cap. VIII : « Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. » Augustinus vero, lib. XV *De Trinitate*, cap. XXVI, sic scribit : « Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia. »

V. Adde his Patribus eximium Ecclesiæ Græcæ doctorem S. Joannem Chrysostomum, qui Homilia ad caput VIII Actuum Apostolorum diserte ait, « hoc nunc facere Episcopos quod Apostoli manuum impositione et oratione super neophytos faciebant. » Omitto aliorum testimonia, cum hucusque laudata satis sint ad illustrandum, tum veteris Sacramentarii S. Gregorii locum superius recitatum, cum nostri Pontificalis Romani Rubricam, in quibus clare videmus manus imponi, et invocari Spiritum sanctum a Pontifice, dicendo laudatam orationem, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* Unde præclare S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis*, cap. XXVI, scribit : « Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur Deum invocamus. » Quod palam fit ex illo Apostolorum cap. VIII : *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum;* et paulo post : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Quamobrem recte concludit Amalarius Fortunatus, lib. I, *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXVII, his verbis : « Ut per manus impositionem, et orationem, detur Spiritus sanctus, similiter ab Apostolica auctoritate sumptum est, ut in Actibus Apostolorum scriptum est. »

VI. Nolim autem ut ex recitatis hactenus testimoniis me quisquam ejus esse opinionis autumet, ut sola manus impositio sit essentialis materia sacramenti Confirmationis. Non enim sententiam amplector Jacobi Sanbovii, disputatione III, de sacramento Confirmationis, artic. I et II ; et Jacobi Sirmondi, qui ex canone II Arausicani Concilii I, prout ipse eum canonem contra omnes vulgatas editiones legendum præscribit, in ea sententia est, quæ solam manuum impositionem essentialem hujus sacramenti materiam esse docet : sed nec illorum theologorum judicio me subscribo qui solum chrisma esse ejusdem essentialem materiam arbitrantur : ut pote qui ex omni antiquitate desumptis argumentis, præsertim ex testimoniis sanctorum Patrum perspicue convictus sum, utramque esse Sacramenti adæquatam essentialem materiam, ut rectissime probat cardinalis Bellarminus, tomo III *Controversiarum*, lib. II, cap. IX, num. VIII, ubi ait, Apostolos ipsos semper manus imponendo signasse chrismate, ac proinde Lucam, cap. VIII Actuum Apostolorum, ritum illum compendio perstrinxisse, et ex una parte rem totam intellexisse. « Nam Patres, inquit Bellarminus, qui uno in loco dicunt, per impositionem manus dari Spiritum sanctum, iidem in alio loco dicunt dari per unctionem chrismatis. »

VII. Sane Tertullianus, lib. supra citato *De Resurrectione carnis*, tractans hunc ritum, ait carnem ungi, signari et manus impositione obumbrari : in libro tamen *De Præscriptionibus*, solum signari in fronte exprimit ; et lib. I

Digitized by Google

Contra Marcionem, solum exprimit unctionem; et lib. De Baptismo, *unctionem ac manus impositionem*. Videmus itaque, unum auctorem modo unam partem, modo duas, modo tres ejusdem ritus exprimere; et tamen semper eamdem rem significare. Sic etiam Concilium Arelatense I, can. VIII, tantum nominat manus impositionem : et tamen Arelatense Concilium II paulo post celebratum, et eamdem rem tractans, can. XVII, expresse nominat unctionem chrismatis. Solvendæ essent adversariorum objectiones, sed cum impræsentiarum non agam ex instituto theologum, eas apud laudatum Bellarminum accuratus et non incuriosus lector inveniet.

VIII. Explicanda superest illa quæstio, num una solum, vel ambæ manus Confirmandis ab Episcopo imponerentur? Respondeo, tum sacram Scripturam cum Patres Ecclesiæ ea in re minime convenire. S. Lucas, qui cap. VIII Actuum Apostolorum plurativum numerum adhibuit, dicens : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*, statim addit : *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Ubi vides loqui hic Lucam numero singulari. Eumdem varium loquendi modum observare est in sexcentis Patrum auctoritatibus. Unde satis liquet, adiaphorum fuisse ritum unam vel ambas manus imponendi Confirmandis. Quod si quæras, dextrane an sinistra manus imponeretur ab iis saltem qui unam imponerent : aio dextram impositam fuisse manum, non solum quia ad res peragendas expeditior quam læva est, verum etiam quod nobilitate et dignitate alteri antecedit; ut in re præstantissima, qualis est sacrarum cæremoniarum administratio, manus præstantior adhiberetur. Id quod expresse significavit S. Justinus, vel alius inter ejus opera, quæstione CXVIII, his verbis : « Nostrum quæque honorabilissima ad Dei ho- » norem seponimus : et est hominum opinione » solis ortus honorabilior, quam aliæ partes » mundi; propterea tempore precum illuc spec- » tamus, quemadmodum etiam dextera manu » in nomine Christi consignamus eos qui signo » egent, quia nobilior existimatur quam sinis- » tra, tametsi situ, non natura differat. » Vide Josephum Vicecomitem, *De antiquis Confirmationis Ritibus*, lib II, cap. III.

IX. Significat autem hæc cæremonia impositionis, seu obumbrationis manuum, tum hic, tum alibi adhibita, descensum Spiritus sancti, per quem anima hominis illuminatur. « Caro » manus impositionis adumbratur, » inquit Tertullianus, « ut et anima illuminetur. » Proprium quippe est Spiritus sancti obumbrare sua virtute. Unde dixit Angelus ad beatam Virginem, Lucæ cap. II : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Item significat ea manuum Episcopi impositio vel protectionem ac præsidium divinum, ut vult S. Dionysius vel quisquis est auctor antiquus opusculi *De ecclesiastica Hierarchia*, cap. V, parte III; vel invocationem gratiæ ac beneficii divini super hominem, quemadmodum Tertullianus et Augustinus explicant. Quorum ille in lib. *De Baptismo*, cap. VIII : « Ma- » nus, inquit, imponitur, per benedictionem » advocans et invitans Spiritum sanctum. » Hic vero, lib. III *De Baptismo*, cap. XVI, diserte dicit, manus impositionem non aliud esse quam orationem super hominem, quia videlicet externum illud signum oratio quædam cæremonialis est, significans orationem internam ejus qui manum imponit, vel totius Ecclesiæ, cujus ille minister est, pro eo cui manus imponitur.

§ XIV.

Pontifex sedens super faldistorium prædictum, vel etiam, si multitudo Confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra illos confirmat per ordinem genuflexos; et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur; et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet Confirmandi sibi per Patrinum vel Matrinam flexis genibus præsentati; et summitate pollicis dextræ manus chrismate intincta dicit : N. *Signo te signo Cru✠cis* : quod cum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius; deinde prosequitur : *Et con-*

Digitized by Google

firmo te Chrismate salutis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Plura sunt nobis in hoc præsentis Rubricæ commentario explicanda. Ait primo, ut inquirat sigillatim Episcopus de nomine cujuslibet Confirmandi, quod et formæ præmittere solet. Qui ritus est haud dubie conformis pristino Ecclesiæ instituto : legimus enim in Sacramentario sancti Gregorii et in Ordine Romano, Diaconos olim eorum qui confirmandi erant nomina interrogasse, ob eam fortasse rationem ob quam S. Carolus in Instructionibus suis idipsum præscripsit; ut scilicet minister adhibeatur « qui schedulas colligat, in iisque scripta » nomina Archiepiscopo ordine recitet voce qua » audiatur. » Certe nomen Confirmando mutari debet, si turpe sit aut ridiculum christianoque homine indignum, imponendumque nomen alicujus Sancti. Sic enim statuit in Concilio Mediolanensi v S. Carolus : « Curet etiam Episco- » pus, ac Parochus, ut qui turpe ridiculum- » que nomen habet, neque plane conveniens » christiano homini, illud mutet, sumatque in » Confirmationis sacramento nomen alicujus » qui veræ pietatis sanctæque religionis laude » floruit; ut qui hactenus non ad normam Chri- » sti Domini vitam instituit, abjecto ejusmodi » nomine, depositoque veteri homine et anti- » qua socordia, rursusque novo ac sancto sus- » cepto nomine, virilem in sancte agendo con- » stantiam perpetuo deinceps præstet. » Eadem totidem verbis legere est in plerisque Galliæ aliarumque nationum Synodis provincialibus.

II. Alterum, quod in Rubrica præscribitur, est, ut Episcopus confirmans summitatem pollicis dextræ manus chrismate intingat. Qui ritus totidem pene verbis exprimitur in S. Gregorii Sacramentario, ubi ita legimus : « Interrogan- » tibus Diaconis nomina singulorum, Pontifex » tincto pollice in chrismate facit crucem, etc. » Neque vero addubito quin hæc unctio chrismatis adhibita fuerit tempore Apostolorum, quemadmodum et manus impositio, quamvis Jacobus de Vitriaco, cap. III Historiæ Occidentalis, audacter id perneget, ita inquiens : « Hoc sacra- » mentum partim institutum est ab Apostolis, » quantum ad manus impositionem; partim ab » Ecclesia, quantum ad unctionem chrismatis, » quod non legimus Apostolos fecisse. » Idipsum temere docuit Joannes Calvinus, lib. IV Institutionum, cap. XIX, § VI, ubi ait : « Chris- » mationem neque esse a Christo, neque ab » Apostolis; » et statim subdit : « Unde oleum » quod vocant salutis? » et postea : « Qui oleum » vocant oleum salutis, salutem quæ in Christo » est abjurant, Christum abnegant, partem in » regno Dei non habent. » Quo fit ut ita definierit Confirmationem, § VIII : « Oleum Dia- » boli mendacio pollutum, quod velut offusis » tenebris simplicium mentes fallit. » Quibus dicteriis non contentus, § X Confirmationem appellare non erubescit homo effrons ac petulantissimus, « pinguedinem fœtore anhelitus » inquinatam, verborum murmure incanta- » tam. » Et in pestifero suo adversus Concilium Tridentinum antidoto non minus impie locutus est : « Quæstio est, inquit, an ab hominum ar- » bitrio, novam et arcanam Spiritus virtutem » oleum accipiat, simulatque illis placuerit, » vocari Chrisma. Olei enim, qui faciat men- » tionem, nemo ex veteribus, imo nec ex media » illa ætate quæ jam multis vitiis abundabat. » Et postea vocat *putidum oleum.*

Hæc et alia plura insane quidem effutit Calvinus, mendacioque impudentissimo se prostituit. Contrarium enim docent vetustissimi Ecclesiæ Patres, inter quos S. Pacianus, qui floruit circa medium sæculum IV, Epistola I diserte scribit ad Episcopos ligandi et solvendi, sicut Baptismatis et Chrismatis, auctoritatem fluxisse ab ipsis Apostolis. « Hoc ergo, inquit, super- » ædificavimus, quod Apostolorum doctrina » fundavit. Denique et Episcopi apostoli nomi- » nantur, sicut de Epaphrodito Paulus disserit : » *fratrem et commilitonem*, inquit, *meum, ves- » trum autem apostolum.* Si ergo et Lavacri et » Chrismatis potestas, majorum et longe cha- » rismatum ad Episcopos inde descendit, et li- » gandi quoque adfuit atque solvendi. » Et paulo post : « Ergo nec Chrisma, nec Baptisma, » nec criminum remissio, nec innovatio corpo- » ris sanctæ potestati ejus indulta est, quia nihil

Digitized by Google

» propria usurpatione mandatum est, totumque » ut ex Apostolico jure defluxit. » Sane sanctus Joannes Apostolus in Epistola canonica alloquens eos qui nuper baptizati fuerant : *Vos*, inquit, *unctionem habetis a Spiritu sancto.* Et sanctus Paulus in Epistola II ad Cor. cap. I, ubi Dei erga nos beneficia recenset, ita ait : *Qui unxit nos Deus, et consignavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quæ loca de Confirmationis unctione intelligenda esse, non modo Rabanus Maurus affirmat, verum etiam ratione ostendi potest.

IV. Sed hanc praxim fuisse Apostolorum ævo, ut Confirmandis chrismatis unctio adhiberetur, notum est ex historia quam ex Clemente Alexandrino, antiquissimo Ecclesiæ Patre, refert Eusebius, lib. III *Historiæ ecclesiasticæ*, c. XXIII, ubi de quodam Episcopo qui baptizaverat quemdam juvenem sibi a Joanne Apostolo commendatum, scribit : « Ubi signaculo Domini, tanquam per» fecta animi custodia signasset, etc. » Quod non potest aliter intelligi quam de Chrismatione, quæ ex eo quod fiat in modum crucis in ipsa fronte, ut postea dicetur, recte signaculum Domini appellatur; ut scite observat Menardus, licet aliter sentiat Valesius, qui laudatum Eusebii locum de Baptismo intelligit, utpote quem ait a Patribus signaculum appellari : quasi et ipsum Chrismatis sacramentum ab iisdem signaculum passim non vocitetur. Certe S. Cornelius papa et martyr, in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium, lib. VI *Historiæ*, cap. XXXIII, loquens de Novatiano, qui in mortis lectulo decumbens, per effusionem baptizatus, non curavit postea recuperata sanitate Confirmationem suscipere, ita inquit : « Non fuit » signaculo Chrismatis consummatus, unde nec » Spiritum sanctum potuit promereri. » Accedit auctoritas S. Augustini, qui non solum Chrismationis ritum signaculum vocat, sed et sacramentum; unde constat a Christo fuisse institutum, et ab Apostolis adhibitum. Sic enim inquit, lib. II contra Litteras Petiliani, cap. CIV : « In » hoc unguento sacramentum Chrismatis vult » Petilianus interpretari : quod quidem in ge» nere visibilium signaculorum sacrosanctum » est, sicut ipse Baptismus. » Ambrosius quoque, lib. III, *De Sacramentis*, cap. II : « Sequi» tur, inquit, spirituale signaculum, quia post » fontem sequitur, ut perfectio fiat, quando ad » invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus in» funditur. »

V. Porro Chrisma, quod græcum nomen est, quodlibet unguenti genus apud scriptores profanos significat, apud Ecclesiasticos vero, mixturam quamdam ex oleo et balsamo. Græci triginta quinque genera aromatum seu herbarum fragrantis odoris admiscent cum vini non exigua quantitate, ut videre est in eorum Euchologio, quod eruditissimis Notis illustravit Jacobus Goartius, et in libro Pontificali Ecclesiæ Græcæ, quod Notis ac Observationibus antiquitatis ecclesiasticæ plenissimis ditavit vir clarissimus Isaacus Haberti. Oleo duntaxat et balsamo utuntur Latini : unde Beda ad ea Cantici Canticorum verba, cap. I : *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, hæc habet : « In » vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in » Chrismatis confectione liquori olivæ admis» ceri, ac Pontificali benedictione solet conse» crari, quatenus fideles omnes cum impositione » manus sacerdotalis, qua Spiritus sanctus ac» cipitur, hac unctione signentur. » Olei æque ac balsami in sacramento ipso Confirmationis conficiendo adhibiti diserte meminit vetustus auctor libri *De cardinalibus Virtutibus Christi*, inter opera S. Cypriani, sermone de Unctione Chrismatis : « Hodie, inquit, sacrum Chrisma » conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, » regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unita» tem. » Chrisma denique ex duobus illis, oleo et balsamo, confici docent et Sacramentarium S. Gregorii Magni, et Ordo Romanus, et libri omnes Pontificales Ecclesiarum Occidentalium, et auctores quicumque de Ritibus et Officiis ecclesiasticis sive de sacramento Confirmationis scripserunt; adeo ut si aliquem oleo solo absque mixtione balsami ab Episcopo inungi contingeret, dubium esset sacramentum, et sub conditione iterandum, ut colligitur ex cap. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis.* Expresse enim docet in suo decreto Eugenius IV, materiam Confirmationis esse « chrisma confectum » ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, » et balsamo, quod odorem significat bonæ fa» mæ. »

VI. Debet præterea chrisma omnino esse benedictum, seu consecratum ab Episcopo, ut materia Confirmationis esse possit. Cujus consecrationis necessitatem, post S. Thomam, inde

Digitized by Google

repetit Concilii Tridentini Catechismus, quod Christus Dominus chrisma contactu suo atque usu non consecraverit; sicut aquam, quæ materia Baptismi est, contactu suo sanctificavit, cum in Jordane baptizatus est a Joanne. Quamobrem necesse est ut sanctis et religiosis precibus (ut fuse dicetur in postrema parte hujus Pontificalis, ubi de eo ritu agendum erit) ab Episcopo consecretur, qui, ut supra diximus, Confirmationis ordinarius minister est. An vero consecratio chrismatis ab Episcopo facta sit necessaria necessitate sacramenti, ita ut nullum esset sacramentum quod chrismatis non consecrati, aut Presbyteri, non Episcopi benedictione sanctificati inunctione administraretur, sub judice lis est, quæ quamdiu finita ab Ecclesia non fuerit, dubium censendum erit sacramentum Confirmationis, cujus in materiam assumptum forte fuerit chrisma non consecratum, aut consecratum quidem, sed a simplici Presbytero, non ab Episcopo, maxime cum in suo decreto Eugenius IV expresse doceat hujus sacramenti materiam esse *chrisma ab Episcopo benedictum;* addatque, quod, licet legatur per Apostolicam dispensationem factum ut simplex Presbyter Confirmationem conferret, non tamen, *nisi chrismate per Episcopum benedicto.* Itaque si hujusmodi casus contingeret, Confirmatio sub conditione iteranda esset; uti docet Natalis Alexander *Theologiæ dogmaticæ et moralis* lib. II, *De Sacramento Confirmationis*, capite I, articulo II, propositione III.

VII. Venio nunc ad illam Rubricæ nostræ partem, qua Episcopo edicitur, ut, cum chrismate Confirmandos inungit, ea verba proferat: *Signo te signo crucis, etc.* Quæ quidem verba, uti docent plerique Theologi insignes, rationem habent formæ sacramenti Confirmationis, ut pote quæ proferuntur cum applicatur materia, et significant effectum per quem illa producitur. Non desunt qui huic hodie receptiori sententiæ adversantur, præsertim vero heterodoxi recentiores, inter quos Kemnitius lutheranus in examine Concilii Tridentini, eodem modo de forma loquitur quo de materia; contenditque, 1° nulla ejus rei in Scripturis haberi fundamenta; 2° adjungit formam hanc, *Signo te signo crucis, etc.*, non modo neque ab Apostolis fuisse usurpatam, sed nec in vetustis scriptoribus, nec in Canonibus expressam; 3° quod fabricata, imo adulterata videtur a posteris ex Ambrosii sententia *De his qui initiantur*, cap. VIII; 4° denique, inde fieri ut in ipsis Pontificialibus non eadem sit illa forma. Calvinus etiam, lib. IV *Institutionum*, cap. XIX, § V, ita in eam formam invehitur: « Peragitur hæc Confirmatio hac » verborum formula: *Consigno te, etc.* Pulchra hæc omnia, et venuste. Sed ubi Dei » verbum, quod Spiritus sancti præsentiam his » promittat? ne iota quidem ostendere possunt. » Unde ergo nos certiores facient, Chrisma suum » esse vas Spiritus sancti? Videmus oleum crassum scilicet, et pinguem liquorem: præterea » nihil. *Accedat*, inquit Augustinus, *verbum ad* » *elementum, et fiet Sacramentum.* Hoc, inquam, » verbum proferant, si quidquam nos intueri in » oleo valent aliud quam oleum. »

VIII. Inter catholicos non pauci sunt qui formam Confirmationis apud Latinos, his etiam temporibus, non aliud esse docent quam orationem quam profert Episcopus, extensis versus Confirmandos manibus, quamque legere est supra, § XIV. Hanc opinionem inter alios acriter propugnat Sanbovius, ac Jueninus, quæstione III, cap. III, articulo III. Nos eam probamus sententiam quæ tum orationem manuum impositioni adjunctam, qua Spiritus sanctus super Confirmandos invocatur, tum solemnia verba chrismatis inunctioni respondentia, formam hujus sacramenti adæquatam et essentialem facit: quam sententiam tuentur Natalis Alexander, lib. II *Theologiæ dogmaticæ et moralis*, tractatu III, cap. I, articulo III, propositione unica; quanquam aliter scripsit, dissertatione X in sæculum II *Historiæ ecclesiasticæ*, § XXII. Porro formam hujus sacramenti hanc tradit Concilium Florentinum: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ad quam verborum formam prope admodum alludere videtur S. Ambrosius, lib. *De initiandis*, cap. VII, dum Confirmatum his inter alia verbis alloquitur: « Signavit te Deus Pater, » confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis. » Cyprianus quoque in egregia Epistola ad Jubaianum consignandi nomen in collatione hujus sacramenti solitum fuisse audiri insinuat, cum dicit baptizatos in Ecclesia per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum consequi, et signaculo Dominico consummari. Apud alios

Digitized by Google

scriptores quoque, uti alibi dictum est, signi ac signaculi nomen huic sacramento tributum non infrequens est. Unde satis apparet illud desumptum, quod Episcopus pronuntiet se signo Dominico consignare eum quem ungit.

IX. Ad ea quæ opponunt Kemnitius et Calvinus, nulla ipsius formæ Confirmationis in Scripturis haberi fundamenta, neque ea verba, *Signo te signo crucis, etc.*, ab Apostolis fuisse usurpata, vel a vetustis scriptoribus aut Canonibus expressa; respondeo habere nos illam verborum formam ex traditione, quæ etiam dicitur Dei verbum, ut late probant nostri Theologi. Quæso ubinam aliorum sacramentorum formæ expresse habentur in sacra Scriptura? Certe nusquam scriptum est in Baptismo dicendum esse : *Ego te baptizo.* At nonne Calvinus ipse fatetur, lib. IV *Institutionum*, cap. XIX, § XXXI, Ordinationem ministrorum esse sacramentum? Et tamen nusquam inveniet verbum in Scriptura, quod cum clemento faciat sacramentum, ut ipse requirit in Confirmatione. Cæterum quod priscis Ecclesiæ sæculis neque scriptores neque Canones mentionem illorum verborum expresse fecerint, silentium illud provenire potuit ex summa cura et sollicitudine sanctorum Patrum abscondendi christianæ religionis mysteria. Unde S. Dionysius, sive auctor libri *De Ecclesiastica Hierarchia*, ait : « Consummativas » invocationes, » id est, « verba quibus perfi- » ciuntur sacramenta, » ut sanctus Thomas explicat, « non est justum scripto interpretari, » neque mysticam earum intelligentiam, aut in » ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad » commune adducere : sed nostra sacra traditio » sine pompa, » id est occulte, « eas edocet. »

X. Quanta fuerit Innocentii papæ I religio, ne solemnia illa Confirmationis verba propalarentur, testatur ipse in sua Epistola I ad Decentium Eugubinum episcopum, a quo rogatus de Confirmationis sacramento, ubi de unctione in Confirmatione adhibenda disseruit, sic tandem de illius forma loquitur : « Verba autem dare » non possum, ne magis videar prodere quam » ad consultationem respondere. » Isthæc itaque Innocentii sanctissimi Pontificis religio, validius omnibus quæ proferri possent argumentis, probat formam Confirmationis esse verba quæ pronuntiat inungens Episcopus, quæque dare noluit Innocentius, ne prodere videretur mysteria, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam superius explicatam; ex qua factum ut qui primi libros Sacramentorum composuerunt, Sacramentorum formas scripto tradere noluerint, quos imitati posterioris ætatis scriptores, Confirmationis formam prætermiserunt, ut scite post Bellarminum observat Edmundus Martenius. Porro licet apud auctores antiquos forma Confirmationis iisdem verbis, eodemque ordine, quibus hodie illam profert Episcopus, minime habeatur, habetur tamen idem sensus; ut enim docet Bellarminus, vis formæ sacramentalis posita est in sensu, non vero in sono aut numero litterarum; alioqui, si quis græce aut hebraice, aut alio idiomate verba illa proferret, nihil efficeret; quod quidem nullus dixerit.

XI. Illa quoque sub judice lis est, qualis sit forma Confirmationis in Ecclesia Orientali. Gabriel Philadelphiensis episcopus, in suo Tractatu *De Sacramentis*, docet Confirmationis formam esse orationem qua chrisma consecratur : sic enim inquit apud Arcudium : « Forma » unguenti sunt verba Pontificis quæ dicuntur » super unguentum, et quæ vim habent illud » informandi. » Jacobus Sanbovius, Natalis Alexander, Gaspar Jueninus, et alii complures censent esse eam orationem quæ in Græcorum Euchologiis unctionem neophyti præcedit, quæque sic incipit : *Benedictus es, Domine Deus omnipotens.* Bessarion archiepiscopus Nicænus, et S. R. E. cardinalis, in opere de Mysticis verbis Eucharistiam conficientibus, quem auctorem secuti sunt Acudius, Goartius et multi alii gravissimi scriptores, putat formam de qua agitur esse ea verba quæ habentur in canone VII Concilii Constantinopolitani œcumenici I : *Signaculum doni Spiritus sancti.* Verba Bessarionis hæc sunt : « Nostri multa quæ primum » apud nostros ortum habuerunt, propter cala- » mitates temporum perdidere. Quod manife- » stum fiet, si quis ad Chrismatis sacramentum » mentem converterit. Etenim secunda œcu- » menica Synodus verba quæ sacrum Chrisma » perficiunt, tradens in septimo canone, ita in- » quit : *Signaculum doni Spiritus sancti.* Et » hæc verba secundum eos Chrismatis sacra- » mentum perficiunt. »

XII. Christianus Lupus acriter contendit in scholio ad canonem XCV Trullanum, ea verba

Digitized by Google

canonis VII Concilii Constantinopolitani I nec esse formam, nec unquam fuisse : probatque ex eo quod Severus, pátriarcha Alexandrinus, in opere ad perpetuam antiquorum Christianorum rituum adversus grassari tunc incipientes Saracenos memoriam composito, hanc assignet formam : « Chrismate sancto, suavitate odoris » Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento » pignoris Spiritus sancti, obsignatur talis N. » in nomine Patris, Amen; in nomine Filii, » Amen; et Spiritus sancti, ad vitam sæculi » sæculorum, Amen. » Notat Lupus, dici a laudato Severo, *obsignatur*, non *obsignetur;* nam quod etiam in Baptismo nequaquam *baptizetur*, sed *baptizatur* semper dixerint Græci, probat ex sancti Sophronii patriarchæ Hierosolymitani Prato spirituali. Sane cum Concilii I Constantinopolitani tempore strictissime adhuc vigeret disciplina de occultandis Sacramentorum nostrorum mysteriis, eorumque præsertim formis, difficile est credere voluisse Patres Constantinopolitanos, eo canone VII, prodere formam sacramenti Confirmationis. Tradit Lupus, ea verba Canonis, « Obsignantes dicimus : Si» gnaculum doni Spiritus sancti, » hunc sensum facere : « Dicimus verba mystica hic non ex» primenda, significantia ac imprimentia si» gnaculum istud, et donum. » Qualis sit ex memoratis apud Græcos forma sacramenti Confirmationis, judicet lector.

XIII. Expeditus utcumque a tot difficultatum ambagibus circa ministrum, materiam ac formam Confirmationis tam apud Latinos quam apud Græcos, descendo ad ritum nostræ Rubricæ, ubi præscriptum est, ut Episcopus cum dicit ea verba Confirmando, *Signo te signo Crucis*, producat *pollice signum crucis in frontem illius.* Ad quæ verba alludens Concilium Florentinum : « Ideo in fronte, ait, ubi vere» cundiæ sedes est, Confirmandus inungitur, » ne Christi nomen confiteri erubescat, et præ» cipue crucem ejus, etc. » Est autem adeo antiqua hæc in fronte unctio cum impressione signaculi crucis, ut in usu videatur fuisse ab ipsis Apostolorum temporibus. Quod quidem probari potest testimonio S. Augustini, qui in Psalmum CXLI ita scribit : « Multa Sacramenta » aliter atque aliter accipimus; quædam, sicut » nostis, ore accipimus; quædam per totum » corpus accipimus; quædam in fronte per » signum crucis. » Quem ritum ne quis putet exortum forte Augustini ævo, operæ pretium duco duo insignia vetustissimorum Patrum loca afferre, qui floruerunt longe ante Augustinum.

XIV. Primus est Tertulliani locus, qui in Lib. *De Præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. XL, docere nos volens Stygium hostem, quo facilius homines in fraudem impelleret, solitum fuisse imitari omnes christianorum ritus, ita inquit : « Tinguit et ipse quosdam uti» que credentes, et fideles suos expositionem » delictorum de lavacro repromittit : etsi adhuc » memini, Mithra signat illic in fronte milites » suos. » Quis et qualis paganorum deus fuerit Mithra, edicit in Epistola XII, ad Valentinianum II imperatorem, S. Ambrosius his verbis : « Quem cœlestem Afri, Mithram Persæ, ple» rique Venerem colunt, pro diversitate nomi» nis, non pro Numinis raritate. » Plura de eo nomine videri possunt apud Pamelium, et apud Lupum in recitatum Tertulliani locum, et apud Marianum Victorium in notis ad Epistolam VII S. Hieronymi. Tradit idem Tertullianus, Confirmationis unctionem esse nobis in fronte conferendam; in tertio etenim adversus Marcionem libro, cap. XXII, istum Sacramentum diserte appellat *Signaculum frontium*. Sed audiamus alterum locum, qui est S. Cypriani in Epistola LXXIII, ad Jubaianum, ubi de Confirmationis ritibus disserens, hæc habet de signi crucis inter unguendum exprimendi ritu : « Quod etiam nunc » quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia » baptizantur Præpositis Ecclesiæ offerantur, » et per nostram orationem, ac manus imposi» tionem, Spiritum sanctum consequantur, et » signaculo Dominico consummentur. » Notanda sunt ea verba, *signaculo Dominico*, quibus, ut scite observat Vicecomes *De antiquis Confirmationis ritibus*, lib. II, cap. VIII, unctionis signo crucis conficiendæ morem significari ex eo patet, quia Crux nunquam alibi affixa fuisse legitur.

XV. Meminere præterea ejus ritus et alii prisci Ecclesiæ Patres, inter quos Prudentius in Psychomachia, qui cum graviter eos argueret qui, christianæ modestiæ obliti, luxurioso vestium genere utebantur, ita canit :

« Quis furor insanas agitat caligine mentes?
» Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem,

Digitized by Google

» Combibat infusam crocco religamine nardum,
» Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
» Unguentum regale datum est, et Chrisma perenne? »

Et in Apotheosi, ubi de Juliano apostata agit, qui cum sacris magicis operam daret, ob præsentiam cujusdam juvenis satellitis baptizati, turbati dæmones nullo dato responso aufugerant, sic cecinit :

« Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
» Pallet, et astantes circumspicit; ecquis alumnus
» Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
» Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros. »

XVI. Quæ mysteria sint ejus ritus, ita explicat Amalarius Fortunatus, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXVII : « Signo crucis, quo » redempti sumus, signamur; ut quando exter- » minator signum illud viderit in frontibus no- » stris, pertranseat domus nostras, et videat » quod non sui sumus, sed illius cujus signum » portamus. » Alludit ad illud Exodi cap. XII ubi dicitur, quod sanguine agni paschalis domorum Israelitarum superliminaribus illito, cæsis omnibus Ægypti primogenitis, ipsi Israelitæ immunes a plaga forent : *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, et videbo sanguinem, et transibo vos : nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.* Huc facit quod scribit Rupertus abbas Tuitiensis, lib. V *De Divinis Officiis*, capite XVII, ita inquiens : « Rectius ergo sumen- » tes, unde postes nostrarum frontium signe- » mus, quiescimus usque in vesperam sabbati, » quæ nobis est vespera paschalis convivii : et » tunc signatis frontibus baptizatorum, qui ve- » rum Pharaonem, scilicet Diabolum, effugien- » tes, per mare Rubrum Baptismi ad eum ten- » dunt, illud nostrum in voce exultationis et » confessionis inchoamus jejunium. » Docent etiam alii, crucis signum ideo ex Chrismate depingi, ut memores essent homines acerbissimorum Christi cruciatuum, quos pro salute humani generis sponte subiit, ac præcipue crucis, a qua omnis Sacramentorum vis ac robur tanquam a fonte profluxit : quod colligunt ex auctore Constitutionum Apostolicarum, qui libro III, cap. XVII, ita scribit : « Baptismus datur » in mortem Filii Dei; aqua adhibetur pro se- » pultura; oleum pro Spiritu sancto; sigillum » crucis pro cruce; chrisma Confirmatio con- » fessionis est. » Ubi recte notat Vicecomes, singulorum, quæ in Baptismo et Confirmatione fiebant, rationem reddi; ac quidem crucis in Confirmatione peragendæ ritum ad Dominicam crucem referri, qui ritus in eo potissimum positus erat, ut illius memoriam Confirmati recolerent.

XVII. Quanquam autem Ecclesia Latina ex constanti omnium sæculorum praxi unicam frontem ungere consueverit, Græci tamen non modo frontem, sed et oculos, nares, aures et pectus ungunt, et semper unxerunt. Ita liquet ex VII canone Concilii Constantinopolitani I, œcumenici II, in quem canonem videri potest Commentarius noster num. VII, pag. 187. Constat ex Euchologiis ipsorum Græcorum, manus etiam ac pedes fuisse unctos : qui ritus obtinuit quidem a VI Ecclesiæ sæculo, quo floruit Severus Alexandrinus, qui in libro de Ritibus Baptismi inquit : « Signat omnia eorum membra » eorumque frontem tribus vicibus. » Et postea : « Et ungit omnia eorum membra, et manus, et » pedes, et nares eorum. » De qua varietate nec Photius, nec Michael Cerularius, nec Nicetas Pectoratus, nec ullus alius schismaticus, nec item ipsa Florentina Synodus quæstionem ullam movit. Vide Lupum ad Tertulliani librum *De præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. XL.

XVIII. Olim quoque, sicut et hodie in usu apud nos est juxta præscriptum nostræ Rubricæ, invocationem sanctissimæ Trinitatis adhibitam in unctione fuisse, compertum habemus in Ordine Romano, ubi ita legimus : *Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex, tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo : Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* ℟. *Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Ex quo testimonio intelligimus, tum creditum Alcuinum cum Amalarium Fortunatum, ubi dicunt Romæ Pontificem, cum confirmat, solitum ungere frontem et dicere : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » non integram formam retulisse, sed solum partem; nam citant Ordinem Romanum, in quo illa habentur verba *Confirmo te.* Verba Amalarii Fortunati, lib. I *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. II, hæc sunt : « Dicit Romanus libellus, » de quo sæpe commemoravimus : Oratione ex- » pleta, facit crucem cum pollice ex chrismate » in singulorum frontibus, ita dicendo : In no-

Digitized by Google

» mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax » tibi, et cum spiritu tuo. » Sane consuevisse olim fideles confirmari cum invocatione expressa sanctissimæ Trinitatis, scilicet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, indicant S. Athanasius, in lib. *De Spiritu sancto*, et S. Augustinus, sive antiquus auctor Sermonis XCIX *De Diversis*, cap. II, dicens Stephanum habuisse in fronte sua nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ex quo loco addiscimus Apostolos jam inde ab initio fidelium frontes signasse cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis. Nec enim ab alio quam ab Apostolo Stephanum hoc signaculum accepisse putandum est.

XIX. De eo hic controverti potest, an ipsa sanctissimæ Trinitatis invocatio sit de essentia hujus sacramenti? Quamvis enim sine trium Divinarum personarum expressione Baptismus minime perficiatur, Absolutio tamen et alia Sacramenta absque illa consistunt, propterea quod solus Baptismus sit sacramentum professionis fidei. Quanquam et ad hoc responderi posse ait Estius, Confirmationem, cum sit perfectio quædam et complementum Baptismi, recte quoque censeri professionis fidei Sacramentum, præsertim cum ad hoc conferatur, ut baptizatus intrepide fidem profiteatur. Cæterum qui diversam tenent sententiam, hoc apud laudatum Estium discrimen statuunt inter Baptismum et alia Sacramenta, quod in Baptismo operatur invocatio Trinitatis, non autem aliqua per consecrationem accepta potestas Ministri, sicut in aliis quæ necessario certum ac determinatum requirunt Ministrum. In quibus proinde Trinitatis invocationem negant esse necessariam, uti in Baptismo, sed satis esse putant ad hoc, ut ratum sit Sacramentum, si illius potestatis actus circa suscipientem exprimatur. Quæ quidem sententia non est improbabilis, tametsi altera sit magis tuta.

[« Forsan non abs re hic erit commendatio » ritus a Benedicto XIII præscripti in actu » chrismationis, scilicet ut Episcopus crucis sig- » num in fronte Confirmandi efformando cum » sacro chrismate, dexteram qua signat, super » caput ejusdem imponat, unico actu impres- » sionem sacri olei cum manus impositione » conjungens. Licet enim nova illa rubrica in » recentibus Pontificalis Romani editionibus » non admissa fuerit, ob reverentiam textus » liturgici, cujus tenori non leviter addendum » est, attamen hæc praxis, quæ nullo modo lit- » teræ Pontificalis adversatur, fautorem et as- » sertorem habet Pontificem Maximum in sacris » ritibus versatissimum, qui illam auctoritate » Apostolica confirmavit, in quodam Extracto » Pontificalis Romani, typis vulgato de man- » dato Sanctissimi, Romæ, anno 1725. »]

§ XV.

Deinde leviter in maxilla cædit, dicens : *Pax tecum.*

COMMENTARIUS.

I. Ubi frontis inunctio peracta est, tradit Rubrica, ut Episcopus Confirmatum alapa leviter in maxilla cædat, eique pacem impertiatur. Natalis Alexander, Gaspar Jueninus, Zegerus Vanespen, et alii complures non perantiquam esse aiunt alapæ cæremoniam; ejusque rationem ex S. Caroli Instructionibus mendicant, quasi nullus eo antiquior de ipsa cæremonia locutus fuerit; cum alias Pontificale Romanum ms. bibliothecæ Angelicæ fratrum eremitarum S. Augustini, ante annos quingenta scriptum, et aliud ante annos quadringenta exaratum, quod in bibliotheca Vaticana asservatur num. 4744, ea de re mentonem faciant. Quinimo sæculo XIII ejusdem ritus non tanquam suo tempore instituti diserte meminit Guillelmus Durandus, qui in suo Rationali Divinorum Officiorum lib. VI, c. LXXXIV, num. VI, ita scribit : « Subsequenter Episcopus » Confirmatum percutit in faciem : primo, ut » tenacius memoriæ teneat se hoc Sacramentum » recepisse; secundo, quia hoc Sacramentum » datur Baptizato ad robur fidei, ut præmissum » est, ut videlicet sit ita fortis in fide in Baptis- » mo suscepta, quod ulterius coram quocumque » confiteri nomen Christi non erubescat, etc. » Adducit et alias rationes, sed magis placet illa quam affert Catechismus Romanus sic inquiens : « Deinde vero qui unctus et confirmatus est, ut » meminerit se tanquam fortem athletam para- » tum esse oportere ad omnia adversa invicto

Digitized by Google

» animo pro Christi nomine ferenda, manu levi-
» ter in maxilla ab Episcopo cæditur. »

II. Ex quo patet quam impudens ac mendax fuerit Kemnitius, cum in Examine Concilii Tridentini catholicos sugillat, quasi doceamus Episcopum percutientem Confirmatum in maxillam post Confirmationem, significare manuum impositionem : « Desideras, inquit, forsan impo-
» sitionem manuum, cujus fit mentio Actorum
» VIII et XIX. En tibi illam. Quia enim in Ponti-
» ficia Ecclesia sequi idem est quod præcedere ;
» ideo Episcopus percutiens Confirmatum in
» maxillam post confirmationem, repræsentat
» manuum impositionem in Actis, quæ tunc
» præcessit donationem Spiritus. Quid vero
» audio? Estne igitur manus imponere, alapis
» aliquem in faciem cædere ? Quando igitur
» Christus dicit : *Super ægrotos manus impo-*
» *nent*, sensus erit : Decumbentes alapis bene
» cædent, et tunc pejus habebunt. Quid vero
» sunt, si hæc non sunt professa Verbi Dei lu-
» dibria? » Ita ille, cujus apertissima ac impudentissima mendacia retulisse superasse est. Plura de mystica alapæ significatione legi possunt apud Josephum Vicecomitem, et Natalem Alexandrum; etsi ipsum ritum supprimi debere perperam contendat Grancolassius in Breviarium Romanum, cap. LXX.

III. Ritus impertiendæ pacis Confirmato est certe antiquus, ut pote cujus meminerit Ordo Romanus, qui, ut aiunt, sæculo septimo conscriptus fuit, itemque creditus Alcuinus, et Amalarius Fortunatus, quorum testimonia super allata sunt in Commentario XV, num. XVIII. Quibus addi potest insignis locus ex antiquo Pontificali ms. Egberti archiepiscopi, qui circa medium sæculum VIII Eboracensem regebat Ecclesiam : in quo Pontificali statim ac Episcopus peregit unctionem, dicit, *Pax tecum. Et cum spiritu tuo.* Et postea : *Pax et benedictio Domini sit semper tecum.* Idem habetur in Sacramentario Gelasiano, et quatuor mss. annorum nongenta apud Edmundum Martenium : *Pax tecum.* ℟ *Et cum spiritu tuo.* Certe si Constantini imperatoris edictum ad Sylvestrum papam, quod pro religione catholica promulgavit, cum sui ipsius Baptismum ac Confirmationem referret, genuinum esset, et non supposititium, ut plerique autumant, a primis sæculis origo ejus ritus repeti posset. Sic enim inquit : « Illic me trina
» mersione unda salutis purificavit; levatoque
» me de venerabili fonte, induto vestibus can-
» didis, septiformis gratiæ sancti Spiritus con-
» signationem adhibuit beati Chrismatis unctio-
» ne, et vexillum sanctæ Crucis in mea fronte
» linivit, dicens : Sigillet te Deus sigillo fidei
» suæ, etc. Pax tecum. » Quidquid sit de eo testimonio, constat ex Alcuino, ad ea verba Episcopi, *Pax tibi*, respondisse omnes, *Et cum spiritu tuo.* Licet autem auctor Romani Ordinis plurativo numero utatur, *Pax vobiscum*, non ita id accipiendum monet Vicecomes, lib. II, cap. XIII, quasi eadem pax omnibus Confirmatis simul impertiretur; sed quia de Confirmatis supra pluraliter locutus fuerat, adeo ut eumdem numerum plurativum in pace impertienda servari æquum fuerit. Vel certe de ea pacis indictione explicandum est quæ post benedictionem dari solebat, de qua nos infra dicemus. Porro, « Pax ei datur, inquit Catechismus Romanus,
» ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem,
» et pacem quæ exuperat omnem sensum, con-
» secutum esse. »

§ XVI.

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis et lavat pollicem, et manus super pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim, dum lavat manus, cantatur sequens antiphona, vel legitur a ministris; quod etiam in similibus servari debet : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* ℣. *Gloria Patri, etc.* ℟. *Sicut erat, etc.* Deinde repetitur antiphona ton. VIII : *Confirma hoc, Deus.*

Digitized by Google

§ XVII.

Qua repetita Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare junctis ante pectus manibus, dicit : ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

§ XVIII.

Deinde junctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus Confirmatis devote genua flectentibus, dicit :

OREMUS.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores cæteris fidelibus tradendum esse voluisti : respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum; et præsta, ut eorum corda quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo sanctæ Crucis signavimus, idem Spiritus sanctus in eis superveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde dicit : *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum.* Et vertens se ad Confirmatos, faciens super eos signum crucis, dicit : *Bene ✠dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ne quis putet preces hasce orationesque ac ritus hactenus recitatos recentia esse Ecclesiæ inventa, totidem pene verbis legere est in variis antiquis Pontificalibus libris mss. allatis a clarissimo viro Edmundo Martenio, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, articulo IV, in quo varii ad confirmandum ordines referuntur. Illum ego hic ritum minime omiserim, quem habet liber ms. Sacramentorum monasterii Moysacensis annorum circiter octingentorum, ubi post recitatam illam ab Episcopo orationem, *Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, etc.* statim dicit Diaconus confirmatis : *Humiliate vos ad benedictionem.* Idipsum præscribit Pontificale ms. Ecclesiæ Conchensis in Hispania, quod postea usui fuit Ecclesiæ Xantonensi, estque annorum circiter quingentorum : in quo tamen Pontificali ministri qui Episcopo inserviunt, ad ea verba, *Humiliate vos ad benedictionem*, quæ profert Diaconus, respondent : *Deo gratias.* Et Episcopus decantando dicit super omnes hanc benedictionem : « Benedicat » vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo » creavit, et vobis in Baptismate per Spiritum » sanctum remissionem omnium peccatorum » tribuit. Amen. » In laudato ms. libro Sacramentorum monasterii Moysacensis prolixior est benedictionis formula quam Confirmatis Episcopus impertitur, ut videre est apud laudatum Edmundum Martenium. Ejusdem fere tenoris est benedictio Episcopalis, quæ legitur in antiquo Pontificali ms. Egberti archiepiscopi Eboracensis, qui floruit circa medium sæculum octavum : « Benedicat, *inquit*, vos omnipotens » Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, et vobis » in Baptismate et in Confirmatione remissio- » nem omnium peccatorum tribuit. Amen. » In codice demum ms. Pontificali quod in Vaticana bibliotheca asservatur, num. 4744, hunc ritum ab Episcopo servandum præscribitur, ubi

Digitized by Google

ad finem sacræ functionis Confirmatos debet benedicere. « Deinde dicit : *Ecce sic benedicetur » omnis homo, qui timet Dominum.* Et faciens » signum Crucis super eos dicit : *Benedicat vos » Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem » omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam » æternam.* ℟. Amen. »

II. Est autem adeo vetusta impertiendæ benedictionis Confirmatis in Ecclesia disciplina, ut vetustissimus Tertullianus, lib. *De Baptismo,* cap. VIII, enumerans Confirmationis cæremonias, eam minime prætermiserit, cum hunc in modum scripsit : « Sed est hoc quoque de veteri » Sacramento, quo nepotes suos ex Joseph, » Ephrem et Manassem Jacob, capitibus impo- » sitis et intermutatis manibus, benedixerit, et » quidem ita transversim obliquatis in se, ut » Christum deformantes, jam tunc portenderent » benedictionem in Christum futuram. Tunc » ille sanctissimus Spiritus super emundata et » benedicta corpora libens a Patre descendit. » Quæ verba licet a memorato auctore in libro *De Baptismo* allata fuerint, potius tamen ad Confirmationem quam ad Baptismum pertinere perspicuum est, ut scite observat Vicecomes, lib. II, cap. XV. Quod quidem ex eo probatur, quod in eo libro, eodemque capite, Tertullianus Spiritus sancti ac manus impositionis mentionem facit; dum paulo ante recitata verba ita scripsit : « Dehinc manus imponitur, per be- » nedictionem advocans et invitans Spiritum » sanctum. » Sane pulchre auctor benedictionem Jacob qua nepotes suos ex Josepho, Ephrem et Manassem, benedixit, ut habetur in Genesi cap. XXVIII, figuram fuisse indicat hujus Sacramenti manus impositionis, seu Chrismatis, in quo et manus imponuntur, et benedictio in Christum datur per consignationem nempe crucis, quæ ibi significabatur, intermutatis manibus in formam crucis. Quod adeo etiam confirmat sententiam Catholicorum, qui omnem benedictionem cum sancto Augustino tradunt fieri per signum Crucis. Vide Pamelium in laudatum locum Tertulliani, in Epistolam LXIII S. Cypriani, et alibi.

III. Post datam benedictionem, pacem iterum fuisse Confirmatis ab Episcopis impertitam, docet nos Ordo Romanus apud Hittorpium tit. de Sabbato Sancto, ubi post ea verba, *Benedicat vos Dominus, etc.* hæc statim subjiciuntur : *Pax vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Quem ritum diu ac religiose pleræque Ecclesiæ retinuerunt; legimus etenim in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Noviomensis, annorum circiter quadringentorum, ita Episcopum in fine sacræ functionis Confirmatos alloqui consuevisse : « Benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, » et Spiritus sancti descendat super vos, et pax » Domini sit semper vobiscum. Amen. » Ex Pontificali libro Ecclesiæ Constantinopolitanæ, annorum circiter quingentorum, ad extremum sic inquit : « Vade in pace, et Angelus Domini » tecum in ultionem inimicorum Dei. Amen. » Catechismus Concilii Tridentini, S. Pii V Pontificis Maximi jussu promulgatus, de sacramento Confirmationis agens, ritum impertiendæ pacis ita explicat : « Postremo autem pax ei datur, » ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem, » et pacem, quæ exuperat omnem sensum, » consecutum esse. » Joseph Vicecomes, lib. II, cap. XV, docet, ideo pacem iterum Confirmatis præberi, vel quia benedictionis pars esset, vel quod ipsi benedictioni subderetur.

§ XIX.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, Patrinis et Matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala et faciant bona, et doceant eos *Credo in Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria;* quoniam ad hoc sunt obligati.

COMMENTARIUS.

I. De Patrinorum antiquitate, et quam ob causam in sacramento Confirmationis adhibeantur, dictum abunde fuit superius in Commentario § III. Opportunus est nunc agendi locus de eorum munere et obligatione, quam ita in suis monitis Instructionibusque describit

Digitized by Google

S. Carolus Borromæus : « Patrini munus est filio-
» lum, quem in Confirmatione tenuit, monere,
» eique tanquam ducem se præbere, ut in quo-
» tidiano spirituali certamine adversarium vin-
» cat; sed etsi illum rudem viderit, non solum
» fidei Christianæ documentis instruere, verum
» etiam ad viam salutis, virtutemque Christia-
» narum disciplinarum erudire cohortationibus
» atque exemplis, ut in sacramento Baptismi
» traditum est. » Et statim addit, Patrinum
eum eligendum qui non solum doctrinæ chri-
stianæ instituta præceptaque teneat, sed etiam
qui vitæ piæ exemplo ita se instituit, ut magister
vereque patrinus ac dux aliis esse possit ad bene
agendum, progrediendumque in via Domini.
Recte itaque et illud etiam monet sanctissimus
Archiepiscopus, ne casu Patrinus eligatur, ut-
pote homo quispiam plane ignotus, aut vero
hospes et peregrinus, cujus consuetudinem in
posterum probabile sit minime habendam. Sane
quod fuse S. Carolus huc usque edicit, paucis
jam olim complexus fuerat Herardus archiepi-
scopus Turonensis, in suo Capitulari, ubi cap.
XXVII, statuit, « Ut patres et Patrini filios suos
» et filiolos erudiant et nutriant. »

II. Quod vero nostra Rubrica præscribit, ut
Patrini moneantur teneri eos docere Confirma-
tos Symbolum fidei, Orationem Dominicam,
atque Angelicam Salutationem, totidem pene
verbis habetur in ms. Pontificali Guillelmi epi-
scopi Mimatensis, quod usui fuit Joanni Saire-
peruche episcopo Catalaunensi, et in Pontificali
Ecclesiæ Parisiensis annorum circiter trecento-
rum, cujus totum ritum in fine Confirmationis
peragendum describere hic placet : « Expedita
» itaque Confirmatione, inquit, Pontifex an-
» nuntiat Confirmatis sive Chrismatis, quod in
» honorem sanctæ Trinitatis Chrismalia in fron-
» tibus portent, et die tertia Sacerdos lavabit
» eorum frontes, et comburet Chrismalia super
» fontes, vel ex Chrismalibus fiant candelæ ad
» usum altaris. » Idem totidem verbis legere est
in Pontificali ms. bibliothecæ Vaticanæ, num.
4744. Chrismalia sunt bandelli, seu vittæ, qui-
bus, ut diximus in Commentario § VIII, circum-
ligabatur frons Confirmati. Pergunt vero laudati
libri Pontificales, jubentque Episcopo, ut « Pa-
» trinis seu Matrinis annuntiet, quod instruant
» et informent filiolos suos bonis moribus et
» operibus; quod fugiant mala, et faciant bona;
» et quod doceant eos, *Credo in unum Deum*,
» *Pater noster*, et etiam *Ave Maria* : quoniam
» se ad hoc obligaverunt, prout hæc in nostris
» Constitutionibus synodalibus plenius contine-
» tur. »

III. Notandum illud superest, cum ritum qui
Patrinis præscribitur de tradendis fidei Symbo-
lo, Oratione Dominica et Angelica Salutatione
Confirmatis, locum habere quidem in puerulis
sacramentum Chrismatis ante usum rationis su-
scipientibus, cum cæteroqui grandiusculi, juxta
veterem Ecclesiæ disciplinam, neque Baptismo
neque Confirmatione donari poterant, nisi prius
Symbolum fidei et Dominicam Orationem addi-
dicissent. Unde Theodulphus Aurelianensis epi-
scopus, qui floruit labente sæculo VIII, ad pres-
byteros suos Aurelianenses, cap. XXII, ita inquit :
« Constitutum est, ut nullus chrismetur, neque
» baptizetur, neque a lavacro fontis illius susci-
» piatur, neque coram Episcopo ad confirman-
» dum quemlibet teneat, nisi Symbolum et
» Orationem Dominicam memoriter tenuerit :
» exceptis his quos ad loquendum ætas minime
» perduxit. » Idipsum statuit in concilio Medio-
lanensi V S. Carolus, qui tamen etiam meminit
Angelicæ Salutationis, juxta præscriptum nos-
træ Rubricæ : « Qui confirmandi sunt, inquit,
» et qui Patrini adhibentur, Parochus ante vi-
» deat quos rudiores esse suspicabitur, an Ora-
» tionem Dominicam, Salutationem Angelicam
» et Symbolum nôrint. Atque ob eam qui-
» dem causam Episcopus illa fidei rudimenta
» sibi ab illis recitari jubebit. Quam diligentiam
» idem Episcopus etiam, ut opus esse viderit,
» aliquando præstet per se, vel per alium Sacer-
» dotem, quem in ea re cognoscenda constitue-
» rit. » Quod quidem, saltem quantum spectat
ad Symbolum fidei, consonum est decreto Con-
cilii Laodiceni anno 314 celebrati, ubi Patres,
can. XLVI, ita inquiunt : « Oportet eos qui illu-
» minantur, fidem discere, et quinta hebdomadis
» feria, Episcopo renuntiare, vel Presbyteris. »

Digitized by Google

§ XX.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora et loco, ex causa ad arbitrium Episcopi.

COMMENTARIUS.

I. Auctor est Amalarius Fortunatus, lib. IV *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXIX, secundum modum primitivæ Ecclesiæ ipso sacratissimo Pentecostes die, hora tertia datam fuisse Confirmationem, qua scilicet hora per illapsum Spiritus sancti confirmati sunt Apostoli. Quod quidem de iis intelligendum est qui Pentecostes nocte, juxta veterem consuetudinem, sacro Baptismate abluti fuerant, vel de iis etiam qui ab Episcopo aut eo præsente baptizabantur. Nam eo absente alia prorsus erat ratio, dum ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos divino lavacro donati fuerant, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrebat; ut de sui temporis consuetudine testatur in Dialogo adversus Luciferianos S. Hieronymus. Quo spectat illud S. Gregorii Papæ monitum, lib. VIII, Epistola XLVI : « Præterea Ecclesiis ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra officium visitationis impendat, ut hi qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere. » Hinc et illud quoque ex variis Conciliis, ac præsertim Burdigalensi anni 1264, cap. IV, cautum est, ut, dum contigerit Episcopum suam diœcesim visitare, Parochus ejus accepto nuntio moneat et inducat subditos, ut ad recipiendum Confirmationis sacramentum se præparent. Concilium Germanicum anno 742, can. III, et Suessionense in Gallia habitum anno 744, can. IV, mandant, « Ut quandocumque jure canonico Episcopus circumit parochiam ad confirmandum populum, Abbates et Presbyteri sint ad suscipiendum Episcopum parati in adjutorium necessitatis. » Vide Concilium Cabilonense II, anni 813, ubi Patres, can. XIV, Episcopos monent, « ut si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit in confirmandis hominibus... in lucris animarum potius quam in depredandis et spoliandis hominibus, et scandalizandis fratribus operam dent. »

II. Cæterum etsi ex communi et constanti Ecclesiæ disciplina, sicut duobus temporibus, Pascha videlicet et Pentecostes, sacramentum Chrismatis ab Episcopis conferri debeat, providentissime tamen Concilium Parisiense anni 829, lib. I, cap. XXXIII, excipit infirmos et morte periclitantes, « Quibus, inquit, sicut Baptismatis gratia succurrendum est, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum. » Recte itaque S. Carolus, qui alias Confirmationem Paschate et Pentecoste administrandam exoptabat, in Concilio Mediolanensi V statuit : « Ut si quis cum periculose ægrotat, se Chrismatis sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat, tunc Episcopus, si eo loci est ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna invisat, et rite confirmet. » Et in Instructionibus de sacramento Confirmationis, Parocho mandat, ut ægrotos nondum confirmatos Episcopo denuntiet, ne ingravescente morbo sine hoc sacramento decedant. Qualis fuerit dolor ac pœnitentia S. Maurilii episcopi Andegavensis, qui obiit circa annum 410, quod ob ejus moram in sacrificio Missæ peragendo, puer sine Chrismatis sacramento e vita excesserit, videri potest apud Surium ad diem XIII mensis septembris. Maximam certe laudem sibi præ aliis comparavit sanctæ memoriæ Benedictus XIII, qui adeo in conferanda Confirmatione fuit sollicitus, ut ex quo creatus est episcopus, usque ad Kalendas januarii anni 1728, cujusque ætatis ac generis 94821 sacramento Chrismatis confimaverit, teste Angelo Maria Quirino S. R. E. Cardinali in quadam Tabella, in qua, una cum laudati Pontificis effigie, libros et sacra genusque ejusdem diligenter collegit. Quod si reliquum tempus computetur ex quo Pontifex religiosissimus vivere desiit, multo majorem puto numerum fuisse ab ipso confirmatum.

[« Licet minus solemniter, ut ait Rubrica, conferri possit Chrismatis sacramentum, attamen non ita intelligendum est ut possit, pro arbitrio, Episcopus in hac functione mitra non

Digitized by Google

» uti. Sacra enim Rituum Congregatio gratiam » dispensationis Episcopo Scardonensi, sub do- » minio Turcarum existenti, in ea re concessit, » *pro hujus Præsulis tantum conscientia*, qui » asserebat se non posse Chrismatis sacramen- » tum cum mitra exercere, sine vitæ periculo. » Responsum a Summo Pontifice confirmatum » extat die 8 augusti 1643. Concordat eidem se- » quens decretum ejusdem sacræ Congregatio- » nis, 18 decembris 1647, in favorem Episcopi » Bosnensis qui pariter Turcarum imperio ob- » noxius, verebatur ne Pontificalium infularum » apparatu infidelium lædens oculos, etiam vitæ » discrimen incurreret. Dispensatio conceditur » *dummodo enarrata veritate nitantur, et in re-* » *liquo Pontificalis Romani leges serventur.* » Ejusdem sensus est declaratio S. Congregatio- » nis de Propaganda fide, die 22 martii 1669, » qua statuitur Episcopos Vicarios Apostolicos, » *cum gravi et urgente causa*, celebrare posse » sine rocheto, annulo et cruce pectorali, *et* » *dare Confirmationem sine mitra et pluviali.* » Unde concludere necesse est in Ecclesiis nos- » trarum regionum non licitum esse Chrisma- » tis unctionem Confirmandis ministrare sine » mitra, ac proinde licentiam aliquid minuendi » de solemni forma ordinaria servanda, non » adeo urgendam ut usus Pontificalium insi- » gnium in his circumstantiis relinqui pos- » sit. »]

III. Quam vero incomparabilis fuerit charitas sanctissimi archiepiscopi Mediolanensis Caroli Borromæi in administrando ægrotis etiam peste infectis, non in urbe solum, sed in tota etiam diœcesi, ubi morbus grassabatur, Confirmationis sacramento, enarrat in ejus Vita Carolus a Basilica Petri, lib. IV, cap. VIII, his verbis : « Apud se primo cogitavit, esse in urbe atque in tota diœcesi plurimos qui Confirmationis sacramento muniti non essent : hos ex hac vita pati sine tali sacramento decedere, quo, salutis imminente certamine, divina firmitas et robur animis adderetur, neque satis animarum charitati consentaneum, et sibi qui solus posset etiam quodammodo turpe, omnino sibi minime committendum existimabat. Id eo magis, quod ab hæreticis sacramentum illud hoc tempore graviter sciebat impugnari. Itaque indicta Chrismatis sacri per urbem administratione, quam potuit decore, per vias Episcopali illo munere diu satis functus est; licet enim quotannis stato tempore per urbis ecclesias idem faceret, multa tamen adhuc hominum millia invenit qui nondum sacramentum illud acceperant; atque ipso initio licet de morbo suspectos et a reliquis segregatos minime vocasset, dubium tamen non est quin affectos peste quamplurimos inter eos confirmaverit : fieri namque non poterat ut omnes, simulatque contagione infecti erant, a ministris deprehenderentur et a cæteris separarentur. Verum ipsos quoque palam infectos ægrotosque postea libere, sicut dicemus, admisit. Urbis cum tantummodo rationem sibi non esse habendam statueret, vicos etiam castellaque totius diœcesis, quæ morbus oppresserat, mira celeritate omnia adiit; et in iis ejusdem Chrismatis sacrosanctum remedium passim adhibuit. Postea vero, ut quemque locum recens infectum audiebat, ita eo statim solebat advolare, ac eadem ratione calamitosis consulere. »

IV. Tandem, ut omnem hanc Confirmationis materiam absolvamus, operæ pretium duxi hic describere quæ in Instructionibus suis idem S. Carolus post Confirmationem agenda esse præscripsit : Sic ergo inquit : « Impertita Confirmationis solemni benedictione, unusquisque Parochus curet parochiales suos reducere ad ecclesiam suam ordine quo venerunt.

» Ut recens Confirmati ob Sacramenti reverentiam eo saltem die a frontis lotione abstineant.

» Ut pro pietatis studio Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Symbolum singulis septem diebus septies, qui litterarum rudes sunt, recitent; officium autem de Spiritu sancto septies itidem, qui legere norint; memores septem cœlestium donorum quæ illius Sacramenti virtute acceperunt.

» Utque solliciti sint in iis religiose conservandis.

» Ut aniversarium statum illum diem, quo confirmati sunt, religiosius singuli pietatis officiis et precibus colant; confessique sacram Eucharistiam sumant, ut benignissimo Deo gratias agant de donis acceptis.

» Eum Confirmationis suæ diem ob eam causam certo libro adulti notent : itidemque faciant parentes eorum qui pueri confirmati sunt.

» Cognationem quoque spiritualem denun-

Digitized by Google

tiabit, quæ contracta est inter Confirmatum, parentes ejus et Patrinum.

» Denique ad præscriptam formulam refert in librum quem paratum habebit, nomina et Confirmatorum, et Patrinorum Matrinarumve. »

APPENDIX

In qua varii Manuscripti ad Confirmandum Ordines referuntur, diversi ab iis quos edidit Edmundus Martenius.

ORDO I.

Ex ms. Pontificali quod in Vaticana bibliotheca asservatur, num. 4744, annorum circiter quadringentorum.

DE CHRISMANDIS IN FRONTE PUERIS.

Pontifex pueros et etiam adultos in fronte chrismare et confirmare volens, paratus cum superpelliceo, amictu, pluviali albi coloris, et mitra procedat ad locum ad hoc idoneum præparatum, et dum ibidem fiunt, præsente populo præmittat admonitionem, et exhortationem (*a*) Confirmationis. Quod nullus alius nisi solus Episcopus ex Divina et Apostolica constitutione dare potest : nam Dominus Jesus Christus Apostolos confirmavit, et per eos, eorumque successores, populos confirmandos esse decrevit. Debet autem Episcopus insinuare plebi, quod nullus confirmatus debeat reconfirmari; quod qui non est confirmatus, non potest esse in Confirmatione patrinus; quod nullus excommunicatus, vel gravibus facinoribus alligatus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad præsentandum ad confirmandum; quod adulti prius confirmari debent, postmodum infantes; quod in hoc Sacramento contrahitur compaternitas impediens matrimonium, et dirimens jam contractum; quod nullus præsentet, nisi unum, vel duos ad plus; quod confirmandi de honestate, non de necessitate debent esse jejuni. Infantes in brachiis dextris tenentur : majores vero pedem ponunt super pedem patrini. Deinde loto prius et terso pollice dextræ manus, et Confirmandis genua flectentibus, et junctis ante pectus manibus, stans mitra deposita, similiter junctis ante pectus manibus, dicat : ℣. *Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat a peccatis.* ℟. *Amen.* ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Et elevans super Confirmandos, extensis manibus dicat (*b*) : — *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum. Emitte in eum septiformem Spiritum tuum, Spiritum paraclitum de cœlis.* ℟. *Amen. Spiritum consilii et fortitudinis.* ℟. *Amen. Spiritum scientiæ et pietatis.* ℟. *Amen. Adimple eum Spiritu timoris tui, et signa eum signo Crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem in unitate ejusdem.*

Tunc sedens Episcopus super faldistorium coram altari vel alibi præparatum, reassumpta mitra, inquisito sigillatim nomine cujuslibet consignandi sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati; et summitate pollicis dextræ manus chrismate intincta, Pontifex facit crucem in fronte illius dicens : *Stephane*, vel *Maria*, vel quovis alio nomine nuncupetur : *Signo te signo Cru✠cis, et Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti, ut replearis eodem Spiritu sancto, et habeas vitam æternam.* ℟. *Amen.* Et dicendo, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, producat signum Crucis ✠ ante faciem illius, dando ei alapam leviter super genam, dicens : *Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Omnibus taliter consignatis, Episcopus tergit cum mica panis, vel petia linea, et lavat cum aqua pollicem super pelvim (*c*); et aqua lotionis cum

(*a*) *Exstant in margine hæ notæ :* De Sacramento. — (*b*) Stans sine mitra. — (*c*) Super aliquem calicem stagneum, vel.

Digitized by Google

dicta mica panis vel petia linea funditur in fontibus vel piscina, et interim cantatur Antiphona (*d*) : vel ipse Episcopus cum suis Clericis dicat eam, videlicet : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* ℣. *Gloria Patri, etc.* ℟. *Sicut erat, etc.* Et repetitur antiphona, *Confirma hoc, Deus.* Deinde Præsul surgens, stans mitra deposita, dicat : ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio quam dicit junctis manibus ante pectus, et omnibus Confirmatis devote genua flectentibus : *Oremus. Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores, etc.* Deinde dicit : *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum;* et faciens signum Crucis super eos dicit : *Benedicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex annuntiet Confirmatis, sive Chrismatis, quod in honorem sanctæ Trinitatis et reverentiam Chrismatis, et ad majorem recordationem et virtutem Confirmationis, triduo Chrismalia in frontibus portent; et die tertia Sacerdos lavet eorum frontes, vel ex Chrismalibus fiant candelæ ad usum altaris. Patrinis vero, sive matrinis, annuntiet quod instruant vel informent filiolos suos bonos mores et opera bona, et quod faciant bona et fugiant mala; et quod doceant eos *Credo in unum Deum*, et *Pater noster*, et *Ave Maria*, quoniam ad hoc sunt obligati.

ORDO II.

Ex alio Pontificali ms. Bibliothecæ Vaticanæ, numero 4747, annorum circiter quadringentorum.

ORDO AD CONSIGNANDUM PUEROS.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, etc. Tunc inquisito nomine ejus, et pollice intincto, Pontifex faciat crucem in illius fronte dicens : *Signo te signo Crucis✠, et Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo. Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, etc.* In margine hujus Pontificalis post ℟. *Amen*, ad citatam orationem legitur : Deinde faciat crucem super eos dicens : *Benedicat te omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.*

ORDO III.

Ex alio ejusdem bibliothecæ ms. Pontificali, num. 4748.

ORDO AD CONSIGNANDUM PUERROS, SIVE INFANTES, IS EST.

Infantes brachiis dextris tenentur, majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui. Qui bus per ordinem dispositis ante Pontificem, ipse Pontifex, imposita manu super capita singulorum, dat orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti, sic dicens : *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum, etc.* Tunc inquisito nomine ejus, et pollice tincto in chrismate Pontifex faciat crucem in illius fronte, dicens : *Consigno te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Consignatione facta, dicat Episcopus : *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* — *Oremus. Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, etc.* Deinde faciat super eum crucem, dicens : *Benedicat te omnipotens Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* ℟. *Amen.*

ORDO IV.

Ex Pontificali ms. quod asservatur in bibliotheca Angelica Sancti Augustini, Romæ, sub littera x, 2, 21.

ORDO AD CONSIGNANDOS INFANTES IS EST.

Infantes in brachiis dextris tenentur, majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui. Omnibus ordine dispositis ante Pontificem, ipse imposita manu super capita singulorum, dat orationem super eos cum invocatione septifor-

(*d*) *Exstat in margine hæc nota :* Antiphona debet esse notata.

Digitized by Google

nis gratiæ Spiritus sancti, sic dicens : *Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi sine peccato custodiat vos. Amen* (*a*). ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* — *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum, etc.*

Tunc Pontifex intincto pollice in chrismate, et interrogato uniuscujusque nomine, faciat crucem in frontibus singulorum, sic dicens : *Joannes*, vel alio quovis nomine invocans eos, *Signo te signo Crucis, et Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Pa* ✠ *tris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Tunc dat alapam. Consignatis vero omnibus dicat hos versus : *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum. Benedicat vobis Dominus ex Sion; et videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Gloria Patri. Sicut erat. Custodiat vos Dominus in suo sancto timore. Qui vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. Pax vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* — *Oremus. Deus, qui Apostolis tuis, etc. Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde faciat crucem super eos dicens : *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.* ℟. *Amen.*

NOTA.

Sunt et alii Romæ complures mss. libri Pontificales, sed hos retulisse sufficiat, cum hactenus descriptis cæteri fere consentiant, nihilque præ se ferant quod ad ipsos referendos me impellere potuisset. Sane Pontificale istud bibliothecæ Angelicæ non videtur superare annos quingentos, cum in eodem Pontificali, ubi agitur de ordinatione Presbyteri, citetur locus in capite finali tituli Decretalium, *De Sacramentis iterandis vel non*, eamque Decretalium compilationem non prius factam constet, quam sub Gregorio IX, qui fuit inauguratus Pontifex Maximus anno Christi 1227. Puto itaque ex charactere, ipsum Pontificale esse annorum circiter quingentorum, et pertinuisse ad Archiepiscopum Barensem et Canusinum, cum inter interrogationes fieri solitas Episcopo consecrando, tertio loco hujusmodi legatur interrogatio : *Vis sanctæ Barensi et Canusinæ Ecclesiæ fidem et subjectionem per omnia exhibere?* Fuit ergo istud Pontificale usui Ecclesiæ Barensis, quæ dicta est etiam Canusina, ob episcopatum illi Ecclesiæ unitum anno 844. Unde, ab eo anno, qui præfuerunt, Barensis et Canusini Episcopi titulo tenus sese inscripsere, teste Ughello *Italiæ Sacræ* tomo VII, pag. 834. Quantum insuper ad Pontificale bibliothecæ Vaticanæ, non videtur esse antiquioris ætatis quam annorum circiter quadringentorum, tum ob ipsius characterem, tum potissimum ob ritus ibi commemoratos, qui, ut videbimus in decursu Operis, a nullo ea ætate Pontificali antiquiore commemorantur. Certe annos quingentos vix attingit, cum in Litania quæ in Majorum Ordinum collatione recitari solet, invocetur sanctus Dominicus, et sanctus Franciscus, qui a Gregorio IX Sanctorum fastis adscripti fuere, et nonnisi post longam annorum seriem in Litaniis una cum aliis sanctis Confessoribus invocati. Idem dico de aliis duobus codicibus Vaticanis ; quorum tamen postremum puto esse circiter quingentorum annorum.

ORDO V.

Ex codice Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ nongentis annis vetustiore, quem edidit religiosissimus cardinalis Thomasius.

Deinde (*b*) ab Episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis :

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum : Tu, Domine, immitte in eos Spiritum sanctum tuum paraclitum, et da eis Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis. Adimple eos Spiritu timoris Dei, in nomine Domini nostri Jesu Christi : cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Postea signat eos in fronte de chrismate, dicens : *Signum Christi in vitam æternam.* ℟. *Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

[« Censueramus hic annectendam esse, velut

(*a*) In margine : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* — (*b*) Exstat hæc Rubrica in Sacramentario Noviomensi, et aliis. In Sacramentario Gelasiano, Gellonensi, et Colbertino nongentorum annorum aliter legitur, uti videre est apud Martenium.

Digitized by Google

» VI Ordinem ministrandi Confirmationis sa-
» cramenti, *Instructionem editam jussu sacræ*
» *Congregationis de Propaganda fide* pro sim-
» plici Sacerdote sacramentum Chrismatis ex
» Sedis Apostolicæ delegatione conferente, ut
» pote multis incognitam, et ad rem nostram
» apprime congruentem. At cum satis ampla
» sit, nihilque novum circa ritus habeat, ne
» longiores videamur, lectorem remittimus ad
» tomum II eruditissimi operis Joannis Chrysos-
» tomi Trombellii *De Sacramentis*, ubi exstat
» foliis 143-149, per manus Stephani Borgia,
» tunc temporis sacræ Congregationis secre-
» tarii, postea S. R. E. cardinalis, Trombellio
» commissa. Illud tantum addemus, dictam
» Congregationem de Propaganda fide, per
» decretum 21 martii 1774, statuisse nemini
» prorsus charactere Episcopali non insignito,
» vel cui alias usus Pontificalium non compe-
» tit, licere in collatione sacri Chrismatis adhi-
» bere rochetum, mitram, baculum pastora-
» lem, annulum vel crucem pectoralem. Quam
» declarationem approbavit Clemens XIV, die
» 3 aprilis ejusdem anni. »]

TITULUS II.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

I. Etsi Ordinis nomen latissimæ sit significationis apud scriptores, recte tamen per antonomasiam certis Ecclesiasticis gradibus est attributum, quia per eos pulcherrimo ordine disposita consistit Ecclesiastica hierarchia. Interdum vero distinctionis causa vocatur *Ordo sacer*, vel *Ordinatio sacra* : interdum etiam apud veteres a cæremonia Ordinandi dicitur *manuum impositio*, nomine ex Scriptura desumpto. Definiri autem aptissime potest hunc in modum : *Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum, quo potestas spiritualis traditur, et gratia confertur Ordinatis ad obeunda ministeria Ecclesiastica.* Esse autem in Ecclesia hujusmodi sacramentum a Christo institutum, quanquam Lutherus neget in lib. *De captivitate Babylonica*, cap. *De Ordine*, ex Scripturæ testimoniis, et Apostolica traditione, et unanimi Patrum consensu, Theologi passim testantur; statuitque ut fidei dogma Concilium Florentinum, et novissime Tridentinum, sessione XXIII *De Ordine*.

II. Quantum ad numerum et distinctionem Ordinum Ecclesiasticorum attinet, quot in cœlesti hierarchia Angelorum ordines, tot in Ecclesiastica Clericorum agnovit antiquitas, id est novem, saltem in Ecclesia Latina, ut liquet ex Concilio Carthaginensi IV, cujus initio singulorum Ordinum, ut suis locis dicemus, materiæ designantur, recenseuturque Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii, et Psalmistæ seu Cantores. Eumdem numerum legere est in ea Romana Synodo quam aiunt sub S. Silvestro Pontifice Maximo celebratam; ubi tamen, ut recte notat Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo I, in eo duntaxat differt a præcedenti, quod Custodes martyrum quarto loco pro Psalmistis, quos Concilium Carthaginense ultimo loco recenset. Hodie, quidquid sit de Ecclesia Græca, ubi quinque solum Clericorum Ordines habentur, apud Latinos divisi sunt scriptores : nam Theologi septem duntaxat numerant, expungentes primam Tonsuram, et Episcopatum cum Presbyteratu confundentes; Canonici vero juris Interpretes, et primam Tonsuram inter Ordines referunt, et non sine fundamento a Presbyteratu Episcopatum distinguunt, ac supremum atque ultimum Ordinem constituunt. Id quod acerrime propugnat vir clarissimus Prosper Fagnanus, in cap. *Cum contingat* IX *De ætate et qualitate.*

Digitized by Google

§ I.

Quando Episcopus Ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria IV ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis Divinæ legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet.

COMMENTARIUS.

I. Totus hic præsens § desumptus est ex sessione XXIII Concilii Tridentini, cap. VII *De Reformatione*, ubi Patres aiunt ita se decrevisse, *antiquorum Canonum vestigiis inhærendo.* Certe in Concilio Namnetensi in Galliis habito, cujus meminit priscus auctor Ivo Carnotensis episcopus, lib. III, de Consecratione Episcopi, ita legimus can. XI : « Episcopus quando Ordi- » nationem facere disponit, omnes qui ad sa- » crum ministerium accedere volunt, feria » quarta ante ipsam Ordinationem evocandi » sunt ad civitatem, una cum Archipresbyteris » qui eos repræsentare debent. Et tunc Episco- » pus e latere suo dirigere debet Sacerdotes, et » alios prudentes viros, gnaros legis Divinæ, et » exercitatos in Ecclesiasticis functionibus, qui » Ordinandorum vitam, genus, patriam, æta- » tem, institutionem, locum ubi educati sunt, » si sint bene litterati, si in lege Domini in- » structi, diligenter investigent, etc. » Idipsum habent varii libri Pontificales, inter quos unus bibliothecæ Vaticanæ num. 4744, ubi agit de modo servando in Ordinationibus generalibus, ita inquit : « Quando Episcopus Ordinationes » generales facere disponit, debet præcipere » Archidiacono ut examinet Ordinandos, vel in » ejus absentia alicui alteri de latere suo; vel » ipsemet hoc faciat, etiam post examinationem » ab eis factam, quia non subest eis, sed supe- » rest. »

II. Plura autem sunt in Namnetensi Canone adnotanda. Primo quidem, Sacerdotes e latere Episcopi esse Canonicos ecclesiæ cathedralis, qui Clerum etiam et senatum Ecclesiæ repræsentant. Sicut enim olim ex Concilio Carthaginensi IV, canone XXII, anno 398, statutum fuit, « Ut Episcopus sine consilio Clericorum suo- » rum Clericos non ordinet, » ita quoque consentaneum videtur, ut Canonici potius cathedrales quam alii ad examinandum, cæteris paribus, assumantur. Quod non ita intelligendum est, ut Episcopus ipse, si velit, non possit Ordinandos examinare, quemadmodum liquet ex recitato cap. VII Concilii Tridentini; ubi nulla Canonicorum cathedralium, aut aliorum Clericorum seu Sacerdotum specialis prærogativa quoad hoc examen attribuitur, sed arbitrio Episcopi Examinatorum electio omnino relinquitur; atque hæc est complurium diœceseon praxis, præsertim in Belgio, ut testatur Vanespen *In jus Ecclesiasticum,* parte II, tit. IX, cap. IV, num. XV. Sane debent qui ad examen istud peragendum adhibentur, Presbyterali præsertim ordine, vel saltem Diaconali insigniti esse, ut recte docet eruditissimus Hallierius, *De sacris electionibus,* pag. 115; sic tamen, ut nunquam desint aliqui Sacerdotalis ordinis; cum Concilium Tridentinum secutum Namnetense, Sacerdotes præsertim accersendos innuere videatur, dum ad examen Sacerdotes et alios prudentes viros ab Episcopis evocandos præscribit. Sed et Theophilus Alexandrinus in Commonitorio, capite VI, ab Episcopo examen faciendum jubet *assentiente Sacerdotali Ordine :* ex quo nempe constat, Sacerdotes præcipue ad examinandum cum Episcopo assumendos.

III. Adnotandum est secundo, in Examinatores eligi eos debere qui gnari sunt legis Divinæ, et exercitati in Ecclesiasticis functionibus : id quod jam ante inculcaverat S. Gregorius, lib. II, Epistola XLVIII, ad Adeodatum episcopum missa, ubi ita inquit : « Si quando de his reci- » piendis, nempe ad sacros Ordines tractari ne- » cesse est, graves expertosque viros consiliis

Digitized by Google

» vestris adhibete participes, et cum eis com-
» muni de hoc deliberatione pensate. » Testatur S. Cyprianus, in Epistola XXIV. ad Clerum de Saturo lectore, et Optato hypodiacono factis, doctiores secum examini faciendo adhibuisse. Constat itaque ex sacris Canonibus, ac sanctis Patribus, quod ait laudatus Hallierius pag. 117, non probari hic examinatores sæcularium quadam litterarum gloriatione tumidos, divinæ legis ignaros, sanctionum Ecclesiasticarum imperitos, disciplinæ Ecclesiasticæ contemptores; non oratores, non poetas, non grammaticos; sed sacros Ecclesiæ mystas, Clericalis militiæ professores, Sacerdotes Domini, doctores Christianos : quorum in Ecclesiasticis functionibus ignoratio populo fideli noxia, desertio disciplinæ Clericalis, vel ab ea aberratio scandalosa, Ecclesiasticarum regularum violatio scelerata, rerum divinarum, vel earum quæ ad Christianam vitam et Sacramentorum administrationem pertinent, inscitia non potest quin sit culpabilis, quin Ecclesiæ Dei nociva, quin toti Ordini ignominiosa, etc.

IV. Adnotandum tertio, omnem interrogationem quæ fieri debet ab Examinatoribus circa Ordinandos, ad quædam capita a Conciliis revocari. Namnetense quidem diligenter investigari præcipit « Ordinandorum vitam, genus, » patriam, ætatem, institutionem, locum ubi » ordinati sunt, si sint bene litterati, si instructi » in lege Domini.... ante omnia autem, si fidem » catholicam firmiter teneant, et verbis simpli- » cibus asserere queant. » Concilium Tridentinum, ut supra vidimus, et nostrum Pontificale Romanum, Namnetensi Synodo per omnia fere consentiunt; jubentque investigari, et examinari debere, *genus Ordinandorum*, *personam*, *ætatem*, *institutionem*, *mores*, *doctrinam*, *et fidem*. Ex Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, quod nuper laudavimus, *Discutiendi sunt Ordinandi sigillatim de patria, de natalibus, de conditione personæ, de ætate, etc.* Quod autem Namnetenses Patres interrogari patriam præcipiant, etsi Glossa in canone *Quando*, verbo *Patriam*, distinctione XXIV, id fieri asserat, quod Patria aliquem vel commendet vel dejiciat; rectius tamen autumant cum Hallierio viri eruditi, patriam idcirco quæri, ne quis alterius diœcesis a non proprio Episcopo sine litteris dimissoriis postulet ordinari : et ut Clericis ordinandis convenientius Ecclesiasticus titulus in ordinatione assignetur; vel Ecclesiæ indigenti Clericis aut Sacerdotibus commodius succurratur juxta Tridentini placitum, quod neminem vult ordinari, nisi Ecclesiæ necessitas vel utilitas postularit; deinde quod eum qui in urbe natus fuerit, difficile se vico cuidam adscribi patiatur, et vicaneus origine, facilius se vicis addici ferat; denique quod unusquisque suæ patriæ Clero, in qua mores ejus noti et explorati, quantum fieri potest, et ubi cætera sunt paria, convenientius addicatur.

V. Age videamus cætera quæ in Ordinandis examinari mandat nostrum Pontificale Romanum, et binæ laudatæ Synodi Namnetensis et Tridentina. Genus in primis jubent investigandum : an ex catholicis scilicet vel hæreticis parentibus, an ex justis nuptiis vel damnato coitu, an de serva vel libera matre nati sint, juxta expositionem complurium Scriptorum, quos citat ac sequitur Augustinus Barbosa in Concilium Tridentinum, et parte II *De officio et potestate Episcopi*, allegatione X, ubi aiunt ipsi Auctores, voluisse concilii Tridentini Patres, in dicta sessione XXIII, *De Reformatione*, cap. VII, ut Episcopi inquirant an promovendus sit ex filiis vel nepotibus hæreticorum, hæresisve fautorum aut defensorum, sive receptatorum, quos jus a suscipiendis Ordinibus excludit usque ad secundum gradum per lineam masculinam, vel usque ad primum per lineam femininam; vel an sit filius ancillæ, et sit servus.

VI. Circa personam Ordinandi quærendum est, an corpore vitiata sit, vel insigniter deformis; Canonicis etenim iteratis sanctionibus providentissime cautum est ne hujusmodi homines ordinarentur, etsi Jueninus in suo opere de Sacramentis, ubi agit de irregularitate, quæstione VI, articulo VIII, ostendere conetur, apud Græcos corporis maculas, aut membrorum defectus, si Ordinis exercitium absolute non impediant, nusquam inter irregularitates habitas fuisse; apud Latinos vero, quatuor prioribus sæculis corporis vitia quæ non impediebant Ordinis exercitium, a Clero neminem exclusisse. Certe in Lege veteri, Levitici cap. XXI, Dominus alloquens Moysen, ita inquit : *Omnis qui habuerit maculam a semine Aaron sacerdotis, non accedat hostias offerre Domino.* Quæ verba morali interpretatione prosequitur S. Gregorius relatus

Digitized by Google

in canone *Hinc etenim*, distinctione XLIX; et S. Gelasius in Epistola IX, ad Episcopos per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutos, in Mosaicæ Legis decretum, majorum traditionem, et veterem Sedis Apostolicæ formam refundit irregularitatem, quæ ex membrorum defectu et corporis vitio oritur : « Illitteratos, inquit, et » nonnulla parte corporis imminutos sine ullo » respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire » servitium. Quod simul antiqua traditio et » Apostolicæ Sedis vetus forma non recepit, et » vitiosum nihil prorsus Deo offerre, legalia » præcepta sanxerunt. » Ea de causa Ammonius, monachus vitæ sanctitate insignis, « cum » ad Episcopatum traheretur, fuga dilapsus » dextram sibi aurem amputavit, ut corporis » mutilatione Ordinationis honorem fugeret; » ut refert Socrates, lib. IV *Historiæ Ecclesiasticæ*, c. XXIII; additque ex Sozomeno, lib. VI, c. XXX, ita etiam fuisse Ammonium tunc locutum : « Me deinceps ne volentem quidem lex sacer- » dotalis ordinari permittit; nam neminem, qui » non sit integris membris, Sacerdotem institui » fas est. » Videsis quæ fuse de hac irregularitate dicta sunt in Commentario canonis primi Nicæni, nostro I tomo Conciliorum. Porro de integritate membrorum Ordinandi notabile est, quod duo Romana Pontificalia, alterum Lugduni anno 1542, alterum Venetiis anno 1572, hunc in modum præscribunt : *Discutiendi etiam sunt de integritate membrorum, ne sit in eis debilitas, deformitas, vel impotentia; palpata, considerata et tota numerata eorum facie, oculis, auribus, naribus, manibus et digitis eorum; ac pedibus, si opus fuerit, discalciatis, ne forte sint lignei; et denique toto corpore considerato, ne sint gibbosi, torti, vel nimis claudi.* Eadem leguntur in manuscripto bibliothecæ Vaticanæ Pontificali.

VII. Quamvis autem ex facie duntaxat non sit de aliqua persona judicandum, juxta illud Christi Domini : *Nolite judicare secundum faciem;* non tamen prætermittenda est ab Examinatoribus diligens consideratio motus, gestus, incessus, aspectus, locutionis, totius habitus corporis; qui si levitatem sapiat, ad Ordines non facile admittendi sunt candidati, sed diuturniori temporis intervallo probandi, ut eruditus Natalis Alexander *De Sacramento Ordinis*, regula XVI, ex doctrina et exemplo S. Ambrosii colligit, qui lib. I *De Officiis*, cap. XVIII, ita inquit : « Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, » tenenda verecundia : habitus enim mentis in » corporis statu cernitur. Hinc homo cordis » nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, » aut turbidior; aut contra gravior, et constan- » tior, et purior, et maturior æstimatur : itaque » vox quædam est animi, corporis motus. Me- » ministis, Filii, quemdam amicum, cum se- » dulis se videretur commendare officiis, hoc » solo tamen in Clero a me non receptum, quod » gestus ejus plurimum dedeceret : alterum » quoque cum in Clero reperissem, jussisse » me ne unquam præiret mihi, quia velut » quodam insolentis incessus verbere oculos » feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post » offensam Muneri. Hoc solum excepi, nec fe- » fellit sententia; uterque enim ab Ecclesia re- » cessit, ut qualis incessu prodebatur, talis per- » fidia animi demonstraretur. Namque alter » Arianæ infestationis tempore fidem deseruit; » alter pecuniæ studio, ne judicium subiret Sa- » cerdotale, se nostrum negavit. Lucebat in » illorum incessu imago levitatis, et species » quædam scurrarum percursantium. » Ita S. Ambrosius, cujus verba mirifice depingunt quosdam nostræ tempestatis Clericos, quibus congruit quod ait S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis : « Tales » cum videris, sponsos magis existimato quam » Clericos. »

VIII. Illud potissimum circa Ordinandi personam sciendum est, muliebrem sexum ita ineptum esse sacræ Ordinationi quæ sacramentum sit recipiendæ, ut si in ipso muliebri sexu illa tentetur, irrita prorsus sit ac nulla. Quod quidem ex sacra traditione perspicue probari potest, qua constat Ecclesiæ Patres damnasse hæreticos Gnosticos, Collyridianos, aliosque complures, quod in sua secta mulieribus sacros Ordines, ipsumque etiam Sacerdotium, concederent. De hujusmodi feminis hæc scribit Tertullianus in lib. *De præscriptionibus*, cap. XI : « Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ » audeant docere, contendere, exorcismos agere, » curationes repromittere, forsitan et tingere. » S. Epiphanius, hæresi XLIX, Quintillianorum sive Pepuzianorum errorem impium describit, atque impugnat, apud quos mulieres episcopi erant et presbyteri, et ad cæteros gradus adlegebantur. Hæresi quoque LXXIX, memoratos

Digitized by Google

Collyridianos sugillat, apud quos mulieres quædam currum sive sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento, solemni tempore per dies panem proponebant, et in Mariæ Virginis nomen offerebant : ostenditque, nunquam ex quo mundus conditus est, Sacerdotio functam esse mulierem, sive tempore legis naturæ, sive legis Mosaicæ, sive Legis gratiæ.

IX. Quod spectat ætatem Ordinandorum, docet S. Leo Magnus, illud Apostoli monitum in Epistola I ad Timotheum cap. V, *Nemini cito manus imposueris*, respicere in primis legitimam promovendi ætatem. Sic enim, inquit in Epistola LXXXVI : « Quid est cito manus impo- » nere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tem- » pus examinis, ante meritum laboris, ante ex- » perientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem » tribuere non probatis? » Sane quamvis juxta veterem disciplinam varia essent tempora assignata tam pro majoribus quam minoribus Ordinibus, ut suo loco dicemus; nunc autem post Tridentinum ætas requisita ad primam Tonsuram, illa est quæ communiter ad usum rationis deputatur, id est septem annorum, quia hæc sufficiens ad ea judicatur quæ sessione XXIII, cap. IV, pro initiandis prima Tonsura requiruntur. Pro minoribus Ordinibus nulla est ætas a Concilio præscripta, sed Episcopi arbitrio relinquitur, qui ea ætate qua compererit ipsos esse ad hoc munus sufficientes, poterit pueros ordinare, et communiter post completum septennium, nisi aliud ipsi Episcopo magis congruum videatur, ut docent passim sacri Scriptores. Olim quidem minores Ordines infantibus ipsis conferri potuisse, testes sunt duo Pontifices Maximi, Siricius et Zosimus, ambo in Epistola I. In libro Pontificali legitur quidem Eugenius Papa I *Clericus a cunabulis;* constatque ex Cyrillo Scytopolitano in vita S. Euthymii abbatis, Analectorum Græcorum tomo I, ipsum Euthymium triennem Ottrejo Melitinensi episcopo oblatum fuisse : « Qui susceptum puerum baptizavit, et » totondit, commissæque sibi Ecclesiæ lectorem » fecit, atque in Episcopio accepit et enutrivit. »

X. Sed obtinuisse eum morem ut ab infantia a parentibus filii offerrentur Ecclesiæ in partem Cleri assumendi, primis non solum Ecclesiæ sæculis, sed et subsequentibus, Historiæ nos docent. An vero in ipsa infantia Clericali Tonsura insimul et lectoratus Ordine, ut laudatus Cyrillus Scytopolitanus videtur innuere, pueri insignirentur; et an ad pubertatem perventi, in Clericali militia, cui ex parentum voto nomen dederant, permanere tenerentur; hæc duo non ita clara videntur, ut accuratiori examine illustrari non mereantur. Morinus, in libro *De Sacris Ordinibus*, parte III, exercitatione XV, de Tonsura Clericali cap. III, docet, pueros oblatos Ecclesiæ, fuisse statim inter Clericos receptos, et Tonsura et Clericatu donatos. In cujus rei probationem plurium testimonia affert. Nos ab illis omnibus allegandis supersedemus, contenti in medium proferre Concilium Carthaginense III, anno 397, in quo legitur : « Placuit ut Le- » ctores, cum ad annos pubertatis venerint, co- » gantur etc. » Item Concilium Tolet. II, anno 589 : « De his quos voluntas parentum a primis » infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, » statuimus observandum, ut mox cum detonsi, » vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in » domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a » præposito sibi debeant erudiri. » Quare laudatus Morinus concludit cap. IV : « Pueri igitur » cum Clericatui offerebantur, simul quoque » Lectoratui initiabantur, nec tum consueverant » Episcopi Ordinibus non initiatos tondere. »

XI. Hujus rei exemplum nobis suppeditat sancti Sulpitii vita, apud Surium 17 Januarii. Sententiam Morini pluribus firmat exemplis solertissimus priscorum rituum indagator Edmundus Martenius, *De antiquis Ecclesiæ ritibus* tomo II, lib. I, cap. III, num. III. Et Ordo Romanus, qui continet cæremonias omnes in Ecclesia Romana observari solitas ante circiter septingentos annos, atque etiam multo antiquiores, ubi de Ordinibus agit, ita præfatur : *In quacumque schola reperti pueri bene psallentes, tollantur inde, et nutriantur in schola Cantorum, et postea fiant cubicularii.... deinde sicut Sacramentorum Codex continet.... usque in Subdiaconatus officium ordinentur.* Constat igitur viguisse per plura sæcula (ut fusiori calamo probat Cl. pater Baldinus in Not. ad Anast. Biblioth. de Vitis Rom. Pont. tom. IV, sectione CXXXIV) in Ecclesia ritum oblatos a parentibus infantes in Clerum accipiendi, et ad Tonsuram et Lectoratum admittendi : eaque de causa, ut inquit cardinalis Bona, lib. I Rerum Liturg. cap. XXV, num. XVIII, « oriebatur, ut rerum » Ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus

Digitized by Google

fuerant ab ipsa infantia enutriti. » An vero semel Ecclesiæ ab infantia oblati possent ad laicos redire, vel in Clericali statu permanere cogerentur, super hoc, inquit laudatus Bibliothecarii illustrator, praxis Ecclesiæ pro diversis temporibus diversa fuit. Concilium quidem Carthag. III, superius citatum, per ea verba cap. XIX, « Placuit ut Lectores, cum ad annos pubertatis » venerint, cogantur aut uxores ducere, aut » continentiam profiteri, » videtur reliquisse in Clericorum potestate, in statu Clericali permanere, aut discedere.

XII. Verum secus statuit Concilium Chalcedonense an. 451, can. VII : « Qui semel in Clero » deputati sunt, aut Monachorum vitam elege- » runt, statuimus, neque ad militiam, neque ad » dignitatem aliquam venire mundanam, etc. » Ecclesiæ antiquæ disciplinæ conformis erat Regula S. Benedicti, cap. LIX, circa pueros, « quos » irrevocabili jure voto parentum adstringi S. Ab- » bas præcipit; » ut inquit Mabillonius, præf. I in sæculum VI Ordinis S. Benedicti; probatque Rabanus Maurus libello singulari quem adversus quosdam huic Regulæ præscripto resistentes composuit. Hinc in formulis oblationum puerorum a parentibus factarum solemnis est ea conditio, « ita ut ab hac die non liceat collum » excutere de sub collo Regulæ. » Et Martenius in hanc Regulam S. Patris cap. LIX, hanc formulam ex veteribus Cod. recitat : « Trado pue- » rum istum in devotione Domini nostri Jesu » Christi, coram Deo et Sanctis ejus, ut persi- » stat omnibus diebus vitæ suæ, et fiat mona- » chus usque ad mortem suam. » Verum severior hæc disciplina sublata penitus fuit labente sæculo XII, per Cœlestinum III, cujus præscripta sequutus Innocentius III, lib. XV, Epist. CXVI, ad Lugdunensem Episcopum scripsit : « Ut mino- » ris ætatis filii, qui oblati monasterio fuerint, » suscipientes habitum vel tonsuram, si a Præ- » latis suis anno decimo quinto requisiti se in » assumptæ religionis proposito consenserint » permansuros, pœnitendi licentia præcludatur; » alioquin eis non adimatur ad sæculum rede- » undi facultas, ne coacta præstare Deo servitia » videantur. » Sed his omissis,

XIII. Institutio, quam in Ordinando investigari jubent Concilia, est certe titulus tam Ecclesiasticus, cui quis adscribendus est, quam patrimonialis, qui ad vitæ sustentationem in defectum sufficientem redituum Ecclesiasticorum exigitur. Multa essent hic admonenda, sed vide quæ fuse diximus in nostro primo tomo Conciliorum, ad canonem VII Chalcedonensem.

XIV. Examen circa mores hominis sæcularis promoveri volentis, docente Augustino Barbosa *De officio et potestate Episcopi*, parte II, allegatione X, sic debet fieri : Si ad Ordines minores est promovendus, bonum a Parocho et magistro scholæ in qua educatur, testimonium requirit Synodus Tridentina, sessione XXIII *De reformatione*, cap. V. Si vero ad sacros provehendus est Ordines, jubet eadem Synodus, ut per mensem ante Ordinationem Episcopum adeat, ut Parocho, vel alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nomen et desiderium promovendi publice in ecclesia proponat, et de illius natalibus, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et testimoniales litteras de inquisitione facta ad Episcopum mittat. Aliud scrutinium habetur quidem feria IV ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo placuerit, vocatis peritis ac probis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, ut superius fuse dictum est : quod et perspicue liquet ex S. Cypriano, qui in Epistola XXXIII ita scribit : « In Ordinationibus Clericis, » Fratres charissimi, solemus vos ante consule- » re, ac mores et merita singulorum communi » consilio ponderare. » Idem habetur ex Epistola LXVIII, et apud S. Basilium Epistola CLXXXI, ubi hæc materia fusius pertractatur. Idem denique videre licet apud Lampridium, qui de Alexandro Severo imperatore id scriptum reliquit : « Ubi » aliquis voluisset vel rectores provinciis dare, » vel præpositos facere, vel procuratores, id est » rationales ordinare, nomina eorum propone- » nebat, hortans populum ut, si quis quid habe- » ret criminis, probaret manifestisrebus; si non » probasset, subiret pœnam capitis : dicebatque » grave esse, cum id Christiani et Judæi facerent » in ordinandis sacerdotibus, non fieri in pro- » vinciarum rectoribus, quibus et fortunæ ho- » minum committerentur et capita. » Porro de morum probitate recipiendis Ordinibus prærequisita, docent nos prisci Canones eos qui post Baptismum in flagitia licet occulta lapsi essent, ad Clericatum admitti minime potuisse, ut constat ex Canone LX, vulgo Apostolorum : « Si » adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, » vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus

Digitized by Google

» alias prohibitæ actionis, et convictus fuerit, » ad Clerum non provehatur. » Concilium Nicænum I, canone IX et canone X, hujusmodi homines si furtim in Clericatum irrepsissent, detectis eorum criminibus, depositionis pœna mulctari mandat. Vide in ipsos Canones fusiores commentarios qui exstant in nostro I tomo Conciliorum.

XV. Præter probitatem vitæ, debent etiam esse præditi scientia ad Ordines promovendi : quæ quidem non per testes et famam, sed ex actuali examine probari debet; quod adeo verum est ut, nec Regulares ipsi excusentur, quominus de doctrina examinari possint, ut habetur ex Concilio Tridentino, sess. XXIII *De reformatione*, cap. XII. Sunt autem singuli examinandi de qualitatibus, et requisitis Ordinum singulorum, ac de cujusque Ordinis officio quem suscepturi sunt, ut late ostendit Barbosa parte II, *De officio et potestate Episcopi*. Porro peccaret haud dubie lethaliter Episcopus qui idiotas, seu nescientes ea quæ a Concilio Tridentino decernuntur, ordinaret; quia in re gravissima, qualis est idoneos Ecclesiæ ministros assignare, contra sanctiones Canonicas ageret, maximamque universo Ecclesiastico statui, ac potissimum sæculari, injuriam irrogaret. Qui enim populis illitteratos præficiunt, docet S. Leo Magnus, Epistola LXXXVII, nocere eos potius quam prodesse : « Non est hoc consulere populis, sed » nocere, nec præstare regimen, sed augere » discrimen. » Et Greg. papa III, in præfatione ad sua judicia inquit : « Si indocti ad Sacerdo- » tium provehuntur, considerandum est quid de » gregibus agatur, quando lupi pastores fiunt. » Recte itaque docent saniores Theologi, ac canonici jurisconsulti, non posse Summum Pontificem in hujusmodi irregularitate dispensare, quia est contra jus divinum, ut habetur Oseæ cap. IV : *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam;* et contra jus naturale, ut quis ad ministerium assumatur, qui ad illud ineptus est. « Nemo, » inquit Gelasius papa apud Gratianum, distinctione XXXVI, « illitteratos ad Clericatus Ordinem » promovere præsumat, quia litteris carens, » sacris non potest aptus esse officiis. »

XVI. Homines illitteratos ita olim Patres ac Summi Pontifices sacris Ordinibus ineptos judicarunt, ut eos, si per Ordinatorum negligentiam irrepsissent, discere coegerint, Ordinumque functionibus interdixerint, donec convenientem Ordini scientiam adepti fuissent : « Amodo, » inquiunt patres Concilii Narbonensis anni 589, can. XI, « nulli liceat Episcoporum ordinare Dia- » conum aut Presbyterum litteras ignorantem : » sed si qui ordinati fuerint, cogantur discere. » Qui vero Diaconus aut Presbyter fuerit litteris » ineruditus, et desidiose legere vel implere of- » ficium suum distulerit, et in Ecclesia ad om- » nia utilis non fuerit, a stipendio rejiciendum, » et inclinandum quoadusque curvatus impleat » et defendat quod esse cognoscitur. Ad quid » erit in Ecclesia Dei, si non fuerit ad legen- » dum exercitatus? Etsi perseveravit desidiose, » et non vult proficere, mittatur in monasterio, » quia non potest ædificare populum. » Patres quoque Concilii Romani sub Eugenio II, Pontifice Maximo, ita inquiunt apud Antonium Augustinum lib. VI, tit. IX : « Quanquam admonita » Doctorum et statuta Patrum Sacerdotes in- » doctos prohibeant consecrari; opportuni tem- » poris moderatione, si Episcopus inveniatur » indoctus, a Metropolitano proprio, et dein- » ceps Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi, vel » etiam Subdiaconi a suo Episcopo, ut doceri » possint, admoneantur. Interim subjecti Sa- » cerdotes, et tales Clerici ad tempus a celebra- » tione divinæ Hostiæ et officiis suspendantur, » ut docti valeant ad debitum ministerium ad- » venire. » Concludendum itaque, teneri Episcopum per se vel per idoneos Examinatores examinare omnes Ordinandos, nisi aliunde sint apud omnes in opinione litteratorum habiti, vel sibi de hoc manifeste constet.

XVII. Discutienda est denique ab Examinatoribus Ordinandi Fides, cavendumque summopere est ne de Fide male sentientes in doctorum ductorumque populi Christiani album referantur. Hinc antiquiores Synodi eam promulgarunt de qua agimus irregularitatem : quinimo patres concilii Illiberritani non modo reversos ex hæresi non esse ordinandos, sed et ordinatos deponendos omnino esse, providentissime statuerunt, sic aientes canone LI : « Ex omni hæresi, » qui ad nos fidelis venerit, minime est ad » Clerum promovendus : vel si qui sunt, in præ- » teritum ordinati sine dubio deponantur. » Idem edicit Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epistola XXII, cap. IV, ubi ita loquitur : « Nostræ » vero lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis,

Digitized by Google

» qui tamen illic baptizati sunt, per manus im-
» positionem laicam tantum tribuere commu-
» nionem, nec ex his aliquem in Clericatus
» honorem, vel exiguum subrogare. » Rationem ejus irregularitatis videtur docere S. Leo Magnus in Epistola III, ad Episcopum Aquileensem : « Quod si cum grandi, inquit, examina-
» tione promotio conceditur inculpatis, multo
» magis non debet licere suspectis : non enim
» levem apud Deum noxam incurrit, qui de
» talibus ad sacros promovendos Ordines judi-
» caverit. »

VIII. Tradunt plerique Auctores, ejusmodi irregularitatem, quæ ob hæresim proficiscitur, jure novo extendi etiam ad illos quorum parentes avusque in hæresi mortui fuerint. Ita nempe edictum esse contendunt ab Alexandro papa IV, in cap. *Quicumque de Hæreticis* in VI, et ab Innocentio IV, quem laudat Bonifacius VIII, in cap. *Statutum*, tit. eodem. Verum rectius autumant alii, illum recentioris juris vigorem intelligi tantum de beneficiis, non autem de Ordinibus, quia scilicet illorum, non autem istorum meminit, nec ultra terminos quibus constat odiosa, ut vocant, decreta extendi debent. Addit Jueninus de irregularitate disserens, cap. II, articulo I, nec intelligi etiam de beneficiis, quæ ante patris aut matris lapsum obtenta fuissent : idque Fagnano teste, in lib. IV *Decretalium*, parte I, anno 1594, audita Inquisitorum sententia, determinatum est a Summo Pontifice. Lubet denique aliis, neque extendi jus novum ad provincias in quibus ex hæresi nulla omnino infamia contrahitur, uti olim in Galliis, ubi hæretici Calvinistæ publice tolerabantur, et nostro hoc etiam ævo in Germania, ubi etiam nunc cum multis aliis tolerantur; additque Bonacina, disputatione VII *De Irregularitate*, quæstione III, puncto VII, propositione II, numero IX, invaluisse alicubi consuetudinem, ut jam ii non habeantur irregulares qui hæresim professi tandem redeunt in Ecclesiæ sinum : « Irregu-
» lares remanent, inquit, etiam post conver-
» sionem, nisi dispensentur, aut quando aliter
» receptum est consuetudine in aliquo loco, ut
» in aliquibus Germaniæ locis servari videtur. »

§ II.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.

COMMENTARIUS.

I. Fuse ac erudite ostendit Thomassinus, parte I *Disciplinæ Ecclesiasticæ*, lib. II, capite LXVII et seqq. varium fuisse usum circa ætatem singulis Ordinibus, quos sacros vocant, suscipiendis jam olim præscriptam. Concilium Toletanum II, anni 531, can. I, vigesimum annum ordinandis Subdiaconis assignat. Idipsum statuit Concilium Trullanum, can. XV : « Subdiaco-
» nus ne minor viginti annis ordinetur. » Cassat Novellam constitutionem CXXIII, imperatoris Justiniani, qui cap. XIII Subdiaconis ordinandis annum vigesimum quintum determinavit : « Sub-
» diaconum, inquit, fieri non permittimus
» minorem viginti quinque annis. » Synodus Melphensis sub Urbano II, Pontifice Maximo, anno 1089, vel ut aliis lubet 1090 celebrata, can. IV, conferri permittit Subdiaconatum anno decimo quarto, vel decimo quinto; « Constitui-
» mus, ut nemo annos quindecim, aut qua-
» tuordecim, Subdiaconus ordinetur. » Testatur sua adhuc ætate Hugo Victorinus, lib. II *De Sacramentis*, parte III, cap. XXI, non consuevisse dari Subdiaconatum ante annum ætatis decimum quartum. Concilium Ravennatense III, sub Clemente V, cap. XII, annos sexdecim requisivit. Ipse vero Clemens in concilio suo œcumenico Viennensi annos duodeviginti, uti videre est in Clementinis lib. I, tit. VI, cap. III, duravitque hæc disciplina usque ad concilium Tridentinum; constat etenim ex Pontificali Romano Leonis

Digitized by Google

papæ X tempore typis mandato, et ex Concilio Narbonensi anni 1551, cap. IV, annos decem et octo natum posse Subdiaconatus ordine donari. Sacrosancta Tridentina Synodus, cujus decretis hodie vivimus, sessione XXIII *De Reformatione*, unde præsens hæc nostri Pontificalis rubrica et complures sequentes desumptæ sunt, Subdiaconis defixit annum vigesimum primum completum. Quamobrem corrigenda est rubrica Romani Pontificalis editi Venetiis apud Juntas, anno 1572, ubi præscriptum legimus quod a Tridentina Synodo circa ætatem emendatum fuit : sic enim inquit rubrica memorati Pontificalis : *Non debet quis ad Subdiaconatum ordinari, nisi decimum octavum; neque ad Diaconatum, nisi vigesimum; neque ad Presbyteratum, nisi vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit.*

II. De ætate ad Diaconatum Presbyteratumque suscipiendum requisita, recte ait Edmundus Martenius, *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* libro I, cap. VIII, articulo III, num. IV, non fuisse apud veteres tantam diversitatem ; nam omnes pene antiqui Canones annos viginti quinque in Diacono, et triginta in Presbytero requirunt. Concilium Neocæsariense anni 314, can. XI, juxta editionem Dionysii Exigui : « Presbyter, inquit, » ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus » ordinetur, licet valde sit dignus; sed hoc tem» pus observet. » Præscriptæ ejus ætatis mox hanc subjicit rationem : « Nam Dominus noster » tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est et sic » cœpit docere. » Ejusdem rationis subobscure meminit S. Hieronymus, in Epistola LXII, ad Theophilum patriarcham Alexandrinum, cap. III, ubi ita inquit : « Triginta annorum ætas » juxta mysterium assumpti hominis in Chri» sto, » qui tunc docere et presbyterum ac episcopum agere cœpit, « perfecta est. » Addit mox et aliam rationem : « Recordetur » Joannes Jerosolymæ Episcopus « legis antiquæ, et post vi» ginti quinque annos a Levitica tribu eligi in » Sacerdotium pervidebit : aut si in hoc solo tes» timonio Hebraicam sequitur veritatem, no» verit triginta annorum fieri Sacerdotem. »

III. De Diaconorum ætate ita inquit Concilium Carthaginense III, anni 397, can. IV : « Item » placuit, ut ante viginti quinque annos ætatis » nec Diaconi ordinentur. » Canoni huic Carthaginensi quam maxime adstipulatur Concilium Toletanum IV, anni 633, can. XIX, invehiturque in quosdam Episcopos, qui passim etiam pueros atque infantes, contra Canones ac legem Divinam, in Diaconos provehebant : « In veteri » Lege ab anno vigesimo quinto Levitæ in taber» naculo servire mandantur, cujus auctoritatem » in Canonibus et sancti Patres secuti sunt. Nos » et divinæ legis et Conciliorum præcepti imme» mores, infantes et pueros Levitas facimus an» te legitimam ætatem et ante experientiam » vitæ : ideoque, ne ulterius fiat a nobis, et di» vinæ Legis et Canonum admonemur senten» tiis. Sed viginti quinque annorum ætatis Le» vitæ consecrentur, et triginta Presbyteri » ordinentur, ita ut secundum præceptum » Apostolicum probentur primum, et sic minis» trent, nullum crimen habentes. » Hinc vides, correctam Novellam constitutionem CXXIII Justiniani imperatoris, qui cap. XIII ita edixit : « Presbyterum minorem triginta quinque annis » fieri non permittimus. » Græci ipsi ipsam Novellam, quæ est fere tota de rebus Ecclesiasticis, adeo contempserunt, ut in sexta Synodo, can. XIV, priscos Canones, ac præsertim Neocæsariensem renovaverint circa ætatem Diaconi ac Presbyteri : « Sanctorum, divinorumque Pa» trum nostrorum Canon in his quoque valeat, » ut Presbyter ante triginta annos non ordine» tur, etiamsi sit homo valde dignus, sed reser» vetur. Dominus enim Jesus Christus trigesimo » anno baptizatus est et cœpit docere. Similiter, » nec Diaconus ante viginti quinque annos or» dinetur. » Exstant hanc in rem plerique Canones quos citat Lupus in scholio ad laudatum canonem XIV Trullanum. Vide etiam Martenium et Thomassinum, in superius laudatis locis. Sed stamus hodie decretis Concilii Tridentini, quibus nemo ad Diaconatus Ordinem ante vigesimum tertium, et ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri potest, ex sessione XXIII *De reformatione*, cap. XII, ubi nota quod statim sequitur, non debere scilicet singulos in præscripta ætate constitutos ad sacros Ordines assumi, « sed dignos dunta» xat, et quorum probata vita senectus sit; » rationemque ejus rei addiscimus ex Concilio Lateranensi III, cap. III : « Cum in sacris Ordini» bus et Ministris Ecclesiasticis, et ætatis matu» ritas, et morum gravitas, et scientia litterarum » inquirenda sit. »

IV. De Regularibus supervacaneum est dis-

Digitized by Google

putare, an possint sine examine et sine præscripta ætate sacris Ordinibus ordinari, vigore suorum privilegiorum : perspicue enim Tridentini Patres in laudata sessione XXIII, cap. XII, in fine inquiunt : « Regulares quoque nec in » minori ætate, nec sine diligenti Episcopi » examine ordinentur, privilegiis quibuscum- » que quoad hoc penitus exclusis. » Cum ergo clare de revocatione privilegii constet, frustra sunt qui privilegium Innocentii Papæ VIII obtendunt, Fratribus Minoribus concessum, ut possent generales et provinciales ex juxta causa dispensare cum suis subditis, ut post vigesimum secundum annum ad Sacerdotium admittantur. Et quamvis fateantur nonnulli tale privilegium fuisse per Concilium Tridentinum revocatum, audacter nihilominus contendunt, sanctum Pium V, Pontificem Maximum, vivæ vocis oraculo, eisdem Minoribus concessisse, ut in conscientia uti possent omnibus privilegiis suæ Religioni a suis prædecessoribus elargitis, etiam Tridentino Concilio refragantibus. At hæc et similia deliramenta, vel ex eo penitus evanescunt, quod omnia vivæ vocis oracula omnino revocata sint a Gregorio XV, sua Constitutione XXVII, et ab Urbano VIII, alia Constitutione quæ incipit : *Alias felicis recordationis Gregorii XV.*

V. Flocci insuper pendi debet si quod habent privilegium Regulares, ne examen subire cogantur, si ordinari velint. Aperte enim id cautum est ex Concilio Tridentino : quod quidem consentaneum est decreto Synodi quintæ Lateranensis, ubi Leo X, sessione XI, in bulla quæ incipit, *Dum intra*, Regulares qui ad Ordines promovendi sunt, admittendos decernit, « post- » quam per Ordinarios de grammatica et suffi- » cientia examinati fuerint, » et dummodo competenter respondeant. Concilium Coloniense anni 1536, parte I, cap. XV, ab examinatione neminem excipit, « etsi magisterii titulum præ- » texat; » additque hæc statim : « Nedum Cle- » rici qui Sæculares appellantur, sed et Religiosi » cujuslibet professionis fuerint, hanc censuram » experientur. » Idipsum liquet ex variis Conciliis provinciliabus, ac præsertim Mediolanensibus S. Caroli post Tridentinum celebratis; sed non debet omitti celebre ac vetus constitutum Gelasii papæ, qui in Epistola IX, ad Episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos, perspicue edicit, ut Monachorum vita ab Episcopis expendi et examinari debeat : « Si quis Monaste- » rialibus disciplinis eruditus ad Clericale munus » accedat, etiam de laicis anteacta ejus vita re- » quiratur : Ne sit aliquo facinore infectus, vel » illitteratus, vel digamus, vel ab adolescentia » sordidatus, vel corpore vitiatus, vel servilis, » vel originariæ conditionis, vel curiæ, vel pu- » blicarum rerum nexibus implicatus, vel pu- » blica pœnitentia notatus, vel nulla congruen- » tis temporis expectatione discussus. » Plura cumulat Hallierius in opere de Sacris Electionibus et Ordinationibus, ubi late ostendit, non modo circa doctrinam, verum etiam circa mores examinari posse Regulares ab Episcopis. Quod nec mirum videri debet, cum S. Augustinus Episcopus Hipponensis, quem Monachum volunt, auctoremque ordinis Eremitarum, atque Canonicorum Regularium parentem, Epistola LX, alias LXXVI, ingenue scribat : « Ex his qui » in monasterio permanent, nonnisi probatiores » ac meliores se in Clerum assumere solere.... » Cum aliquando etiam bonus Monachus vix » bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens » continentia, et tamen desit instructio neces- » saria, aut personæ regularis integritas. »

[« Haud difficile agnoscere est in hoc loco, et » in sexcentis aliis, eruditissimum Pontificalis » Romani explanatorem parum Regularibus fa- » vere ; de quo rationem reddere abstinendum » judicamus. Satius erit verbis e S. Augustino » allegatis oraculum Sedis Apostolicæ per os » S. Siricii papæ opponere, quo profitetur Ro- » mana Ecclesia Regulares valde congruenter ad » sacros Ordines assumi. Sic enim scribit Siri- » cius, qui ab anno 385 ad annum 398 univer- » sæ Ecclesiæ præfuit, in celebri Decretali epi- » stola ad Himerium Tarraconensem : *Monachos* » *quoque, quos tamen morum gravitas, et vitæ* » *ac fidei institutio commendat, Clericorum of-* » *ficiis aggregari* ET OPTAMUS ET VOLUMUS. Non » aliter censuit S. Gregorius Magnus cujus ver- » ba, licet satis celebrata, juvat hic repetere : *Vi-* » *detur nobis quia qui sua pro Deo relinquunt,* » *et a passione et a morte ejus sumunt exordia* » *mutatæ conversationis,* DIGNIUS *liceat bapti-* » *zare, communionem dare, pœnitentiam im-* » *ponere, peccata solvere.* Legenda est quoque » censura Propositionis LXXX Synodi Pistorien- » sis, in Constitutione *Auctorem fidei* quam » dedit providentissimus pontifex Pius VI. »]

Digitized by Google

§ III.

Prima Tonsura non initientur qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et Fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant; et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

COMMENTARIUS.

I. Quinque in hac Rubrica continentur conditiones expendendæ in examine suscipere cupientis clericalem Tonsuram. Prima est, ut Confirmationis sacramento munitus sit. Ratio est, quia per Confirmationem perfectus quis fit Christianus, ut habetur in canone I, *de Consecratione,* distinctione V, « ut pleni Christiani » inveniantur, » et juxta S. Dionysium *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. II : « Perficiens » Unctio sacra divini ortus perfectio est. » Quæ perfectio, ut docent plerique auctores, necessaria est iis qui ad Ordinem et statum Ecclesiasticum promoveri debent. Præsupponit autem Tonsura vel Ordo characterem Confirmationis de necessitate præcepti, ut aiunt, non autem de necessitate Sacramenti, quemadmodum tradit Navarrus in Manuali, cap. XXII; quamobrem ipsam Tonsuram, seu Ordinis sacramentum valide, sed non licite conferri posse illi qui non est Confirmatus, docet Sotus in IV, dist. XXII, quæst. II, articulo IV, prope finem : quinimo laudatus Navarrus, quem plerique Doctores secuti sunt, non addubitat affirmare eum qui, secluso contemptu, Tonsuram susciperet, non munitum sacramento Confirmationis, in lethalem culpam minime incidere; quia scilicet Concilium Tridentinum id quidem non prohibet sub lethali culpa, neque obligationem ullam indicat quæ involvat peccatum lethale; solumque indecentia quædam est. Ego amplector opinionem cardinalis Toleti, aliorumque complurium, qui docent peccare illum mortaliter, cum agat contra præceptum Concilii; quod quidem consentaneum est cum veteri Ecclesiæ disciplina : Cornelius enim, Pontifex Maximus, in Epistola ad Fabium Antiochenum, inter alia Novatianum sugillat, quod Ordinationi Confirmationem non præmisisset, secundum Ecclesiæ canonem : quin et Concilium Nicænum I, canone VIII, Novatianis Clericis ea lege Ecclesiasticum Ordinem concessit, ut reciperent Confirmationem, quam in sua secta neglexerant.

II. Conditio altera est, ut qui suscepturus est clericalem Tonsuram, edoctus sit Fidei rudimenta. Quod profecto probatione non indiget : quis enim non turpe censeat, ea Clericos nescire quæ a Christianis omnibus nefas est ignorari? Certe olim (hodieque pariter) si quis adultus baptizari cuperet vel confirmari, scire oportebat altissima Fidei Christianæ principia, Symbolum nempe, quo Trinitatis et Incarnationis mysteria continentur, Orationem Dominicam, necnon ea quæ ad Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ sacramenta pertinent. Cujus disciplinæ testes sunt Concilii Laodiceni Patres, can. XLVI, aientes : « Quod oportet eos qui » illuminantur Fidem discere, et quinta hebdo- » madis feria Episcopo renuntiare, vel Presbyte- » ris. » Hinc Theodulphus episcopus, cap. XXII, ad suos Presbyteros Aurelianenses : « Constitu- » tum est, inquit, ut nullus chrismetur, neque » baptizetur... nisi Symbolum et orationem Do- » minicam memoriter tenuerit, exceptis his quos » ad loquendum ætas minime perduxit. » Si ergo in laicis qui Baptismo vel Chrismate initiari volunt mysteriorum Fidei notitia requiritur, quanto magis in iis qui prima clericali Tonsura initiari cupiunt? Cæterum si vera est illa sententia, quam legimus apud S. Hieronymum tomo VI, in caput II Epistolæ ad Titum : « Vehe- » menter Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos » esse quam Clericos, » quam longe verior ista erit : Nihil Ecclesiæ Dei magis officere, quam in Fidei mysteriis doctiores laicos esse quam Clericos. Notat hæc doctissimus Hallierius, statimque in hujus secundæ conditionis Confirmationem adducit id quod habet Synodus Lingonensis anno 1404 habita : « Qui tonsuratur, » debet prius addidicisse primam tabulam qua » pueri instruuntur, Alphabetum, *Pater noster*,

Digitized by Google

» *Ave Maria*, *Credo in Deum*, et etiam septem » Psalmos Pœnitentiales. »

III. Ergo tertia suscipientis clericalem Tonsuram conditio est, ut legere et scribere sciat. Bonifacius VIII, qui longe floruit ante Concilium Tridentinum, districte vetuit in cap. fin. de Temporibus Ordinationum in VI : « Ne quis Epi» scopus infanti, vel illitterato Tonsuram cleri» calem conferret, ita ut qui contra fecerit, in » eo in quo peccaverit puniatur, per unum an» num a collatione clericalis Tonsuræ duntaxat » noverit se suspensum. » Porro cum Tridentini Patres minime exprimant qua lingua Tonsurandus legere et scribere debeat, docent non pauci auctores, intellexisse ipsos Patres linguam vernaculam, seu vulgarem, ita ut valeat Tonsura quis insigniri, si lingua sua materna legere et scribere sciat. Ita Azorius, Institutionum moralium parte II, lib. VI, cap. VI, quæst. II; Campanile in diversorio Juris Canonici, rubrica V, cap. II, num. II; comprobatque Sanchez in Opusculis moralibus, libro VII, cap. I, dubio XLV, num. XI, et Diana variarum Resolutionum parte V, tractatu XIV, resolutione XXVII. Satis tandem esse, ut qui suscepturus est primam Tonsuram characteres formare sciat, quamvis scribere perfecte nesciat, tenet Sellius in Selectis Canonicis cap. V, num. VI; testaturque ita decidisse sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, die 13 octobris 1593.

IV. Quarta conditio est, ut non sæcularis judicii fugiendi fraude Tonsuram quis petat, sed ut Deo fidelem cultum præstet. Satis quidem mirari nequeo, cur nonnulli Casuistæ obstinate contendant eum minime lethali peccato affici, qui animo evadendi judicium sæculare, primam Tonsuram et Ordines minores susciperet, aientes nullo id præcepto prohiberi. Sed hos misere hallucinari homines inde constat, quia Tridentini Patres, sessione XXIII *De Reformatione*, cap. IV, unde Rubrica hæc nostri Romani Pontificalis desumpta est, eodem modo initiandum Tonsura prohibent non confirmatum, legendi scribendique inscium, vel in Fidei rudimentis non instructum, ac eum qui, ut sæcularem effugiat potestatem, in clerum cooptari cupit. Sane si priscam Ecclesiæ ætatem consulamus, frequentissima semper fuit tum sæcularium principum, cum etiam Ecclesiasticorum querela, quod plurimi, ut curialium onus fugerent, clericatu insigniri optarent, ut videre est in lege III, quæ est Constantini Magni in Codice Theodosiano *De Episcopis*, *Ecclesiis et Clericis*. Sed et Mauritius imperator, cum promulgata lege curiales Clericatu exclusisset, ipsam legem vehementer laudavit vel ex eo quidem capite S. Gregorius Magnus, libro II, Epistola LXII : « Quia qui sæ» cularem habitum deferens, ad Ecclesiastica » officia venire festinat, mutare vult sæculum, » non relinquere. » Testatur præterea S. Basilius in Epistola canonica ad Chorepiscopos, vetustissimam fuisse adversus Clericos primis sæculis querimoniam, quod multi metu ne in milites referrentur, seipsos Clericatus Ordini inferrent.

V. Ex quibus omnibus licet inferre, lethaliter eum peccare, et Christo sponsæque ejus Ecclesiæ injuriam irrogare, si quis, ut præcise evadat judicium sæculare, sacræ Clericatus militiæ adscribi cupiat, nisi fortasse secundario, ut aiunt, et minus principaliter, sæcularem evadere potestatem intendat; primario autem, et principaliter, intendat fidelem cultum Deo præstare. Aliorum quoque perversitatem merito sugillat Tridentini Concilii Catechismus, qui eo consilio ad Clericatum se convertunt, ut quæ ad victum vestitumque necessaria sunt sibi parent, ita ut præter quæstum nihil aliud in Clericatu, quemadmodum vulgo cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia natura et divina lex jubeat ut qui Altari servit, ex Altari vivat; tamen quæstus et lucri causa ad Clericatum et ad altare accedere, maximum sacrilegium est. An non iis hodie convenit quod olim, S. Bernardus, seu potius Gaufridus, abbas IV Claræ vallensis, declamatione in Evangelium : *Ecce nos reliquimus omnia*, adversus nescio quos sui temporis pseudo-clericos præclare scripsit hunc in modum : « Honorati in» cedere volunt, placere student hominibus, » delectari et superbire, et huic sæculo per om» nia conformari. Audi querelas Domini, quid » super hac tanta hominum temeritate loqua» tur. *Ipsi, inquit, regnaverunt, et non ex me :* » *Principes exstiterunt, et ego non vocavi eos.* » Universos siquidem in Ordinibus Ecclesiasti» cis, cæterisque ad sanctuarium pertinentibus, » honorem quærentes proprium, aut divitias, » seu corporis voluptatem, postremo quæ sua

Digitized by Google

» sunt, non quæ Jesu Christi; manifeste pror-
» sus et indubitanter, non ea quæ Deus est
» charitas, sed aliena a Deo et omnium radix
» malorum cupiditas introducit. Quid istud te-
» meritatis, imo quid insaniæ est? Ubi timor
» Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ me-
» tus, et terribilis expectatio illa judicii? Sponsa
» nec cubiculum nec cellam ingredi, nisi Rege
» introducente præsumit : tu irreverenter ir-
» ruis, nec vocatus, nec introductus. *Trahe me*
» *post te*, ait illa, *in odorem unguentorum tuo-*
» *rum curremus*. Nunc autem trahit sua quem-
» que voluptas, et odorem turpis lucri sectan-
» tes, quæstum æstimant pietatem, quorum
» certa est damnatio. »

VI. Quinta demum conditio est, ut ejus cultus, atque obsequii Deo præstandi aliqua conjectura in eo eluceat qui suscepturus est primam Tonsuram. Sic enim concludit Concilium Tridentinum, et nostra superius allata Rubrica, cum de prima Tonsura initiandis loquuntur : « Et de quibus probabilis conjectura non sit eos » non sæcularis judicii fugiendi gratia, sed ut » Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus » elegisse. » Satis itaque prudenter S. Carolus, in Concilio Mediolanensi v, parte III, cap. II, a Tonsurandis inquiri voluit : « Quam ob causam » se Clericos fieri velint? An tales sint qui spem » præbeant Ecclesiæ ministros utiles se fore? » A quo Sacerdote sanctioris vitæ magistro in- » stituti sint in vitæ clericalis modum? An le- » gere et pronuntiare et scribere norint? An » vitæ christianæ præcepta institutaque sciant? » Providentissime etiam in Concilio provinciali Neapolitano anni 1699, tit. III, cap. VII, num. II, ita cautum est : « *Quoniam non quisquam sibi* » *sumit honorem*, *sed qui vocatur a Deo tan-* » *quam Aaron*, diligenter primum Episcopus » inquirat, quo quisque spiritu ad petendos Or- » dines rapiatur; atque ad primam Tonsuram » eos duntaxat admittat quos probabili conjec- » tura constet hoc vitæ genus elegisse ut Deo » fidelem cultum præstent. Quamobrem cleri- » calem habitum per sex menses, Episcopi fa- » cultate gratis concedenda, gestantes antea pro- » bentur. Ii vero repellantur qui vel sæcularis » judicii declinandi fraude, vel lucri cupiditate, » vel aliis temporalibus commodis inhiantes, » nullo cœlestis gratiæ instinctu supernaque » vocatione adducti, ut disperdant et rapiant, » non per ostium intrare, sed aliunde in Eccle- » siam irrumpere moliuntur. »

§ IV.

Ad Minores Ordines promovendi bonum a Parocho, et a magistro scholæ in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volunt promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

COMMENTARIUS.

I. Desumpta est hæc Rubrica ex Concilio Tridentino, sessione XXIII *De Reformatione*, cap. V, ubi præscribitur, quibus instructi esse debeant tum ad Minores, tum ad Majores Ordines promovendi. De primis dicit ut « bonum a Parocho, » et a magistro scholæ in qua educantur, testi- » monium habeant; » id est, ut explicat sanctus Carolus in suo provinciali Concilio Mediolanensi IV, « obsignatas litteras afferant, quibus » de vitæ suæ disciplina moribusque testatum » fiat. » Fuit sane vetus Ecclesiæ consuetudo, ut si qui in Clero puberes aut adolescentes existerent, omnes in uno conclavi commorarentur, et lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agerent, deputati probatissimo Seniori, quem Magistrum doctrinæ et testem vitæ haberent : quemadmodum constat ex Concilio Toletano IV, anni 636,

Digitized by Google

can. XXIV. Viguisse etiam jam olim tum in Italia cum alibi morem, ut qui per Parochias ordinarentur Lectores juniores, ii Presbyteris, seu parochiarum Rectoribus educandi in illorum domo et in disciplina Ecclesiastica erudiendi traderentur, fidem facit luculentissimam Concilium Vasense II, anno 529 in Galliis celebratum, can I; cujus verba hæc sunt: « Placuit ut » omnes Presbyteri qui sunt in parochiis con- » stituti, secundum consuetudinem quam per » totam Italiam satis salubriter teneri cognovi- » mus, juniores Lectores, quantoscumque sine » uxore habuerint, secum in domo ubi ipsi ha- » bitare videntur recipiant; et eos quomodo » boni patres spiritualiter nutrientes, Psalmos » parare, divinis lectionibus insistere, et in lege » Domini erudire contendant, ut et sibi dignos » successores provideant, et a Domino præmia » æterna recipiant. » Merito itaque olim Parochorum magistrorumque pro ordinandis Clericis testimonium, ac interdum etiam præsentia requirebatur, ut constat ex can. *Quando*, distinctione XXIV; quia scilicet ipsi Clericos noscerent, haberentque non solum contubernium, sed etiam ad suæ ecclesiæ ministerium.

II. Qualis vero sit testificatio quam hodie a Parocho, ludiquemagistro, is qui prima Tonsura vel aliquo Minori Ordine initiandus est ad Episcopum afferre debet, ita exprimitur a S. Carolo in Concilio Mediolanensi IV.

« Omnis quicumque vel primam Tonsuram, vel Ordines minores majoresve suscepturus est, ea singula, quæ mox infra ordine statuuntur, de se litteris legitime testata suo Episcopo faciat.

» Primo se legitimo matrimonio natum esse, aut ob natalium impedimentum secum dispensatum esse.

» Præterea se vel origine, vel beneficio Ecclesiastico, quod in diœcesi obtinet, vel decennali domicilio, vel alia quavis legitima ratione diœcesanum esse.

» Tum a Parocho, a ludiquemagistro, ut Tridentina Synodus œcumenica jubet, aut ab eo quem in quovis studiorum genere, aut si in seminario adscriptus est, ab illius Rectore, aut ab aliis quos Episcopus maluerit, obsignatas litteras afferat, quibus de vitæ suæ disciplina moribusque testatum fiat.

» Doctrinæ item christianæ scholas se frequentasse, id testimonii afferat, vel a Præfecto illarum in parochiali vicinia sua constituto, vel ab eo qui omnium id generis scholarum curæ præest.

» Hæc præterea testimonia afferet qui prima Tonsura initiari vult, sacro Chrismate confirmatum esse; in ecclesia frequentius religiosiusque versatum esse.

» Spe esse se in clericalis Ordinis disciplina permansurum. Hoc vero testimonium a Parocho, aut ab alio Sacerdote habeat cui ab Episcopo in disciplinam traditus est, postquam clericalis Ordinis suscipiendi animum voluntatemque ei patefecit.

» Sacram item Communionem crebro per annum sumpsisse.

» Licebit tamen Episcopo etiam sine testimonio tum sumptæ Communionis, tum frequentatæ scholæ Doctrinæ Christianæ ob causam admittere. »

III. Hactenus S. Carolus de litteris testimonialibus circa mores et vitam initiandi prima clericali Tonsura : quantum vero ad illas litteras quæ spectant testificationem morum ac vitæ illius qui minoribus Ordinibus insigniri desiderat, hæc statim subjicit :

» Qui vero aliquo minori majorive Ordine initiandus est, testimonium, præter ea quæ mox supra præscripta sunt, afferat etiam de his quæ sequuntur.

» De prima Tonsura, aut de Ordine quem proxime suscepit.

» De illius Ordinis functionibus a se præstitis; idque testificationis habeat a Præfecto ecclesiæ cui adscriptus est.

» Nec vero etiam Regularis, cujuscumque Ordinis sit, admittatur, qui hoc testimonium non attulerit a suo Superiore.

» De habitu clericali ad provincialium diœcesanorumque Conciliorum præscriptum post Ordinem proxime susceptum a se assiduo gestato : quam testificationem a Parocho afferat.

» De confessione frequentiori ex decretorum provincialium præscripto; cujus rei testimonium obsignatum ab aliquo confessario Sacerdote probato ad audiendas confessiones Clericorum afferat.

» De sacra Communione, ut decretis provincialibus justum est, crebrius sumpta.

» Hoc autem testatum afferat, vel a Parocho, vel a Præfecto ecclesiæ in qua adscriptus est, vel

Digitized by Google

ab aliquo Sacerdote qui Episcopi jussu ministrarit. »

IV. Quod vero spectat majoribus Ordinibus initiandos, jubet Rubrica ut Episcopus Parocho, vel alteri qui sibi melius placuerit, committat, ut eorum nominibus ac desiderio publice in ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat; litterasque testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad Episcopum quamprimum transmittat. Est et hæc quidem vetustissima Ecclesiæ consuetudo, ut Ordinandorum nomina publice proponi solerent, quo unicuique de eorum vita et moribus referre liceret: quod e ritu Christianorum ab Alexandro Severo, qui initio tertii sæculi Romanum imperium moderabatur, assumptum dicitur ad sæculares magistratus ex Lampridio, cujus verba, quæ etiam superius attulimus, hæc sunt: « Ubi aliquos voluisset (Alexander) » vel rectores provinciis dare, vel præpositos » facere, vel procuratores, id est rationales or- » dinare, nomina eorum proponebat, hortans » populum ut si quis quid haberet criminis, » probaret manifestis rebus; si non probasset, » subiret pœnam capitis: dicebatque, grave » esse quod id Christiani et Judæi facerent in » prædicandis Sacerdotibus, non fieri in pro- » vinciarum rectoribus, quibus et fortunæ ho- » minum committerentur et capita. »

V. Meminit hujus consuetudinis non semel sanctus martyr et præsul Cyprianus, præsertim vero in Epistola LXVIII, ad Clerum et plebes in Hispania consistentes, in qua allatis Veteris ac Novi Testamenti locis diserte docet, « de divina » auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe » præsente sub omnium oculis deligatur, et » dignus atque idoneus publico judicio ac tes- » timonio comprobetur, sicut in Numeris Do- » minus Moysi præcepit, dicens: *Apprehende* » *Aaron fratrem tuum, et Eleazarum filium* » *ejus, et impones eos in montem coram omni* » *Synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et in-* » *due Eleazarum filium ejus, et Aaron appo-* » *situs moriatur illic.* Coram omni Synagoga » jubet Deus constitui Sacerdotem; id est in- » struit, et ostendit ordinationes Sacerdotales » nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri » oportere, ut plebe præsente vel detegantur » malorum crimina, vel bonorum merita præ- » dicentur; et sit ordinatio justa, et legitima. » quæ omnium suffragio et judicio fuerit ex- » aminata. Quod postea secundum divina » magisteria observatur in Actis Apostolorum, » quando de ordinando in locum Judæ Apos- » tolo Petrus ad plebem loquitur: *Surrexit,* » inquit, *Petrus in medio discentium; fuit au-* » *tem turba hominum fere centum viginti.* »

VI. Idipsum in ordinandis Diaconis fuisse ab Apostolis observatum, luculentissime ostendit idem Cyprianus his plane verbis: « Nec hoc » in Episcoporum tantum et Sacerdotum, sed » et in Diaconorum ordinationibus observasse » Apostolos animadvertimus; de quo et ipso » in Actis eorum scriptum est: *Et convocave-* » *runt,* inquit, *illi Duodecim totam plebem dis-* » *cipulorum, et dixerunt eis.* Quod utique id- » circo tam diligenter et caute convocata plebe » tota gerebatur, ne quis ad Altaris ministe- » rium vel ad Sacerdotalem locum indignus » obreperet. » Hinc merito laudatus S. Martyr in Epistola XXXIII, ad Clerum et plebem de Aurelio Lectore ordinato inquit: « In ordinatio- » nibus Clericis, Fratres charissimi, solemus » vos ante consulere, et mores ac merita sin- » gulorum communi consilio ponderare. » Merito etiam, ut innumeros Patres et Concilia omittam, Synodus IV Carthaginensis an. 398 habita, can. XXII, statuit: « Ut Episcopus sine » consilio Clericorum suorum Clericos non or- » dinet, ita ut civium conniventiam et testimo- » nium quærat. » Si itaque ante Episcopus Cleri sui vota, et populi testimonium explorari et scrutari debebat, quam quemquam Clericatu insigniret; concludendum omnino est, quod mox superius dicebamus, Ordinandorum nomina publice olim proponi consuevisse, ut unicuique scilicet de eorum vita et moribus referre liceret. Certe in Sacramentario Sancti Gregorii, ubi multa exstant ejus rei argumenta, in eo loco qui inscribitur, *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Diaconi et Presbyteri ordinandi sunt, etc.* ita legimus dicere consuevisse Pontificem ante quam ipsos ordinaret: « Si quis autem ha- » bet aliquid contra hos viros, pro Deo et pro- » pter Deum cum fiducia exeat et dicat. Ve- » rumtamen memor sit conditionis suæ. » Quæ disciplina et hodie servatur, ut ex Pontificali constat. Sed dicendum hanc populi consultationem inter ipsa Ordinationis solemnia ex præ-

Digitized by Google

scripto Pontificalis fieri solitam ab Episcopo, factam esse tandem mere cæremonialem; in ejusque locum successisse hodiernam per Parochum, ex Episcopi jussu, nominum Ordinandorum publicationem.

VII. Notanda sunt insuper postrema nostræ Rubricæ verba, quibus dicitur, ut Parochus litteras testimoniales ipsam inquisitionem de Ordinandis factam continentes ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat: licet enim, ut vidimus, populi esset rimari ac detegere mores, vitam et gesta, et virtutes, et vitia, et crimina Ordinandorum; Parochi vero esset testificationem ipsius populi ad Episcopum transmittere: ad hunc tamen examinare omnino spectat, an locum habeat quidquid populus testificatus sit. Quinimo docet Ugolinus, *De officio Episcopi*, cap. XXVII, § XVIII, posse Episcopum remittere hujusmodi denuntiationes, ubi scilicet Ordinandus ipsi quoad omnia notus esset; nam certus certior fieri non potest; cap. *Eum, de Regulis juris* in VI. Subditque statim citatus auctor, ex declaratione sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, omitti quidem in eo casu denuntiationes, sed non debere. Certe Regulares ab ea lege excipiuntur; non enim tenentur suorum Ordinandorum nomina in ecclesia publicare, satisque est ut in testimonialibus litteris datis a suis Superioribus testimonium ferant de vita, moribus et ætate, uti eadem Sacra Congregatio censuit, et est omnium fere locorum praxis.

VIII. Illud quoque omitti nullatenus debet, denuntiationes Ordinandorum fieri debere in singulis majoribus Ordinibus, tum quod Concilium in laudato cap. VII, et nostra hæc Rubrica, eorum qui ad singulos Ordines assumendi sunt nomina in ecclesiis proponenda esse inquit; et qui singulos dicit, neminem prorsus excludit, lege *Julianus ff. Ad exhibendum;* tum etiam quod inter unum Ordinem sacrum et alterum, unius anni intervallum intercedere debet, ut Tridentinum Concilium jubet in laudata sessione XXIII *De Reformatione*, et inter hoc tempus mores et vita Ordinandi mutati esse possunt, et ex probo improbus atque ex optimo pessimus factus. Quanquam vero ex Concilii Tridentini lege soli promovendi ad sacros Ordines in ecclesia publicantur, in nostro tamen Neapolitano regno etiam minoribus Ordinibus initiandi denuntiantur tribus diebus dominicis vel festivis, inter Missarum solemnia.

§ V.

Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur, ut et accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant; idque in ea cui adscripti erunt ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat. Quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur; nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.

COMMENTARIUS.

I. In hac Rubrica quæ desumpta est ex laudata sessione XXIII *De Reformatione*, cap. XI, expendendæ sunt nobis illæ conditiones quæ in Minores Ordines suscipientibus requiruntur. Primo inquit, ut *Minores Ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum*

Digitized by Google

interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videatur, conferantur. Quæ verba expendens Menochius *De Arbitrariis*, casu CDXXV, num. LVII et seq. ait arbitrio Episcopi commissum esse, ut Ordines ei conferat qui, etsi linguam latinam non intelligit, est tamen bonæ indolis et pro ætate docilis; quia, ut inquit, illitteratus dici non debet qui pro ætate didicit, quique ostendit pro tempore proficere posse, juxta id quod tradit Cardinalis Turrecremata in Can. *Illitteratos*, dist. XXXVI; Innocentius in cap. *Cum in cunctis, de Electione;* et Rebuffus in tractatu *De pacificis Possessoribus*, num. CCI, ubi ex Alexandro in Annotatione ad Bartolum, illud simile refert, scholasticum magni ingenii non esse a doctoratu repellendum, etiam ante quinquennium, cum spes est quod ediscet. Menochium secutus est Augustinus Barbosa *De officio et potestate Episcopi,* parte II, allegatione XI, num. V, et allegatione XLVI, num. XIII, aliique non contemnendi scriptores, quorum tamen sententiam nequaquam amplecti possumus : adversatur enim verbis Concilii Tridentini, Synodorum provincialium, innumerorum pene Metropolitarum, et communi Doctorum judicio, qui etiam docent, illa verba, *nisi aliud Episcopo expedire magis videatur,* non ad qualitatem scientiæ referenda, sed ad temporum interstitia. Cæterum, demus illitteratum non esse qui pro ætate didicit, et spes est quod ediscet; semper in præsenti obstabit Concilium Tridentinum, quod, juxta communem omnium sensum, non solum jubet ne illitterati Minoribus Ordinibus initientur, sed insuper ut latinam linguam intelligant : alias nulla specialis scientia et doctrina pro Minoribus Ordinibus, imo pro Subdiaconatu et Diaconatu necessaria esset, quam pro prima Tonsura. Adde grammaticæ peritiam, et aliqualem ad istorum Ordinum functiones litterarum scientiam adeo in dictorum Ordinum candidatis requiri, ut sine litteris, « vix fortassis Ostiarii possit quis im» plere ministerium, » quemadmodum docet Gelasius papa in Epistola IX, ad Episcopos per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutos, cap. II.

II. Jubet secundo Concilium ex quo, ut dixi, præsens Rubrica desumpta est, Ordines Minores sejunctim conferendos, singulosque per certa temporum intervalla, nisi aliud visum fuerit Episcopo ob Ecclesiæ necessitatem. *Minores Ordines.... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Quibus ultimis verbis satis constat temporum intervalla seu interstitia in Minoribus Ordinibus non esse ex necessitate servanda, sed remitti omnino arbitrio Episcopi, qui primam Tonsuram simulque Ordines Minores eodem die eidem conferre potest, uti passim docent Theologi. Verum, cessante rationabili causa, alienum dicerem esse ab Ecclesiastica disciplina, atque a mente tum veterum Maximorum Pontificum cum Patrum Concilii Tridentini, si quis ipsos Ordines eidem simul conferret. Frustra enim interstitia illa constituissent, nisi in singulis Ordinibus exercendis assiduitas, industria, pietas Ordinandorum probarentur. Præterea cum singulorum Ordinum variæ diversæque sint functiones, recte caverunt Patres ne uno eodemque tempore plures Ordines traderentur, sed prout his illisve amplius convenire judicabant, eos providissime conferebant : « Alius, » inquit S. Ambrosius lib. I Officiorum, cap. XLIV, « distinguendæ lectioni ap» tior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis » qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sa» crario opportunior habetur. Hæc omnia spe» ctet Sacerdos, et quid cuique congrua, id ef» fici deputet. » Vide Morinum *De sacris Ordinationibus*, part. III, exercitatione XI, cap. II et seq. ubi diserte ostendit, neminem olim Ordine aliquo Minore insignitum, ad ulteriorem etiam Minorem Ordinem ascendisse, nisi interstitiis servatis in illius Ordinis exercitio laudabiliter versatus esset, et quoddam quasi tyrocinium percurrisset, quo se in majoribus functionibus obeundis idoneum probasset.

III. Hodie etiam Ecclesiæ mentem esse ut Ordines Minores per intervalla temporum conferantur, utque in illorum exercitiis Clerici probentur priusquam ad ulteriores provehantur Ordines, diserte docet laudatum Concilium Tridentinum, et ex eo nostra Rubrica, præcipiens, ut *Ordines Minores per temporum interstitia, nisi Episcopo aliud expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint,*

Digitized by Google

atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat : quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio comprobabunt. Hinc vides, varios Ordines institutos fuisse in Ecclesia, non solum ut Ordinandi per varios gradus diutius probati digniores pervenirent ad Presbyteratum, et inde ad Sacerdotii culmen, quod est Episcopatus; sed etiam ut in Ecclesia esset hierarchia, quæ absque illa distinctione Ordinum constare minime potuit, nititurque duobus axibus, quibus concordia fovetur, subjectione scilicet et imperio, recto obsequio minorum, et majorum justo imperio. « Ad hoc, » inquit S. Gregorius, lib. IV, Epistola LII, « dispensationis divinæ provisio » gradus diversos, et Ordines constituit esse » distinctos, ut dum reverentiam minores po- » tioribus exhiberent, et potiores minoribus » dilectionem impenderent, vera concordiæ fie- » ret ex diversitate contextio, et recte officiorum » gereretur administratio singulorum. »

IV. Sed ut priorem Concilii rationem prosequamur, fuisse scilicet instituta Ordinum interstitia ut Ecclesia inferioribus Ordinibus probet promovendos ad Ordines superiores, omitti non debet quod ait Concilium Tridentinum, sessione XXIII *de Reformatione*, cap. XVII. Optat siquidem, « Ut sanctorum Ordinum a Diaco- » natu ad Ostiariatum functiones ab Aposto- » lorum temporibus in Ecclesia laudabiliter » receptæ, et pluribus in locis aliquandiu inter- » missæ, in usum juxta sacros Canones revo- » centur, nec ab Hæreticis tanquam otiosæ » traducantur. » Decernit mox, ut in posterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; omnesque et singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, et illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens et ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte reddituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ ecclesiæ, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent, quibus si negligentes fuerint, Ordinarii judicio, aut ex parte mulctari, aut in totum privari possint. Hucusque Concilium, cujus disciplinam probavit servavitque religiosissime S. Carolus Borromæus, ut videre est in suorum Conciliorum Decretis. Hodie vix inveniuntur Episcopi qui sanctissimam disciplinam non flocci pendant; plerique etiam Clerici, ignari suæ obligationis dignitatisque suorum Ordinum, sacra ipsorum ministeria exercere, non sine contemptu sacrorum Canonum, verecundantur.

V. Jubet tandem nostra Rubrica, sive Concilium Tridentinum in laudato cap. XI sessionis XXIII, ne quis Subdiaconatu donetur, nisi post annum a susceptione ultimi Ordinis Minoris : *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Concilii Tridentini ea de re sanctionem promulgavit confirmavitque Concilium S. Caroli Mediolanense IV, tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, his verbis : « Stata illa temporum » intervalla Ordinibus tum Minoribus, tum » Majoribus suscipiendis, Concilii Tridentini » decreto præscripta ne facile ac passim sine » ullo delectu prætermittantur, omittanturve. » Additque statim, quod si de iis aliquid ab Episcopo remitti dispensarive contigerit, id in litteris dimissoriis testimonialibusve Ordinum, adscripta etiam dispensationis causa, testatum fiat. Non me latet complures auctores apud Barbosam in Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. XI, audacter docere posse Episcopum, ubi vigeret consuetudo ante Concilium Tridentinum obtenta, ut simul Minores Ordines cum Subdiaconatu donari possint, eos licite his quoque temporibus conferre; verum hæc opinio facile ab aliis confutatur, quippe qui rectissime existimant per laudatum Concilii decretum sublatam esse omnem contrariam consuetudinem. Illud certo constat, annum interstitiorum non esse mathematice computandum de die in diem, sed more Ecclesiatico, et juxta ritum Ecclesiæ, videlicet ab una Quadragesima ad aliam, a Pentecoste ad Pentecosten, etiamsi plures deessent dies ut annus naturalis compleatur; quemadmodum ex declaratione Sacræ Congregationis docent Quaranta in Summa Bullarii, verbo *Ordo* sub finem; Bonacina *De sacramento Ordinis*, et alii multi.

Digitized by Google

VI. Ergo ab Ordinibus Minoribus ad Majores ascensus nemini nisi post annum permittitur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. Necessitatem Ecclesiæ eam vocant auctores, cum deficiunt illius ministri, nec possunt suppleri per jam Ordinatos Ecclesiæ onera tam in Missarum celebratione quam in aliis ministeriis Ecclesiasticis. Nuncupant vero Ecclesiæ utilitatem, quando pauci sunt ministri Ecclesiastici idonei; tunc enim utile est aliquos ordinare ad Ecclesiæ ministerium, et majorem etiam ornatum ac splendorem. Ita Natalis Alexander, Theologiæ Dogmaticæ et Moralis lib. II, de sacramento Ordinis. regula XII, ubi diserte etiam ostendit tum necessitatem, tum utilitatem Ecclesiæ concurrere, quando aliquis in inferioribus Ordinibus constitutus ad curam animarum gerendam vocatur, aut ad quamvis eligitur Ecclesiasticam dignitatem cui altior Ordo annexus est; unde eo in casu remittenda esse inquit morosa ista intervalla, ne plebs fidelis necessario diu ministerio privetur, aut Ecclesia obsequio et utilitate quam ipsi offerre debent Clerici promoti ad has dignitates. Quam in rem multi possunt videri Canones in corpore juris Pontificii passim, et in Concilio Tridentino. Præter has causas dispensandi in interstitiis, concedi posse hujusmodi dispensationem favore studii in aliqua universitate, aut ob ætatem provectam Ordinandi cum eximia virtute conjunctam, censet Augustinus Barbosa, parte II, *De officio et potestate Episcopi*, allegatione XVIII.

VII. Denique cum judicio Episcopi relinquat Concilium Tridentinum in relaxanda interstitiorum lege, audiendi nequaquam sunt nonnulli Regulares privilegia sua obtendentes, quibus aiunt posse Superiores suos cum ipsis dispensare ut non servatis interstitiis ordinari possint. Verum plures gravissimique Doctores, inter quos multi etiam Regulares, diserte docent atque ingenue fatentur apud laudatum Barbosam, per Tridentinum revocata esse privilegia quæ Regularibus pro dispensatione interstitiorum concessa erant; referuntque sic decisum fuisse a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum his plane verbis : « Sacra Cardinalium Congregatio censuit, in » Ordinatione Regularium dispensationem su- » per interstitiis pertinere ad Episcopum ordi- » nantem : debet tamen fieri mentio in litteris » dimissorialibus suorum Superiorum peten- » tium ab Episcopo, ut super illis dispensare » dignetur, attenta necessitate vel utilitate Ec- » clesiæ seu Religionis. » Non addubito quin facilius Religiosis viris quam sæcularibus Clericis interstitia ab Episcopis remitti possint, exemplo ac judicio Gelasii papæ, qui interstitia inter singulos Ordines, breviora Monachis, diuturniora vero sæcularibus constituit : « Quia » quod annorum interstitia fuerant collatura, » sancti propositi sponte suscepta docetur præ- » stitisse devotio. » Ita ille in Epistola IX, ad Episcopos Lucaniæ, ubi ait, necessitate potius se coactum quam defectu vigoris aut zeli disciplinæ, moras interstitiorum Canonicas contraxisse, ocasione scilicet bellorum quibus vel nulla penitus vel exigua remanserant in Ecclesiis ministeria; ita tamen, ut iis restitutis, « in » Ecclesiasticis gradibus subrogandis Canonum » paternorum vetus forma servaretur. »

§ VI.

Subdiaconi et Diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in Minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris et iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse : Ecclesiis quibus adscribentur inserviant : sciantque maxime decere si saltem diebus Dominicis et solemnibus, cum Altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur.

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

COMMENTARIUS.

I. Totidem plane verbis loquuntur Patres Concilii Tridentini, sessione XXIII *de Reformatione,* cap. XIII. Est autem pervetusta Ecclesiæ regula, imo præceptum Pauli Apostoli in Epistola I ad Timotheum, cap. V, ut is qui ordinandus est *bonum habeat testimonium ab iis qui foris sunt*, id est non solum a fidelibus laicis, sed etiam ab infidelibus. « Quod » si ab hostibus habere testimonium conve» nit, multo magis ab amicis ipsis, » inquit S. Joannes Chrysostomus, Homilia IX, in primam Epistolam ad Timotheum. Quod idem est ac si diceret : Si ipsis infidelibus, et inimicis Crucis Christi judicium de vita Ordinandorum ac moribus Ecclesia permittit, ab iisque testimonium exigit, quanto magis fidelium, christianorumque populorum necessarium est testimonium, quo Ordinandorum vita probitasque confirmetur? De Diaconis diserte inquit in laudata Epistola Apostolus : *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Quasi dicat, uti Cornelius interpretatur: Sicut Episcopus, ita et Diaconi debent esse non neophyti, sed quorum virtus diu spectata et probata sit. *Et sic* ordinati ab Episcopo *ministrent, nullum crimen habentes :* græce ἀνέγκλητοι ὄντες, id est dum inventi sunt per probationem et examen factum ante eorum Ordinationem irreprehensibiles, quos accusare vel criminari nemo possit.

II. Omissis variis Conciliorum Decretis, ac sanctorum Patrum sententiis, exemplisque conspicuis, quibus diutissima in inferioribus Ordinibus probatio exigitur antequam quis ad superiores ascendat, ita præcipit Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epistola IV, ad Felicem Nucerianum episcopum, cap. V : « Tempora a » majoribus constituta serventur. Nec cito qui» libet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, » cito Sacerdos fiat. Quia in Minoribus officiis » si diu perdurent, et vita eorum pariter et » obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium » posthac emensis stipendiorum meritis veniant, » nec præripiant quod vita probata meretur » accipere. » Eamdem pari zelo in singulis Ordinibus probationem religiose servandam statuit Zosimus papa in Epistola I, ad Hesychium Salonitanum, can. III; quam probationem pariter necessariam pluribus ostendit S. Leo in Epistola LXXXVII, ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos, cap. I; ubi in fine concludit, tum Præcessorum suorum placitis, tum sui ipsius decretis salubriter fuisse statutum, « ne primum, vel secundum, aut ter» tium in Ecclesia gradum quisquam laicorum » quibuslibet suffragiis fultus ascendat, prius» quam ad hoc meritum per legitima augmenta » perveniat. »

III. Præter bonum ab iis qui foris sunt testimonium, probationem in inferioribus ministeriis, ac peritiam litterarum, requiritur pro Subdiaconatu et Diaconatu, ut Ordinandus institutus sit iis quæ ad officium peragendum necessaria sunt. Concilium Mediolanense V, parte III Constitutionum, ubi agitur *De examinandi ratione*, initiandos Subdiaconatu interrogandos esse statuit : de Minorum et Majorum Ordinum differentia, de voto item continentiæ, quod, ut alibi dicemus, Subdiaconatus ordini conjunctum est; de Sacramentorum doctrina, saltem generatim; de modo tandem Divini Officii recitandi, ut non imperiti ad sacrum hoc pensum accedant. In promovendis vero ad ordinem sacrum Diaconatus, vult idem Concilium ut examen experimentumque fiat aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina, itemque de concionibus habendis. Cum enim (ut scite inquit Natalis Alexander de sacramento Ordinis, regula XXII), in omnibus Sacramentis ministrent Diaconi, vicesque gerant Sacerdotis in administrando Baptismo, eidemque propius assistant dum Sacrum facit; eisque etiam Diaconis Dominici sanguinis dispensatio antiquitus conveniret; majori quam Subdiaconi Sacramentorum scientia imbuti esse debent. Cum etiam Catechumenos docere Diaconi ex officio teneantur, concionandi seu catechizandi omnino imperiti ad hunc Ordinem admitti non debent.

IV. Jubet præterea Concilium, ac nostra Rubrica, ut qui ordinandi sunt Subdiaconi vel Diaconi, sperent, Deo auctore, se continere posse. Cælibatus Ecclesiastica lege ac superioribus Ordinibus annexus est. Unde memoratum Concilium, sessione XXIV, can. IX, hunc in modum

Digitized by Google

sugillat, dirisque devovet nostræ tempestatis heterodoxos : « Si quis dixerit Clericos in sacris » Ordinibus constitutos, vel Regulares castita- » tem solemniter professos, posse matrimonium » contrahere, contractumque validum esse, non » obstante lege Ecclesiastica vel voto, et opposi- » tum nihil aliud esse, quam damnare matri- » monium; posseque omnes contrahere matri- » monium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi » eam voverint, habere donum : anathema sit; » cum Deus id recte petentibus non deneget, » nec patiatur nos supra id quod possumus ten- » tari. » Audiendus est etiam S. Leo Magnus, qui in Epistola XII ultimæ editionis, ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, cap. IV, ita inquit : « Cum extra Clericorum ordinem con- » stitutis nuptiarum societati et procreationi fi- » liorum studere sit liberum; ad exhibendam » tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec » Subdiaconibus quidem connubium carnale » conceditur, ut et qui habent sint tanquam » non habentes, et qui non habent permaneant » singulares. »

V. Sunt qui autumant primo Leonem Subdiaconos quinto sæculo cœpisse addicere continentiæ legi; sed plane errant qui ita loquuntur, Jueninus, Vanespen et alii; cum Concilium Illiberitanum, diu ante Leonem in Hispaniis celebratum, can. XXXIII, ita statuat : « Placuit » in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, » Diaconibus et Subdiaconibus, positis in mi- » nisterio, abstinere se a conjugibus suis et non » generare filios. Quicumque vero fecerit, ab » honore Clericatus exterminetur. » Illud ego certe facile concesserim, Illiberitanum Canonem, ac Decretum S. Leonis, non ubique statim apud Occidentales obtinuisse, primumque omnium S. Gregorium Magnum, Pontificem Maximum, sexto sæculo generaliter omnibus ad Subdiaconatum promovendis continentiæ legem imposuisse : ita enim scribit lib. I, XLII : « Ante » triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum » Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ » Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus misceren- » tur : quod mihi durum atque incompetens » videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ » non invenit, neque castitatem ante promisit, » atque per hoc, quod absit, deterius cadat. » Unde videtur mihi, ut a præsenti die Episco- » pis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum » facere præsumant, nisi qui se victurum caste » promiserit. »

VI. Post hoc Decretum S. Gregorii, uti observat eruditus Joannes Morinus, vix fit aliqua mentio Subdiaconorum conjugatorum; adeo ut a fine sæculi sexti, quo floruit laudatus Pontifex, Subdiaconi continentiæ lege adstricti fuerint. At demum tribus post sæculis cœpit in aliquibus Ecclesiis Subdiaconatus ordo inter sacros seu majores connumerari, et junctim cum his inter Missarum solemnia et ante altare conferri : qui mos tandem sensim in legem transivit, et in fine sæculi XI primum ab Urbano II, in Concilio Beneventi habito, ac deinde initio sæculi XIII, ab Innocentio III, probatus in Epistola ad episcopum Mutinensem, quæ refertur in capite *A multis*, Extra. *De ætate, et qualitate, et Ordine præficiendorum*. Sane constat Subdiaconatum, licet continentiæ lege oneratum, diu apud Latinos inter Minores Ordines connumeratum fuisse, et nunc etiam apud Græcos recenseri.

VII. Cæterum, cum, ut supra innuimus, ii ad sacros Ordines assumendi sint *qui sperent, Deo auctore, se continere posse;* quis ferat hodiernam quorumdam Clericorum temeritatem, qui carnis vitio dediti, ac sæpe etiam in profundum impudicarum sordium demersi, ad ipsos sacratissimos gradus accedere non verentur, quo Divinorum Officiorum, ac præsertim tremendi Sacrificii stipendiis, voluptuosius vivant, in summum Ecclesiastici ordinis dedecus, ac totius christianæ reipublicæ scandalum? Utinam quod alias olim improperabat Isaias propheta, cap. XXIV, *Sicut populus, sic Sacerdos*, hodie in nostra hac temporum fæce multi Sacerdotes ac Clericali militiæ addicti, laicorum quorumdam moribus viverent, qui undique præclari virtutibus, Ecclesiis piisque sodalitatibus, quibus nomina sua dederunt, jugiter operam navant, ac ministerium præstant diligentissimum, Psalmos cantantes, funera comitantes, cæteraque misericordiæ opera proximis impendentes, non sine rei suæ familiaris jactura. Clerici contra, quos « nonnisi Altari et Sacrificiis deservire, et » precibus vacare debere » sapienter affirmat S. Cyprianus, Epistola LXVI, dispersi videntur in capite omnium platearum, in theatris, in ludis, in assiduo mulierum consortio, vel quærere student quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi : alieni ab Ecclesiis quibus adscripti sunt, juxta vete-

Digitized by Google

rem disciplinam, quam late explicuimus in Prolegomenis et Commentariis nostris ad Concilia Œcumenica, tom. I, ad Canonem VI Chalcedonensem; alieni etiam a suorum Ordinum functionibus, quibus religiose peragendis, uti superius dictum est, juxta Apostolicam traditionem a summis Pontificibus et sacris Canonibus alligati fuerunt; alieni tandem ab Altaris ministerio, cui Subdiaconi æque ac Diaconi diebus saltem Dominicis et solemnibus ministrare, ibidemque sacram Communionem percipere a Concilio Tridentino et ab innumeris pene Synodis provincialibus ac diœcesanis districte jubentur.

VIII. Ait insuper Rubrica nostri Pontificalis, secuta Concilium Tridentinum, ut *promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Loquitur de interstitiorum observatione, quorum, uti semel ac iterum dixi, alia est hodie ratio ac olim fuit; dum sacri nunc Ordines conferri possunt servato in singulis unius anni intervallo, licetque Episcopo in ipsis dispensare, a quo tamen duo sacri Ordines eodem die, etiam Regularibus nequaquam conferri possunt : *privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque*, ut inquit Tridentinum, sessione XXIII *De Reformatione*, cap. XIII. Sane triplicem ejus legis rationem videre est in compluribus Conciliorum canonibus ac Patrum sententiis. Prima est, quia ministerii cujusque Ordinis exacta et accurata cognitio requiritur; debet enim Ordinandus quæ sunt gradus accepti discere, antequam alterius curam suscipiat, ne præpostero ordine prius sit magister quam discipulus : quod profecto juste reprehendit Cælestinus I, Pontifex Maximus, Epistola II, cap. III, et S. Ambrosius, lib. I Officiorum, cap. I. Ratio altera ex eo provenit, quod qui ordinandi sunt ad gradus ulteriores, debent in prioribus imbui Ecclesiastica disciplina, et ad normam Ecclesiasticæ vitæ mores componere. Unde Patres Concilii Bracarensis, can. XXVIII, sic inquiunt : « Diaconus Ecclesiasticam » disciplinam discat, et sic per singulos gradus » eruditus ad Sacerdotium veniat. » Tertia tandem ratio oritur ex probatione Ordinandorum, qui in singulis gradibus debent probari, ut ad superiores ascendant. Quam rationem inter alios tradidit Joannes VIII, Pontifex Maximus, Epistola CXCIX.

IX. Fateor tamen plura in Ecclesiæ historia haberi exempla, quæ nos aperte doceant non solum Subdiaconatum, sed et reliquos sacros Ordines fuisse aliquando uno eodem die collatos. Theodosius, religiosissimus Anastasiopolis episcopus, cum Theodorum Siceotam Lectorem declarasset, « postridie Subdiaconum, Diaco- » num, et Presbyterum instituit, » ut refert Gregorius, Theodori discipulus, in ejus Vita, num. XXI, apud Bollandianos in ejus Vita, 22 aprilis. S. Epiphanium eadem die omnes gradus recepisse, diserte affirmat auctor ejus Vitæ, num. XXXIV, in tomo II operum ejusdem Epiphanii. Atque ut alios sileamus, S. Norbertus eodem die Diaconus et Presbyter ab Archiepiscopo Cantuariensi ordinatus fuit, ut in ejus Vita apud Surium die 6 junii legere est. Hodie profecto eo jure utimur, ut duo sacri Ordines eodem die, vel duobus consequentibus diebus continuato jejunio conferri haudquaquam possint; adeo ut sic ordinatus ab executione Ordinum suspendatur, Ordinator vero a collatione eorumdem Ordinum, donec a Pontifice cum eo dispensetur; juxta textum in cap. *Litteras*, Extra. *De temporibus Ordinationum;* et alium in cap. *Dilectus*, titulo eodem : ubi Honorius III Episcopum, etiamsi de mandato sui Metropolitani, eidem plures sacros Ordines una die contulerit, ab ordinandi tandiu potestate suspendit, quamdiu meruerit Pontificis gratiam obtinere. Cæterum soli Romano Pontifici licitum esse omnes Ordines eodem die, atque extra statuta temporum, conferre, docent complures Canonici jurisconsulti; adestque exemplum Clementis VI, de quo ita scribit in suis Annalibus Henricus monachus Rebdorffiensis, ad annum 1342 : « Hic Papa sacros Ordines plures etiam extra » tempora, et alia indifferenter contra consue- » tudinem olim in Ecclesia servatam contulit, » et conferri mandavit. » Et infra ad annum 1351 : « Hic Papa Humbertum Delphinum fe- » cit patriarcham Antiochenum; et in festo Na- » tivitatis Domini, quod fuit in sabbato, ipsum » promovit ad tres sacros Ordines. In prima » Missa galli cantus ordinavit ipsum Subdiaco- » num; in secunda Missa ortus diei ordinavit » ipsum in Diaconum; in summa Missa, in Sa- » cerdotem. Et eodem die ipse Delphinus Mis-

Digitized by Google

» sam celebravit. Et post octo dies ipsum Papa » consecravit Episcopum. » Vide Lupum tom. IV Operum, in tertium Decretum S. Leonis IX, pag. 301 editionis Venetæ.

§ VII.

Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad Presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium : et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad Populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque in pietate et castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab eis possint exspectari.

COMMENTARIUS.

I. Præter complura quæ superius enarrata sunt, hæc potissimum in ordinatione Presbyterorum exiguntur : ut nimirum tales sint qui valeant cæteros docere, Sacramenta ministrare, ac præclarum bonorum operum exemplum præbere; quæ omnia paulo uberius explicat Catechismus Concilii Tridentini, ex quo pene integra desumpta est recitata nostri Pontificalis Rubrica : « In Sacerdote, inquit, non solum ea » cognitio requirenda est quæ ad Sacramento- » rum usum et tractationem pertinet, sed etiam » sacrarum Litterarum scientia ita instructum » esse oportet, ut populo christiano Fidei my- » steria et Divinæ Legis præcepta tradere, ad » virtutem et pietatem incitare, a vitiis revoca- » re fideles possit. » Et statim rationem addit : « Sacerdotis enim duo sunt munera, quorum » alterum est ut Sacramenta rite conficiat et ad- » ministret, alterum in populum fidei suæ com- » missum iis rebus et institutis quæ ad salutem » necessaria sunt erudiat. Malachias enim ita » testatur : *Labia Sacerdotis custodient scien- » tiam, et legem requirent ex ore ejus; quia » Angelus Domini exercituum est.* Ut igitur il- » lorum altero, si mediocri cognitione sit orna- » tus, præstare quod debet possit, alterum certe » non vulgarem, sed exquisitam potius doctri- » nam desiderat : quamvis æque ab omnibus » Sacerdotibus reconditarum rerum scientia » non exigatur, sed quæ ad suscepti officii et » ministerii functionem unicuique satis esse » possit. »

II. Adduci possent hanc in rem innumeri Patres, Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de vita Sacerdotum, Gregorius Nazianzenus in Apologetico, Joannes Chrysostomus in sex aureis libris de Sacerdotio, Julianus Pomerius, et alii complures, qui fuse eleganterque de officiis Sacerdotum scripsere : verum satis est huc referre Concilii Aquisgranensis canonem XXVI, qui desumptus est ex lib. I *De vita contemplativa*, laudati Pomerii, cap. XX, cujus verba hæc sunt : « Sacerdos et sancte debet vivere propter » exemplum, et pie docere propter suæ admi- » nistrationis officium; certus quod ei sua jus- » titia nihil suffragetur, de cujus manu anima » perceuntis exigitur. Quando quicumque alius » perierit quem nulla docendi necessitas manet, » solus pœnas sui sceleris dabit : ille autem cui » dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte » vivat, et tamen perdite viventes arguere aut » erubescat aut metuat, cum omnibus qui eo » tacente perierint perit. Et quid ei proderit » non puniri suo, qui puniendus est alieno pec- » cato? » Et cap. XXXVI diserte inquit eadem Synodus, allatis divinæ Scripturæ locis, Sacerdotes pro populorum iniquitate damnari, si eos ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. Vide nunc, si recte agant innumeri pene Sacerdotes aulæ vel fori negotiis implicati, qui nullam suæ proximorumque salutis procurandæ curam habent. Videsis charissimi nobis adolescentis Josephi Santa Maria Commentarium, omnigena eruditione refertum, in canonem II Chalcedonensem, nostro I tomo Conciliorum, pag. 282 et seqq.

Digitized by Google

§ VIII.

Illegitimi sine dispensatione Apostolica ad sacros Ordines promoveri non possunt : ad Minores tamen possunt, ex dispensatione sui Episcopi, ordinari. Neque etiam furiosi, amentes, servi, homicidæ, irregulares, insigni corporis vitio deformes, aut manci, ordinari possunt.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis supra in Commentario § I multa diximus, et alibi sparsim nonnulla de irregularitate sive de Ordinationum impedimentis attigerimus, est tamen hic proprius locus ut reliqua explicemus. Irregularitas, uti omnes pene definiunt, est Canonicum impedimentum, ex facto seu defectu proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, quam promotus in iisdem ministrare prohibetur, etiam post pœnitentiam. Brevius : Est inhabilitas, seu Canonicum impedimentum suscipiendi Ordines, susceptosque exercendi. Dicitur autem irregularis, quasi alienus a regula sive canone, ut colligitur ex priscis Synodis, præsertim ex I Nicæna, can. XVII, ubi decernitur, ut si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpe lucrum sectari, « dejiciatur a Clero, et alienus » existat a regula. » Canone etiam IX, loquens eadem Synodus de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, et peccata ante Ordinationem commissa confitentibus, ait : « Tales Re» gula non admittit, quia quod irreprehensibile » est Catholica defendit Ecclesia. » Vide Natalem Alexandrum, *De Sacramento Ordinis*, cap. IV.

II. Docere videtur Edmundus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, art. II, num. XX, impedimentum quod vocant ex defectu natalium, suam ducere originem a Concilio Meldensi anni 865, cujus canon LXIV ita habet : « Filii vero ex hujusmodi vituperabili conjunc» tione, ante conjugium etiam minus laudabile » procreati, ad Ecclesiasticam dignitatem nullo » modo provehantur, nec de tali conjugio gene» rati Ecclesiasticis Ordinibus applicentur, nisi » forte eos vel maxima Ecclesiæ utilitas aut ne» cessitas postulet, vel evidens meritorum præ» rogativa commendet. » Verum recte alii hanc opinionem refellunt ; non enim recitatus Canon de omnibus spuriis intelligi debet, sed de iis tantum qui orti fuissent ex virginum aut viduarum raptoribus, ut constat ex initio ipsius Canonis, qui ita incipit : *Raptores virginum et viduarum etc.* Ut Christiani enim crimine raptus deterrerentur, Patres Meldenses in filios qui ex illo raptu procreati essent, exclusione ab Ordinibus animadverterunt, nulla habita illorum spuriorum mentione qui ex alia fornicationis specie procreati essent. Adde spurios de quibus Canon expresse loquitur, nec a Clero absolute excludi, sed tantum nisi eos « vel ma» xima Ecclesiæ utilitas aut necessitas postulet, » vel evidens meritorum prærogativa commen» det. » Vide Juenínum, in suo opere *De Sacramentis*, dissertatione duodecima, quæstione sexta de Irregularitate, articulo septimo, ubi diserte probat, ante annum millesimum, defectum natalium minime obstitisse quo minus quis ad Ordines vel ad Beneficia promoveri potuisset.

III. Certe in priscis Conciliorum canonibus aut Pontificum decretis non legitur, illegitimos, illos scilicet qui ex justis nuptiis procreati non sunt, ab Ordinibus aut Ecclesiasticis functionibus seu ministeriis ob solum defectum natalium fuisse exclusos, modo cæteræ dotes in Sacerdote requisitæ non deessent ; non enim parentum vitia vel virtutes, sed propria merita aut demerita in assumendis ad Ecclesiæ munia attendenda esse credebant ; quemadmodum multis veterum Patrum testimoniis astruit Gratianus, distinctione LVI, ubi post recitatum hunc canonem Concilii Claromontani sub Urbano II : « Presbyterorum filios a sacris Altaris ministe» riis removemus, » statim subjungit : « Sed hoc » intelligendum est de illis qui paternæ incon» tinentiæ imitatores fuerunt. Verum si morum » honestas eos commendabiles fecerit, exemplis » et auctoritatibus, non solum Sacerdotes, sed » summi Sacerdotes fieri possunt. »

IV. Quidquid sit de mente Gratiani, quem

Digitized by Google

aiunt fuisse spurium, et de disciplina quæ eo tempore obtinebat locutum : illud certo constat, quod docet Lupus tomo IV Operum, in prima prœmiali dissertatione, *De Latinorum Episcoporum et Clericorum continentia*, cap. XII, illegitimorum natalium irregularitatem ab Ecclesia dudum fuisse ignoratam. Etenim inquit, inter Nicephori Confessoris Canones, qui exstant tomo IX Bibliothecæ Patrum, decimum quintum sic habere : « Qui ex concubina, scorto, digamis » aut trigamis nati sunt, si virtutibus præditi » appareant, et sint Sacerdotio digni, ordinen- » tur. » Quando hæc irregularitas primum inducta sit, profecto non constat; videturque non ubique eodem tempore, sed in aliis Ecclesiis citius, in aliis serius introducta et recepta ; ut post Juenin um et Lupum scite observat Vanespen in Jus Ecclesiasticum parte II, tit. X, cap. III. Sane addubitari nequit quin istud impedimentum ex defectu natalium in filiis Presbyterorum primum constitutum sit, ad incontinentiam Sacerdotum reprimendam, qui sæculo XI ubique fere locorum, Romæ vero præsertim, præ oculis Romanorum Pontificum, non sine horrendo sacrilegio ac populorum scandalo, uxores palam ducebant ac filios procreabant. « Quidam Romani Pontifices, » inquit in præfatione ad suum Decretum Ivo Carnutensis, « decreverunt ne filii Presbyterorum assume- » rentur ad Presbyteratum, non quod persona- » rum acceptio apud Deum alicujus sit momen- » ti; vel natura, quæ omnium par est genitrix, » ab aliquo possit reprehendi, vel filius pro » iniquitate patris condemnari..... sed ad re- » primendam quorumdam Presbyterorum in- » continentiam, vel tutius muniendam aliorum » continentiam. »

V. Exinde, ob hanc rationem, decretis Pontificum atque Conciliorum in Decretales Gregorii IX relatis, extensum fuit natalium impedimentum ad omnes illegitime natos : quod quidem veteri Legi consentaneum est; legimus enim Deuteronomii cap. XXIII : *Non ingredietur manser*, id est ex scorto natus, *in Ecclesiam Dei*. Ejus impedimenti rationem hanc assignat S. Thomas in IV Sententiarum, distinctione XXV, articulo II, quæstiuncula III. « Ordinati, inquit, » in quadam dignitate præ aliis constituuntur; » ideo ex quadam honestate requiritur in eis » claritas quædam non de necessitate Sacra- » menti, sed de necessitate præcepti, ut scilicet » sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non » publice pœnitentes. Et quia obscuratur homi- » nis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de » illegitimo thoro nati a susceptione Ordinum » repelluntur, nisi cum eis dispensetur; et tan- » to est difficilior dispensatio, quanto origo est » turpior ; » puta si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu aut sacrilegio nati, quam si ex fornicatione simplici procreati essent. Duabus hisce Ivonis ac S. Thomæ rationibus addi potest et tertia, quam petunt ex incontinentia quæ in filio timeri solet, juxta illud vulgare : *Sæpe solet similis filius esse patri :* eaque ratione utitur Sixtus V, in sua Constitutione contra illegitimos edita ; sic enim inquit § I : « Illegitime genitos, » qui ut plurimum parentum vitia et inconti- » nentiam imitari solent, etc. » Atque hinc est quod in dispensationis formula super hac irregularitate, ex stylo Curiæ Romanæ, apponi solet hæc clausula : « Si ipse paternæ incontinentiæ » imitator non sit, sed bonæ conversationis et » vitæ. »

VI. Hæc dispensatio Romanorum Pontificum addubitari nequit quin coæva fuerit origini memoratæ irregularitatis ; ipsius enim meminere labente duodecimo sæculo, et initio sæculi decimi tertii Alexander III, Innocentius III et Honorius III, uti videre est in cap. VII, XIV et XVII, *De filiis Presbyterorum*. Quamobrem hoc genus dispensationis acriter perstringens Matthæus Paris, ad annum 1235, perperam jus illud tribuit Gregorio IX, his verbis : « His quoque » temporibus Gregorius papa IX, videns De- » cretalium tædiosam prolixitatem, sub eodem » compendio eas eleganter abbreviatas et col- » lectas, solemniter et authentice per totius » mundi latitudinem legi præcepit et divulgari ; » illas autem ab auctore ipsarum Gregorianas » appellamus, sic incipientes : *Rex Pacificus*. » Et mox subdit : « In quibus quædam innovavit, » ne se illegitimi in prælatias, vel Ecclesiastica » beneficia, nisi adepta a Sede Romana legiti- » mationis dispensatione obrepant; sciens inde » Curiæ Romanæ pro impetratione tali multa » emolumenta provenire, sicut ex statuto Inno- » centii pro dispensatione plurium beneficio- » rum obtinendorum. » Posse Episcopum cum illegitimis dispensare ut ad Minores Ordines et beneficium simplex promoveantur, patet ex

Digitized by Google

cap. II, *De filiis Presbyterorum*, in VI. An vero dispensare possit Episcopus super eo impedimento, cum occultum est, quæstio est apud Scriptores. Adhæremus nos illorum sententiæ qui aiunt non posse; et ratio est, quia Concilium Tridentinum, sessione XXIV, cap. VI *De Reformatione*, permittit Episcopis ut dispensent duntaxat super irregularitatibus quæ ex delicto occulto, non autem ex defectu proveniunt.

VII. Sunt et alii duo modi tollendæ irregularitatis ex defectu natalium. Primus est subsequens matrimonium parentum, modo eo tempore quo filius natus est potuissent valide inter se contrahere matrimonium. Et ratio est, quia ex benignitate juris Canonici retrotrahitur matrimonium, et prolem antea susceptam legitimam reddit ac si ex vero esset orta conjugio. « Tanta est vis matrimonii, » inquit Alexander III, Exionensi Episcopo rescribens, « ut qui » antea sunt geniti, post contractum matrimo- » nium legitimi habentur. » Vide textum in cap. *Tanta*, Extra. *Qui filii sint legitimi.* Alter modus est professio religiosa, quæ facit ut qui Deo solemnibus votis consecratus est, ad sacros Ordines absque dispensatione promoveri possit; ut patet ex constituto Urbani II, qui apud Gratianum, can. I, distinctione LVI, inquit: « Pres- » byterorum filios a sacris ministeriis remove- » mus, nisi aut in cœnobiis aut in canoniis » religiose probati fuerint conversati. » Præter multas Synodos generales atque provinciales, ac rescripta Pontificum, qui hanc disciplinam confirmant, hæc est hodie Ecclesiæ praxis, ut sine dispensatione professi in aliqua probata Religione, licet illegitime nati sint, ad sacros Ordines promoveri possint, non tamen ad Episcopatum, vel ad præcipuas Religionis prælaturas: nam hisce casibus necessaria ipsis esset Romani Pontificis dispensatio, ut liquet ex textu in cap. *Ut filii*, Extra. *De filiis Presbyterorum.* Porro, etsi Sixtus V constitutione sua sanxerit ne ad Religiosam professionem illegitimi reciperentur, eam tamen postmodum Gregorius XIV rescidit, et ad terminos juris communis deduxit, ut videre est in sua Constitutione quæ incipit *Circumspecta*, ubi etiam Romanæ Pœnitentiariæ potestatem largitus est concedendi dispensationes Regularibus illegitime natis, ut ad claustrales præfecturas promoveri valeant.

VIII. Age nunc videamus qui sint qui ex præsenti Pontificalis Rubrica ordinari nequeunt. Primo sunt amentes et furiosi, quorum irregularitatem, durante defectu usus rationis, nec Summus Pontifex tollere potest; redduntur enim inhabiles ex jure divino ad Ordinis exercitium. Si autem defectus ipse cessaverit, communiter docent Scriptores posse Romanum Pontificem dispensare; non vero Episcopum, cum ei nullibi talis facultas concessa sit. Cæterum hæc locum habent quando talis amentia aut furor ortum habent ex læsione organi, aut passione permanenti ex malitia proprii humoris; quia qui semel sic furore aut amentia laboravit, timeri potest fore ut in eam iterum relabatur, et irreverentiam aut indecentiam ministerio sacro inferat. Verum si ex accidenti transeunti, ut aiunt, talis amentia vel furor contingat; ut si ex vi febris, vulneris, iræ, vel alterius passionis amittat quis usum rationis, vel fiat etiam furiosus; docent cum Suarez plerique Auctores, posse hunc, illo accidenti cessante, ad Ordines promoveri. Ob hanc irregularitatem ex defectu usus rationis, promoveri nequeunt energumeni; eratque ea olim perpetua irregularitas, ut liquet ex can. *Maritum*, distinctione XXXIII. « Bene quidem, » inquit Concilium Toletanum XI, can. XIII, « majorum regulis defini- » tum est, ut dæmoniis aliisque similibus pas- » sionibus irretitis, ministeria sacra tractare » non liceat. » Hodie, ubi plene purgati fuerint, docent Auctores ordinari posse.

IX. Secundo servi, quamdiu durat in eis defectus libertatis, irregulares sunt; eaque irregularitas omnino est Apostolicæ traditionis: noluit enim Apostolus Onesimum servum ordinare, sed ad Philemonem dominum ejus remisit: *Tu autem illum ut mea viscera suscipe: quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: sine consilio autem tuo nihil volui facere.* Verba sunt memorati Apostoli in Epistola ad Philemonem. In Canone etiam vulgo Apostolorum octogesimo secundo ita legimus: « Servi in Clerum » non ordinentur sine domini voluntate. Si » quis vero dignus est, qualis Onesimus fuit, » domino consentiente et libertatem ei conce- » dente, et extra domum suam emittente, in » eum gradum ascendat. » Hujus irregularitatis duplicem rationem addiscere licet ex S. Leone,

Digitized by Google

qui in Epistola prima ad universos Episcopos per Campaniam, Picenum, Tusciam, et per universas provincias constitutos, cap. I, ait excludendum esse ab Ordinibus servum, tum quia humilitas servitutis statum Ecclesiasticum maxime dedecet, tum etiam quia tolli non debent jura dominorum in servos : « Duplex ita» que, inquit, in hac parte reatus est, quod et » sacrum Mysterium (alibi Ministerium) talis » consortii vilitate polluitur; et dominorum, » quantum ad illicitæ usurpationis temeritatem » pertinet, jura solvuntur. » Querebatur sane sanctissimus Pontifex quod passim ad Ordinem sacrum suo tempore admitterentur quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragabatur; et qui a dominis suis libertatem minime consequi potuissent, ad fastigium Sacerdotii, tanquam servilis dignitas hunc honorem jure caperet, proveherentur. Vetat hoc fieri deinceps, sic inquiens : « Ab his itaque, fratres charis» simi, omnes provinciæ vestræ abstineant Sa» cerdotes; et non tantum ab his, sed ab illis » etiam qui aut originali aut alicui conditioni » obligati sunt, volumus temperari, nisi forte » eorum petitio aut voluntas accesserit qui ali» quid sibi in eos vendicant potestatis. Debet » enim esse immunis ab aliis, qui divinæ mili» tiæ fuerit aggregandus, ut a castris dominicis, » quibus nomen ejus adscribitur, nullis neces» sitatis vinculis abstrahatur. »

X. Ergo, ut servus ordinari possit, opus est domini voluntate; invaluit tamen etiam a priscis sæculis ex canone VIII Concilii I Aurelianensis anni 511, ut si sciens Episcopus, inscio vel invito domino, servum ad Diaconatus vel Presbyteratus ordinem promoveret, Ordinatus quidem in suo gradu maneret, Ordinator vero duos ei reddere servos teneretur; si autem nescius esset Episcopus servilis illius conditionis, tum deberet domini damnum ab eis resarciri qui Ordinationi servum præsentarant, vel testimonio suo juverant : « Si servus, absente aut nesciente do» mino, et Episcopo sciente quod servus sit, » Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipso » in Clericatus officio permanente, Episcopus » eum domino duplici satisfactione compenset; » sin vero Episcopus eum servum esse nescierit, » qui testimonium perhibent, aut eum suppli» caverint ordinari, simili redhibitione tenean» tur obnoxii. » Ex Concilio Aurelianensi V, quod anno 549 celebratum est, can. VI, servus qui inscio domino fuerat ordinatus, suscepto quidem ordine fruebatur, sed solita domino exhibere obsequia tenebatur quæ Ordinis sui dignitatem non læderent : quod si obsequia indecora exigeret dominus, jam eum ipsi eripiebat Episcopus, qui tamen duos loco ejus alios servos domino rependebat : « Si sæcularium » servus esse convincitur, is qui ordinatus est, » benedictione servata, honestum Ordini do» mino suo impendat obsequium. Quod si sæ» cularis dominus amplius eum voluerit incli» nare, ut sacro Ordini videatur inferre inju» riam, duos servos, sicut antiqui Canones » habent, Episcopus qui eum ordinavit domino » sæculari restituat; et Episcopus eum qui or» dinavit ad ecclesiam suam revocandi habeat » potestatem. » Multa de hac irregularitate ex defectu libertatis videri possunt apud Gratiani interpretes ad distinctionem LIV, et ad titulum Decretalium *De servis non ordinandis.*

XI. Notandum superest, contrahi quoque irregularitatem de qua agitur ab iis qui ratiociniis obligati vel militiæ addicti sunt, quia scilicet hujusmodi homines non sunt juris sui, ac proinde Ecclesiæ obsequio mancipari non possunt, pollueretur que divinum profecto ministerium, si militum manus, tinctæ sanguine humano, purissimam atque incruentam Hostiam offerrent. Cæterum non modo ii qui publicis ratiociniis obligati sunt, sed etiam qui privatis, veluti coloni adscriptitii, aliique, ut vocant, conditionales homines, ordinari non possunt, ut ex toto titulo Decretalium *De obligatis ad ratiocinia non ordinandis.* Quod ita forte placuit, ne debitores occasione sacri Ordinis deteriorem creditorum suorum conditionem facerent; eamque ob rationem ordinari nequeunt tutores, curatores, actores aut procuratores, nisi post reddita ratiocinia, ut ex Concilio Carthaginensi exscribit Ferrandus Diaconus. Olim ratiociniis publicis adstricti, quamvis a Clero arcerentur, poterant tamen admitti ad Monachatus professionem, quam licet nullam futuram esse sanciverit Sixtus V, validam tamen postea, sed illicitam, declaravit Clemens VIII.

XII. Tertio, ab Ordinationibus excluduntur homicidæ quicumque facto, vel præcepto, consilio, adhortatione, auxilio defensione ve, ad

Digitized by Google

hominis necem vel membrorum mutilationem concurrunt, ut liquido constat ex innumeris pene Canonibus, ac Pontificum Maximorum rescriptis, fuse allatis a Theologis, ubi agunt de ipsa irregularitate; quam docent ex divino præcepto fuisse jam olim populo Judaico insinuatam, juxta illud Exodi cap. XXI : *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari meo evelles eum.* Quæ verba laudantur in cap. I *De homicidio voluntario, vel casuali.* Olim quidem tam homicidium animo plane deliberato quam fortuito, vel in defensionem propriæ vitæ perpetratum, Ordinationem impediebat. Hodie in Clementina unica *De homicidio*, ita statuit summus Pontifex : « Si » furiosus, aut infans, seu dormiens hominem » mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregula- » ritatem incurrit. Et idem de illo censemus qui » mortem aliter vitare non valens, suum occi- » dat vel mutilet invasorem. » Ubi nota primo, non comprehendi homicidium ob defensionem honoris vel bonorum temporalium; secundo, eum qui mortem aliter vitare valet, si aggressorem suum interficiat, irregularitate notari. Cæterum ex Concilio Tridentino, sessione XIV *De Reformatione*, cap. VII, qui invasorem suum cum moderamine inculpatæ tutelæ repellens, casu occiderit, ad Summum Pontificem confugere debet, ac interim a sacris ministeriis abstinere, donec Episcopus ex mandato Summi Pontificis, causa cognita, dispensationem ipsi jure quodammodo debitam indulserit.

XIII. Irregularitati ex homicidio provenienti non absimilis ea est quæ oritur ex judicio sanguinis, quod aliquis pronuntiaverit. Innocentius I, in Epistola III, ad Exuperium episcopum Tolosanum, can. III, ait se nihil ea de re legisse a majoribus definitum : « Meminerant enim, » inquit, a Deo potestates has fuisse concessas, » et propter vindictam noxiorum gladium fuisse » permissum, et Dei esse ministrum vindicem » in hujusmodi datum. » Verum in Epistola IV, ad Felicem Nuterianum episcopum, capite III, ipse Pontifex expresse definit, milites etiam qui bello justo decertant, causidicos qui criminales causas agunt, judices qui mutilatione aut capite reos condemnant, testes etiam qui eos accusant, in irregularitatem incurrere; id quod etiam repetit in Epistola XXIII, cap. II. Concilium Matisconense II, quod anno 585 celebratum est, can. XVIII, Clericis prohibet reorum suppliciis, aut vindictæ sanguinis interesse. « Definimus, » ut ad locum examinationis reorum nullus Cle- » ricorum accedat, neque intersit atrio sauciolo » ubi pro reatus sui qualitate quispiam inter- » ficiendus est. » Atrium sauciolum, ut Altaserra explicat, lib. IX *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. IV, dicitur hic locus ubi rei capite vel membris plectuntur. Occurrit similis vox in Vita S. Cypriani Carthaginensis episcopi et martyris : « Idem Valerius Maximus proconsul eadem » die Cyprianum sibi offerri præcepit in atrio » sauciato sedenti. » Concilium Lateranense IV, sub Innocentio III, relatum in cap. *Sententiam*, Extra. *Ne Clerici vel Monachi*, etc., non modo Clericis vetat judicium sanguinis agitare, verum etiam funestis illis spectaculis interesse : « Sententiam sanguinis nullus Clericus » dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindi- » ctam exerceat, aut ubi exerceatur intersit. » Verum hoc postremum verbum *intersit* explicans in commentario ejusdem capitis Innocentius IV, « Hoc, inquit, non facit irregularitatem, » nisi auctoritatem præstet vel auxilium. » Esset tandem agendum, juxta præsentem Rubricam, de irregularitate quæ oritur ex insigni corporis vitio, sed cum de ea satis dictum sit in Commentario § I, ideo ad alia potius transeamus.

§ IX.

Examinentur de Ordine in quo sunt constituti, et quando et a quo illum receperunt.

COMMENTARIUS.

I. Pluribus Conciliis, ac præsertim V provinciali S. Caroli mandatum est, parte III *Constitutionum*, cap. II, de examinandi ratione, ut cum quis Ordinem aliquem suscepturus ad examen venit, inter alia investigetur, « quam- » diu est quo alium Ordinem suscepit. » Ejusque hanc statim rationem subjicit : « Ut nemi- » ni ad altiorem gradum pateat ascensus, nisi

Digitized by Google

» in singulis aliis inferioris Ordinis gradibus » congruo temporis spatio perstiterit ad præ- » scriptum Tridentinæ sanctionis. » Alludit ad caput XI sessionis XXIII *De Reformatione*, quod nos fuse explicuimus in Commentario § V. Examinari autem jubetur de Ordine in quo quis est constitutus, ne per saltum, aliquo omisso, ad altiores ascendat, vel acceptum semel Ordinem iterum oscitanter suscipiat : quod utrumque nefas est, et a sacris Canonibus sexcenties interdictum. Recte insuper de Episcopo interrogatur a quo Ordinem quis recepit : non enim ab omni Episcopo licet catholico, sed a proprio tantum licitum est Ordinationem recipere ; adeo ut si secus fieret, jubet Concilium Tridentinum, sessione XXIII *De Reformatione*, cap. VIII, « Ut » Ordinans a collatione Ordinum per annum, » et Ordinatus a susceptorum Ordinum execu- » tione, quamdiu proprio Ordinario videbitur » expedire, sit suspensus. »

§ X.

Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros Ordines non promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito quo aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum : eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam satis sint : atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint.

COMMENTARIUS.

I. Vetus est Ecclesiæ disciplina, de qua nos fuse locuti sumus tomo I Conciliorum, in commentario canonis VI Chalcedonensis, ut nemo scilicet absolute ordinaretur, id est nisi certæ ecclesiæ alligaretur, in qua et sacras functiones perageret, et ex cujus redditibus aleretur. Hic beneficii titulus est, præter quem, ut scite observant omnes eruditi Scriptores, nullum alium agnovit antiquitas ante Concilium Lateranense III, sub Alexandro III Pontifice Maximo celebratum; ubi, uti constat ex canone V, cœpit patrimonii titulus ex quadam dispensatione Apostolicæ Sedis approbari : « Episcopus, in- » quit, si aliquem sine certo titulo, de quo » necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel » Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria » ei subministret donec in aliqua ecclesia con- » venientia ei stipendia militiæ Clericalis assi- » gnet; nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, » qui de sua vel paterna hæreditate subsidium » vitæ possit habere. » Hanc regulam profecto confirmarunt Concilii Tridentini Patres, sessione XXI *De Reformatione*, cap. II, unde desumpta est nostra hæc Pontificalis Rubrica; ejusque rei hanc rationem reddit, « Quod non » deceat eos qui divino ministerio adscripti » sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut » sordidum aliquem quæstum exercere. » Sordidus autem quæstus non in profanis solum, sed in sacris quoque exercetur, præsertim in celebratione Missarum, de qua nonnulli faciunt artem de pane lucrando. Quod quantum sit nefas Ordinisque Ecclesiastici dedecus, nemo non videt.

II. Cum ergo plura de hac nostra Rubrica, quæ est caput II, sessionis XXI *De Reformatione*, in laudato Conciliorum tomo I disseruerimus, notare hic tantum sufficiat, solum beneficium esse titulum legitimum ad sacram Ordinationem requisitum, patrimonium vero nonnisi dispen-

Digitized by Google

sative pro iis quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, ut inquit laudatum Concilium Tridentinum. Quamobrem scitissime docet vir juris Canonici consultissimus, Prosper Fagnanus, in cap. *Episcopus,* Extra. *de Præbendis et Dignitatibus,* num. XXIV, Synodum Tridentinam sustulisse dispositionem textus in cap. *Tuis,* tit. *eodem*, in quantum ibi concedebatur indifferenter ordinari ad titulum patrimonii vel beneficii. « Nam, ait, hodie solum beneficium » est titulus legitimus ad sacros Ordines, patri- » monium vero nonnisi dispensative; quemad- » modum alias etiam declaravit sacra Congre- » gatio Concilii interpres. » Fagnano adjungimus præstantissimum sacræ Theologiæ doctorem Cardinalem Bellarminum, qui in aurea Epistola, quam scripsit ad nepotem suum Episcopum Theanensem, ita inquit : « Maximus est abusus » ordinare quoslibet ad titulum patrimonii; » plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate » sua, non Ecclesiæ, et de celebratione Missæ » faciunt artem de pane lucrando : unde Sacer- » dotium contemptibile redditur, et Ecclesia » scandalis patet. » Videsis quæ contra beneficiorum pluralitatem abunde dicta sunt a familiarissimo nostro et erudito adolescente Bonaventura Sulco, patritio Crotoniate, in nostro I tomo Conciliorum, ad canonem X Chalcedonensem.

§ XI.

Advertat diligenter Pontifex, cum Ordines confert, ne in expressione formarum, vel collatione instrumentorum ipsorum Ordinum deficiat. Frequenter Pontificale respiciat, et mature procedat. Moneat Ordinandos, quod instrumenta quibus character imprimitur tangant. Secretas morose dicat, ut Ordinati ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere : debent enim ex consuetudine concelebrare, et etiam verba consecrationis proferre.

COMMENTARIUS.

I. Ordinis sacramentum, sicut et reliqua alia Ecclesiæ sacramenta habere suam materiam suamque formam determinatam, a Christo Domino institutam, sine quibus nec licite neque valide potest conferri, commune est inter Catholicos. Materia, ut docet Concilium Florentinum in instructione Armenorum, est illud per cujus traditionem in manus ejus qui ordinatur, unusquisque Ordo confertur. Forma sunt verba prolata ab Episcopo, quibus potestas significatur quæ illi tribuitur. Materia est in hoc, sicut in aliis Sacramentis, in duplici differentia, remota et proxima. Prior est res illa quæ traditur Ordinando : ut calix cum vino, et patena cum hostia Sacerdoti; liber Evangeliorum Diacono; et sic de aliis, de quibus postea disputabimus cum de singulis Ordinibus agendum erit in particulari. Materia vero proxima, est ipsa traditio rei ab Episcopo facta. Cæterum, cum, uti constat ex Concilio Tridentino, sessione VII, can. I, de Fide sit Christum instituisse omnia Sacramenta novæ legis, omnino sequitur eorum etiam partes essentiales, materiam nimirum et formam, saltem in communi determinasse; id est, ut aiunt theologi, Christum Apostolis præcepisse ut signis quibusdam uterentur, quæ quamdam cum effectu Sacramentorum quæ ex illius mandato collaturi erant, analogiam haberent.

II. Si autem quæras cur veteres Ecclesiæ Patres de rebus ac verbis, sive de materia ac forma, quibus Ordinatio sacra peragitur, subobscure parciusque locuti sint : nil mirum, inquit Estius eruditissimus, in lib. IV distinctione XXIV, *De sacramento Ordinis,* § II, si cogitemus quanta sollicitudine caverint ne tam sancta Religionis nostræ mysteria in profani vulgi, ac præsertim in infidelium notitiam, et consequenter in contemptum venirent; quod facile futurum erat, si ea passim litteris ut cætera commendassent : ideoque fere sola voce Præfecti Ecclesiarum alii aliis ea commiserunt; ut de plerisque mysteriis testatur S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. ult. et S. Basilius in lib. *De Spiritu sancto,* cap. XXVII.

Digitized by Google

Quamobrem S. Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epistola ad Decentium, cum de duobus Sacramentis ad eum perscriberet, de Confirmatione scilicet et extrema Unctione, de priori addidit : « Verba dicere non possum, ne prodere » videar ; » de posteriori vero : « Quæ scribere » fas non erat, coram interrogati dicemus. » Videlicet utrobique significans, arcana verba Sacramentorum scripto non esse facile committenda.

III. His prænotatis, explicanda modo sunt nobis ea Rubricæ verba : *Moneat* (Episcopus) *Ordinandos, quod instrumenta quibus character imprimitur tangant.* An scilicet sit de substantia sacramenti Ordinis, ut qui initiantur tangere materiam teneantur? Quamvis nonnulli Auctores id penitus negent, alii vero contactum materiæ esse necessarium contendant necessitate præcepti, impositi a Gregorio IX, in cap. *Presbyter,* Extra. *De Sacramentis non iterandis :* multi nihilominus sequentes Angelicum præceptorem, innumerosque pene Theologos, constanter asserunt contactum physicum, ut aiunt, materiæ ab Episcopo traditæ esse necessarium essentialiter in quolibet Ordine, ut valide recipiatur, quia scilicet « ipsa verba formæ, » ut inquit S. Thomas III parte, quæstione XXXIV, articulo V, ad III, « videntur ostendere quod » tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, » quia dicitur : Accipe hoc, vel illud. » Hæc ratio egregie comprobari potest ex verbis nostræ Rubricæ, atque ex usu Ecclesiæ receptissimo, et diligenti cura quam adhibet tum magister cæremoniarum Ordinibus conferendis assistens, tum præcipue Episcopus ex præscripto nostri Pontificalis, ut Ordinandi omnes instrumenta pro quolibet Ordine oblata physice tangant. Quæ sollicitudo majorem necessitatem quam præcepti ostendit, ut scite observant Theologi.

IV. Rogabit fortasse quispiam, an vere quis susciperet Ordinem si antequam Episcopus verba formæ terminaret, instrumentum ille non tetigisset? Respondent hic plerique Auctores, sicut in Baptismo, Pœnitentia et aliis sacramentis, ita etiam et in Ordine sufficere moralem conjunctionem applicationis materiæ cum prolatione verborum; ideoque, quamvis verba finita sint, valide ac licite Sacramentum recipi, si post parvum temporis intervallum materia contingatur. Ita Sotus, Cajetanus, aliique complures, inter quos Philibertus non improbandam dicit omnino esse illorum Episcoporum consuetudinem, qui prolatis in plurali numero verbis, *Accipite potestatem*, aliquibus tangendum porrigunt instrumentum, exhibituri postmodum aliis successive, ne diutius in Ordinatione detineantur. Cæterum pro certo haberi debet, non requiri ut quis totam materiam tangat, satisque esse ut in Presbyterum ordinandus calicem cum patena tangeret, tametsi hostiam non contingat : nam, uti passim tradunt Theologi, sicut tangendo calicem censetur quis tangere vinum in eo inclusum, ita etiam tangendo patenam censetur et hostiam contingere, quæ in ipsa patena continetur. Imo addunt alii, sat esse Ostiario attingere pelvim in qua sunt claves; nec esse opus utraque manu, sed una duntaxat materiam contingere, quamvis, industria vel casu, aliquo velo vel chirotheca cooperta manus sit.

V. Reliqua tandem nostræ Rubricæ verba, quibus Episcopus admonetur *Ut secretas morose dicat, ut ordinandi ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere, debent enim ex consuetudine concelebrare, et etiam verba consecrationis proferre,* inferius suo loco explicabuntur, ubi agendum erit de ordinatione Presbyteri. Illud hic innuere sufficiat, quod docet eruditissimus Joannes Morinus de sacris Ordinationibus part. III, dissert. VIII, cap. I, ostenditque variis antiquorum Patrum et Conciliorum Græcorum ac Latinorum testimoniis, jam olim priscis Ecclesiæ sæculis, Presbyteros multos non solum cum ordinabantur, sed etiam extra ordinationem passim unam Missam simul cum Episcopo concelebrasse.

§ XII.

Tempora Ordinationum sunt : Sabbata in omnibus Quatuor Temporibus, Sabbatum ante dominicam de Passione, et Sabbatum Sanctum.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quanquam Apostoli nulla habita ratione ad unum potius quam ad alium anni mensem, sed pro locorum ac temporum necessitate ministros in variis regionibus constituerint, Romani tamen Pontifices, a Clemente usque ad Simplicium, contulisse dicuntur Ordines sacros solo mense decembri, ut testis est Amalarius Fortunatus, lib. II *De Officiis*, cap. I, et Micrologus, ex Romano Pontificali, quo nomine librum de gestis Romanorum Pontificum intelligit. Sane (inquit Pagius relatus a doctissimo Præsule Francisco Blanchino in Notis ad Anastasium Bibliothecarium tomo III, sectione LXXII, in Simplicio) inter tot Pontifices qui ad finem sæculi noni Ordinationes fecerunt, unus Leo II in mense maio Ordinationes fecit, et in mense septembri unam Gregorius Magnus; alii post Simplicium omnes, vel mense decembri, vel in prima vel in mediana hebdomada Quadragesimæ; nulli, quod quidem sciatur, in sabbato Paschæ. Hæc inquit laudatus Criticæ Baronianæ auctor. Idipsum etiam Joannes Mabillonius, Musei Italici tomo II, pag. 103, in Commentario prævio ad Ordinem Romanum § XVI; nisi quod asserit Leonem II mense maio Ordinationem fecisse; in ejus enim Pontificatu ostenditur illum mense junio Ordinationem suam peregisse.

II. Sed hac de tempore Sacrarum Ordinationum quæstione mature examinata, mihi quidem videtur et Amalarium et viros doctissimos falli dum scribunt Romanos Pontifices, usque ad Simplicium, semper in mense decembri Ordinationes peregisse : sicut enim post Gelasium, qui primus eas Quatuor Temporibus affixit, Romani Pontifices huic communi regulæ adstricti non erant, sed quibuscumque sabbatis Diaconos, Presbyteros et Episcopos ordinabant, ut in Leone II videre est; ita ante Simplicium, legi de Ordinationibus mense decembri faciendis, ob principem dignitatem non alligabantur, sed aliis mensibus, ubi opus erat, ad sacros Ordines promovebant. Anastasius quidem usque ad Simplicium Ordinationes omnes mense decembri a Romanis Pontificibus factas memorat; verum, ut scribit Edmundus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, artic. IV, num. V, non negat etiam aliis Quatuor Temporum jejuniis, aut ab ipsis etiam, aut ab aliis, eorum jussu Episcopis celebratas fuisse. Hæc conjectura robur accipit ex eo quod Chronicon Damaso attributum, quo nullum antiquius monumentum de duratione Pontificum Romanorum superest, diserte scribit Eusebium papam sedisse tantum « menses IV, dies XVI, et fuisse » a XIV kalendas maias, usque in diem XVI ka- » lendas septembris, » qui ideo nullum mensem decembrem in suo Pontificatu vidit; et tamen Anastasius testatur eum Ordinationem fecisse per mensem decembrem : qui Anastasii error non exstat in Codice Reginæ Sueciæ, tam ex editione Papebrochii in conatu Chronico-Historico, quam Schelestratii in Antiquitate Ecclesiæ; utrobique enim Eusebius dicitur Ordinationes tres fecisse, nulla mensis decembris Ordinatione facta. Item non exstat in Anastasiano textu, omnium brevissimo, nuper edito a viro doctissimo Josepho Blanchino congregationis Oratorii tomo IV Vitarum Romanorum Pontificum, in Prolegomenis pag. IV; ibi enim de Eusebio Summo Pontifice hæc tantum leguntur : « Hic fecit Ordinationes III, Presbyte- » ros XIII, Diaconos III, Episcopos XIV, sepultus- » que est in cœmeterio Calisti, V nonas octo- » bris : » ex quibus necessario sequitur eum alio mense quam decembri Ordinationes peregisse. Idem dicendum de Marco papa, qui, ex eodem Damasi Chronico, « sedit menses VIII » dies XX..... ex die kalend. februarii usque in » diem nonarum octobrium; » ideoque sacros Ordines conferre non potuit mense decembri, ut scribit Anastasius in vulgata editione, non autem in Blanchiniana ex vetustissimo Codice Veronensi deprompta; unde Baronius anno 336, num. LXI, ait, « totum illud de duabus a Mar- » co habitis Ordinationibus mense decembri » evanescere. »

III. Præterea ex Pontificibus LVI in dicto Reginæ Sueciæ Chronico memoratis, quindecim reperiuntur quorum Ordinationes factæ dici possunt alio mense quam decembri, in iis prætermisso; sunt autem Anacletus, Evaristus, Sixtus, Pontianus, Anterus, Cornelius, Sixtus II, Eusebius, Liberius, Siricius, Anastasius, Sixtus III, Hormisda, Joannes I, et Felix IV in

Digitized by Google

quo illud Chronicon desinit. In Veronensi vero ms. Codice habentur omnes fere Ordinationes quæ vagæ dici possunt, cum nulli mensi alligentur; ut videre licet in Clemente, Anacleto, Evaristo, Alexandro, Xysto, Telesphoro, Ygino, Aniceto, Pio, Sothere, Eleutherio, Victore, Zephyrino, Calisto, Urbano, Pontiano, Antero, Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Xysto II, Dionysio, Felice, Eutychiano, Gaio, Marcellino, Marcello, Eusebio, Melchiade, Silvestro, Marco, Julio, Liberio, Felice II, Damaso, Siricio, Anastasio, Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, Xysto III, Leone, Hilaro, Simplicio, Felice IV, Gelasio, aliisque a quibus allegandis supersedeo. Quare dicendum, ab Episcopis Romanis Diaconos et Presbyteros quibuscumque sabbatis ordinatos juxta primævum Ecclesiæ morem, imo et Episcopos quibuscumque diebus, etiamsi non essent dominici; cujus rei illustre exemplum habemus in sancto Agapito papa, qui anno 536 Constantinopoli existens, Mennam patriarcham Constantinopolitanum consecravit die XIII mensis martii, quæ eo anno in feriam quintam incidebat.

IV. Tandem Mabillonius in laudati Musei Italici tomo II, pag. 103, cum in ea sit sententia celebratas olim a Romanis Pontificibus Ordinationes mense decembri, postquam retulit moralem ex Amalario rationem, ut nimirum intimarent « conjungendos propinquius Christi » Corpori, qui per sacrum ministerium prove- » huntur, » hanc inquit planiorem afferri posse ejus disciplinæ causam : quod scilicet « commo- » dior esset tempestas ad levandum Ordinantis » et Ordinandorum laborem. » Nam in æstate, inquit, æstus passim in Urbe molestissimi sunt, et autumnus feriis vindemialibus occupatus : Quadragesimæ vero adventantium peregrinatio non ita conveniebat; quo tempore etiam Romani Pontifices eorumque ministri stationibus per singulos dies celebrandis atque scrutiniis baptizandorum occupati erant. Ita ille, cujus argumentatio levioris est quidem momenti, et a sapientissimo homine, qualis est Mabillonius, quem merito ob eximiam ejus eruditionem Viri docti venerantur, penitus aliena.

V. At, relicta hac sententia, etsi Romani Pontifices, quocumque ipsis luberet tempore, sacras Ordinationes celebrare possent, uti abunde ac solide demonstratum est, districte nihilominus jam olim caverunt ne generales ipsæ Ordinationes Presbyterorum atque Diaconorum fierent extra quatuor jejuniorum tempora, sabbatum mediæ Quadragesimæ, ac Sabbatum Sanctum, quod Paschatis diem præcedit. Idque patet ex Epistola IX Sancti Gelasii papæ ad Episcopos per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutos, cap. XI, ubi ita scribit : « Ordina- » tiones Presbyterorum et Diaconorum, nisi cer- » tis temporibus et diebus exerceri non debent; » id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, » sed et etiam quadragesimalis initii, ac media- » næ Quadragesimæ die sabbati jejunio circa » vesperam noverint celebrandas. » Idipsum decretum, quod passim in Latina Ecclesia, sicut et multa alia disciplina negligeretur, providentissime renovarunt sequioris ævi Pontifices Maximi, Gregorius II, in Epistola IV, ad Clerum plebemque Thuringiæ; Zacharias, in Concilio Romano anni 743, can. XI; Urbanus II, in Synodo Claromontana, et alii plures, inter quos Alexander III Ordinationes quas S. Gelasius fieri sanxit in Sabbato mediæ Quadragesimæ, id est in sabbato ante dominicam quam vocant *Lætare*, ex causis transtulit in sabbatum sequens ante dominicam Passionis; uti docet Lupus, in calce scholii ad Decretum III sancti Leonis IX, ubi exponit aliquot quæstiones, aitque eam fuisse causam translationis, quod tertia Quadragesimæ hebdomada, ex antiquissimo Ecclesiæ more, baptizandorum scrutiniis occuparetur, ideoque Ordinandorum scrutinia visa sint in sequentem hebdomadam transferenda. Porro quod laudatus Gelasius permiserit etiam in Paschali vigilia consecrari Presbyteros ac Diaconos, quamvis nullam in recitata Epistola istius vigiliæ faciat mentionem, pluribus probat memoratus Lupus in responsione ad quæstionem secundam. Quamvis autem Gelasii placitum solos Presbyteros Diaconosque respiciat, successu tamen temporis etiam Subdiaconi non potuerunt extra assignata sabbata ordinari, uti constat ex antiquis Sacramentorum libris, Conciliorum canonibus, ac Pontificum Maximorum rescriptis. Vide Edmundum Martenium, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, art. IV, num. VI.

VI. Non immerito hic quæri potest, an re vera primus omnium fuerit Gelasius papa, qui

Digitized by Google

certis anni temporibus sacrarum Ordinationum celebrationes affixerit? Affirmat id sane Micrologus, capite XXIV, ita scribens : « Gelasius papa » constituit ut ordinationes Presbyterorum et » Diaconorum nonnisi certis temporibus fiant. » Idipsum docere videtur Rabanus Maurus, lib. II, *De Clericorum institutione*, cap. XXIV, sic inquiens : « Sacras Ordinationes Quatuor Tem» porum diebus oportere fieri, decreta Gelasii » papæ testantur. » Paschasius Quesnellus id factum penitus negat ante Leonem Magnum, uti scribit in notis ad illius Epistolam X novæ editionis; ratus aureis illis temporibus morem hunc viguisse, ut quam citius fieri posset viduatis pastore suo Ecclesiis statim subveniretur per alterius Ordinationem, ne forte diutius pastorum custodia destitutus grex Dominicus, luporum pateret incursibus : et sicut etiamnum hodie Episcoporum, ita etiam olim Presbyterorum Levitarumque ordinationes quolibet die dominico celebrari possent. Alludit ad Epistolam laudati sancti Leonis ad Dioscorum Alexandriæ patriarcham, quem ita alloquitur : « Quod a » patribus nostris propensiore cura novimus » esse servatum, a vobis quoque volumus cu» stodiri, ut non passim diebus omnibus Sacer» dotalis vel Levitica ordinatio celebretur, sed » post diem sabbati ejus noctis quæ in prima » sabbati lucescit, exordia deligantur. »

VII. Edmundus Martenius, vir multæ eruditionis, lib. I, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo V, cupiens Gelasii constitutum repetere ab Apostolorum ævo, expresse inquit, huic Quesnelli sententiæ refragari Ivonem Carnotensem episcopum, virum sua ætate doctissimum et in antiqua Ecclesiastica disciplina versatissimum, qui Gelasii statutum ad Apostolicas revocat institutiones : nam cùm rogatus fuisset ab Ecclesiæ Senonensis Capitulo, ut electum suum in festo Purificationis B. Mariæ ordinaret Presbyterum, sequenti dominica consecraret Episcopum, id facere constanter renuit, quia, inquit Epistola LVIII, « Apostolica institutio et » paterni canones habent, ut non fiat Levitica » vel Sacerdotalis ordinatio, nisi jejunio quarti » mensis, septimi aut decimi, aut initio Qua» dragesimæ, vel sabbato medianæ Quadragesi» mæ. » Sed, pace tanti viri de sacris ritibus optime meriti, videtur ipse nimium labi : etenim per Apostolicam institutionem sanctus Ivo nequaquam Apostolicum Canonem, sed omnino intelligit Gelasii constitutum, vel, ut opinatur Lupus loco laudato, memoratum S. Leonis IX decretum, quod, cum ei necdum plene obediret Gallia, iteravit atque innovavit in Claromontana Synodo Urbanus II.

VIII. Quamvis autem hodie, ex concessione Summorum Pontificum, Regulares nulla acti necessitate a Superioribus suis dispensentur ut extra statuta tempora ordinari possint, juxta veterem tamen disciplinam tanta religione tempora ipsa Ordinationum observabantur, ut nec Episcopo, nec Metropolitæ, imo nec Apostolicæ Sedis Legato liceret circa ipsam disciplinam ulla ex causa dispensare; uti liquet ex laudato S. Ivonis rescripto, qui etsi Metropolitica auctoritate tunc fungeretur, causaque adducta per Senonense Capitulum esset gravissima, voluit ut Daimbertus, ejusdem Ecclesiæ Senonensis electus Episcopus, non in Purificatione B. Mariæ Presbyter, et in sequenti dominica Episcopus sacraretur, sed ut legitima Ordinationum tempora exspectaret. Quod nec mirum videri debet, cum S. Bonifacius, Germanorum apostolus, et Apostolicæ Sedis Legatus, defectu sacrorum ministrorum, urgente necessitate, huic legi parere non volens, facti sui indulgentiam ab ipsa Apostolica Sede sibi expetendam esse existimaverit : ad quem Zacharias Pontifex, qui floruit circa medium sæculum VIII, ita rescripsit : « De » ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, » cogente necessitate, et paupertate rogantium, » non legitimis temporibus et diebus a te pro» moveri, te offensionem incurrisse insinua» sti. Dicimus autem tibi, ut bene nosti, quod » sacri Canones docent aptis temporibus Sacer» dotes ordinandos. Attamen in eo, quod a te » propter zelum Fidei actum est, a Domino » Deo nostro indulgentiam postulamus. » Affirmat, etiam tanto Apostolicæ Sedis Legato talem non fuisse potestatem.

IX. Porro istiusmodi Ordinationes constat adeo damnatas fuisse a sæculis posterioribus, ut quidam de substantiali valore addubitarint. Quamobrem ad Bracarensem Archiepiscopum ita rescripsit Gregorius IX : « Consultationi tuæ » taliter respondemus, quod eos qui extra tem» pora statuta sacros Ordines receperunt, cha» racterem non est dubium recepisse. » Erant tamen suspensi a Divinis, aut certe per Episco-

Digitized by Google

pum suspendendi, uti videre est in variis capitibus *De Temporibus Ordinationum, etc.* Pius II, Constitutione quæ incipit *Cum ex sacrorum*, suspensionem ipso facto incurri declarat ab iis qui extra tempora a jure statuta ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri : id quod alii Pontifices confirmarunt. Imo Sixtus V, Pontifex Maximus, Constitutione peculiari contra male promotos edita, graviores etiam addidit pœnas, quas tamen Clemens VIII moderatus est, reduxitque ad antiquos terminos juris.

X. Videndum superest cur sacræ Ordinationes alligatæ sunt Quatuor anni Temporibus, sabbatorum diebus. Varias ejus rei mysticas rationes more suo concinnavit Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. I, et potissimum Guillelmus Durandus, episcopus Mimatensis, in Rationali divinorum officiorum, lib. II, cap. I, numero XXXIV et seqq. Verum, his omissis, placet aliorum sententia, qui docent voluisse majores nostros ut non solum jejunia, sed et preces ac supplicationes ordinationem præcederent; ut, Dei Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu quibus collaturus est Ordines, Spiritus sancti lumine illustretur; tum illi quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina religiosisque virtutibus in commune christianæ reipublicæ bonum proficiant. Hujus supplicationis ritus ante Ordinationem sæpissime occurrit apud historicos Ecclesiasisticos, ejusdemque non semel meminit vetus Ordo Romanus, tit. *Qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiunt.* Sic enim inquit : *Quarta feria jejuniorum fit conventus populi, et congregatio Regionum primum ad S. Adrianum, et inde pergit Pontifex una cum populo præcedente, solito apparatu, id est crucibus, thuribulis, vel tabulis usque ad S. Mariam ad Præsepe. Accedente Pontifice ad altare, schola cantorum repetit litaniam, etc.* Et paulo post : *Deinde vocantur sexta feria ad Apostolos eo tenore ut supra.* Et statim subdit : *Sabbato vero egreditur Pontifex ad S. Petrum, et universæ Regiones cum eo litaniam canendo.* Hinc S. Carolus, venerandæ vetustatis cultor, in Concilio Provinciali II, tit. I, decreto XXII, ita statuit : « Jubeat Episco» pus, ut dominico illo die, qui Quatuor stata je» junii Tempora, quibus Ordinis sacramentum » ministratur, proxime antecedit, Parochi non » solum solemne illud jejunium hujus rei causa » institutum denuntient, verum etiam in sua » unusquisque eorum parochiali ecclesia suppli» cationes litaniasque pie ac religiose, vel intus » habeat, vel prosequente fidelium multitudi» ne foris ecclesiam, sicut moris est, obeat : » ad implorandam scilicet Dei opem atque Sanctorum, uti superius dictum est. Cur autem sabbato potissimum Ordinationes celebrarentur, creditus Alcuinus de divinis Officiis, titulo qui inscribitur : *Sabbatum in* XII *lectionibus*, ex S. Augustino in Epistola ad Januarium, hanc reddit rationem : « Sabbatum commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti; scriptum est enim : *Sanctificavit Deus diem septimum;* et quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, commemoratur sanctificatio in septimo die. »

XI. Porro præteriri nequit quod, etsi Gelasius papa in Epistola sua IX, cujus particulam initio Commentarii descripsimus, horam vesperam diei sabbati pro Ordinationibus conferendis assignarit, id tamen ita omnino intelligendum est, ut vespera quidem sabbati Ordinatio inciperet, dominico autem die mane perficeretur. Id passim constat ex Epistola S. Leonis Magni, qui in Epistola præsertim decima ad Episcopos per provinciam Viennensem constitutos ita scribit : « Non passim, sed die legitimo » Ordinatio celebretur; nec sibi constare status » sui noverit firmitatem, qui non die sabbati » vespere, quod lucescit in prima sabbati, vel » ipse die Dominico fuerit ordinatus. » In Epistola quoque ad Dioscorum, Alexandrinum episcopum, sic ait : « Quod ergo a Patribus » nostris propensiore cura novimus esse serva» tum, a vobis hoc volumus custodiri, ut non » passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Le» vitica Ordinatio celebretur, sed post diem » sabbati ejus noctis quæ in prima sabbati lu» cescit, exordia deligantur, in quibus his qui » consecrandi sunt, jejunis, et a jejunantibus » sacra benedictio conferatur. » Hujus consuetudinis restaurator ac tenax profecto fuit Urbanus II, cum in Concilio Claromontano statuit, « ut Ordines omni tempore, vel in vespere sab» bati, vel perseverante jejunio in dominica » celebrentur. » Perseverasse hanc disciplinam etiam longe post Urbanum II, plane addiscimus ex Ruperto abbate Tuitiensi, qui, teste Bellar-

Digitized by Google

mino de Scriptoribus Ecclesiasticis, floruit anno 1119. Is enim, lib. III *De divinis Officiis*, cap. VIII, diserte ait, « Ordinationum sacramenta » diei dominicæ deputari, cujus in vespera sab- » bati fiunt, et tam vespera sabbati quam mane » prima sabbati posse, et licere jejunis a jeju- » nantibus celebrari. » Verum hodie pluribus abhinc sæculis Ordinationes, nec dominica die mane, nec vespera præcedenti, sed mane sabbati celebrantur.

§ XIII.

Clericatus, seu prima Tonsura, quocumque die, hora et loco conferri potest.

§ XIV.

Minores vero Ordines possunt dari singulis dominicis, et festivis diebus duplicibus, ubicumque, in mane tamen.

COMMENTARIUS.

I. Ea quæ hactenus dicta sunt a nobis in § duodecimo de tempore sacræ Ordinationis, locum primo non habent in iis qui initiandi sunt prima clericali Tonsura, quæ ex omnium Scriptorum sententia, et ex recepta Ecclesiæ praxi, quovis anni tempore, qualibet die ac hora et loco conferri potest. Neque habent præterea locum in illis qui Minores Ordines suscepturi sunt, cum certum sit eos dari singulis diebus dominicis et festis duplicibus. Quod quidem nititur auctoritate Pontificis Maximi Alexandri III, qui consultus ab Episcopo Herfordiensi, an liceret extra jejunia Quatuor Temporum aliquos in Ostiarios, Lectores, Exorcistas vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere, ita eidem respondit : « Licitum est Episcopis, do- » minicis et aliis festivis diebus, unum aut duos » ad Minores Ordines promovere; sed ad Sub- » diaconatum, nisi in Quatuor Temporibus, aut » Sabbato sancto, vel sabbato ante dominicam » de Passione, nulli Episcoporum præterquam » Romano Pontifici licet aliquos ordinare. » Habetur hæc decretalis in cap. *De eo*, Extra. *De Temporibus Ordinationum.*

II. Enodandæ nunc nobis sunt duæ difficultates, quæ oriuntur ex recitata Alexandri decretali. Prima quidem : An duos ordinare possit Episcopus die dominico aut festivo. Altera vero : Quinam sint isti dies festivi, in quibus Episcopus Minores Ordines conferre potest. Ad priorem difficultatem respondent Glossa, et Innocentius IV in laudatum textum, S. Antoninus in Summa, Sylvester, Tabiena et alii, non prohiberi ab Alexandro plurium Ordinationem, dummodo non videatur esse plurium Ordinatio. Verum non licere pluribus quam duobus Minores Ordines iis diebus conferre, aut certe tutius esse ne pluribus conferantur, rectius censent cum Hostiensi complures Theologi et Canonistæ; quod nimirum Alexandri verba id minime permittere videantur; « et in re dubia » melius sit verbis edicti servire, » ut ait Ulpianus in Lege I ff. *De exercitatoria actione.* Sane Minores Ordines dominicis diebus conferri potuisse urgente necessitate, docet nos S. Gregorius Magnus, lib. II Sacramentorum, ubi agit de ordine ad sacros Ordines benedicendos, pag. mihi 232, his verbis : « Minores quidem domi- » nicis diebus, si necesse est. »

III. Quod vero spectat alteram difficultatem superius propositam, putant nonnulli Auctores diem festum eum intelligi quem Clerus celebrat officio duplici, vel semiduplici. Cujusmodi opinionis est inter alios auctor qui dicitur Villalobos, in Tractatu de sacramento Ordinis. Sed hæc opinio merito ab aliis floccipenditur, existimantibus sub nomine diei festi non esse intelligendum quem Clerus celebrat officio Ecclesiastico, sed quem Clerus et populus de præcepto celebrant, vacantque ab operibus servilibus; quia scilicet in communi acceptione, secundum quam præsumitur locutus fuisse Pontifex, ita dies festus accipitur. Quinimo Glossa, in cap. *Sane*, Extra. *De Temporibus Ordinationum*, verbo *Ad sacros*, non quoscumque dies festos, sed solemnes credit intelligendos; et Sylvester, verbo *Or-*

Digitized by Google

do, num. VI, præcipuos : sed immerito, cum Alexander III, in recitato cap. *De eo*, solum expostulaverit diem festivum : quamobrem opus non est ut dies festus universalis sit; sufficit si in ea diœcesi ut talis habeatur, licet ubique non celebretur, ut bene aliis relatis docet Barbosa, parte II, *De Officio et potestate Episcopi*, allegatione XI, num. XXII.

IV. Quamvis autem supradicta sententia verior sit, eaque germana sit interpretatio memorati textus in cap. *De eo*, Extra. *De Temporibus Ordinationum*, non videtur tamen addubitandum ex nostra Rubrica, et ex communi diœceseon consuetudine, quin iis diebus quibus officium sub ritu duplici celebratur, licet dies festus non sit, et populus ab operibus servilibus non se abstineat, possit Episcopus aliquos Minoribus Ordinibus insignire. Atque id quidem expresse docent Emmanuel, *Quæstionum Regularium* tom. III, quæstione XXXIII, articulo V; Suarez, tomo I, *De religione*, lib. II, *De diebus festis*, cap. IX, numero XXII, et alii complures : probantque, ex eo quod in Clementina unica *De reliquiis et veneratione Sanctorum*, festa doctorum Ecclesiæ et Evangelistarum æquiparantur festis Apostolorum, non quidem in vacatione ab opere servili, sed in celebratione officii sub duplici ritu; itemque ex eo quod Ecclesia ritu duplici celebrat officium S. Lucæ Evangelistæ, S. Ambrosii et aliorum, quorum dies in dicta Clementina unica festi nuncupantur, quamvis eosdem populus de præcepto minime observet. Porro, ut ait Glossa in cap. unico, de Reliquiis et veneratione Sanctorum in VI, « Dicitur officium duplex, cum tota antiphona dicitur ante » Psalmum, et tota post Psalmum. » Etsi Joannes Frontonus perperam autumet duplex officium inde dictum fuisse, quia in eo die de duobus Sanctis, seu de Feria et de Sancto recitatur.

V. Præter diem dominicum et festivum, ac illum etiam in quo officium sub ritu duplici celebratur, ex recepta multis in locis consuetudine possunt Ordines Minores feria sexta in vespere quod præcedit sabbatum solemnis Ordinationis, conferri, quod nimirum illa censetur inchoatio generalis Ordinationis in ipso sabbato peragendæ, et conveniens dispositio ut majori cum solemnitate Ordines Majores in die sabbati celebrentur; quemadmodum docet Henriquez, lib. X, cap. XII, § II, aliique Theologi apud Barbosam, parte II, *De officio et potestate Episcopi*, allegatione X, numero XXI; ubi etiam addit, ex communi praxi et consuetudine habere Episcopos potestatem promovendi ad Minores Ordines feria quarta Quatuor Temporum. Cæterum, licet alicubi obtinuerit, ut horis serotinis extra Missam, et ab Episcopo non jejuno Minores Ordines conferantur, doceantque id fieri posse nonnulli Auctores, decet tamen ut mane ab Episcopo jejuno et intra Missam dentur, ut recte tradit Madius, *De sacramento Ordinis*, cap. V, num. IX. Quod consentaneum est nostræ Rubricæ dicenti : *Minores vero Ordines possunt dari singulis dominicis et festivis diebus duplicibus, ubicumque, in mane tamen.*

VI. Porro verbum *ubicumque* illud nobis significat, posse Episcopum non modo in sua, sed in aliena diœcesi primam Tonsuram ac Minores Ordines subditis suis conferre, etiam nulla habita licentia Antistitis loci. Etsi enim Concilium Tridentinum, sess. VI *De Reformatione*, cap. V, sub gravibus pœnis id prohibere videatur, intelligendum est tamen ex communi doctorum sententia, cum Pontificalia exerceret; id enim in laudato capite prohibetur; non vero si absque Pontificalibus, in secreto, et sine ullo apparatu subditum prima Tonsura vel Ordinibus Minoribus insigniret. Docent hæc quidem Barbatius in cap. *Novit*, *de officio Legati;* Rebuffus in praxi Beneficiali, Henriquez in Summa, Bonacina, et alii relati a Barbosa in d. parte II, alleg. VI, num. XV, licet ipse contrarium sentiat, Auctoresque non paucos in suam sententiam referat. Cæterum cum viris doctioribus putarem, ex consuetudine rem istam præsertim in praxi judicandam esse; ut, si consuetudo id permittat, tuto consuetudinis privilegio fultus Episcopus tam clericalem Tonsuram quam Minores Ordines suis extra propriam diœcesim conferre possit; si autem consuetudo refragetur, æquum esse existimarem ut Episcopus in aliena diœcesi tam a Tonsuræ quam a Minorum Ordinum collatione abstineat. Apud Græcos, ex Imperatoris jussu, characterem Clericalem, qui simul cum ordine Lectoratus apud eos confertur, Episcopo in aliena regione versanti dare licuisse, docet Balsamon in Canonem XIV et XXXV Apostolorum.

[De die collationis Ordinum Minorum recens exstat sacræ Rituum Congregationis, 16 martii

Digitized by Google

1833, responsio, sub titulo *Claromontem*, qua statuitur *Minores Ordines conferri posse in festis de præcepto, vel in festis duplicibus quæ erant de præcepto ante reductionem.* Cum vero Episcopus Civitatensis, in Hispania, postulasset an liceret eosdem Ordines post meridiem feriæ sextæ ante sabbatum Quatuor Temporum conferre, missa fuit ad eum responsio jam facta sub die 13 aprilis 1720 Episcopo Portallegrensi, simile dubium proponenti, scilicet : « Quoad Minores » Ordines consuetudinem immemorabilem tole- » rari posse ; sed expedire ut Episcopus se con- » formet Pontificali Romano, titulo *De Minori- » bus Ordinibus.* » Ita decrevit S. Rituum Congregatio, die 11 martii 1820.]

§ XV.

Ordinandi omnes debent in ecclesia se præsentare cum tonsura, habitu et paramentis Ordini suo convenientibus, et candelis in manu accensis; et cum a Notario Episcopi vocati fuerint respondeant, *Adsum*, et accedant ad locum Ordinationis secundum ordinem descriptionis.

§ XVI.

Advertat quoque Pontifex, quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque Ordinem promovendus, illum admoneat et alloquatur, non in plurali, ut textus dicit, sed in singulari.

COMMENTARIUS.

I. Varii hic explicandi sunt ritus, quos juxta veterem disciplinam initio Ordinationis solita est Ecclesia usurpare. Primus ritus est, ut Ordinandi omnes in ecclesia se præsentent, sive ad illam procedant. Quæ præsentatio seu processio tantæ erat olim solemnitatis, ut in Ecclesia Romana Ordinandi in comitatu Summi Pontificis cum Clero et populo universarum regionum litanias canente ad ecclesiam Sancti Petri procederent, quemadmodum tradit vetus Ordo Romanus, tit. *Qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiant.* Canone quoque XI Concilii Namnetensis, apud Gratianum, can. VI, distinctione XXIV, manifestum fit, Ordinandos a Presbyteris suis parochianis non solum ad examinis, verum etiam ad Ordinationis locum deductos fuisse ; et utrobique ab iisdem primum præsentatos, ac deinde repræsentatos : « Quando Episcopus, inquit, ordinationem » facere disponit, omnes qui ad sacrum minis- » terium accedere voluerint, feria quarta ante » ipsam Ordinationem vocandi sunt ad civita- » tem una cum Presbyteris qui eos repræsen- » tare debent. » Et infra ibidem : « Igitur per » tres continuos dies diligenter examinentur ; » et sic sabbato, qui probati sunt, Episcopo » repræsententur. »

II. Ritus alter est, ut Ordinandi coram Episcopo in ecclesia cum habitu ac tonsura se præsentent. Enimvero si S. Carolus in Concilio Mediolanensi V, Constitutionum parte III, de examinandi ratione, districte jubet ne ad ullam examinis experimentive rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus, et tonsura præscripta ad examinis locum accedat; quanto magis magisque ab Ordinatione is repellendus est qui veste ab Ordinis Ecclesiastici decore aut disciplina aliena indutus, et sine congrua pro sui status et Ordinis ratione tonsura coram Episcopo ordinante se præsentaret? Narrat Suetonius in Augusto, ab eo reipublicæ consultum, dum publicum officium ei dare noluit qui fucatos crines haberet cum nativo colore tinctos, fidem non ei adhibendam esse dictitans qui fucato crine intuentes fallere niteretur. Merito itaque S. Carolus ibidem præcepit, ut « Cum quis in examen venerit (*et multo ma- » gis cum ad Ordinationem accesserit*), ejus » vultus, et habitus corporis, et vestitus, et in- » cessus, et gestus, et sermo inspiciatur dili-

Digitized by Google

» genter. » Verum enim semper est id quod docet Ecclesiasticus, cap. XIX : *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.*

III. Tertius ritus est, ut qui Ordinandi sunt ferant sacras secum vestes Ordini suo congruentes. Qui ritus in eo a more veteri differt, quod olim, ut tradit in recitato titulo laudatus Ordo Romanus, Ordinandis sub ambone expectantibus, quousque vocati ad Ordinationem deducerentur, præsto essent ipsorum ministri cum indumentis sacris, quæ singulis singula sua manu tribuebat Archidiaconus, adeo ut ipse Oraria quoque Diaconis imponeret, cum prius ea Sancti Petri confessione desumpsisset. Quæ verba, ut scite docet Hallierius *De sacris Ordinationibus*, pag. 962, non ita accipi debent, quasi ab Archidiacono singuli Ordinandi recipiant insignia sui Ordinis, cum alias idem Ordo Romanus diserte tradat, ea a Pontifice postea ipsis imponi cum certa pronuntiatione verborum, manipulum scilicet Subdiaconis, stolam et dalmaticam Diaconis, stolam item et planetam Presbyteris. Vult ergo solum vetus Ordo Romanus, vestes sacras quarum gestandarum in priori Ordine potestatem susceperit, curare debere Ordinandum sibi deferri, easque utpote ad nobilius Ordinis ministerium inservituras, ab Archidiacono debere suscipere; qui ideo Orarium dignitatis tam Leviticæ quam Presbyteralis insigne, uti alibi demonstrabitur, e sepulcro Sancti Petri sumere debet, ut Diaconum ad Presbyteratus gradum promovendum eo induat; quo nempe Presbyteralis officii executionem non fore ei licitam agnoscat, nisi in communione cum Sede Petri perseveranti. Archidiacono vero hoc officium ideo demandari subdit laudatus Scriptor, quia cum ejus officium sit Ordinandos Episcopo præsentare, et examinare an promovendis necessariæ ad Ordinationem dotes conveniant, ejusdem quoque esse debuit munus vestes sacras, quæ necessarias istas dotes et animæ ornamenta significant, eis in manus tradendi, ut ea traditione ostendat eos istis dotibus esse instructos quibus promovendi insignes esse debent.

IV. Lubet modo ritum quem describimus illustri exemplo comprobari, quod legitur in Vita S. Norberti, cujus auctor, qui, teste Surio ad diem sextam junii, contemporaneus Norberto fuit, cap. III, ubi agit de sacra laudati viri Ordinatione, expresse testatur, singulos Ordinandos pro more Ecclesiæ sacris vestibus indutos, et in locis suis dispositos. Sic enim inquit : « Imminente ergo jam hora sacri Officii, cum » suscepturi Ordines, pro more Ecclesiæ indu- » ti, singuli locis suis disponerentur, adfuit et » Norbertus cinctus corona accurrentis populi » ad inopinatum spectaculum. Inspectantibus » ergo omnibus simul, et expectantibus, cum » ei sacrarii Custos vestes sacras offerret, quas » sicut et reliqui pro Ordinibus suscipiendis » indueret; ille, in cujus pectore jam altas » egerat radices contemptus mundi, quique ab » inhabitante divino Spiritu movebatur vali- » dissime, uni ex famulis adstantibus innuit, » ut porrigeret sibi vestem pelliceam agninam, » quam in hanc rem præparari antea curaverat : » hanc extensa manu accipiens, intuente omni » populo et Clero, exuit varium et multicolo- » rem diabolum, habitum scilicet hujus mundi » nobilissimum variegatum, mire pretiosum, » auro gemmisque profulgentem, simplicem e » contra vilem abjectamque vestem, homini- » bus hujus sæculi, imprimis vero illius regio- » nis nobilibus prorsus insolitam induit, seque » func præcinxit. Tum a sacrarii Custode ac- » ceptis ornamentis, sacros Ordines maxima » devotione ac pietate suscepit. » In iis verbis jam observatum est, singulos Ordinandos secundum Ecclesiæ morem adstitisse vestibus sacris indutos, ac dispositos in suis locis. Observandum autem præterea est, juxta eamdem Ecclesiasticam consuetudinem, vestes quibus Ordinandi induerentur albas fuisse, etsi Norberti ævo alii etiam colores usui Ecclesiæ essent, ut late atque eleganter ostendit vir clarissimus Dominicus Georgius Rhodiginus, tomo I *De Liturgia Romani Pontificis in solemni celebratione Missarum.*

V. Quartus ritus quem nostra Rubrica præscribit, est ut quicumque Tonsura vel quibuscumque Ordinibus initiantur, unico dempto Episcopatu, cum vestibus suo Ordini convenientibus induti fuerint, cereum candelamve manu gestent, eumque ardentem Episcopo ordinatori offerant, juxta illud Christi Domini : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*, ut habetur in Evangelio

Digitized by Google

S. Lucæ, cap. x, sive, ut indicent quod ab ipso Episcopo Ordinationem celebrante doctrinæ lumen accipiant, et creditum sibi populum, divino justitiæ lumine accensum, Pastorum Principi suo tempore præsentabunt, juxta observationem Petri Blesensis, qui in Sermone XL, in Synodo, inquit : « Inde est, quod dominus Pa-
» pa, quando aliquem ordinat in Sacerdotem,
» qui ordinatur utraque manu cereum arden-
» tem offert suo Ordinatori, præfigurans quod
» curam sui et suorum summo Pastori præsen-
» tabit. » Certe Episcopus, ac Patriarcha præsertim, ardentem cereum nec gestat nec accipit, sed aliis donat et mittit; quemadmodum fecit S. Ignatius patriarcha Constantinopolitanus mittens Gregorio archiepiscopo Syracusano istiusmodi cereum, quem tamen ille detestatus nefarie abjecit; ut in Ignatii vita Nicetas Paphlago testatur his plane verbis : « Cereos de
» Ignatii consecratione acceptos abjecit. » Ratio insuper cur Episcopus in sua Ordinatione non gestet, profecto ea esse videtur, quia scilicet ipse, uti ad Cæsarienses patris sui nomine scribit S. Gregorius Nazianzenus, sit lucerna Ecclesiæ; ideoque a nullo hominum illuminari debet, sed omnem ille mundum illuminare, juxta illud Christi dictum ad Apostolos eorumque successores Episcopos : *Vos estis lux mundi;* uti legitur in Evangelio S. Matthæi, cap. v.

VI. Quintus ritus est, *Ut Ordinandi cum a Notario Episcopi vocati fuerint, respondeant*, Adsum, *et accedant ad locum Ordinationis secundum ordinem descriptionis.* Docent tum Patres, tum veteres Synodi, præsertim IV Carthaginensis, Archidiaconorum quidem esse munus ordinandos vocandi ac præsentandi Episcopo ordinatori, uti videre est in canone *Ostiarius*, distinctione XXIV, et in cap. *Ut nostrum*, Extra. *De officio Archidiaconi.* Quibus consonat præscriptum nostri hujus Romani Pontificalis, jubens ut, cum Ordinandos ipsos repræsentaturus est Archidiaconus, alta voce hæc verba proferat : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum*, sive *ad officium Lectorum, etc.* juxta variam singulorum Ordinum collationem. Archidiaconus simul ac ea verba pronuntiavit, ex præscripto ejusdem Pontificalis, singulos mox Notarius Ordinandos, ex libro in quo descripti sunt, nominatim vocat; statimque ipsi secundum veterem disciplinam hunc in modum respondent, *Adsum*, sive, ut habetur in libris Pontificalibus vetustioribus. *Adsum, Domine :* tum ut se præsentes esse significent, ne videlicet aliqui non examinati nec descripti irrepant qui furtivam Ordinationem surripiant; tum etiam ne videatur honorem a se quisquam assumere, *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron;* uti post Hallierium aliosque Scriptores docet Jacobus Goar, in notis ad Rituale Græcorum, editionis Venetæ pag. 212, ubi fuse ac erudite explicat ordinem fieri solitum in ordinatione Diaconi.

VII. Nihil autem refert, ut observant plerique Auctores, sive Episcopus per se Ordinandos vocet populisque significet, sive per Notarium suum : semper enim intelligitur ipse esse qui eos elegit, qui designavit, qui vocari jussit; proindeque divinæ ipse in iis creandis voluntatis interpres a Sanctis Patribus jure censetur: inter quos S. Dionysius, capite V Ecclesiasticæ Hierarchiæ in Theoria de hac Ordinandorum vocatione ita scribit : « Sanctam graduum ad
» quos promovendi sunt, et nominum Ordinan-
» dorum significationem Pontifex proclamat,
» hoc mysterio significante, quod Pontifex Dei
» amans interpres sit divinæ electionis, qui non
» ex favore proprio eos qui ordinandi sunt ad
» divinam Ordinationem adducat, sed a Deo
» impulsus in omnibus Pontificiis consecratio-
» nibus. » Porro qui præsentat Episcopo Ordinandos Archidiaconus est, vel, ut loquitur Innocentius III, in cap. unico *De scrutinio in Ordine faciendo*, prior Diaconorum, qui Pontifici assistit : cui nonnunquam Græci comitem alium adjungere soliti sunt; quam consuetudinem ubique locorum jamdiu vigentem Romæ suo tempore introductam fuisse testari videtur S. Hieronymus in Epistola LXXXV, ad Evagrium : atque ita S. Epiphanio contigisse, cum ad Diaconatus ordinem promotus est, auctor ejus Vitæ hunc in modum declarat : « Compre-
» hensum capite Epiphanium e Diaconis unus
» ad Pappum (erat is Citri Episcopus) versus
» Altare ducit invitum et renitentem, ita ut
» plures ad deducendum confluerent, ut eum
» ad altare deportarent. Ordinat itaque illum
» in Diaconum, et ei pacem impertitur. » Vide quæ infra fusius dicentur de Archidiaconi muniis in Ordinationibus tum minorum, tum majorum Clericorum. Cæterum quod Ordinandi

Digitized by Google

tandem accedere debent *ad locum Ordinationis secundum ordinem descriptionis*, aperte eruitur ex Sacramentario S. Gregorii, ex antiquo Ordine Romano, ex laudata S. Norberti Vita, atque ex innumeris priscis Doctoribus qui de divinis Officiis abunde scripserunt. Addi et his potest quæ de hujusmodi ritu statuit in suis Mediolanensibus Synodis S. Carolus, et libri passim Pontificales.

§ XVII.

In sabbatis Quatuor Temporum, in quibus fiunt Ordinationes generales, Tonsuræ fieri debent post *Kyrie eleison*. Deinde dicta prima Lectione ordinantur Ostiarii; post secundam Lectionem, Lectores; post tertiam, Exorcistæ; post quartam, Acolythi; post quintam, Subdiaconi; finita Epistola, Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus, vel infra Octavam Pentecostes, ante ultimum versum Sequentiæ, ordinantur Presbyteri.

§ XVIII.

Si Ordinationes fiant in sabbato ante dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur Lectio, Tonsuræ debent fieri immediate post Introitum; omnes Minores Ordines, post *Kyrie eleison;* Subdiaconi, immediate post Collectam; Diaconi, post Epistolam; Presbyteri, ante ultimum versum Tractus.

§ XIX.

Idem servari potest quandocumque dantur Ordines sacri extra tempora, ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum ℣. Si inter Pentecosten et Septuagesimam, ordinantur ante ℣. *Alleluia.* Et antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive Supplicatio cujus vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi : quibus lectis, dicit Pontifex, *Deo gratias*, et ad Ordinationem procedit.

[Episcopo petenti facultatem conferendi sacros Ordines extra tempora concedi solet a Sancta Sede, ea tamen conditione ut festivis tantum diebus illa utatur. Sed quinam dies festivi per hæc verba intelligi debeant non omnino constat apud Auctores; grata igitur erit rei canonicæ et liturgicæ studiosis responsio sacræ Rituum Congregationis facta Marsorum Episcopo, die 12 Novembris 1831. Docent enim in ea Eminentissimi Judices, per tales *dies festivos* intelligi posse festa Apostolorum et quæcumque alia quæ per Sedem Apostolicam abrogata fuerunt.

Advertendum est etiam, quando in sabbatis Quatuor Temporum occurrit aliquod festum duplex, vel semiduplex, Episcopum Ordinationem habentem, Missam de feria, non autem de Sancto, etiam solemnissimi ritus, celebrare debere. Ita declaravit S. Rituum Congregatio, die 11 julii 1739. Quod intelligendum est etiam pro casu Missæ Ordinationis privatim ab Episcopo celebratæ, ut responsum fuit ab eadem S. Congregatione, 11 februarii 1764, super petitione Episcopi Fesulani.]

Digitized by Google

§ XX.

Si vero Sabbato Sancto Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima Prophetia, et continuatur prout in Ordinario, usque ad Litanias inclusive : in quibus dicto, *Ut omnibus fidelibus, etc.*, surgit ab accubitu Pontifex, et conversus ad Ordinandos eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur. Deinde perficiuntur Litaniæ, et Pontifex facit Confessionem, et dicto *Kyrie eleison* pro Missa, ordinat ad primam Tonsuram. Tum dicit *Gloria in excelsis Deo, etc.* Quo dicto, ordinat ad Quatuor Minores Ordines. Deinde dicit Orationem ordinariam cum alia pro Ordinandis; quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum. Tum dicitur Epistola, et ea dicta ordinat Diaconos. Dicitur deinde *Alleluia* cum suo versu, et prima pars Tractus : quibus dictis, ordinat Presbyteros : post quorum Ordinationem dicitur versus Tractus, Evangelium, et alia prout in Ordinario.

COMMENTARIUS.

[Non licet igitur Missam Ordinationis, etiam in sacello domestico Episcopi, inchoare a *Kyrie eleison*, in die Sabbati Sancti, quamvis nulli conferri possint Ordines Minores inter Prophetias quarum lectio Missam antecedit. Ita confirmata est Romani Pontificalis Rubrica in decreto Sacræ Rituum Congregationis diei 28 julii 1821, Pio VII confirmato die 31 eorumdem mensis et anni. Privatim jam responsum fecerat Sacra Congregatio in dicto sensu ad Episcopum Bergomensem, sub die 21 martii 1744. Illæ enim Prophetiæ licet ad instructionem catechumenorum pertineant, juxta veterem Ecclesiæ institutum, ad Ordinationem tamen veram relationem habere semper creditæ sunt, tanquam actus præparatorii ad eamdem.

Sed quæsitum est an monitio Episcopi ad eos qui promovendi sunt ad Subdiaconatum fieri debeat, Sabbato Sancto, post ultimam Prophetiam, ante Litanias hujus diei quas audiunt prostrati omnes elevandi ad sacros Ordines, et sub quarum fine benedicuntur, sanctificantur et consecrantur? Numquid non debent futuri Subdiaconi antea moneri an velint sæcularibus votis renuntiare? Sacra Congregatio, in Decreto supra allegato, diei 28 julii 1821, respondit servandam esse Rubricam hujus diei, prout jacet in Pontificali. Etenim patet, si aliter ageretur, ingentem perturbationem in tota Ordinationis functione futuram, quando Episcopus allocutionem haberet ad Subdiaconandos, nemini adhuc collatis nec tonsura, nec Minoribus Ordinibus; quam perturbationem vitare voluit Ecclesia statuendo Litanias Sabbati Sancti quæ ante Missam cantantur, Litaniarum generalium quæ in aliis Ordinationum diebus usurpantur, locum habituras.]

I. Si priscam Ecclesiæ ætatem inspiciamus, constat ex libro Sacramentorum S. Gregorii in titulo qui inscribitur *Ordo ad sacros Ordines benedicendos*, majores primum gradus ante Evangelium, minores vero post Communionem dari ab Episcopo consuevisse. Hodie contrarius quidem est usus; nam primo minores, deinde vero majores Ordines conferuntur. Qui ritus vetustus est etiam in Ecclesia, ut videre est in vetere Ordine Romano, titulo *Qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiunt;* et in codice Ratoldi abbatis, cujus series apud Hugonem Menardum in notis et observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, pagina 271 juxta editionem Parisiens. anni 1642 ita describitur : « In sabbato duodecim Lectionum primi mensis, id est martii, dicta oratione, *Populum tuum, quæsumus, Domine, propitius respice, etc.* ordinantur Ostiarii. Deinde perlecta Deuteronomii lectione, cantato Responsorio et dicta oratione, *Deus, qui nos in tantis periculis constitutos, etc.*, fit Lectorum ordinatio. Tum demum perlecta Deuteronomii lectione, cantato Responsorio, et dicta oratione, *Protector noster, aspice, Deus, etc.* ordinantur Exorcistæ. Post

Digitized by Google

lectionem Machabæorum, et dictam Orationem, ordinantur Acolythi. Lectionem libri Sapientiæ, Responsorium, et Collectam *Preces populi tui, quæsumus, clementer exaudi, etc.*, excipit Subdiaconorum ordinatio. Lectione item et responsorio finitis, et dicta oratione *Quæsumus, omnipotens Deus vota humilium respice*, ordinantur Diaconi. Post ordinationem Diaconi, interseritur Missa in Ordinatione Diaconi quæ tamen, ut arbitratur laudatus Auctor, tunc minime dicebatur. Tandem Collectam *Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, etc.* sequitur ordinatio Presbyterorum, qua perfecta legitur Epistola, et sic deinceps Missa absolvitur. » Hæc Ratoldi codex.

II. Est hic opportunus locus investigandi cur sabbata quibus solemnes Ordinationes hodie celebrantur, in omnibus passim priscis Sacramentorum libris, ac præsertim in illo S. Gregorii papæ, *duodecim lectionum*, sive *in duodecim lectionibus* appellarentur? Tradit Rupertus, abbas Tuitiensis, lib. III *De divinis Officiis*, cap. VIII, quidem tantum legendas esse in iis sabbatis Lectiones, duodecim autem ea de causa prænotari, « Quia cum Romana Ecclesia de » Latinis et Græcis esset permixta, singulæ » Lectiones in utraque lingua recitabantur. » Nam in una lingua recitatæ ab utriusque lin» guæ populis intelligi non poterant. Itaque » dum unaquæque bis legitur, duplicato sena» rio Lectionum numero, duodecim compu» tantur. » Hanc eamdem rationem tradunt vetustiores Ruperto Scriptores, inter quos Amalarius Fortunatus episcopus Trevirensis, qui, teste Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, floruit initio sæculi noni, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. I, ita inquit : « Sex Lec» tiones ab antiquis Romanis græce et latine » dicebantur (qui mos apud Constantinopolim » hodieque servatur), ni fallor, propter duas » causas : unam quia aderant Græci quibus in» cognita erat Latina lingua, aderantque Latini » quibus incognita erat Græca ; alteram, pro» pter unanimitatem utriusque populi. » Alia ab his fuit sententia Rabani Mauri, lib I *De institutione Clericorum*, cap. XXIV, ubi ait, sabbatorum Officia Quatuor Temporum idcirco vulgo duodecim Lectiones appellari, « quod » cum Lectionibus quæ leguntur, et cum Psal» mis qui canuntur, duodenarius numerus ad» impletur ; qui bene Lectiones possunt vocari, » eo quod inter canonicas scripturas annume» rentur. »

III. Non desunt qui autumant duodecim hasce Lectiones, sive Amalarii et Ruperti, sive Rabani interpretationem sequamur nequaquam de iis posse intelligi quæ in Missa recitabantur. Etenim, ut observat Edmundus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo IV, num. IX, septem, non vero sex Lectiones his diebus in Missa leguntur : quinque nimirum ex veteri Testamento, duæ ex Novo ; una scilicet ex Apostolo, altera vero ex Evangelio. Scite itaque docet laudatus Auctor, diversas prorsus fuisse duodecim illas Lectiones quæ dicebantur in Ecclesia, ubi fiebat Collecta ante Ordinum celebrationem, ab iis Lectionibus quæ in Missa solitæ erant recitari ; probatque auctoritate antiqui Ordinis Romani ad usum Ecclesiæ Salisburgensis, ante sexcentos annos exarati : ex quo discimus sabbatis Quatuor Temporum Clerum Populumque Romanum ad aliquam ecclesiam convenisse, ubi duodecim Lectiones legebantur, atque inde facta Collecta cum solemni Litania, processisse in Principis Apostolorum ecclesiam ad stationem in qua sacræ Ordinationes fiebant. « Mense » martio, sabbati hora sexta ; mense junio, se» cunda sabbati, hora tertia ; mense septembri, » tertia sabbati, hora quarta ; mense decembri, » quarta sabbati, hora quarta fiunt duodecim » Lectiones prænuntiante signo. Facta collatio» ne innuat Pontifex primo Scholæ, ut cantet ; et » ingrediens Schola dicat Antiphonam *Exur» ge, Domine*, sive *Exaudi nos Domine*, pleni» ter cum versu et *Gloria Patri :* tunc ascendat » Pontifex ad altare dicens, *Oremus ;* et Diaco» nus, *Flectamus genua.* Postea, *Levate.* Deinde » Pontifex dicat orationem congruam ad hoc. » Finita oratione, levantur cruces cum cerosta» tis, Schola cantante Antiphonam de tribula» tione quacumque usque ad stationem. Appro» pinquans autem ecclesiæ, innuente Pontifice, » Schola imponat Litaniam, cantans usque ad » Chorum ; et Pontifex ingreditur sacrarium se » præparans. Finita Litania, Schola imponat » Introitum. » Ita vetus Ordo Romanus ad usum Ecclesiæ Salisburgensis, qui deinde postquam egit de Orationibus, quinque Lectionibus, et Tractibus seu Gradualibus decantandis sub-

Digitized by Google

dit : « Post hæc celebrabitur consecratio sacro-
» rum Ordinum. » Porro duodecim illas Lectiones ante Ordinationem recitari consuevisse arbitror ad instructionem Ordinandorum, sicuti Sabbato Sancto ad Catechumenorum instructionem totidem legebantur.

IV. Quidquid sit de hac quæstione inter sex istas Lectiones quæ ante Evangelium dicuntur in Missa, quinque ut plurimum ex veteri Testamento petitæ sunt, atque constanter sabbato Quatuor Temporum servari solet, ut pro quinta ejus diei Lectione liberatio trium Puerorum e fornace Babylonica accipiatur, ad demonstrandum, juxta creditum Alcuinum, eos qui Ordinandi sunt tanquam pueros illos probatos esse debere : verba ejus in lib. *De divinis Officiis*, cap. de Sabbato in XII Lectionibus hæc sunt : « Proxima Lectio Ordinationis de camino ignis
» legitur, quia non potest rite homo ad conse-
» crationem accedere, nisi prius transeat per
» fornacem et ibi benedicat Deum, ut illud :
» *Vasa figuli probat fornax et regula.* Quapro-
» pter debent transire per fornacem, quod sonat
» Lectio quinta, ut sic probati accedere ad sa-
» crum mysterium valeant. » Adnotat quoque, non dici *Flectamus genua* ad Collectam hujus Lectionis, in eorum quæ de Nabuchodonosore perlecta fuerant detestationem, qui Dei loco statuam suam adorari faciebat. « Per sin-
» gulas, inquit, orationes debemus mentis hu-
» militatem per genuflexionem ostendere, ex-
» cepto infra Pentecostem; in sola de camino
» ignis non flectimus genua, quando Nabu-
» chodonosor compellebat populum adorare
» statuam quam fecerat, ut separata sit nostra
» oratio, quæ est ad unum Deum, ab errore
» gentilium. » Ad finem hujus Epistolæ non dicitur *Deo gratias;* quia gratiæ Deo redduntur per Hymnum, sive Gradualem subsequentem; cui *Gloria Patri, etc.* insertum est, eo pacto quo Laudibus Dominicæ ad calcem Cantici *Benedicite* additum fuit *Benedicamus Patrem, et Filium, etc.* Observat hæc Grancolas in Breviarium Romanum cap. X, ubi etiam notat Doxologiam istam non exstare apud prophetam Danielem, sed ab Ecclesia compositam et officio suo insertam fuisse, quemadmodum et in Psalmis aliisque officii sui canticis facere solet. Id quod etiam ante ipsum Auctorem alii viri eruditi adnotarunt.

V. Hinc vides quam sit antiquus ritus dicendi istiusmodi Lectiones in Missa Ordinationis : quinimo ut magis magisque obstupescas, illud plane constat, vel ab Apostolorum temporibus Ordines saltem sacros conferri consuevisse intra Missarum solemnia, ut ex Actibus Apostolorum colligi potest, ubi cap. XIII Sauli (qui semper deinde Paulus appellatur; nomine sumpto, ut videtur, a proconsule Sergio Paulo, quem ad Christi fidem convertit) et Barnabæ ordinatio nonnisi cum Sacrificio perfecta describitur : *Ministrantibus autem illis Domino,* inquit Scriptura, *et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Ministerium illud Domino exhibitum, non videtur certe esse aliud potuisse quam sacrificium Missæ; nam ubi latine legitur, *Ministrantibus,* græce habetur Λειτουργούντων, id est *Sacrificantibus,* uti præter complures Patres Erasmus ipse interpretatur, scriptor quem Protestantes plurimi existimant. Sane verbum illud λειτουργέω quamvis ad sacra et profana ministeria accommodari possit, cum tamen ad sacra accommodatur et in Scripturis absolute ponitur, ubique accipitur pro ministerio Sacrificii, ut patet ex cap. I Lucæ, et ex Epistola ad Hebræos cap. II. Atque inde etiam factum est ut Græci Missæ celebrationem seu sacrificium Λειτουργίαν appellent. Sed et idem evincit vox *Domino,* quæ verbo *Ministrantibus* adnexa est : nullum enim ministerium tam proprie Domino exhibetur, quam Sacrificium. Quamobrem ea verba, *ministrantibus autem illis Domino,* perperam nonnulli Catholici, maligne vero Calvinus et Beza, sacrificium Missæ pernegantes, pro Evangelii prædicatione acceperunt; Evangelium enim hominibus, non Deo prædicatur; unde et sequitur : *Imponentesque eis manus,* scilicet in Sacrificio Missæ per impositionem manuum ordinando eos Episcopos, uti egregie exponit Cornelius a Lapide citans S. Dionysium docentem in libro *De ecclesiastica Hierarchia,* ita Apostolos facere consuevisse.

VI. Præter Actus Apostolorum, ubi vidimus jam a nascente nostra religione observatam in sacra Ordinatione divini Sacrificii celebrationem, idipsum perspicue eruitur ex libro VIII Apostolicarum Constitutionum, quæ licet aucto-

Digitized by Google

ris pervetusti sint, perperam tamen S. Clementi papæ tribuuntur, uti omnes eruditi Scriptores passim fatentur. Hinc inter cæteras calumnias S. Joanni Chrysostomo impositas in Concilio ad Quercum adversus ipsum coacto anno 402, decimatertia accusatio sic habet : « Quod sine » altari Ordinationes fecerit Presbyterorum et » Diaconorum; » quia scilicet hujusmodi Ordinationes fieri deberent ad sanctum altare intra Missarum solemnia. Cujus ritus celeberrimum profecto exemplum habemus apud S. Epiphanium in Epistola ad Joannem episcopum Jerosolymitanum, ubi Paulianum S. Hieronymi fratrem in Diaconum et Presbyterum inter Missarum solemnia a se ordinatum fuisse testatur, his verbis : « Cum igitur celebraretur Col» lecta in ecclesia villæ quæ est juxta monaste» rium nostrum, ignorantem eum et nullam » penitus habentem suspicionem, per multos » Diaconos apprehendi jussimus, et teneri os » ejus, ne forte, liberare se cupiens, adjuraret » nos per nomen Christi; et primum Diaconum » ordinavimus, etc. » Habetur hæc Epistola inter S. Hieronymi litteras, estque numero sexagesima, juxta editionem Mariani Victorii. *Collecta,* primum est ac usitatissimum nomen apud Latinos, Missæ sacrificium significans, quia scilicet colligitur in unum populus, ut Sacrificio intersit. Sic in actis SS. Saturnini et Sociorum, apud Bollandum, die 11 febr., oblati illi fuisse proconsuli dicuntur, quia contra interdictum Imperatorum *Collectam* sive *Dominicum* celebrassent. Sic S. Augustinus in Breviculo collationum cum Donatistis, in collatione tertiæ diei : « Confitebantur, inquit, se Colle» ctam et Dominicum egisse. » Porro *Dominicum* dixere, quia maxima et præcipua functio est quæ ex Domini institutione et præcepto in Ecclesia peragitur. Constat denique etiam in veteri Testamento Levitici cap. XXIII, et Deuteronomii capite XVI, cœtus fidelium diesque solemnes *Collectam* fuisse appellatos. Vide Joannem cardinalem Bona, *Rerum Liturgicarum* libro I, cap. III, num. II; Macrum in Hierolexico verbo *Collecta,* et alios eruditos Scriptores de Sacrificio Missæ agentes, inter quos eximium Cardinalem Bellarminum, tomo III *Controversiarum,* lib. VI, *De Sacramento Eucharistiæ,* cap. XVI.

VII. Ne quis autem putet ritum a nostro Pontificali præscriptum, quo post *Kyrie eleison* Missæ initiantur Clerici prima Tonsura, ac deinde post singulas Lectiones cæteri Clerici tum minores, tum majores ordinantur, recens esse inventum, placet hic ritum describere ex ms. Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ ab annis circiter sexcentum exarato, et ad usum Ecclesiæ Turonensis accommodato, cui omnino fere consentit Rubrica nostri Pontificalis. Sic enim inquit ubi agit de Ordinationibus ab Episcopo celebrandis : « Festive cantetur *Kyrie eleison.* » Quo finito dicat Cancellarius : *Recedite omnes,* » *exceptis qui ordinandi sunt Ostiarii.* Et tunc » ordinantur vel benedicuntur Ostiarii. Post» quam benedicti fuerint, dicatur oratio, quam » sequitur Lectio, postea Responsum. Quo fini» to, recitentur nomina illorum qui Lectores » ordinandi sunt, dicente Cancellario : *Lectores* » *qui ordinandi sunt accedant.* Post benedictio» nem ipsorum legatur secunda lectio cum » suo ℟. Post hæc vocantur Exorcistæ, dicente » Cancellario : *Exorcistæ qui ordinandi sunt* » *accedant.* His benedictis, iterum vocantur » Acolythi, dicente Cancellario : *Acolythi qui* » *ordinandi sunt accedant.* Post hæc Subdia» coni, dicente Cancellario : *Subdiaconi qui* » *ordinandi sunt accedant.* Finito hymno trium » Puerorum, vocantur qui ordinandi sunt Dia» coni, dicente Cancellario : *Diaconi qui or*» *dinandi sunt accedant.* Perlecto Evangelio, » recitentur nomina Presbyterorum, dicente » Cancellario : *Presbyteri qui ordinandi sunt* » *accedant, etc.* » Ita laudatum Ecclesiæ Bisuntinæ Pontificale, ubi inter alia notandum est, Presbyteros post Evangelium constitui, cum alias ex nostro Romano Pontificali ante Evangelium ordinentur.

VIII. Neque vero caret ratione hodiernus nostri Pontificalis Ritus, quo, ut diximus initio hujus Commentarii, juxta veterem Romanum Ordinem aliosque antiquos Rituales libros, primum minores Ordines, deinde majores in ulteriore Missæ parte conferuntur; ut nimirum doceantur ad illos promoti eundum sibi esse de virtute in virtutem, quousque videatur Deus Deorum in Sion, ut recte inquit Hallierius, *De sacris Ordinationibus,* pag. 971, aliique complures, alludentes ad VII versiculum Psalmi octogesimi tertii. Statim ergo post Introitum, antequam Lectiones ullæ legantur, prima Ton-

Digitized by Google

sura Clerici inaugurantur, quibus nullum in Ecclesia officium assignatur : tum post singulas Collectas ac Lectiones, minores singuli Ordines conferuntur, ut pro singulis ipsis singulariter a toto populo collecto precandum esse innuatur, et ipsi quo in Ecclesia provectiores erunt, eo sibi amplius necessarium esse moneantur *attendere lectioni et doctrinæ*, quemadmodum Timotheum suum monuit Apostolus, Epistola I ad ipsum Timotheum, cap. IV, versiculo XII. Subdiaconi quoque propter eamdem rationem, post quintæ Lectionis recitationem, antequam legatur Epistola, constituuntur, ejusque legendæ potestatem suscipiunt, statimque atque ordinati sunt ipsam Epistolam legunt, in eadem sacræ Ordinationis Missa inservientes. Diaconi similiter, qui Evangelium in Missa canere solent, ideo finita Epistola ante Evangelium consecrantur, ut secundum potestatem sibi traditam ab Episcopo, ad illud cantandum parati inveniantur. Demum Presbyteri quoque ante Evangelium, sicut et Episcopi, inaugurantur, ut noverint se Evangelii prædicationi debere incumbere, de qua dicebat Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. I, versiculo XVII : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Mysticas huc referre memorati ritus rationes varie a variis auctoribus excogitatas, supervacanei laboris fuerit.

IX. Porro, cum nemini liceat præterquam Summo Pontifici quempiam extra tempora ad sacros Ordines promovere, cap. I et III, *De temporibus Ordinationum*, solusque idcirco is possit dispensare ut extra tempora valeat quis a suo Episcopo ordinari, uti post alios docet Barbosa, lib. I *De Jure Ecclesiastico*, cap. II, num. CLXIII, recte cautum est ex Pontificalis nostri Rubrica, § XIX, ut Episcopus antequam ad Ordinis collationem procedat, mandatum Apostolicum legatur, cujus vigore facultas illi conceditur extra tempora ordinandi. Enimvero si citra hanc dispensationem non statis a jure temporibus Ordinatio celebraretur, Episcopus quidem jure ordinandi privaretur, ordinatus vero non solum suspensionis, sed et depositionis pœnam incurreret; quemadmodum testatur Alexander III, Pontifex Maximus, in Epistola ad Episcopum Herfordiensem, allegantem complurium diœceseon consuetudinem, in quibus sacri Ordines extra statuta tempora conferebantur : « Sane, » inquit Pontifex, super eo quod moris esse » dixisti, in Ecclesiis quibusdam Scotiæ, Angliæ » et Valliæ in dedicationibus ecclesiarum vel » altarium, extra jejunia Quatuor Temporum » Clericos ad sacros Ordines promovere : signi- » ficamus quod consuetudo illa, utpote institu- » tioni Ecclesiasticæ inimica, est penitus impro- » banda; et nisi multitudo et antiqua consuetudo » terræ esset, taliter Ordinati non deberent per- » mitti in susceptis Ordinibus ministrare : nam » apud nos sic ordinati deponerentur, et Ordi- » nantes privarentur auctoritate ordinandi. » Urbanus III, qui non multo post Alexandro in Pontificatu successit, Archiepiscopo Pisano rescribens, Ordinatum extra tempora suspendi ait, donec cum eo dispensetur; Ordinantem vero canonica disciplina puniri. « Episcopum, » inquit, qui die quo non debuit Ordines cele- » bravit, canonica disciplina corrigere, et Ordi- » natos a susceptis Ordinibus tamdiu reddere » debes expertes, donec apud nos restitutionis » gratiam consequantur. » Exstant hæ decretales in cap. II et VIII, *De temporibus Ordinationum;* ubi ex cap. XVI colligimus, dubitatum aliquando fuisse an Ordinati extra tempora characterem receperint; respondet tamen Pontifex, eos procul dubio recepisse characterem, sed non prius cum ipsis ab Episcopo dispensandum, quam post peractam competentem pœnitentiam.

§ XXI.

Quando autem Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquos ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines, sufficit quod habeat stolam supra rochetum, vel supra superpelliceum, si sit Regularis, et mitram simplicem. Cum autem est celebraturus pro sacris Ordinibus conferendis, habere debet sandalia, et omnia paramenta Pontificalia, et dicere Psalmum *Quam dilecta, etc.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Cum abunde in Prolegomenis de paramentis sacris, sive de Indumentis Pontificalibus, ac de eorum antiquitate et usu disputatum sit; unum sufficit hic adnotare, nimirum posse Episcopum minus solemniter extra Missarum solemnia simplici mitra indutum, ac stola super rochetum, vel supra superpelliceum si sit Regularis, primam Tonsuram et quatuor Minores Ordines tantum conferre, non vero majores; tum quia nobiliores isti sunt gradus, atque idcirco nobiliori cum apparatu conferendi, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, qua Episcopus nonnisi sacris Pontificalibus vestibus decoratus ad sacram Ordinationem procedebat, ut in antiquo Ordine Romano atque in priscis Ritualibus libris videre est, tum etiam quia, ut supra ostensum est, nequit Episcopus ullum extra Missam ad sacros Ordines promovere : unde necessario sequitur nec posse ipsum non uti Pontificali habitu, cum sacros ulli est Ordines collaturus. Quis enim est qui nesciat reum censeri peccati lethalis qui sine aliqua sacrarum vestium celebraret? Docent id quidem unanimi ferme consensu sacri Theologi ac Canonici jurisconsulti, probantque ex universali consuetudine et observantia totius Ecclesiæ. Porro quod prima Tonsura conferri possit minus solemniter ab Episcopo stola tantum induto, ex Pontificali manuscripto Vaticano, num. 4744 liquet. « Prima Tonsura, inquit, potest dari omni tempore, sive in Missa, sive extra Missam, sive in mane, sive sero, dummodo Episcopus habeat stolam et Ordinatus superpelliceum. » Puto nullam idcirco fieri hic de rocheto Episcopi mentionem, quod ea vestis ab ipso assidue in ecclesia et in publico gestaretur, et quidem ex decreto Innocentii III in Concilio generali, uti ait S. Carolus in Synodo anni 1567.

§ XXII.

Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia vocatis, præsentibusque ad id ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur.

COMMENTARIUS.

I. Plures quæ in hoc § continentur desumpto ex Concilio Tridentino cap. VIII, sessione XXIII, *De Reformatione,* abunde jam in superioribus Commentariis explicata sunt. Unum restat videre, quo nimirum loco celebrandæ sint sacræ Ordinationes. « In cathedrali ecclesia, » inquit, vocatis, præsentibusque ad id Canonicis, publice celebrentur. » Cui decreto plane consonat Concilium Mediolanense IV, tit. *Quæ pertinent ad sacramentum Ordinis.* En ejus verba : « Sacræ Ordinationes tum statis solum Quatuor anni Temporibus, nisi ob urgentem causam illas alio tempore aliquando » facultate a Sede Apostolica litteris data, haberi necesse sit; tum in ecclesia cathedrali, » ritu solemni, Canonicisque præsentibus, habeantur. » Et statim subdit : « Si vero quandoque in diœcesano loco habentur, in illius » loci ecclesia primaria celebrentur, Clero » ejusdem præsente, ut decreto Tridentino cautum est. » Concilium Rothomagense a Cardinale Carolo Borbonio habitum anno 1581 de Episcoporum officiis, num. III, addit, ut ad majus altare peragantur : quod quidem pristinæ disciplinæ Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ consentaneum est. Græci vulgato apud eos loquendi modo, Ordines in eos distinguunt qui in sanctuario, id est in altari principe, et qui extra sanctuarium conferuntur, quales sunt Subdiaconatus, et Ordines qui Minores appellantur. Episcopatus enim, Presbyteratus et Diaconatus omnino traduntur in sanctuario, Ordinandis cum Pontifice ad altare ipsum consistentibus. « Duæ fiunt, » inquit Simeon Thessalonicensis in tractatu de sacris Ordinationibus, « extra sanctuarium manuum imposi- » tiones, Lectoris et Hypodiaconi, etc. Ordina- » tiones autem eximiæ, et proprie dictæ, quæ

Digitized by Google

» intra sanctuarium fiunt, et in ipsa sanctissi-
» ma mensa, tres sunt in Trinitatis similitudi-
» nem, de quibus loquitur S. Dionysius, Dia-
» coni, Presbyteri et Episcopi. » Idem diserte notant antiqua et recentia Græcorum Euchologia, uti videre est apud Jacobum Goar, Petrum Arcudium, et alios eruditos scriptores.

II. Antiquus iste ritus diligenter a Græcis observatus, magna ex parte a Latinis hodie observatur; licet enim quatuor minores Ordines extra Missarum solemnia, sed diebus dominicis, et festis quæ ritu duplici coluntur, ut supra diximus, conferri possint, Subdiaconatus autem, sicuti et reliqui majores Ordines, nunquam nisi in celebratione Missæ ab Episcopo tradi valent. Verum fateri cogimur idem plane antiquitus in Ecclesia Latina ac in Græca observatum fuisse, cum nondum scilicet inter sacros Ordines Subdiaconatus relatus esset. Testem ejus rei pervetustum habemus S. Ambrosium, quem citat Amalarius Fortunatus, libro II *De Ecclesiaticis Officiis*, cap. VI, ubi postquam rationem reddidit cur Apostolus nullam inferiorum Ordinum mentionem fecerit, ita inquit : « Juxta
» verba Ambrosii intelligimus subjectos Ordi-
» nes Diacono et Presbytero non debere Ordi-
» nationem accipere circa altaria; nec quando
» Episcopus prosternitur ante altare, debere
» secum prosternere alios, nisi eos qui prove-
» hendi sunt ad Sacerdotale ministerium, vel
» ad Diaconatus officium. » Alludit Amalarius ad morem Ecclesiasticum qui nunc etiam viget, ut sacrorum Ordinum ritus a Litaniis incipiat, et Ordinandi omnes cum Episcopo sese prosternant dum cantantur. Quamvis autem laudatus Auctor, juxta S. Ambrosii verba et sui temporis consuetudinem, dicat Subdiaconos et inferiores Ordines coram altari prosterni non debere, sed solos Diaconos et Presbyteros; nunc tamen, et ab aliquot sæculis ea Litaniarum cantatio ac prostratio fit plane post Acolythorum ordinationem, ita ut Subdiaconi majorum Ordinum numero adscribantur, et cum Diaconis ac Presbyteris prosternantur. De quo ritu infra fusior erit sermo.

III. Porro publice in cathedrali ecclesia aliisque insignibus ad aram principem factas olim fuisse Ordinationes, docent nos passim scriptores Ecclesiastici. Hierosolymis in ecclesia Resurrectionis ordinatum a sua factione Evagrium quemdam narrat Evagrius, lib. II *Historiæ*, cap. V; idemque testatur Auctor, Timotheum Ælurum Alexandrinum in ecclesia magna quæ de Cæsare nomen habuit Ordinationem subiisse. Sunt pene innumeri canones qui clandestinas Ordinationes improbant sine consilio Clericorum ac populi testimonio celebratas. Quocirca Concilium Carthaginense IV, can. XXII, statuit, « Ut Episcopus
» sine consilio Clericorum suorum Clericos non
» ordinet, ita ut civium assensum et conniven-
» tiam et testimonium quærat. » Quanquam vero S. Joannem Chrysostomum in pseudoconcilio ad Quercum calumniati sint ejus adversarii, « quod sine altari Ordinationes fecerit
» Presbyterorum et Diaconorum, » rectissime tamen tum Gregorius presbyter in Vita S. Gregorii Nazianzeni, tum Nazianzenus ipse, ac alii complures, vel ex eo Ordinationem Maximi Cynici improbarunt, quod Ægyptiis Episcopis ab ecclesia Constantinopolitana, ubi illum inaugurare Episcopatu cogitabant, per superveniente Clerum ac Magistratum expulsis, in cujusdam scenici domo ordinatus fuerit; qui nihilominus cunctis tam Catholicis quam Arianis nefandum scelus detestantibus, urbe pulsus est. Vide quæ de hoc Maximo dicta sunt in nostro I tomo Conciliorum, ad canonem IV Concilii I Constantinopolitani.

IV. Publico loco vel ab ipsis Religionis nostræ primordiis celebratas fuisse Ordinationes, luculenter nos docent Acta Apostolica : in iis enim, cap. I, legimus in publico fratrum conventu S. Matthiam proditori Judæ ab Apostolis fuisse suffectum; cap. vero VI, convocata omni plebe Apostolos ipsos primis Ecclesiæ Diaconis rite manus suas imposuisse. Constat vel sæviente immanium Imperatorum persecutione, curasse majores nostros ut sacræ Ordinationes nonnisi præsente Ecclesia, ac bono Cleri et populi testimonio celebrarentur; uti videre est in consecratione Cornelii Romani Pontificis, de quo ita scribit S. Cyprianus in Epistola LII, ad Antonianum : « Factus est autem Cornelius
» Episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de
» Clericorum pene omnium testimonio, de
» plebis, quæ tunc affuit, suffragio, et de Sa-
» cerdotum antiquorum et bonorum virorum
» collegio, alias, consensu. » Ejus disciplinæ hæc ratio redditur ab eodem Cypriano in Epistola LXVIII, ad Clerum et plebes in Hispania

Digitized by Google

consistentes, allato Scripturæ veteris testimonio : « Coram omni synagoga jubet Deus con» stitui Sacerdotem : id est instruit, et ostendit » Ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi » assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe » præsente, vel detegantur malorum crimina, » vel bonorum merita prædicentur; et sit Or» dinatio justa et legitima, quæ omnium suffra» gio et judicio fuerit examinata. » Recte itaque præscribit Concilium Tridentinum, sessione XXIII *De Reformatione*, cap. VIII, ex quo desumpta est, ut dixi, nostra hæc Rubrica, ut ordinationes sacrorum Ordinum in ecclesia cathedrali, vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ Canonicis, publice celebrarentur. Id quod etiam a compluribus Synodis et sanctis Patribus inculcatur.

[Igitur non in alia civitatis ecclesia, bene vero in matrice quæ sedis Episcopalis honorem habet, tenenda est Ordinatio; neque in sacello seu capella inferioris gradus, sed ad altare majus, quod in choro patet. De altari sacræ Ordinationis ita respondit S. Rituum Congregatio, in causa Veliternana, die 6 septembris 1698. Inde sequitur duobus Episcopis non licere in eadem ecclesia et eodem tempore Ordines conferre; quod pariter ab eadem sacra Congregatione statutum est, in causa Neapolitana, die 30 martii 1675. Attamen, non ita rigorose accipienda est nostra Rubrica quin liceat Episcopo, ob modicum Ordinandorum numerum, vel ob imbecillem Ordinantis valetudinem, vel ob aliam rationabilem causam, sacram Ordinationem perficere in capella palatii sui.]

§ XXIII.

Cum igitur Ordinationes faciendæ sunt, per Sacristam seu alium ad quem spectat, præparentur omnia quæ necessaria sunt pro Missa Pontificali (1). Et demum, cum tempus Ordinationis instat, hora competenti Pontifex cappa magna indutus, Capellano illam post eum deferente venit ad ecclesiam ubi Ordinationes fieri debent, et accedens ante altare genuflexus ibidem aliquandiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit; vel si non sit in ecclesia sua, ad faldistorium ad cornu Epistolæ sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris tempori convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum *Quam dilecta, etc.*

§ XXIV.

Pontifex sic paratus, baculum pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum ministris Confessionem. Interim cantatur a Choro Introitus et *Kyrie eleison.* Finita Confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et textum Evangelii ad sinistram : incensat altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem seu ad faldistorium, ad cornu Epistolæ; ubi deposita mitra, et versa facie ad altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum et *Kyrie eleison* : quibus dictis, sedet cum mitra, donec perficiatur a Choro ultimum *Kyrie eleison* : Quo finito surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi præparatum accedit, et in illo sedet, renibus

(1) [In præparandis ea quæ necessaria sunt pro Missa Pontificali, attendendum est utrum Missa Ordinationis in cantu celebretur, an non. Si Ordinatio sit publica et solemnis, Missaque, ut par est, a Pontifice cantetur, septem candelabra super altare, de more, collocari debent; si vero Ordinatio privatim conferatur, quatuor tantum cerei accendi possunt, ex decreto S. Rituum Congregationis diei 12 novembris 1831.]

Digitized by Google

altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes Ordinandos, dicens : *Accedant omnes qui Ordinandi sunt.* Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronæ dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui qui forte non sint confirmati; quia non debent ad Ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis et chirotecis, lavat manus, reassumit annulos, et confirmat, prout habetur supra; vel, si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis :

Reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N., sub excommunicationis pœna præcipit et mandat omnibus et singulis pro suscipiendis Ordinibus hic præsentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a jure vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena diœcesi oriundus, sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere, et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad Ordinationem procedat.

COMMENTARIUS.

I. Iis omissis quæ fuse in superioribus Commentariis explicuimus tum de Confirmatione initiandis prima Tonsura præstandâ, si confirmati non fuerint; tum de ritu quo Archidiaconus, Ordinandos singulatim compellans, eos Episcopo præsentabat : totus in eo versabit se Commentarius noster, ut ostendamus morem olim usitatum fuisse, atque legitimum, ut, antequam Ordinationes celebrarentur, aliquis nomine Episcopi sub excommunicationis pœna præciperet ne quis canonico aliquo impedimento irretitus, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ad suscipiendos Ordines accedere auderet. Enimvero Alexander III, in cap. I, *De eo qui Ordinem furtive suscepit*, Episcopo Lincolniensi rescribens, diserte ait eum qui furtive Diaconatus ordinem consecutus est, cum alias vel ab Episcopo, vel ab Archidiacono aliove Prælato, sub anathematis interminatione prohibitus esset, non posse in sic suscepto Ordine ministrare, vel ad alium superiorem ascendere, nisi post vitæ religiosæ professionem : si vero nulla ei fuisset comminata excommunicatio, Pontifici placuit, arbitrio Episcopi esse relinquendum ut imposita pœnitentia dispenset in promotione ipsius ad Sacerdotium. Sane, ut docent passim Canonici Jurisconsulti, furtive ad Ordines accessisse dicuntur qui vel in his suscipiendis proprio Episcopo obrepserunt, vel eo contempto, sine dimissoriis litteris ad alium se contulerunt a quo Ordinibus donarentur.

II. Antequam ulterius progrediamur, ritumque nostræ Rubricæ aliis antiquorum Rituali testimoniis comprobemus, duo in laudata Alexandri III Epistola decretali adnotanda sunt. Primum est, memoratam excommunicationem non modo ab Episcopo, verum et ab Archidiacono aliove Prælato intentari potuisse initio sacræ Ordinationis. Constat enim vel a primis sæculis, amplissimam fuisse Archidiaconi auctoritatem, de qua videri potest S. Isidorus episcopus Hispalensis, qui floruit sexto Ecclesiæ sæculo : cujus verba refert Gratianus in suo decreto ad distinctionem XXV, can. I. Quamvis autem plerique contendant fuisse penes Archidiaconum amplissimam excommunicandi potestatem, pro sua ordinaria jurisdictione, probentque id etiam multis sacrorum Canonum locis, ac Maximorum Pontificum rescriptis; testatur nihilominus Alexander III, in cap. V *De officio Archidiaconi*, Episcopo Vigorniensi, seu ut alias habetur Vintoniensi, sive ut alii legunt Vorcestrensi rescribens, non posse in quemquam excommunica-

Digitized by Google

tionis jacula torquere Archidiaconum, nisi ex speciali Episcopi mandato : « Archidiaconis non » videtur de Ecclesiastica institutione licere, » nisi auctoritas Episcoporum accesserit, in ali- » quos sententiam promulgare. » Docent autem recte nonnulli Auctores, etsi prius Archidiaconi ministerium tantum esset merum officium ab arbitrio Episcopi committentis dependens, ascendisse tandem in beneficium ac dignitatem; ipsumque Archidiaconum, qui hactenus Episcopi duntaxat fuerat vicarius, sensim Prælatis ordinariis annumeratum fuisse, uti constat ex Synodo Excestrensi in Anglia celebrata anno 1287, can. xxxv, ubi ita legimus : « Singulis Archi- » diaconis, eorum Officialibus, ac cæteris ju- » risdictionem habentibus ordinariam, districte » præcipimus, etc. » Hodie Archidiaconi jurisdictio restricta non parum est per Concilium Tridentinum, videturque remansisse magni nominis umbra.

III. Alterum in allegata Alexandri decretali Epistola notatu dignum, investigare profecto est, quisnam ille alius Prælatus sit qui, præter Episcopum atque Archidiaconum, Ordinandos terrere poterat sub anathematis interminatione, ne Canonico impedimento irretiti ad Ordinationem accedere auderent? Puto equidem, Prælatum ibi omnino Parochum intelligi, quippe qui non semel in jure canonico Prælatus cum facultate excommunicandi appellatur, uti videre est in cap. *Cum Ecclesiarum*, Extra. *De officio Judicis ordinarii.* Quamobrem Glossæ auctor, in can. *In capite Quadragesimæ*, distinctione I, verbo *Injungere*, Episcopum ait non debere sententias excommunicationis revocare quas Prælati protulerant, id est Parochi, ut probat Gonzalez ad textum in cap. II, citato titulo *De officio Judicis ordinarii.* Itaque, cum juxta veteres Canones Parochi non solum tenerentur præstare testimonium de propriis parochianis ordinandis, verum et eos Episcopo præsentare, uti docuimus ex can. XI Concilii Namnetensis, quemadmodum Archidiaconus proprios Clericos civitatis sibi subditos, ita et Parochi, qui Prælati et Presbyteri etiam dicebantur, Clericos suarum parochiarum ordinatori Episcopo præsentabant, ac in ipso initio Ordinationis, in omnes anathema ex propria jurisdictione proferebant qui furtive vel contra sacrorum Canonum leges ad suscipiendos Ordines accederent. Hodie ex præscripto nostræ Rubricæ, nomine Episcopi, ab aliquo ejus ministro memorata excommunicatio fulminatur.

IV. Est plane antiquus ac usitatus ritus fulminandi eam censuram, quippe cujus passim omnes pene veteres Pontificales libri meminere. In ms. Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ ab annis circiter sexcentis exarato, ubi agitur de Ordinationibus ab Episcopo celebrandis, paulo post initium ita legimus : « Postquam omnes » (Ordinandi) fuerint in præsentia Episcopi, » facit sermonem, vel ipse vel Archidiaconus, » congruentem ad hoc opus. Finito sermone, » mittat bis bannum Episcopus, ne quis præ- » sentet ibi servum, neque colibertum, neque » alterius Episcopi Clericum, neque crimino- » sum. Tunc tertio excommunicet, etc. » Idipsum constat ex ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter sexcentorum, quod exstat in Bibliotheca Regis Francorum numero 3870, ut refert Martenius lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo XI; ubi de Episcopo *plenis Pontificalibus* induto, et ad Ordinationem celebrandam accincto, hæc habet : « Sedens super sedem suam, legat, vel » per alium legi faciat prohibitionem istam : *Au- » ctoritate Domini nostri Jesu Christi et Eccle- » siæ interdicimus publice, et prohibemus di- » stricte, et sub pœna excommunicationis et » anathematis, ne aliquis patiens ætatis defe- » ctum, vel natalium, ad sacros Ordines ausu » temerario accedere nunc præsumat, nullus » nisi a nobis receptus, nullus per falsas litte- » ras, et sine licentia sui Episcopi vel Prælati, » nullus qui contraxerit cum aliqua per verba » de præsenti, nullus apostata, nullus excom- » municatus, nullus per saltum, nullus biga- » mus, nullus irregularis, nullus simoniacus, » nullus epilepticus, vel aliquo membro mutila- » tus, vel corpore enormiter vitiatus, vel aliqua » infirmitate incurabili prægravatus, item qua- » lemcumque aliud legitimum habuerit impedi- » mentum, nisi prius fuerit secum misericor- » diter dispensatum; item ne quis ad susceptio- » nem ullius Ordinis se ingerere præsumat, qui » non fuerit canonice examinatus, et ne, uno » Ordine suscepto, alium sine licentia debita re- » cipere præsumat, et absque fraude quacum- » que.* »

V. Aliam prolixiorem admonitionis formu-

Digitized by Google

lam, quæ Ordinandis fieri consueverat initio sacræ Ordinationis, videre est in Pontificali Julii papæ II, quam etiam describit Pontificale secundum ritum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Lugduni editum anno 1542, in quo pene ad verbum descripta etiam exstat hodierna nostri Romani Pontificalis formula, ubi notanda sunt ea inscriptionis verba, *Dei et Apostolicæ sedis gratia Episcopus.* Constat quidem jam a priscis sæculis invaluisse, ut nonnulli *misericordia Dei*, *vel gratia Christi* Episcopos se inscriberent; quemadmodum addiscere licet ex Concilio Ephesino: ibi enim suscriptus inter alios legitur, *Acacius misericordia Dei episcopus Melitinorum;* itemque, *Palladius gratia Christi episcopus Amasenorum.* Qui inscribendi ritus, vel ei similis, passim deinde a compluribus usitatus est. Sane qui primus se *Dei et Apostolicæ Sedis gratia* Episcopum inscripserit, occurrit Archiepiscopus Nicosiensis Latinus in Cypro insula, in Constitutionibus a se editis jam inde ab anno 1251. Quod et alius fecit ejusdem sedis Episcopus Latinus in Concilio cui præerat. Eodem titulo non multo post tempore usi sunt Italiæ Episcopi, inter quos Archiepiscopi Ravennates jam inde ab annis 1310, 1314, 1317, in Epistolis suis, et in iis quibus præfuerant Conciliis, *Dei et Apostolicæ Sedis gratia* se inscripserunt. Hos deinde imitati sunt cæteri Episcopi, Germani, Galli, Hispani, et alii. Docet Thomassinus, parte I, libro I *Disciplinæ*, cap. LX, num. X, ejus inscriptionis crebriorem fuisse consuetudinem, ex quo ad Regum præsentationem a Romano Pontifice Episcopi præficiuntur Ecclesiis; itemque ex quo ipsi Romani Pontifices complurium Episcopatuum collationem per varias reservationes sibi vendicaverunt. Cæterum initium consuetudinis ductum fuisse constat a laudatis Archiepiscopis Nicosiensibus; adeo ut, cum illa usi formula primi legantur Archiepiscopi, ea forte fuerit ejus moris ratio quod, cum Episcoporum potestas sit immediate a Deo, Archiepiscoporum auctoritas non sit nisi imitatio quæpiam vel participatio privilegii quo Petrum supra Apostolos et Episcopos Christus evexit; Episcopi vero forte haud ignari, ea ratione motos fuisse Archiepiscopos, dum illa usi sunt formula, eamdem ipsi suam in Apostolicam Sedem reverentiam significare forsitan voluere, uti laudatus Thomassinus et alii eruditi docent.

TITULUS III.

DE CLERICO FACIENDO.

I. Quanquam prima Tonsura, de qua agitur in præsenti titulo, Ordo non sit, saltem juxta Theologorum sententiam, quia scilicet non est a Christo Domino instituta, sed ab Ecclesia, nec spiritualem potestatem confert ad ministerium aliquod Ecclesiasticum obeundum, eamque Tridentina Synodus ab Ordinibus diserte distinguit: est tamen præparatio ad Ordines suscipiendos, et quædam religiosa, ut ita dicam, ad cultum divinum deputatio: « Ut enim homi-
» nes, inquit Concilii Tridentini Catechismus,
» ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium
» sponsalibus præparari solent; ita, cum Tonso
» capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad
» Ordinis sacramentum illis aperitur: declara-
» tur enim qualis esse debeat qui Sacris imbui
» cupit. » Sicut autem Christiani non nascuntur, sed fiunt, ut ait Tertullianus in libro *De Testimonio animæ*, cap. I in fine; ita et Clerici non nascuntur quidem, sed fiunt per solemnem illam capillorum attonsionem, qua Clerici nomen iis imponitur, et fori ac canonis, ut aiunt, privilegia tribuuntur.

II. Clerici proprie in præsenti dicuntur ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est a sorte, ad significandum quod Clericus Dominum sortem suam habere debet,

Digitized by Google

ut eleganter docet S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, ita inquiens : « Clericus, qui » Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo » vocabulum suum, et nominis definitione pro» lata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος » græce, sors latine appellatur, propterea vocan» tur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel » quia ipse Dominus sors id est pars Clericorum » est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel » Dominum partem habet, talem se exhibere » debet ut et ipse possideat Dominum, et pos» sideatur a Domino, etc. » Hinc vides improprie appellari Clericos, qui sunt in vilioribus et quomodocumque profanis ministeriis, quæ tamen summe olim coluit et pluris fecit Ecclesia. Tales profecto fuere antiquitus, qui vocabantur Parabolani, seu qui ægrotos curabant, leg. XLII et XLIII, Codice Theodos. *De Episcopis, etc.* Tales etiam erant Decani, seu Copiatæ, aut Vispelliones, et Fossarii, quos in eodem Codice Theodosiano Clericos appellabant. Atque, ut alios omittam qui improprie Clerici dicebantur, constat retroactis sæculis eos quoque dictos fuisse Clericos, qui litteras scirent, laicos vero qui illas ignorarent, quia scilicet eo tempore soli fere viri Ecclesiastici operam litteris dabant, et ideo qui ex laicis eas utcumque colerent, ipsos quidem Clericos appellitabant. Unde Guillelmus Neubrigensis, lib. IV *Rerum Angliæ,* sic inquit : « Laici estis, » si non potestis intelligere vim verbi; » et Accursius, qui obiit anno 1229, ad textum in lege *Solent, ff. de Officio proconsulis,* ait proconsulem uti debere consilio prudentum, cum sit laicus id est imperitus. De iis Clericis non agitur in præsenti titulo, sed de iis quos Episcopus rite per capillorum attonsionem facit, divinoque cultui addicit, a foro sæculari separat, atque Ecclesiasticis aliis privilegiis donat.

§ I.

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco. Pro Clericis Ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet Ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextra. Et vocantur omnes Tonsurandi nominatim et sigillatim per Notarium; et quilibet respondet, *Adsum.*

COMMENTARIUS.

I. Primam Tonsuram, et quatuor etiam Minores Ordines extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco ab Episcopo conferri posse, dictum plane fuit in superiori titulo, in Commentario ad § XIII. Ordinandos præterea omnes debere in ecclesia se præsentare cum tonsura, habitu ac vestibus Ordini suo convenientibus, candelisque in manu accensis, et cum a Notario Episcopi nominati fuerint, respondere, *Adsum;* debere et accedere ad locum Ordinationis, secundum ordinem descriptionis, explicuimus jam in Commentario ad § XIV tituli præcedentis. Advertendum hic itaque superest, debere in loco Ordinationis parari orfices pro incidendis eorum capillis qui prima Tonsura initiandi sunt, eosdemque secum superpellicea super brachium sinistrum tenere, quibus deinde ab Episcopo religioso ritu induantur. S. Carolus, qui avitam Ecclesiæ disciplinam restituere conatus est, inter aliam supellectilem, quæ Missæ, divinorum Officiorum aliorumque ministeriorum Episcopalium solemnium usui esset, binos ad usum sacræ Ordinationis forfices præscribit, ut videre est Actorum Ecclesiæ Mediolanensis parte IV, *Instructionum supellectilis Ecclesiasticæ* lib. II, cap. I, ubi agit de supellectile ecclesiæ cathedralis. Quantum vero ad ipsorum forficum formam, ita inquit eodem lib. II, parte II : « Forfex » ex ferro, at certis locis inaurato, conflatus » unciarum duodecim longitudine constet. » Quamobrem pravus profecto abusus censeri debet quorumdam Episcoporum, qui ab iis qui prima Tonsura initiandi sunt, vel certam pecuniæ summam pro forfice ac manutergio, ut aiunt, vel forfices ipsos ac manutergia exigere non erubescunt. Id quod anno 1500 expresse prohibuit inter alia Concilium Pictaviense, Pas-

Digitized by Google

chale II Pontifice Maximo, in Galliis celebratum, can. II, his verbis : « Ut nemo in faciendis » coronis forcipes vel manutergia exigat. » Ergo ab Episcopo hæc gratis parari debent pro candidatis primæ Tonsuræ, qui tamen ipsi super brachium sinistrum superpellicea secum ferent, de quorum origine et antiquo usu, ac de impositione eisdem ab Episcopo facienda, inferius opportuniori loco sermo erit.

[Congruit antequam Tonsurandi sigillatim per Notarium vocentur, eosdem generatim ab Archidiacono invitari his verbis : *Accedant qui promovendi sunt ad Tonsuram ;* illud enim posse fieri *juxta morem generalem*, respondit Sacra Rituum Congregatio, die 12 novembris 1831. Quæ quidem invitationis forma tenenda est erga vicissim promovendos ad Ordines, tum minores, tum majores.]

§ II.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit :

℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc, et usque in sæculum.*

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Oremus, Fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendas comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento ac sæculari desiderio corda eorum defendat; ut sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni cæcitate spirituali et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Inter alios sacros ritus in susceptione Ordinum ab Ecclesia præscriptos et usitatos, pervetustus et ille censeri debet, quo ii qui mox essent ordinandi coram Pontifice genuflecterent, ab eoque sanctissimis precationibus sacrarentur. Est ea de re perspicuum S. Gregorii Nazianzeni testimonium, qui in sua celebri Oratione in funere Gregorii patris sui habita, inopinatum ejusdem patris erratum, qui cum baptizandus de præcipuis fidei capitibus institueretur, non sicut cæteri catechumeni stetisset, sed Sacerdotum initiandorum more flexisset genu, ad Sacerdotium præsagiendum, ab iis qui catechesi aderant, tractum fuisse affirmat. « Miraculum autem quod hic quoque divina » gratia proditum est si reticuero, male hercle » de ipsa gratia meritus videri possim. Hujus » porro testes sunt non pauci. Spirituale quod- » dam erratum exactæ disciplinæ magistri com- » mittunt, idque quod futurum erat superna » gratia præsignat, ac Sacerdotii forma cum » christiana institutione miscetur. O initiatio- » nem minime spontaneam! Etenim in genu » flexus fidei elementis imbuitur : adeo ut » multi non perspicaciores tantum, sed etiam » minore ingenii acumine præditi, non obscu- » ris signis confirmati, quod postmodum eve- » nit, prædicerent. » Notat hic statim eruditissimus Jacobus Billius, quod cum hoc in more positum esset ut catechumeni nequaquam genua flecterent, sed aures tantum oleo ungendas præberent, ipse præter catechesis legem, cum Baptismate initiaretur, genuflexit. Sed et illud quoque ex recitatis Gregorii verbis colligi potest, non solum cum sacramento Ordinationis candidati perficerentur, verum et cum antea singuli de suis officiis admonerentur, genuflectere consuevisse ; cum e contra catechumeni, dum christianæ doctrinæ et disciplinæ capita auribus exciperent, erecti stare olim soliti essent.

II. Si qua autem fides pervetusto libro *De*

Digitized by Google

Ecclesiastica Hierarchia, quem plerique auctores magni nominis genuinum esse S. Dionysii Areopagitæ fœtum strenue propugnant, jam Apostolorum ævo quo ipse floruit, consuetudo fuit ut suscepturi Ordines genua sua flecterent. Non modo enim laudatus Pater in cap. v memorati Operis *De Ecclesiastica Hierarchia*, ejusmodi ritus luculenter meminit, sed et discrimen etiam assignavit inter ordinationem Episcopi, Presbyteri ac Diaconi; quod primi scilicet utrumque genu flecterent, Diaconus vero unum duntaxat. Quam differentiam observandam quoque hodieque præscribit Euchologium Græcorum, ubi de ipsorum Ordinatione agit. Cum enim tres hierarchici Ordines sint, nimirum Diaconi, Presbyteri et Episcopi, et hic quidem perficiendi, illuminandi et purgandi, iste illuminandi purgandique, ille tandem purgandi solummodo potestatem adeptus sit; cum propter gratiam multiplicem, et Diacono ampliorem obtinendam, utrumque genu flectant duo primi, Presbyter scilicet et Episcopus; Diaconus, cujus modicum et restrictum est donum, unius duntaxat genu inflexione, Dei et altaris ministerio mancipandus est. « Propterea Diaconus, ut sola purgativa facul » tate donatus, unum etiam tantum pedem » inclinat. » Ita breviter et aperte S. Dionysium explicans, in paraphrasi scribit Græcus Pachimeres. Cui adstipulatus Simeon Episcopus Thessalonicensis sic inquit : « Diaconus » unam eamque solam sacri ministerii gratiam » accipit, ut Dionysius ait : ministrare enim de» bet, et adhortari, et verba ad catechumenos » facere : adducit siquidem tantum, et commo» net, et excitat ad accedendum, non tamen sa» cra peragit. *Benedic* namque ait, non tamen » benedicit. *Et Dominum precemur* edicit, non » tamen ipse orationes publicas recitat. *Et in » sapientia attendamus* exclamat, non tamen » consecrat. Ut ministrans igitur, non ut Sa» cramentum perficiens, unum inflectit genu, » quia divini obsequii minister constituitur. »

III. Ita vero necessariam Ordinandis duxerunt genuflexionem antiqui Patres, ut etiam dominicis diebus, ac toto Paschali tempore, quo in genua procumbere nefas est prohibitumque ex canone xx Nicæno, suscepturos Ordines voluerint nonnisi genuflexione initiari. Quamobrem Alexander III Pontifex Maximus, relatus in cap. II *De feriis*, ita inquit : « In consecra» tionibus autem Episcoporum, et Clericorum » ordinationibus, Consecrans et Consecratus » tantum genua flectere possunt, secundum » quod consecrationis modus requirit. » Quæ verba referenda sunt ad discrimen jam superius explicatum. Cum enim, ut docet S. Dionysius, per genuflexionem Ordinandi propriam vitam Deo esse subjectam profiteantur, ideo major genuflexio in Episcopo et Presbytero, quam in Diacono desideratur; quia quo gradus nobilior est ad quem promovendi sumus, eo magis nostræ tenuitatis conscientiam cognoscere debemus, et majorem subjectionem profiteri; ut quo celsior est per Ordinationem ascensus, eo profundior sit per humilitatem descensus. Meminit denique memorati ritus et S. Ambrosius lib. VI *Hexameron*, cap. IX, ubi aliam reddit rationem his plane verbis : « Fle» xibile genu, quo præ cæteris Domini miti» gatur offensa, ira mulcetur, gratia promove» tur : unde Ordinator et Ordinandus genua » flectunt, ut divinam gratiam uterque digne » promoveat, unus recipiat, alter conferat. » Mirum certe illud videri debet, in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Capuanæ, variis figuris insignito, de quo vide infra in Appendice, in collatione tum minorum, cum majorum Ordinum nunquam repræsentari Episcopum genuflectentem, sed semper et in tota functione stantem, Ordinandos vero curvos vel prostratos cerni.

IV. Est certe et priscus ritus, ut nonnisi orationibus multisque ad Deum fusis precibus Ordinatio celebretur, exemplo Apostolorum, qui passim *orantes* memorantur, tum in ordinatione Mathiæ, tum septem Diaconorum, tum denique Pauli et Barnabæ; uti in Actibus Apostolicis videre est, cap. I, VI et XIII. Quin et Christus Dominus Apostolos electurus, orationi prius se totum dedit, in eaque pernoctavit : *Exiit*, inquit Lucas cap. VI, *in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei; et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit, etc.* Quod si Dei Filius Patrem suum orare perhibetur, antequam Apostolos suos deligeret, jure ac merito Episcopi, antequam Clericatum vel Ordines alicui conferant, orare ipsi Deum præcipiuntur, astantesque etiam ut

Digitized by Google

orent admonere : juxta priscam Ecclesiæ disciplinam, cujus inter alios meminit Augustinus in Epistola c, ubi de gestis ordinationis Eradii agitur : ex qua addiscimus, populum Augustini tempore ab Episcopo ordinante admoneri solitum ut, omnibus aliis negotiis prætermissis, pro ipso Ordinante ac Ordinandis preces funderet; quatenus et ille ad eligendas personas divinis ministeriis idoneas divinitus moveretur, isti vero ita in Clericatu proficerent ut Deo gloriam, characteri honorem populisque utilitatem afferre possent. Nil ergo mirum si precari Pontificem, Deumque invocare super Ordinandos testetur S. Dionysius in lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, ac præsertim auctor Constitutionum Apostolicarum, lib. VIII, ubi variæ leguntur preces quæ olim in Ordinationibus adhibebantur.

V. Certe, exceptis primis versiculis, exstat hæc Oratio nostri Romani Pontificalis tum in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, titulo qui inscribitur *Oratio ad capillaturam incidendam*, ubi fusior legitur conferendæ Tonsuræ ritus ac hodie servatur ex Romano Pontificali, tum etiam in pervetusto S. Gregorii Sacramentario, ubi agit de Orationibus ad Clericum faciendum. Sed et ex vita S. Germani episcopi Antisiodorensis, qui teste Baronio obiit anno 435, nescio quid vestigii apparet tam laudatæ orationis quam ritus inchoandæ Ordinationis ab invocatione nominis Domini. Ait Auctor ejus Vitæ Constantius Presbyter apud Surium die 31 julii, quod B. Amator, Antisiodorensis præsul, simulatque divinitus intellexit Germanum sibi in Episcopatu successurum, omnem suam navavit operam ut eum etsi reluctantem rite tonderet habituque Religionis indueret : « Beatus Amator videns (*in ecclesia*) » Germanum illustrissimum, præcepit Ostiariis » ecclesiæ fores ut claustris arctarent. Ipse vero » glomerata secum turba Clericorum atque no» bilium, injiciens manus Germanum appre» hendit, et invocato nomine Domini, cæsariem » ejus capiti detrahens, habitu Religionis, re» jectis sæcularibus ornamentis, cum promo» tionis honore induit, talibus eum verbis ex» hortans : Quia tibi, frater charissime, me » decedente, Omnipotens Pastorale commisit » officium. »

VI. Plura hinc addiscere nobis licet, ac primo quidem Ordinationem in ecclesia fieri solitam; secundo, invocato prius nomine Domini, celebratam ab Episcopo Ordinationem; tertio, capitis comam initiando recisam; quarto, Ordinandum, rejectis sæcularibus vestibus, habitu Religionis indutum fuisse. Sunt qui habitum Religionis hic posse intelligi autumant superpelliceum, seu lineam tunicam Clericalis professionis; sed videtur potius existimandum eo nomine haud sacram, qua in divino ministerio uterentur, sed communem, quam quotidie adhiberent Clerici, vestem denotari : quod quidem et nomen ipsum ostendit, et quæ subduntur de rejectis sæcularibus ornamentis demonstrant, cum Religionis habitum ab Amatore episcopo, Germano cum in Clericum attonsus est impositum, loco sæcularium vestium successisse, juxta morem illorum temporum in quibus sæcularis habitus tunc primum deponebatur cum ab Episcopo sacro ritu attonderentur, quemadmodum perspicue constat ex allato superius testimonio Vitæ S. Norberti et aliorum complurium : licet hodie in plerisque diœcesibus non prius Episcopi solent conferre alicui primam Tonsuram, quam de ipsorum licentia gestato aliquot mensibus habitu clericali. Qui usus viget in nostro regno Neapolitano.

VII. Dici etiam posset, juxta aliorum sententiam, habitum Religionis Germano tributum ab Amatore Antisiodorensi episcopo, cum Clericum illum faceret, fuisse habitum monachalem: sumitur enim plerumque Religio pro ipsa pœnitentium ac monachorum professione. Eo sensu eam vocem usurpat Salvianus, qui eodem ferme sæculo quinto floruit quo Amator et Germanus vixerunt. Sic autem ille libro V de Gubernatione Dei, inquit : « Multi etiam Religiosi, » imo sub specie religionis vitiis sæcularibus » mancipati : qui scilicet post veterum flagitio» rum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibi» met inscripto, non conversatione alii, sed » professione nomen tantum demutavere, non » vitam; et summum divini cultus habitum ma» gis quam actum existimantes, vestem tantum» modo exuere, non mentem. » Habitu itaque Religionis, id est monastico Germanum induit Amator episcopus; quia scilicet tum sanctissimi quique Episcopi cum Episcopali sarcina monasticum etiam subibant jugum. Docet id eruditus Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, c. XLIII.

Digitized by Google

probatque exemplo S. Martini episcopi, de quo Severus Sulpitius in lib. *De ejus Vita*, cap. VII, ita scribit : « Idem constantissime perseverabat, » qui prius fuerat ; eadem in corde ejus humi- » litas ; eadem in vestitu ejus vilitas erat : atque » ita plenus auctoritatis et gratiæ implebat Epi- » scopi dignitatem, ut non tamen propositum » Monachi virtutemque desereret. »

VIII. Quin et Germanus ipse, si totam vitæ ipsius seriem inspiciamus, cum primum Amatori in episcopatu successit, monasticum statim, durissimumque victu et vestitu institutum amplexus est. Sic enim de eo scribit Constantius Presbyter apud memoratum Surium : « Ex ea » vero die qua Sacerdotii sumpsit exordium, » nunquam panem frumenti, non vinum, non » acetum, non oleum, non legumen, vel salem » accepit. Indumentum cuculla et tunica indis- » cretis fuere temporibus. Nam neque hieme ac- » cessit adjectio, neque æstate levamen admis- » sum est. Quod utrumque tamdiu usui fuit, nisi » forte donatum est, donec attritione nimia sol- » veretur, cilicio semper interius inhærente. » Quis est qui nesciat cucullam ad rem vestiariam monachorum pertinere? Monachi itaque vestes induerat Germanus, quas egregie ac singulatim scriptor ejus Vitæ Constantius describit, cum inquit eo mortuo plerosque Antistites eas inter se tanquam pretiosas eminentissimæ sanctitatis reliquias partitos fuisse : « Cucullam cum » interiori cilicio Petrus episcopus usurpavit. » Sex vero Antistites, ut aliquid monumenti ex » successione sanctitatis acciperent, disrumpere » quod superfuerat maluerunt. Unus pallium, » alter cingulum accepit, duo tunicam, duo sa- » gulum diviserunt. »

IX. Ergo habitus Religionis varie accipitur, ab aliis quidem pro linea tunica quam vocant superpelliceum, ab aliis vero pro habitu monachali : ego in ea opinione sum constantissimus, habitum Religionis non alium olim fuisse quam vestem communem Clericorum, qua, rejectis sæcularibus vestibus, ab Episcopo statim induebantur qui primam Tonsuram suscipiebant, ut evidentissime eruitur ex recitato superius testimonio Vitæ S. Germani. Neque vero negaverim jam a pluribus sæculis obtinuisse ut in nostro Romano Pontificali, nomine habitus Religionis, non aliud intelligi possit quam superpelliceum. Præscribit enim ut Episcopus post recitatam eam orationem quæ dicit, *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos benedicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis imponimus, etc.* statim superpelliceo induat candidatos primæ Tonsuræ : *Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu superpelliceum, dicit singulis :* Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. *Et mox imponit illud cuilibet repetendo*, Induat te, etc. *immittens usque ad scapulas.* Atque hic nota ea orationis verba, quæ alias habentur in Sacramentario S. Gregorii, ubi dicit Episcopus imponere se *habitum sacræ Religionis* tironi Clericalis professionis, referri a quinque circiter sæculis ad significandum superpelliceum, quia scilicet ante id temporis nulla de eo ritu imponendi superpelliceum ipsi tironi in antiquis mss. Ritualibus habeatur mentio, teste Martenio lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo VII, num. IX, ubi etiam tradit, in Pontificali Senonensi annorum quingentorum, post primam orationem ante crinium præcisionem legi : *Hic induat eum cappam.* Quæ vestis nequaquam superpelliceum dici potest.

§ III.

Post hæc, sedente Pontifice, Schola inchoat et prosequitur Antiphonam, et Psalmum, octavo ton. *Tu es, Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi;* Psalm. XV, *Conserva me, Domine, etc.* Repetitur tota Antiphona *Tu es, Domine.*

§ IV.

Incœpto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio et ad utramque aurem,

Digitized by Google

deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet cum attondetur dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* (1).

COMMENTARIUS.

I. Habentur hæc passim, et quæ postea sequentur, totidem pene verbis, etsi ordine nonnihil inverso, in Sacramentario S. Gregorii, in antiquo Ordine Romano, atque in compluribus antiquis Ritualibus libris. Sane quod spectat ritum in duobus hisce paragraphis descriptum, jam alibi docuimus, dici Clericos ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est a sorte, ad significandum quod Clericus Dominum sortem suam et hæreditatem habere debeat, veluti qui in Hebræorum populo divino cultui mancipati erant : quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in terra promissionis distribui, cum ait Numerorum cap. XVIII, *Ego pars, et hæreditas vestra.* Quod quamvis omnibus fidelibus commune sit, præcipua tamen ratione eis conveniat necesse est qui se Dei ministerio consecrarunt. Unde S. Hieronymus, in Epistola ad Nepotianum, scribit : « Clericus, qui » Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo » vocabulum suum, et nominis definitione pro» lata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος » græce, sors latine appellatur, propterea vo» cantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, » vel quia ipse Dominus sors id est pars Cleri» corum est. Qui autem vel ipse pars Domini » est, vel Dominum partem habet, talem se » exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum » et possideatur a Domino. Qui Dominum pos» sidet, et cum Propheta dicit : *Pars mea Do» minus,* nihil extra Dominum habere potest. » Quod si quidpiam aliud habuerit præter Do» minum, pars ejus non erit Dominus : verbi » gratia, si possessiones et variam supellectilem, » cum istis partibus Dominus pars ejus fieri » non dignabitur. Si autem ego pars Domini » sum, et funiculus hæreditatis ejus, nec acci» pio partem inter cæteras Tribus, sed quasi » Levita et Sacerdos vivo de decimis, et Altari » serviens Altaris oblatione sustentor, habens » victum et vestitum, his contentus ero, et nu» dam Crucem nudus sequar. »

II. Perperam Joannes Wicleffus, ex recitatis hucusque S. Hieronymi verbis, et ex ritu initiandorum Clericorum per ea nostri Pontificalis verba, *Dominus pars hæreditatis meæ, etc.*, ac præsertim ex iis Scripturæ locis quibus Dominus in veteri Lege Levitas prohibuit bona inter filios Israel possidere, sui erroris ansam arripuit, quo temere pernegavit Ecclesiasticis licitum esse proprium aliquid possidere. Qui quidem error una cum ejus auctore merito damnatus est in Concilio Constantiensi, inter alios ejusdem hæretici articulos, numero X, XXXII et aliquot sequentibus. Certe quod profitentur Clerici cum Tonsura initiantur, *Dominus pars hæreditatis meæ*, nequaquam significat ipsos omni hæreditati et possessioni terrenæ renuntiare, sed spem suam et amorem in Deo defigere, cujus se ministerio mancipant. Etenim, uti recte docet eruditissimus Guillelmus Estius, in libri quarti distinctionem XXIV, § VI, id pars alicujus vocatur, more Scripturæ sacræ, quod quis habet pro re præstantissima, quamque præcipue amat et in qua spem suam constituit. Quo sensu, de voluptatibus hujus sæculi dixerunt impii cap. II Sapientiæ : *Hæc est pars et sors nostra ;* et David in Psalmo CXVIII : *Portio mea, Domine, custodire legem tuam.* Talem igitur partem si Clericus habuerit extra Dominum, pars ejus non erit Dominus, quia nemo potest duobus dominis servire. Cæterum sicut David, qui dixit : *Dominus pars hæreditatis meæ*, divitias habuit, et sancti Patriarchæ, qui hoc idem dicere potuerunt, bona terrena possederunt; ita et Clericus vere dicere potest eum Psalmi versiculum, *Dominus pars hæreditatis meæ*, et nihilominus bona temporalia possidere, modo juxta ejusdem Psalmistæ admonitionem Psalmo LXI, cor iis non apponat.

III. Pergit Estius (quem nec citatum describit Natalis Alexander Theologiæ dogmaticæ lib. II, *De sacramento Ordinis* cap. I, articulo III,)

(a) [Quæsitum est a S. Rituum Congregatione, an Episcopus ipse novi Clerici capillos incidendo proferre debeat verba : *Dominus pars hæreditatis meæ.* Responsum fuit, die 12 novembris 1831, hæc verba a Pontifice Tonsuram conferente proferri posse *juxta morem.*]

Digitized by Google

atque egregie docet, omnibus quidem Christianis commune esse oportere Dominum partem habere, sed excellentiori modo debere id iis competere qui sacris officiis et ministeriis consecrati sunt, non quo facultates suas relinquere cogantur, sed quemadmodum ex divinis Litteris, sacris Canonibus constitutum est ut penitus se abstineant a negotiis sæcularibus, et moderatis opibus contenti, nihil amplius requirant, juxta illud Apostoli in Epistola II ad Timotheum cap. II : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Idipsum etiam dicere visus est in recitata Epistola ad Nepotianum S. Hieronymus, eos profecto sugillans qui cum Clerici essent, ita congerendis opibus studebant, ut non Dominum, sed Mammona partem habere viderentur : « Obsecro itaque te, inquit, et repetens iterum » iterumque monebo, ne officium Clericatus » genus antiquæ militiæ putes, id est ne lucra » sæculi in Christi quæras militia, ne plus » habeas quam quando Clericus esse cœpisti. » Non ergo voluit eum S. Doctor quod habebat abjicere, sed id quod habebat, si ad vitam sufficeret, non augere. Dolet autem suo tempore, quod et nos nostra hac tempestate dolemus, ditiores nonnullos fuisse Monachos quam fuerant sæculares, et Clericos qui possiderent opes sub Christo paupere quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant; adeo ut suspiraret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuerat ante mendicos (1).

IV. Ea denique verba, *Dominus pars hæreditatis meæ, etc.* sive ipsa detonsio capillorum, quæ ab Episcopo initiandis prima Tonsura fieri solet, non plane significant, ut hæreticus contendit, renuntiationem et abdicationem bonorum omnium temporalium. Ut enim docet S. Thomas in IV Sententiarum, distinct. XXIV, quæst. I, quæstiuncula III, « Clerici in hoc quod » coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio » neque aliis rebus temporalibus, quia terreno» rum possessio non contrariatur divino cultui, » ad quem Clerici deputantur, sed nimia eorum » sollicitudo ; » quia, ut ait S. Gregorius, lib. X *Moralium*, cap. XVII, « Non census in crimine, » sed affectus. » Cæterum quod in veteri Testamento lex, cap. XVIII Numerorum, vetet Levitas quidquam possidere, id de parte Terræ Promissæ distincta ac separata a reliquis Tribubus accipiendum est, ut Scriptura aperte significat. Voluit enim Dominus Levitas omnibus Tribubus permixtos habitare, ut eorum opera ac ministerio verus Dei cultus apud omnes conservaretur. Se autem esse partem et hæreditatem Levitarum propterea Dominus dixit, quod oblationes omnes in eorum usum cederent. Unde Josue, cap. XIII, sic dicitur : *Tribui autem Levi non dedit possessionem : sed sacrificia et victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi ;* scilicet Numerorum cap. XVIII, ubi eadem fere dicuntur. Quid quod ex sacris Litteris evidentissime constat, Levitis attributas fuisse civitates ad habitandum, et suburbana ad alendum pecora, ut videre est Numerorum cap. XXXV, Levitici cap. ultimo, Josue cap. XII. Scimus ex lib. III Regum, cap. II, Abiathar sacerdotem jussum fuisse a Salomone secedere in agrum suum. Atque ut alia exempla omittam, legitur in Apostolicis Actibus, cap. IV, Barnabam Levitam agrum habuisse, ejusque pretium posuisse ad pedes Apostolorum. Plura de hac re videri possunt apud eximium Cardinalem Bellarminum, lib. I *De Clericis*, cap. XXVI et XXVII.

V. Quantum vero ad ritum attinet detonsionis capillorum quæ Clericatum suscepturis rite ab Episcopo fieri solet, mos est haud dubie pervetustus Ecclesiæ Romanæ, ut Clericalis dignitas per comæ tonsuram tribuatur. Cujus rei testem in primis luculentissimum habemus Aratorem, ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, qui in Epistola ad Parthenium ita scribit :

« Namque ego Romanæ caulis permixtus amœnis
» Ecclesiæ, tonso vertice factus ovis. »

Factam jam olim capillorum detonsionem ante

(1) [Quæ quidem verba auctoris plus æquo severioris cum moderamine accipienda sunt, quippe qui non reputandus est partes novatorum amplecti, eo quod hic et in pluribus aliis locis præsentem Ecclesiæ disciplinam reprehendere videatur. Nemo catholicus est qui neget Clericos et Monachos mundana lucra sibi ex divino opere proponentes in viam perditionis esse; sed non minus a veritate errare cui scandalo essent divitiæ temporales quibus fidelium pietas ecclesias et monasteria ditavit, et quæ inter res sacras ab Ecclesia semper habitæ sunt. Harum spoliatores sacrilegorum pœnas incurrunt; bonæ et sanctæ igitur sunt; de illis equidem mali abutuntur, sed ex propria perversitate, non eo quod de se Clericos opes ad perniciem trahant. Innumeri sunt Sancti qui ex opulentioribus Prælatis fuerunt dum in terris degerent, et non omnes Clerici et Monachi rebus temporalibus indigentes, etiam sæculo S. Hieronymi, quin et ipso relatore, a vitiis sæculi abstinuerunt.]

Digitized by Google

ullam Ordinum susceptionem, addiscere licet ex memorata Vita S. Germani Antisiodorensis episcopi, auctore Constantio presbytero, qui de Amatore, qui illum Clericatu insignivit, sic inquit apud Surium ad diem 31 julii : « Glomerata secum turba Clericorum atque nobilium, » injiciens manus apprehendit Germanum, et » invocato nomine Domini, cæsariem ejus capiti » detrahens, habitu Religionis, rejectis sæculaaribus ornamentis, cum promotionis honore » induit. » Idipsum quoque perspicue evincitur ex Vita S. Patrocli abbatis, de quo ita ait S. Gregorius episcopus Turonensis : « Abiit ad » Arcadium, Biturgiæ urbis episcopum, petiitque sibi comam capitis tonderi, accirique in » ordinem Clericorum : quod Episcopus, Domino volente, sine mora complevit; nec multo » post primus Diaconatus officium sumens, etc. » Docet præterea S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II, *De divinis Officiis*, cap. IV, usum ab Apostolis fuisse introductum, « Ut hi qui in » divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei crine » præciso innoventur. » Tonsuram tandem ab omni minori Ordine omnino distingui, aperte docet S. Gregorii Sacramentarium, imo S. Gelasii opus, a Gregorio duntaxat auctum ac perpolitum; item Ordo antiquus Romanus, atque antiquissima sexcenta Latinarum Ecclesiarum Pontificalia.

VI. Putant nonnulli apud Græcos in Lectoris ordinatione, qui gradus modo ex minoribus solus Ordinibus in Orientali Ecclesia confertur, Tonsuram Clericalem dari etiam antiquitus consuevisse. Quem errorem egregie confutarunt eximii scriptores, Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum, ubi explicat Ordinem fieri solitum in ordinatione Lectoris et Cantoris, et Christianus Lupus in scholio ad canonem XIV septimæ Synodi, aientes Tonsuram apud Græcos omnino olim a Lectoratu fuisse distinctam. Enimvero videmus inprimis in Canone, pueros per tonsuram in Clerum allectos fuisse, qui tamen Lectores non erant per manuum impositionem ab Episcopis ordinati, etsi de suggestu publice in ecclesia legerent. Quod alioqui vetat Synodus, statuens ne deinceps ejusmodi Clerici in Ecclesia legere præsumant, nisi prius Lectores ab Episcopo fuerint constituti. Ait in eum Canonem Balsamon, pueros olim consuevisse nigris vestibus indui, tonsuram accipere, et sine manus impositione Deo consecrari. Id quod mirifice confirmari potest ex antiquo Græcorum Rituali, quod Romæ exstat apud Clericos Regulares Theatinos S. Andreæ de Valle, habens hunc titulum cum suis Orationibus : *Ordo et Officium ad tondendam comam.* Quin et Ammianus Marcellinus, homo quidem gentilis, christianæ tamen disciplinæ haud ignarus, qui floruit sæculo IV, lib. XXII, cap. XVIII, refert, Alexandriæ Presbyterum Christianum, nomine Theodorum, morte a paganis idcirco affectum, quod « cirros puerorum licentius detonderet : » quia scilicet Græcorum antiquus mos fuit conferendi passim primam tonsuram.

VII. Illud quoque diserte docet laudatus Goar, Tonsuram, seu præviam ad suscipiendos Ordines dispositionem, nusquam apud Græcos cum Lectoratus officio confundi, quin potius juxta Ecclesiæ legem Lectoratui ipsi præmitti : probatque ex eo quod Tonsuræ quidem terna crucis significatione, capillorum tonsione, et sanctæ Trinitatis invocatione perficitur consecratio; Lectoris autem inauguratio iterato triplici Crucis signo, manus Pontificalis attactu, et oratione. At licet capitis detonsio Lectoratus ordini conjungi soleat, in ea tamen Clerici dignitatem stare ingenue fatentur sacrorum Canonum Græci interpretes, Matthæus Blastares, in Nomocanone, verbo Κληρικός, et Theodorus Balsamon pluribus in locis, tum in Photii Nomocanone tit. I, cap. XXXI, tum in scholio canonis XXXIII Concilii Trullani : « Nota, inquit, » simul ac aliquis accepit Tonsuræ signum manu » Antistitis, eum pro Clerico canonem habere. » Propterea idem auctor non parum discriminis inter Monachorum ἀπόκαρσιν, *abrasionem*, sive *rasuram*, et Clericorum ἐπικουρίδα, *tonsuram*, constituit.

VIII. Constat autem apud Græcos triplex fuisse sacræ Tonsuræ genus, clericalis, monachalis, et baptismalis, cujus ritum ex antiquis Ritualibus libris desumptum Euchologio suo inseruit vir clarissimus Jacobus Goar. Ejus titulus est, *Oratio in prima capillorum detonsione*, sive, ut habent alii codices mss. *Oratio ad tondendum puerum.* Duæ profecto leguntur in ea functione Orationes, quarum prima inter alia ita habet : « Præsenti famulo tuo N. capitis » sui detondere, et ejus velut primitias offerre

Digitized by Google

» incipienti, una cum ejus susceptore benedic, » et jugiter in lege tua meditari, et quæ tibi » placita sunt perficere concede. » Altera vero sic inquit : « Domine Deus noster, qui credentes » in te tua bonitate per piscinæ complementum » sanctificas : præsenti puero benedic, et super » caput ejus benedictio tua descendat, etc. » Petrus Arcudius, vir alioqui doctissimus, natione Græcus, ingenue fatetur abusum esse eam Tonsuram, quæ vel statim post Baptisma vel aliquando post tempore fieri apud ipsos consuevit. Sed misere errat, cum ejus ritus tum Latini, tum Græci scriptores passim meminerint, rationesque etiam explicarint.

IX. Porro quærit Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, quare fiat detonsio Baptizatorum? Et ita quidem ipse respondet : « Post » Chrisma, sanctissimum dico Unguentum, ca- » pitis ejus crines cruciformiter tondet, tum » quidem quia caput Christum defert, et, ut » Paulus docet, quia detectus orare tenetur; » tum etiam quia Tonsura, velut signo notaque » quadam impressa (cruciformiter enim tondet), » cogitationes superfluas debet resecare : pro- » pterea quippe tondentur ex integro Monachi, » et residuum quodcumque et minus necessa- » rium fidelis omnis abjicit. Adde insuper, velut » primitias et sacrificium humani corporis a » Baptizato crines offerri Christo; sunt namque » totius corporis velut suffumigatio, unde et » Pontifex non eos utcumque sublatos projicit, » sed in loco sacro deponit. » Alias de iis capillis disponendum scribit Matthæus Blastares, ut nempe susceptori tradantur, qui nec illos temere contemnat, sed cera vinctos Christique Domini sacræ imagini affixos, in rei Deo oppignoratæ symbolum relinquat : « In manibus » susceptoris crines detonsos Sacerdos tradit, et » ipse reverentia Sacerdoti facta discedit. » Cæterum fuit et sacer apud Latinos ritus incidendi pueris capillos, ut liquido constat ex Sacramentario S. Gregorii, titulo qui inscribitur, *Oratio ad capillaturam,* subaudi *incidendam,* inquit in ejus nota Hugo Menardus; quod vocabulum habetur haud dubie in antiquo Ordine Romano, ubi diversas Orationes, tum ad puerorum capillaturam incidendam, tum ad Clericum instituendum legimus.

X. Ratio nunc boni ordinis postulat ut de ritu faciendæ tonsionis disseramus, illius nimirum quæ ab Episcopo fieri solet, ubi candidatos adscribit Clericatus professioni. *Incœpto Psalmo,* inquit Rubrica nostri Romani Pontificalis, § IV, *Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitatem capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, etc.* Mysticum hunc ritum Honorius Augustodunensis in opusculo *De antiquo Ritu Missarum*, quod *Gemma animæ* inscribitur, lib. I, cap. CXCV, sic breviter explicat : « Per » caput, principale animæ, scilicet mens deno- » tatur, sicut caput capillis, ita cogitationibus » perornatur, quæ novacula timoris Dei debet » a superfluis cogitationibus radi, ut inde facie » cordis valeat cœlestia contemplari : rotunditas » autem quæ remanet crinium, est ornatus vir- » tutum. » Sed ista explicatione ritum hunc accurate minime expendi, neque ullam ejus assignari ab Augustodunensi rationem, scite observat Andreas Saussaius, parte I *Panopliæ Clericalis*, lib. V, cap. IV. Ergo fit detonsio in modum crucis, quæ sicut olim fuit signum contumeliæ, nunc honoris et gloriæ monimentum est; et quæ fuit maledictionis indicium, nunc est omnium causa gratiarum, ut sapientissime inquit S. Leo Magnus in sermone VIII, *de Passione.* Item S. Augustinus, sermone CLXXXI de Tempore, et tractatu CXVIII in Joannem ita scribit : « Signo crucis consecratur corpus Domini- » cum, et omnia quæcumque sanctificantur cum » invocatione Christi nominis in hoc signo con- » secrantur. Hoc enim signum, nisi adhibeatur » sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ qua » regenerantur, sive oleo quo Chrismate un- » guntur, nihil eorum rite perficitur. » Missos facio alios Patres, quos tamen recenset laudatus Saussaius, qui tandem scite concludit non nuperum profecto esse illum morem quo Rubrica nostri Romani Pontificalis initiandos prima Clericali tonsura præscribit, Crucis nonnisi sacrosancto signaculo inter attondendum expresso, Ecclesiasticæ militiæ esse adscribendos; ut scilicet, dum in eorum capillis exprimitur, corona illis imponi videatur, effundaturque super ipsos supernæ benedictionis influxus.

XI. Testimonium ejus ritus luculentius certe ac in nostro Latino Pontificali, habetur in Euchologio sive Rituali Græcorum, ubi ad titulum qui inscribitur *Ordo fieri solitus in ordinatione*

Digitized by Google

Lectoris et Cantoris, ita legimus : « Offertur » ejusmodi Ordinandus Pontifici, si sæcularis » quidem est in solita veste, et capite nudato; » si vero Monachus, mandya indutus; et a » Pontifice ter in capite signatur, et in crucis » formam tondetur ab eo dicente : *In nomine* » *Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ad uniusquisque personæ invocationem adstantibus » succlamantibus : *Amen.* Mox ex integro in » Clerici formam ab aliquo tondetur. Atque ita » rursus Pontifici offertur, etc. » Ritum hunc Ecclesiæ Græcæ diserte exponit Græcus auctor Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, in libro *De Sacris Ordinationibus*, cap. II, ubi ita inquit : « Capitis ejus capillos cruciformiter » Pontifex detondet, divinum et tremendum » nomen Trinitatis, a qua initiatio cuncta sacramentumque omne oritur, invocans. Et » primo quidem in vertice præcidens capillos, » ait : *In nomine Patris.* Deinde in fronte dicens : *Et Filii.* Deinde a latere capitis dextro, » dicens : *Et Spiritus sancti.* Et rursus tandem » a latere sinistro crucem perficiens, subdit : » *Perpetuo, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* Cuncti vero unicuique invocationi » *Amen* subjungunt, acta a Pontifice simul approbantes et confirmantes. Et depositio quidem capillorum consecrationem significat, » quia capilli totius corporis sunt flosculi de eo » efflorescentes, qui detractione sua indicant » primitias ab homine Deo offerri. » Hactenus ille, qui statim et hæc etiam docet, fieri illam capillorum resectionem in crucis figuram propter Jesum, quoniam ipse incarnatus et crucifixus sanctificat; in nomine autem Trinitatis, quoniam solus Deus est omnium creator et consummator; postremo in vertice, quoniam Christus omnium est caput et vertex, sigillumque et signum iis qui propter ipsum perficiuntur.

XII. Si quis autem de origine ac significatione Clericalis Tonsuræ quærat, eam certe Petro Apostolo acceptam referunt tum veteres libri Rituales, tum prisci auctores qui de ipsa Tonsura locuti sunt. Ordo Romanus in præfatione ad Clericum faciendum id quidem perspicue innuere videtur, cum ita inquit : *Oremus, dilectissimi Fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo N. qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore, et exemplo B. Petri Apostoli, festinant, etc.* Item ex codice ms. Pontificali Beccensis monasterii, apud virum clarissimum Edmundum Martenium lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo XI, in quo varii Ordines ad conferendos Ordines sacros referuntur, cautum est, ut dum candidatus tondetur, hæc a tondente Episcopo verba proferantur : « Accipe N. personam » S. Petri Apostoli, quam perferas ante con» spectum Dei viventis in sæcula sæculorum, » Amen. » Præterea Ceolfridus abbas, apud venerabilem Bedam, lib. V *Historiæ gentis Anglorum*, cap. XXII, Petro Apostolo Tonsuræ originem adscribit, ejusque rationem hunc in modum reddit : « Neque vero ob id tantum in » coronam adtondemur, quia Petrus ita adton» sus est; sed quia Petrus in memoriam Domi» nicæ passionis ita adtonsus est, idcirco et nos, » qui per eamdem passionem salvari desidera» mus, ipsius Passionis signum cum illo in » vertice, summa videlicet corporis nostri parte » gestamus. » Ad exemplum S. Petri coronam Clericalem pariter referunt Amalarius Fortunatus, lib. II *De divinis Officiis*, cap. V; S. Gregorius Turonensis, in lib. I *De gloria Martyrum*, cap. XXVII; Rabanus Maurus, lib. I *De institutione Clericorum*, cap. III; et alii complures.

XIII. His addi potest Concilii Tridentini Catechismus, *De Sacramento Ordinis*, num. XXX, ubi explicans cur coronam gerere Clericis præceptum sit, ita inquit : « Primum autem omnium ferunt, Apostolorum Principem eam » consuetudinem induxisse, ad memoriam coronæ quæ ex spinis contexta Salvatoris nostri » capiti fuit imposita, ut quod impii ad Christi » ignominiam et cruciatum excogitarunt, eo » Apostoli ad decus et gloriam uterentur, simulque significarent curandum esse a ministris » Ecclesiæ, ut omnibus in rebus Christi Domini » nostri speciem et figuram gerant. » Ait deinde idem Catechismus, eam fuisse nonnullorum opinionem, ut hac nota regia dignitas declaretur, quæ iis maxime qui in sortem Domini vocati sunt videtur convenire; quia scilicet quod Apostolorum Princeps in Epistola I, c. II, fideli populo tribuit, *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*, peculiari quadam et magis propria ratione ad Ecclesiasticos ministros pertinere facile intelligatur. Tradit tandem, adhuc alios non deesse qui vel per-

Digitized by Google

fectioris vitæ professionem a Clericis susceptam circuli figuram, quæ omnium perfectissima est, significari existiment, vel externarum rerum contemptionem, animique ab omnibus humanis curis vacuitatem declarari putent, quod capilli, supervacaneum quiddam in corpore, tondeantur. Præclare omnino S. Thomas in IV Sententiarum, distinctione XXIV, quæstione III, articulo primo, quæstiuncula I : « Eis, inquit, qui ad » divina ministeria applicantur competit tonsu- » ra et rasura in modum coronæ, et ratione » figuræ, quia corona est signum regni, et ra- » tione perfectionis, cum sit circularis : illi au- » tem qui divinis ministeriis applicantur, adi- » piscuntur regiam dignitatem, et perfecti in » virtute esse debent; competit etiam eis ra- » tione subtractionis capillorum, et ex parte » superiori per rasuram, ne mens eorum tem- » poralibus occupationibus a contemplatione » divinorum retardetur; et ex parte inferiori » per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus » obvolvantur. »

XIV. Hujusmodi fere rationes significationesque Ecclesiasticæ Tonsuræ, videri etiam possunt apud Magistrum sententiarum, lib. IV, distinctione XXIV; S. Isidorum Hispalensem, lib. II *De officiis Ecclesiasticis*, cap. IV; Hugonem Victorinum, libro II *De Sacramentis*, parte III, cap. I et II : tametsi quod illi dicunt, usum Ecclesiasticæ Tonsuræ a Nazaræis exortum videri (qua occasione impius Calvinus Ecclesiam Judaicæ observationis perperam insimulat) non est recipiendum; uti nec ex eo fluxisse hunc morem putandum est, quod Paulus, Actorum cap. XVIII, in Cenchris sibi caput totondit; quemadmodum scite observat Guillelmus Estius in lib. IV distinctionem XXIV, § VII, ubi docet ritum illum Judaicum ab Ecclesiastico tondendi modo fuisse omnino diversum, aitque facile id quemquam posse intelligere qui legerit sextum libri Numerorum caput, ubi ritus ille describitur. Quanquam quod a laudatis Scriptoribus de ritu Tonsuræ dicitur a Nazaræis accepto, sic accipi potest, ut non tam originem quam typum, aut similitudinem quamdam observationis significare voluerint.

XV. Jam assentiri nequaquam possum eruditissimo Ludovico Thomassino, qui parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. XXXVII, Tonsuram Clericalem, quæ in coronæ sive circuli similitudinem efformatur, ineunte tantum sexto sæculo, aut ad summum exeunte quinto originem habuisse, multis testimoniis ostendere conatur. Tenuit et hanc sententiam Hallierius, doctor Sorbonicus, quem etiam scriptores nonnulli secuti sunt. Verum si ita serius Tonsura initium habuisset, nec Gregorius Turonensis, qui sæculo VI, nec Ceolfridus abbas aut Beda venerabilis, qui septimo floruerunt, non minus doctrina quam vitæ sanctitate, id ignorare potuissent, et multo minus sphæricæ tonsuræ originem Petro Apostolo tribuissent : uti recte observat Edmundus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo VII, num. III. Neque est quod S. Gregorii verba, lib. I *De gloria Martyrum*, cap. XXVII, ubi ait : « Petrus Apostolus ad humilitatem docendam, » caput desuper tonderi instituit, » Thomassinus vel alii sic interpretentur, ut voluerit tantum a Petro institutum, fideles et Clericos brevem ac modestam comam gestare, qualem inter paganos gerebant ii qui religiosiores aliis videri ambiebant. Nam, ut scite admodum advertit laudatus Martenius, talem profecto interpretationem ferre non possunt memorati Gregorii verba, qui non simpliciter dicit Petrum instituisse ut proflua fidelium cæsaries præscinderetur, aut caput æqualiter omni ex parte relicta brevi coma tonderetur; sed ait, « Caput desu- » per tonderi instituit; » nec dixisset *desuper*, nisi sphæricam tonsuram intellexisset, quæ summo capitis vertice nudato, capillorum circulum in inferiori parte relinquit.

XVI. Ergo, uti testatur S. Gregorius Turonensis, « Petrus Apostolus, ad humilitatem do- » cendam, caput desuper tonderi instituit; » idque ad instar coronæ spineæ Christi Domini, ut docet Beda venerabilis, libro V *Historiæ ecclesiasticæ gentis Anglorum*, cap. XXII; quam tamen coronæ formam improbans Morinus, sive alius nescio quis ab Hugone Menardo nomine suppresso notatus, et locum Bedæ misere distorquens, eo devenit ut scriberet, tempore S. Isidori « Duas Clericos habuisse tonsuras, » alteram in summo vertice, alteram inferius » circum tempora; illaque tiaram Sacerdota- » lem, hac vero regium diadema significari; » idque auctoritate ipsius S. Isidori, et apertissima quidem, ut loquitur. Sed hominis istius hallucinationem ipsis S. Isidori verbis lib. II *De*

Digitized by Google

Officiis, cap. IV, palam ac vere apertissime demonstrat Menardus eruditissimus in notis et observationibus in librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, pag. 220 editionis Parisiensis anno 1642 : « Quod vero, inquit Isidorus, detonso » capite superius, inferius circuli corona relin» quitur, Sacerdotium regnumque Ecclesiæ in » eis existimo figurari. Tiara enim apud vete» res constituebatur in capite Sacerdotis; hæc » ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra » media, et hoc significatur in parte capitis ton» sa. Corona autem latitudo est aurei circuli, » quæ regum capita cingit. » Ubi amabo hic Tonsura duplex? Unica sane est, capitis superius videlicet detonsi quo tiara exprimitur, non summi apicis ut hodie fit. At vero inferior circulus capillorum coronam significat.

XVII. Hæc est sane antiqua corona S. Petri et priscorum Clericorum, referens coronam Christi spineam, quæ hodie monachorum propria est, quamque etiam videre est in Concilio Toletano IV, anni 1633, can. XLI, ubi ita legimus : « Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Le» vitæ, et Sacerdotes detonso superius toto » capite, inferius solam circuli coronam relin» quant, non sicut hucusque in Galliciæ parti» bus facere lectores videntur, qui prolixis, ut » laici, comis in solo capitis apice modicum » circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania » hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet ut » pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc sig» num dedecoris auferatur, et una sit tonsura » vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. » Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholi» cæ reus erit. » Quæ verba nihil aliud sonant quam S. Isidori dicta, quæ sane clara sunt ac manifesta, neque a Bedæ sententia dissident, qui unicam in Clericis agnoscit tonsuram, non duplicem, ut Morinus contendit. Consule Hugonis Menardi observationes ad concordiam regularum cap. LXII, § X.

XVIII. Plura vero præteriri nequeunt, quæ in recitato Toletano Canone observatu digna occurrunt. Primo quidem, eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum tonsuram, quæ partem superiorem capitis totam aperiret, « detonso superius toto vertice ; » idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar aut coronæ : « Inferius solam circuli coronam » relinquant. » Atque hæc quidem tonsuræ forma fuit, ac coronæ Clericalis in Hispaniis usitata, quam etiam descripsit Gregorius Turonensis, ut nudo prorsus capillis capite, modicorum pilorum ordo in circuitu relinqueretur. Secundo, Clericos omnes a Lectoribus ad Episcopum usque, tonsuram eamdem atque coronam gestare debuisse. Tertio, usos semper esse Episcopos, Presbyteros et Diaconos ejusmodi tonsura et corona, qualis hic præscribitur; imo ipsos etiam provinciarum omnium Hispaniæ Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores « prolixis, ut laici, comis in » solo capitis apice modicum circulum tonde» bant. » Quarto, ea re damnata, jussisque inferioribus Clericis eamdem gestare tonsuram et coronam quam gestarent Episcopi et Presbyteri, decretum esse a Synodo, ut pro hæreticis habeantur Clerici qui in retinendo hæreticorum usu et more fuerint pertinaces. « Ritus enim » iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. » Et paulo post : « Qui autem hoc non custodie» rit, fidei Catholicæ reus erit. » Hæc observare placuit cum Thomassino, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. XXXVIII, et Martenio loco citato, in laudatum Canonem Toletanum multis profecto fœtum præclarissimis documentis. Quid autem de Clericis dicendum sit qui vel tonsuram non gestant, vel adeo parvam ut minime agnosci possit, ex ipso Toletani Canonis decreto catholicus Lector decidat.

XIX. Post Concilium Toletanum IV omni fere sæculo in posterioribus Synodis clamarunt Patres, jusseruntque non semel, variis etiam pœnis propositis, ut Clerici similem aut non multo absimilem tonsuram gestarent : qui tamen neglectis ipsarum Synodorum sanctionibus, ac præsertim recenti Romani Concilii sanctæ memoriæ Benedicti XIII decreto, summa nonnisi injuria contempto, nostra hac tempestate non erubescunt peregrinas cæsaries assumere in summum Ordinis sui dedecus, ac totius disciplinæ Ecclesiasticæ opprobrium. Vidimus supra, quod cum sacræ Clericali militiæ per primam tonsuram adscribuntur Clerici, capilli ab Episcopo præciduntur, hac ex veteri instituto præmissa oratione : *Oremus, Fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his Famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, etc.* Quomodo ergo qui proprios religioso ritu de-

Digitized by Google

posuerunt capillos, alienos deinde assumunt? Utinam quandoque non hominis impii, vel turpissimæ meretricis, ut quibusdam olim vano cultui addictis fœminis exprobrabat acutissime Tertullianus in libro de Cultu Feminarum, ubi ita inquit : « Affigitis præterea nescio quas » enormitates sutilium atque textilium capil- » lamentorum. Si non pudet enormitatis, pu- » deat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis, » forsan immundi et gehennæ destinati, sancto » et christiano capiti suppares. » Quod si in laicis mulieribus capillamentum externum oraculo Principis Apostolorum Epistola I, cap. II, atque unanimi sanctorum Patrum sententia damnatur, quanto magis ab eisdem inveheretur adversus hasce peregrinas Clericorum comas! Et tamen ita, dum hæc scribimus, invaluit contagio, ut omnes prorsus Clericorum ordines infecerit; et, quod vix sine lacrymis referre possumus, ita liberum inter altaria ac sanctiora Religionis loca grassatur vitium, liberumque triumphat, ut non modo fictitios crines a Clericis gestari adspiciamus, verum etiam cochleatos, multoque studio ab artifice, vel ad speculum compositos, odorato insuper adspersos pulvisculo, ac muliebriter comtos.

XX. Vidimus præterea ex Rubrica nostri Romani Pontificalis, quod Episcopus incœpto Psalmo *Conserva me, Domine*, qui est Psalmus XV, *cum forficibus incidit cuique extremitates capillorum in quatuor locis*, et quidem in modum crucis, ut ex multiplici testimonio scriptorum Ecclesiasticorum abunde probatum est. Quamobrem quis non videt quanta sit Clericorum audacia ac cæca temeritas, dum adscititiis comis, quas capitibus suis imponunt, crucis signum, quod super eis Episcopus impressit, delere conantur? Nonne et ipsi Clerici, ex eadem Rubrica quam superius recitavimus, cum Episcopus crines eis in modum crucis resecat, dixerunt : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi?* Quibus verbis solide profecto testificantur quod antea in Baptismo promiserant, abrenuntiare se hujus sæculi pompis ac vanitatibus, ac se totos divino ministerio mancipare. Verum quis neget a Clericis alienorum capillorum gestatoribus irrideri hasce promissiones, ac sanctissimam Tonsuræ cæremoniam, quæ haud dubie, ut Patres interpretantur, contemptum mundi significat, cui ipsi renuntiarunt? « Quisquis Cle- » ricus, » ait auctor *De contemptu mundi*, cap. XXII, inter opera S. Augustini, tomo VI, « ad sortem Domini vocatus, qui comam nutrit, » et capillos radere vel tondere erubescit, pro- » fecto se, non Dei, sed de mundi sorte esse » testatur. Quanto enim quisque carnis crines » diligit, fovet et nutrit, tanto cor suum non in » cœlis, sed in terra fixum esse ostendit : quanto » autem radit et domat, tanto se non terrena, » sed æterna diligere comprobat. » Cæterum cum Clericalis Tonsura non solum indicium sit militiæ Ecclesiasticæ addictos Deum habere suam hæreditatem, juxta illud, *Dominus pars hæreditatis meæ*, sed et id præterea denotet, ut a laicis hominibus moribus ac habitu quoque exteriori distinguantur, quemadmodum docent Rabanus Maurus, creditus Alcuinus, Petrus Blesensis et alii complures : « cur Clericatus sui » signa, quibus a laicis discernuntur, non per- » pendunt? » ut verbis utar memorati auctoris *De contemptu mundi*. Plura his adderem, sed videri potest aureus Joannis Baptistæ Thiersii libellus, quo summo zelo ac admirabili eruditione adversus hasce fictitias Clericorum cæsaries justissime invehitur. Consule et ea quæ nos dicemus contra eumdem abusum in sequentibus Commentariis, eos præsertim sugillantes qui nulla adacti necessitate, sine Superiorum permissu, istiusmodi comas gestant.

§ V.

Omnibus tonsis, mitra deposita surgit Pontifex, et stans versus ad illos dicit :

OREMUS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, et eos sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

§ VI.

Tunc Schola inchoat et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incœpta, Pontifex sedet cum mitra. Antiphona VII ton. : *Hi accipient benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo; quia hæc est generatio quærentium Dominum.* Psalmus XXIII : *Domini est terra et plenitudo ejus, etc.* Deinde repetitur tota Antiphona : *Hi accipient, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Nihil est profecto in duobus hisce paragraphis, si Rubricam excipias, quod in antiquo Romano Ordine non habeatur, et aliqua ex parte in Sacramentario S. Gregorii papæ, qui etiam unam nostri Pontificalis Antiphonam in duas partitur, quarum prima ita habet : *Hæc est generatio;* alia vero : *Hic accipiet benedictionem.* Utitur numero singulari, quemadmodum et in oratione, quæ eadem pene est ac illa quam supra descripsimus. Sunt enim hæc ejus verba : « Præsta, omnipotens Deus, huic famulo » tuo, cujus hodie capitis comam pro divino » amore deposuimus, ut in tua dilectione per» petuo maneat, et eum sine macula in sem» piternum custodias. Per Dominum. » Atque hunc in modum terminatur in Sacramentario S. Gregorii Ritus ad Clericum faciendum. Cæterum in Ordine Romano, etsi omnes exstent Orationes quæ habentur in nostro Pontificali, ordo tamen est omnino inversus : etenim post Antiphonam numero semper singulari conceptam, *Hic accipiet benedictionem a Domino, etc.* sequitur Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* quam nos infra describemus ; deinde Oratio, *Præsta, quæsumus,* quam supra in § V recitavimus; tandem vero concluditur Ordo ad faciendum Clericum alia Oratione, seu potius benedictione, quæ ita habet : « Benedicat te » Dominus et custodiat; ostendat faciem suam » tibi, et misereatur tui; convertat Dominus » vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invo» cabo nomen Domini Dei super te, ut ille te » benedicat, qui vivit et regnat in sæcula sæcu» lorum. Amen. »

II. Placuit hæc describere, ut videas nihil pene esse in nostro Romano Pontificali, quod non exstet in antiquis Ritualibus libris. Quod vero hic nostra interest, notanda breviter sunt ea Orationis verba, quibus, postquam Clerici rite attonsi sunt, ita Episcopus Deum precatur : *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, et eos sine macula in sempiternum custodias.* Est et hic profecto locus, unde argumentum erui potest ad evellendos ascititios Clericorum capillos. Si enim Deus rogatur ut, ob meritum religiosæ comarum depositionis, Clericos in sua dilectione perpetuo servet, ac innocentes illos et sine macula æternum custodiat; an vereri nequeunt ne assumentes ipsi aliena capillamenta, ea perseverantia dilectionis atque innocentia, quam per religiosam Tonsuram receperunt, misere exspolientur ? In Rituali Græcorum, ubi agitur de Ordine in promotione Cantoris, Diaconus ita inquit : « Ut » pro capitis crinibus, ratio justitiæ virtutisque » studium ei donetur, Dominum precemur. » Clerici igitur externorum crinium assumptione, et amore justitiæ, et virtutis studio exuuntur.

III. In eodem Rituali, postquam attonsus est Cantor, orat hunc in modum Episcopus : « Do» minator Domine, Jesu Christe, te rogamus » et te precamur; respice in nos, et in præsen» tem servum tuum : et benedictione tua spi» rituali, qua Melchisedech sacerdotem crines » suos juxta præceptum tuum per Abraham » servum tuum detonsum benedixisti, ipsum » benedic; et in reverentia et tremore, in san» ctitate et justitia tibi obsequentem, mandata » tua custodire concede : omni Ecclesiastico » ordine ministerium ejus adimple; ut tibi be» neplacens omnibus diebus vitæ suæ perseve» ret, etc. » Præstantissima et hinc argumenta eruit eruditissimus auctor Joannes Thyersius, ad confodienda ascititia Clericorum capillamenta : ut autem ego paucis plura comple-

Digitized by Google

ctar, frustra quidem faciunt hanc Orationem Clerici, qui operculum ex alienis crinibus contextum capitibus apponunt, cum taliter comti assequi nequeant illam Dei spiritualem benedictionem, qua Melchisedech sacerdotem benedixisse dicitur, quod sibi crines tonderi fecerit.

IV. Sed ut totum pene Græcæ Ecclesiæ ritum circa Tonsuram absolvamus, in Euchologio, ubi agitur de ordinatione Lectoris, sic orat Episcopus : « Benedictus es, Domine patrum » nostrorum, qui patrem nostrum Abraham » Sacerdotis tui Melchisedech comam detonsu- » rum misisti ; qui Apostolorum tuorum be- » nedictioni et detonsioni adfuisti, et inculpa- » tam fidem in omni opere eis tribuisti : ipse » quoque pro justorum detonsione, justitiæ ra- » tionem in capite, et conversationem hones- » tam, servum tuum habere concede : ut juxta » præcepta tua conversatus, stationis ad dexte- » ram tuam dignus habeatur : eum vero qui » detonsos crines in manibus suscipit (tonsio- » nis ministrum) justi Simeonis te in ulnis » suscipientis, benedictionem consequi largire, » et iis qui huc convenerunt benedictionem » spiritualem impertire. » Hactenus Episcopi Oratio, postquam religiose in modum crucis Clericorum comas totondit. At vero, quid hodie prodest isthæc sacerdotis Melchisedech atque Apostolorum imitatio? quid insuper prosunt tot gratiæ, quas tam enixe Episcopus Deum rogat pro Clericis, si ipsi vice eorum quos rite deposuerunt, alienos assumunt capillos? A quibus certe, ut hucusque ostendimus, et religiosæ preces et sacræ Tonsuræ cæremoniæ, utriusque Ecclesiæ Latinæ ac Græcæ quam maxime abhorrent.

V. Porro gratulans sibi Ecclesia, quod donum adeo gratum meruerit offerre, decurrit Psalmum XXIII, in quo David spiritu prophetico afflatus celebravit Christi triumphum ex suis hostibus, mundo scilicet et dæmone, atque ex eorum tyrannide erutos spectans Clericos in præsentia initiatos canit, *Domini est terra et plenitudo ejus;* quasi dicat (uti recte exponit vir clarissimus Ludovicus Habert, tomo VII *Theologiæ*, parte I, in Appendice § V) : Nunc princeps mundi ejectus est foras, orbis terrarum et universi qui habitant in eo redeunt ad legitimum Dominum suum. Tirones istos Christus accipit in hæreditatem suam et possessionem, ipse eos formavit super omnes fluctus sæculi hujus; nec enim decet aut licet alios ascendere in montem Domini, et stare in loco sancto ejus, nisi fuerint, sicut isti, innocentes manibus et mundo corde, qui cœlestia meditantes non in vano acceperunt animam suam. In vanum quippe videtur accepisse animam spiritualem et rationalem, qui sollicite quærit unde corpus aut commode nutriat, aut splendide vestiat, ut inde sibi et aliis complaceat, cum ad ista sufficiat anima aut vulpis aut pavonis. Non sic isti abutuntur anima ad imaginem Dei creata, sed eam occupant iis rebus, divinis scilicet, ad quas creata est. Propterea *benedictionem accipient a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo,* qui ab iis incœpta ad finem promovebit; generatio enim Deum sic quærentium est genuina ejus soboles, non spuria aut adulterina; et uti dicitur Isaiæ cap. LXI, versiculo 3, *Plantatio Domini ad glorificandum*, id est novellæ plantæ ad celebrandam et dilatandam Dei gloriam, ornandumque Christi in cœlum ascendentis triumphum. Atque ut Novitii nostri in isto perfectionis acquirendæ proposito perseverent, Pontifex preces geminat, ut devoti in Ecclesia persistant, et in ultima Oratione, ut ab omni servitute sæcularis habitus emundentur.

§ VII.

Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad Altare conversus, dicit : *Oremus.* Et Ministri dicunt : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex, dicit : *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos bene ✠ dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis imponimus; ut, te largiente, et devoti in Ecclesia tua persistere, et vitam percipere mereantur æternam. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

§ VIII.

Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu superpelliceum, dicit singulis : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Et mox imponit illud cuilibet, repetendo *Induat, etc.* immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum : si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur, quo expedito sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos dicit :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute sæcularis habitus hos famulos tuos emunda; ut dum ignominiam sæcularis habitus deponunt, tua semper in ævum gratia perfruantur; ut sicut similitudinem coronæ tuæ eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereantur æternam in cordibus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Finita Antiphona *Hi accipient benedictionem a Domino, etc.* jubet Rubrica nostri Romani Pontificalis, ut Episcopus statim assurgat, et dicto *Oremus*, dicant Ministri *Flectamus genua*, ac deinde respondeant *Levate.* Cujus ritus nec sancti Gregorii Sacramentarium, nec antiquus Ordo Romanus apud Hittorpium ullam faciunt mentionem, ubi agunt de Ordine ad Clericum faciendum ; ostendimus nihilominus in commentario ad § II hujus tituli, morem fuisse in Ecclesia pervetustum, ut et ordinator Episcopus, et ordinandi Clerici genuflecterent, ab ipsoque ordinante Episcopo sanctissimis precationibus sacrarentur. Cæterum vetustissima est Ecclesiæ consuetudo, ut certis diebus prolato a Sacerdote *Oremus,* subdat Diaconus *Flectamus genua*, et post paululum dicat *Levate;* uti evidenter demonstrat Joannes cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. V, num. II, probatque auctoritate antiqui Romani Ordinis reginæ Sueciæ ante annos nongentos exarati. Ex quo duo eruit : primum, non a Subdiacono, sed a Diacono dictum olim *Levate;* alterum, flexis genibus post Diaconi monitionem, aliquantulum orasse fideles, tum monitos ut levarent se, surrexisse, et Sacerdotem illis stantibus Collectam recitasse. Alludit ad hunc ritum S. Basilius Magnus, in libro *De Spiritu Sancto*, cap. XXVII, sic inquiens : « Quoties genua flectimus, et versus erigimur, ipso » facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus, et per humanitatem ejus, » qui creavit nos, in cœlum revocati sumus. » Vide plura de hac re apud eruditissimum Hugonem Menardum, in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, pag. 60 et 61. Hodie cum nullum fiat intervallum inter *Flectamus genua* et *Levate*, docet laudatus Bona cardinalis, propterea sancitum esse ut primum a Diacono dicatur, alterum vero a Subdiacono. Licet autem ex præscripto nostræ Rubricæ, genuflexis Clericatu initiatis, Episcopus erectus Orationem dicat, *Adesto, Domine, etc.* olim certe generalis pene mos fuit ut omnes starent, cum a Sacerdote Collecta recitaretur. Id quod testari videtur Cassianus, lib. II *De institutis renuntiantium*, cap. VII, *De disciplina orandi*, his verbis : « Cum is qui Orationem collectu» rus est e terra surrexit, omnes pariter eri» guntur; ita ut nullus antequam inclinetur » ille, genuflectere, nec cum e terra surrexe» rit, remorari præsumat. »

II. Quod vero spectat Orationem illam, *Adesto, Domine, etc.* quæ totidem verbis, numero tamen singulari et ordine inverso, ante nimirum Clericorum attonsionem, habetur in anti-

Digitized by Google

quo Romano Ordine; illud notandum censui, quod Deus nomine Ecclesiæ ab Episcopo supplicatur, ut ii qui jam per tonsuram Clericatu insigniti sunt, devoti in Ecclesia persistant, et vitam percipere mereantur æternam. Quamobrem nefas profecto videtur Clericis a Clericatu, ad quem per sacratissimas cæremonias assumpti sunt, resilire, et statum iterum amplecti sæcularem, cui coram Episcopo, et in altari, sacratiori nostræ Religionis loco, renuntiarunt. Exstat hac in re insignis canon VII Concilii Chalcedonensis, ubi ita legimus : « Qui se» mel in Clero deputati sunt, aut Monachorum » vitam elegerunt, statuimus, neque ad mili» tiam, neque ad dignitatem aliquam venire » mundanam, aut hoc tenentes, et non agentes » pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc » quod propter Deum primitus elegerunt, ana» thematizari. » Quanquam multa ac fuse in eum Canonem a nobis dicta sint, tomo I quem nuper edidimus in quatuor priores Synodos Œcumenicas; in quo Canone, solide, ni fallor, probavimus testimoniis sanctorum Patrum, sacrorum Canonum, ac Summorum Pontificum, non licere Clericis a Clericatu discedere; operæ pretium nihilominus duximus hæc in præsentia observare : primo, eadem ratione loqui Canonem Chalcedonensem de Clericatu ac de professione monastica; secundo, non distinguere inter Clericos, minoribus seu majoribus Ordinibus insignitos, sed indefinite asserere unumquemque perpetuæ professionis lege teneri; tertio tandem, eodem perpetuitatis vinculo constringere et Clericos qui nuptias post Clericatum iniissent, cum neminem, sive cælibem sive conjugatum, excipiat.

III. His omissis quæ, ut dixi, copiose in nostro Commentario ad canonem VII Chalcedonensem enarrata sunt, explicandus nobis est ritus quo Episcopus, ex præscripto nostri Romani Pontificalis, accipiens in manu superpelliceum, imponensque iis qui mox attonsi sunt, ita singulis dicit : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Est quidem verborum formula desumpta ex S. Pauli Epistola ad Ephesios, cap. IV, versiculo 24. Cujus tamen nec Sacramentarium sancti Gregorii, nec Ordo Romanus, nec antiqui libri Rituales ullatenus meminere, quemadmodum neque ullam fecerunt mentionem superpellicei ab Episcopo Clericis post attonsionem imponendi, quamvis Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* quæ sequitur hanc functionem, totidem pene verbis habeatur in Ordine Romano antiquo apud Hittorpium, alluditque ad Clericalem Tonsuram : sunt enim hæc ejus Orationis verba : « Omnipotens sempiterne Deus Christe » Jesu, propitiare peccatis nostris, et ab omni » servitute sæcularis habitus hunc famulum » tuum N. dum ignominiam hujus mundi de» ponit, eruere, et conservare dignare; ut tua » semper gratia perfruatur, et sicut similitudi» nem coronæ tuæ eum gestare fecimus in ca» pite, sic tuam virtutem et hæreditatem sub» sequi mereatur in corde, qui cum Deo Patre, » etc. » Ignominia hujus mundi, quam dicit a Clerico deponi, coma profecto est, eoque nomine ab Apostolo appellatur in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, versiculo 14 : *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi;* quia scilicet alere comam est contra decus virile, est animi mollis et effeminati, uti eum Pauli locum sacri Interpretes explicant.

IV. Totum itaque olim ritum initiandi Clericum in capillorum præcisione, et quibusdam orationibus quæ habentur in laudatis toties S. Gregorii Sacramentario, Ordine antiquo Romano et priscis Ritualibus libris persolutum fuisse contendunt quidem nonnulli Scriptores; de superpelliceo seu habitu Clericali nullam in antiquis Ritualibus ante quingentum annos exaratis haberi mentionem testatur Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo VII, num. IX. Ait, in antiquo Pontificali Senonensi annorum quingentum, post primam orationem, ante crinium præcisionem ita legi : *Hic induat eum cappam;* in recentiori vero Pontificali Andegavensi annorum tercentum post primam etiam orationem sic haberi : « Hic » induatur superpelliceo, dicente Episcopo : » *Induat te Dominus novum hominem, etc.* » Verum, quidquid sit de superpellicei imponendi ritu in collatione primæ Tonsuræ, quod alioqui indumentum candidato Clericatus fuisse impositum, ex quibusdam conjecturis deducit Saussaius, *Panopliæ Clericalis* lib. V, cap. V, evidentissime a nobis jam superius ostensum est in Commentario ad § XV et XVI, titulo *De Ordinibus conferendis*, alibique etiam probatum, sa-

Digitized by Google

cras vestes Episcopum actu ipso Ordinationis non modo iis imposuisse quos sacris Ordinibus initiaret, sed illis etiam quibus primam Clericalem tonsuram rite conferret.

V. De superpellicei origine, quod aliis olim etiam nominibus appellabant, vide quæ nos in nostris ad hoc Romanum Pontificale Prolegomenis abunde disseruimus. Eo propterea habitu hodie ab Episcopo candidati Clericatus induuntur, ut significet ipsos, sæcularis habitus servitute et ignominia deposita, et sacræ Religionis habitu assumpto, novos homines esse oportere. Vitæ enim novitatem, munditiæ candorem, ac perseverantiæ finem designat, ut verbis utar Stephani Tornacensis in Epistola CXXIII, quam cum ejusdem indumenti munusculo ad Albinum S. R. E. cardinalem misit, ubi ita inquit : « Regularem habitum per gra- » tiam Dei sic præfertis exterius, ut interius » conservetis. Hujus habitus indicium princi- » pale vobis mitto, superpelliceum novum can- » didum, et talare, quod repræsentet vobis » vitæ novitatem, munditiæ candorem, perseve- » rantiæ finem. » Ad hoc plane significandum alludere videtur Episcopus, cum ipsos Clericatu initiatos superpelliceo induens, ita precatur : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Huc spectat quod scribit Honorius Augustodunensis, lib. I, *De antiquo ritu Missarum*, cap. CCXXXIII, albis vestibus seu superpelliceis vitæ munditiem indicari, « Quia justum » est ut Clerici in sanctitate et justitia Deo ser- » viant. » Huc etiam referri potest constitutum Concilii provincialis Mediolanensis V, tit. *Quæ ad divina officia pertinent*, ubi inter alia Clericus admonetur, « Ut dum superpelliceum » (qui amictus ex tela linea candida constat) » induit, cogitet quam personam sustineat, » nempe a sordibus labeque puram, qualem » vestitus ille indicat. » Cæterum abusum puto ab Ecclesia eliminandum, quod alicubi in quibusdam piis laicorum sodalitatibus, Clericis, Presbyterisque cum primum in eisdem adscribuntur, saccoque sodalitatis induuntur, hæc ipsa verborum formula, *Induat te Dominus, etc.* recitatur. Qui ritus tum Clericis, tum toti Ordini Ecclesiastico plane est injuriosus.

VI. Denique juxta ritum Ecclesiæ Græcæ, ut habetur in Rituali Græcorum, de ordine fieri solito in ordinatione Lectoris, Clericus, postquam a Pontifice attonsus est, « rursus Pon- » tifici offertur, et ipse casula accepta eum » induit. » Quæ licet non ea sacrata vestis sit, quam Sacerdotes in mysteriis perficiendis ceu proprium sibi ornatum assumunt, est tamen alia brevior ad ejus formam, vel ad tunicæ Diaconicæ instar præcisa, quam Simeon episcopus Thessalonicensis ita depingit : « Obtinuit Le- » ctor vestem camisiam, id est albam voca- » tam, quæ ad parvæ casulæ vel certe tunicæ » modum, e lino conficitur, primamque Sacer- » dotii delibationem demonstrat. Parva est pro- » pterea, Deique protectionem menti repræ- » sentat ; vel purpurea, propter purpureum » Christi indumentum ; vel candida, propter » Sacerdotii puritatem et lumen quo splendet. » Erat vel olim apud Græcos, ut et apud Latinos, Clericis vestis communis, nigri vel fusci violacei coloris, quam quotidie gestarent, de qua Balsamon in can. XIV septimæ Synodi, ita inquit : « Videmus quosdam a pueritia pullis indutos » vestibus, ut Deo dicatos tonsuram suscepis- » se. » Hanc porro nigram et communem vestem non ipse Pontifex imponit Clerico, benedicit tamen, et sacræ substerni jubet, quemadmodum testatur laudatus Thessalonicensis his verbis : « Vestem nigram Pontifex benedicens, ju- » bet initiandum induere : niger siquidem color » humilitatem vitæque pietatem demonstrat. »

§ IX.

Deinde sedet cum mitra Pontifex, et alloquitur eos sub his verbis :

Filii charissimi, animadvertere debetis quod hodie de Foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia Clericalia sortiti estis ; cavete igitur ne propter culpas vestras illa perdatis ; et habitu honesto, bonisque moribus, atque operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. *Amen.* Tunc, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua (1).

(1) [Non præscribit Pontificale verba quibus in hac monitione uti debet Archidiaconus ; sequenda est igitur

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Absoluto religioso Clericalis Tonsuræ ritu, ex Rubricæ hujus præscripto, nuntiat Episcopus Clericatu initiatis, factos esse jam ipsos de foro Ecclesiæ, et privilegia Clericalia acquisivisse. Quorum certe omnium maximum, et quod merito tuetur Ecclesia, est privilegium fori, quo apud alium judicem quam proprium Episcopum conveniri nequeunt, ex constituto non solum Maximorum Pontificum, verum etiam ex sæcularium principum placitis, uti videre est in lege *Cum Clericis*, et lege *Omnes qui*, cod. *de Episcopis et Clericis*, itemque in Novella LXXXIII et CXXIII Justiniani imperatoris. Gaudent autem hoc privilegio Clerici in honorem Ecclesiæ, ne sacris addicti in contumeliam ordinis Ecclesiastici per fora sæcularia vagari cogerentur. Cui privilegio ne quidem volentes renuntiare possunt, uti docet Innocentius III, in Epistola sua Decretali ad Archiepiscopum Pisanum, relata in cap. *Si diligenti*, Extra. *De Foro competenti*, probatque auctoritate duorum insignium Conciliorum, Milevitani et Carthaginensis III, anni 397, can. IX. « Cum ergo, inquit, jus hoc in Milevitano et Carthaginensi » Conciliis sit specialiter promulgatum, ne Clerici Clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia » publica pertrahant, alioquin causam perdant, » et a communione habeantur extranei; et tam » Episcopi quam Diaconi, seu quilibet Clerici » in criminali seu in civili negotio, si derelicto » Ecclesiastico judicio, publicis judiciis se purgare voluerint, etiam si pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, et hoc in criminali actione; in civili vero perdant quod » evicerint, si locum suum maluerint obtinere. » Manifeste patet, quod non solum inviti, sed » etiam voluntarii pacisci non possunt ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium » hoc personale cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publice indultum. Cui privatorum pacto derogari non » potest. Nec juramentum licite servari potuit, » quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur. » Reprehendit Archiepiscopum, quod edixisset licitum esse Clerico renuntiare saltem in temporalibus causis juri suo, et sibi laicum judicem constituere, ac tenere juramentum super hoc interpositum.

II. Ergo hoc fori privilegium nequaquam in gratiam personarum, sed ordinis Ecclesiastici introductum est, cujus vinculo ita profecto cohæret privilegium personæ, ut ab ea prorsus avelli non possit. Quamobrem jure notati sunt fœneratores Anglici, quos Camsiros vocitabant, quod debitores sibi obligarent, etiam Clericos ipsos, exacta renuntiatione privilegii ordinis ac fori : de quo Matthæus Parisius ad annum 1235 refellens formulam stipulationis, ita inquit : « Volumus super omnibus antedictis, ubique » et in omni foro conveniri, renuntiando pro » omnibus antedictis pro nobis et successoribus » nostris omni juris auxilio, canonici et civilis, » privilegio Clericatus et fori, et epistolæ divi » Hadriani, id est beneficio divisionis, etc. » Fuit hic abusus quammaxime detestandus, quem non semel damnarunt Pontifices Maximi et sacri Canones. Cæterum invidiosum certe censeri non debet habere Clericos suum judicem, cum etiam milites et negotiatores suum habeant favore militiæ et commercii, L. unica, cod. *De jurisdictione omnium Judicum, etc.*, et L. unica, cod. *In quibus causis militantes, etc.* In omnibus fere Clerici gaudent privilegio militum : habent peculium quasi-castrense, de quo, licet in parentum potestate sint, testari tamen vel aliter disponere possunt ex lege *Sacrosanctæ*, cod. *de Episcopis et Clericis*.

III. Inter Clericorum privilegia insigne et illud est, quod dicitur Canonis, *Si quis suadente*, XVII, quæst. IV, ex quo violentas manus injicientes in Clericos Monachosve, incurrunt excommunicationem quæ appellatur latæ sententiæ, a qua absolvi non possunt ab alio quam a Summo Pontifice, nisi immineret mortis periculum. Edidit hunc Canonem Innocentius II, ut consuleretur securitati Clericorum, qui passim a laicis impune cædebantur vel necabantur, summo Ordinis sacri contemptu. Huic privilegio accedit et aliud, quo Clerici ob æs alienum, si forte solvendo non sint, excommunicari ne-

congrua locorum praxis. Id suggerit responsio S. Rituum Congregationis ad Episcopum Marsorum, sub die 12 novembris 1831, quæ proponit hæc verba : *Ad loca vestra, vel*, ut ait, *similia*. Sæpe apud Gallos dicitur ab Archidiacono : *Recedant in partem qui ordinati sunt ad* N.]

Digitized by Google

queunt ; sed satis est eos cavere, datis fidejussoribus de solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerint, cap. *Odoardus*, Extra. *De solutionibus*. Atque in hoc etiam Clerici militibus comparantur, qui et æris alieni causa non tenentur, nisi in quantum facere possunt, deducto ne egeant, leg. *Milites ff. de re judicata*. Sunt et alia multa Clericorum privilegia, de quibus integra volumina Canonici Jurisconsulti conscripserunt, in quibus causas etiam referunt ob quas possunt ea Clerici perdere privilegia. Rogabit hic insuper quispiam, cur in collatione Clericalis Tonsuræ plura et accuratiora disciplinæ Ecclesiasticæ tradantur documenta, quam in collatione Ordinum qui longe majorem ab initiandis perfectionem exigunt? Rationem reddit laudatus auctor Ludovicus Habert, quod nimirum Tonsura Clericalis, uti novitiatus, promotio vero ad Ordines, tanquam professio reputetur, quæ profitentem supponit ex novitiatu edoctum, et apprime exercitatum in iis quæ pertinent ad illud vitæ genus ad quod se adstringit; ideoque monendus est solummodo, ut abundet in eo totius forma virtutis, sit doctrina ejus spiritualis medicina populi Dei, et odor vitæ ejus delectamentum Ecclesiæ Christi; uno verbo dicam, mores perfectiori modo exigat ad normam ipsi præscriptam in ritu Tonsuræ Clericalis; quam quidem normam omnes et singuli, ab Ostiario ad Episcopum, usque continuo præ oculis habere debent, quemadmodum Religiosi professi regulam et Constitutiones quæ ipsis, dum novitios agerent, accuratius fuerunt expositæ.

IV. Quæ cum ita sint (verba sunt memorati auctoris, ne quis me putet rigidum hodiernorum morum censorem) quisquis Ecclesiam diligit, miseratione commoveatur necesse est, ob fœdum et sacrilegum Tonsuræ Clericalis abusum: non est sanctioris vitæ professio, sed simulatio. Initiandi in sacræ Tonsuræ vita, veluti in theatro, Clerici personam ad tempus sustinent, vestem clericalem assumunt ad spectaculum, quo exhibito eam statim deponunt. Delenda est communis et ab omnibus recepta Tonsuræ Clericalis notio; non amplius dici debet præparatio ad Ordines, sed aptius definietur dispositio ad beneficia, honores et commoda temporalia. Non jam beneficium propter officium, sed ordine perverso Officium et sacratissimi Ordines propter beneficium. Ex omnibus enim, si paucos excipias, qui Tonsura Clericali initiantur, alii bene multi, præsertim ex nobilibus, si res eorum familiaris sit angustior, Clerici initiantur sine animo promerendi unquam sacros Ordines, et operam conferendi in Ecclesiæ obsequium, sed sola cupidine capessendi et retinendi saltem ad tempus simplex aliquod et pingue beneficium, vel gratia qua ipsi aut amici pollent apud Principem, vel beneficiarii consanguinei transmissione, ac veluti jure hæreditario, ut ipsi autumant. Dixi, *retinendi saltem ad tempus*, scilicet donec mundus ampliora ipsis offerat quam Christus. Usus quippe obtinuit, ut si Clerici beneficiarii frater natu major fato functus sit, magnasque opes ac amplissimas dignitates reliquerit, ille natu minor jam major effectus, Clericatum abdicet, servitutem sæcularis habitus resumat, et terrena cœlestibus, carnalia spiritualibus anteponat, absque cujusquam offensione aut scandalo, quia sola inusitata peccata homines horrescunt, usitata vero aut levia aut nulla putant.

TITULUS IV.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

I. Etsi quidam Scriptores autument Minores Ordines eos dici quibus non est adnexa lex cælibatus, vel, ut alii censent, eos intelligi qui extra sanctuarium conferuntur; constat tamen utramque sententiam nullius esse momenti. Prior enim illico ruit, si animadvertamus, a mille et amplius annis, uti posse ductis ante ordinationem uxoribus Græcos Presbyteros at-

Digitized by Google

que Diaconos; ac præterea multo tempore postquam lex cælibatus Latinis Subdiaconis imposita fuit, Subdiaconatum ipsum inter Minores Ordines recensitum fuisse. Altera sententia facillime vel ex eo refellitur, quod apud nos Latinos tota Ordinatio in sanctuario celebratur. Dicendum itaque cum Juenino in tractatu *De Sacramentis*, dissertatione IX, *De Ordinibus*, quæstione VII, aliisque Theologis præstantioribus, eos esse Minores Ordines, per quos non datur jus accedendi propius ad altare Sacrificii tempore, quique remote tantum circa Eucharistiam versantur.

II. Antiquissimos esse in Ecclesia eos Ordines, et ab Apostolis vel immediatis eorum successoribus institutos scholastici Doctores asserunt, quamvis, ut testatur Natalis Alexander, *Theologiæ Dogmaticæ* lib. II, tractatu *De sacramento Ordinis,* cap. I, articulo IV, nec in Actis, nec in Epistolis Apostolorum distincta eorum mentio fiat, nec in scriptis Patrum I et II sæculi. At falli videtur vir clarissimus : etenim S. Ignatius martyr, qui floruit primo Christi sæculo, fuitque tertius a S. Petro Apostolo Episcopus Antiochenus, in Epistola sua ad Antiochenos diserte meminit horum Ordinum, cum sub Epistolæ ipsius finem ita scribit : « Saluto » sanctum Presbyterium, saluto sacros Diaco- » nos... saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, » Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confesso- » res, etc. » Scio hanc Epistolam a quibusdam viris doctis in dubium revocari, quin etiam ab aliquibus explodi tanquam supposititiam, quod nempe ipsius nec Eusebius Cæsariensis nec S. Hieronymus ullam fecerint mentionem, qui alioqui alias septem ejusdem sancti Martyris Epistolas numerarunt. Verum tum hæc Epistola ad Trallianos, tum aliæ quatuor, nempe ad Mariam Cassabolitam, ad Tarsenses, ad Philippenses, et ad Heronem, quamvis ad manus Eusebii et S. Hieronymi non pervenerint, tamen ob styli similitudinem et spiritum vere Apostolicum a viris doctis omnino recipiuntur, teste Cardinale Bellarmino in opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, sæculo I, ubi agit de S. Ignatio.

III. Præter S. Ignatii testimonium sunt et alia Patrum loca, quibus perspicue edocemur secundo Christi sæculo Minores Ordines extitisse, etsi perperam id perneget Alexander. Floruit certe sæculo II Tertullianus, qui tamen in libro *De Præscriptionibus adversus Hæreticos*, cap. IV, Clericorum functionibus et illam accenset, *Exorcismos agere*, Montanistas arguens, sive Pepuzianos, apud quos etiam mulieres Clericorum officiis fungebantur. Eodem cap. XLI, paulo post, Lectorum meminit his plane verbis : « Hodie Diaconus, qui eras Lector ; » hæreticos hic etiam sugillans, qui quadam disciplinæ perversitate Diaconos immerentes in Lectorum officium et ordinem exturbabant. Fallitur itaque Alexander, secutusque videtur fuisse errorem Magdaburgensium, qui, ut notat Pamelius in proxime laudatum Tertulliani locum, S. Cypriani ætate, circa dimidium tertii sæculi, primum Clero addictos fuisse ausi sunt scribere Lectores, quum alias apud Tertullianum disertis verbis Lector commemoretur : imo et ab ætate Apostolorum Lectores fuisse satis demonstrat doctissimus Pamelius in ejusdem S. Cypriani Epistola XXXIII.

§ I.

Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, et festivis duplicibus; sed in mane tantum. Ordinandi omnes ad quatuor Minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu accensa.

NOTA.

Quidquid in hoc § continetur, jam superius a nobis in aliis Commentariis explicatum est. Quæ igitur ibi dicta sufficiunt : eadem enim in earumdem rerum explicatione qui repetat, profecto haud effugiet suscepti frustra laboris, inutilisque prolixitatis reprehensionem.

Digitized by Google

TITULUS V.

DE ORDINATIONE OSTIARIORUM.

I. Primum Ecclesiæ gradum constituunt Ostiarii, iidemque sunt qui Æditui, quos S. Hieronymus in Commentario Epistolæ Pauli ad Titum cap. II, post Exorcistas et Lectores in imo gradu locat : « Et inferioris gradus, *inquit*, » Exorcistæ, Lectores, Æditui. » Meminit ejus gradus S. Paulinus, cum in Epistola VI, ad Severum ita scribit : « Testor ipsum, quia ab » Æditui nomine et officio optavi sacram inci- » pere servitutem. » Meminere passim Ostiariorum alii Patres, inter quos S. Epiphanius in Expositione Fidei Catholicæ, quæ est in calce Panarii, Ostiarios post Copiatas, seu Laborantes, quorum cura erat fideles mortuos efferre, numerat : « Sequuntur Laborantes, qui mor- » tuorum corpora sepeliunt; tum Ostiarii, ac » reliqui disciplinæ causa Ordines instituti. » S. Ignatius in Epistola ad Antiochenos, Ostiarios ponit post Lectores, et Psaltas ante Copiatas et Exorcistas : « Saluto, inquit, Subdiaconos, Le- » ctores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exor- » cistas, etc. » Laborantes iidem sunt cum Copiatis, qui etiam dicebantur Fossarii, quos inter Clericos censuit S. Hieronymus in Epistola ad Innocentium : « Clerici quibus id officii erat, » cruentum linteo cadaver obvolvunt, et fossam » humum lapidibus construentes ex more tu- » mulum parant. » Ivo denique Carnotensis Episcopus in Sermone de excellentia sacrorum Ordinum et de vita Ordinandorum, habito in Synodo, ejus est opinionis, Ostiariorum officium a Christo Domino fuisse initiatum, quando flagello de funiculis facto vendentes et ementes de Templo ejecit, et cathedras numulariorum evertit. Sunt qui etiam docent, Ostiarios habere exordium a veteri Testamento : id pluribus allatis sacræ Scripturæ testimoniis ostendere conatur Amalarius Fortunatus episcopus Trevirensis, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. VII. Quod et ante ipsum docere visus S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II, de eodem argumento agens, cap. XIV, ubi ita inquit : « Ostiarii » sunt, qui in veteri Testamento janitores tem- » pli, qui præerant portis templi Hierusalem, » quique ordinati per vices suas omnia inte- » riora Templi vel exteriora custodiebant. »

II. Utut sit hæc opinio, certe in Ecclesia Orientali Ostiariorum munia explebant olim primum Diaconi, postmodum vero Subdiaconi, quemadmodum testatur S. Maximus in cap. V Ecclesiasticæ Hierarchiæ S. Dionysii his verbis : « Nota quod Diaconi fores tum custodierint, » nunc vero Subdiaconi. » Succinit S. Maximo Pachimeres, qui in eumdem locum ita inquit : « Descernit et separat sacros a prophanis, ob- » servat portas : Diaconi enim tunc portas ob- » tinebant, nunc vero Hypodiaconi. » Cæterum Ostiarii, ac reliqui minorum Ordinum gradus, quam antiqui fuerint in Ecclesia Romana, docet nos egregia illa S. Cornelii papæ Epistola scripta ad Fabium episcopum Antiochenum, apud Eusebium, lib. VI *Historiæ*, cap. XLIII. In ea Epistola affirmat Pontifex fuisse in Ecclesia Romana, præter superiores Ordines, Subdiaconos septem, quinquaginta duos Acolythos, Exorcistas autem, Lectores, et Ostiarios quinquaginta duos. Cum autem hæc scribat Cornelius medio fere tertio sæculo, et hæc de Ecclesia sua scribat, qualis tunc erat omnis ab Apostolicis temporibus innovationis insolens, manifestissimum est quod docet Thomassinus parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. XXX, num. IX, Ostiarios reliquosque tres Minorum Ordinum gradus, in prima omnium Ecclesia jam olim et ab ipsa usque origine floruisse.

Digitized by Google

§ I.

Pro Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiæ. Pontifex Clericis ordinatis surgit, et cum mitra ad sedem seu ad faldistorium ad cornu Epistolæ revertitur, ubi deposita mitra et ad altare conversus, oblato sibi libro cantat primam Collectam : deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit lectionem ipsam. Quibus finitis surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi præparatum proficiscitur, et in illo sedet, renibus altari versis. Archidiaconus vocat Ordinandos dicens : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.* Et mox Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet : *Adsum.*

COMMENTARIUS.

I. Cum, ut docent Theologi communiter, materia remota ordinis Ostiariatus sint claves, earumque traditione, ut liquet ex Concilio Carthaginensi IV, can. IX, Ostiarii, vel a priscis sæculis initiarentur, recte præscribit nostri Pontificalis Rubrica, ut pro ipsis Ostiariis ordinandis ecclesiæ claves parentur. Sunt enim claves signum potestatis spiritualis, quæ Ostiariis confertur; significari vero hanc potestatem per quascumque claves, modo aptæ ad aperiendum sint, sive hujus ecclesiæ ostii sint, sive alterius, sive sint aureæ, ferreæ vel ligneæ, aliusque generis ad aperiendum idoneæ, asserunt hodie passim Theologi de Sacramento hujus Ordinis pertractantes. Non est quod in hoc Commentario amplius immoremur, cum plura quæ in hoc § continentur in Commentariis superioribus explicata sint. Cæterum de ritu ac de ratione instrumenti clavium Ostiariis in sua ipsorum Ordinatione porrigendi, vide quæ mox opportuniori loco disseremus. Hoc loco tamen minime omittendum, quod de ordinatione Ostiarii mandat Rubrica manuscripti Pontificalis Vaticani num. 4744, ut scilicet in Ostiarios Ordinandis interdicatur primum sub anathemate, *Ne quis ad susceptionem Ordinis illius se ingerere præsumat, qui non fuerit canonice examinatus et approbatus, et ne uno Ordine suscepto, alium sine licentia sui Superioris recipere præsumat.* Id quod in collatione reliquorum Ordinum repetit, uti in Appendice videre est.

§ II.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos dicens :

Suscepturi, Filii charissimi, officium Ostiariorum, videte quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram, illarum rerum quæ intra ecclesiam sunt aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut, sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo, ut divina verba quæ audierint corde retineant et opere compleant : quod vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

Hæ admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Profecto est antiquissimum, ut Ecclesiastici Canones, qui de Ordinationibus tractant, Ordinandis legerentur. Concilium Carthaginense III, anno 397 habitum, canone III, sibi placuisse affirmat, « Ut Ordinandis Episcopis, vel Clericis, » prius ab Ordinatoribus suis decreta Conci- » liorum auribus eorum inculcentur, ne se ali- » quid contra statuta Concilii fecisse asserant. » Hunc canonem ex suggestione S. Augustini editum fuisse a Patribus Carthaginensibus, testatur Possidius in ipsius Augustini Vita, cap. VIII. Cum enim doleret quod, contra Concilii Nicæni canonem, Valerio episcopo adhuc viventi superordinatus fuisset, « sategit, ut Con- » ciliis constitueretur Episcoporum, ab Ordi- » natoribus debere Ordinandis vel Ordinatis » omnia statuta Sacerdotum in notitiam esse » deferenda. » Canonem illum Nicænum autumant plerique Auctores esse VIII, in quem videri potest Commentarius noster in primo nostro tomo Conciliorum. Sed neque a Carthaginensi canone III discrepat Canon VI Concilii IV Aurelianensis, anno 541 celebrati, dum jubet ut « Parochiani Clerici a Pontificibus suis neces- » saria sibi statuta Canonum legenda percipiant, » ne se ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum de- » creta sunt, excusent postmodum ignorasse. » Huc spectat quod, præter alia Concilia tum vetera, tum recentiora, statuit Concilium Coloniense I, anno 1536 habitum, parte I, cap. XXVI : « Pridie Ordinationis admonebit Vicarius nos- » ter in Pontificalibus iterum omnes, quo sese » quisque discutiat, ne officio se alliget cui non » possit satisfacere, etc. » Vide Concilium S. Caroli Mediolanense V, parte III, *De initiandis Ordinis sacramento.*

II. Ergo monendi sunt Ordinandi et instruendi priusquam ordinentur; sive, ut Canones prisci et libri antiqui Rituales præscribunt, hortatorius sermo ad eos ab Episcopo ipso haberi debet de dignitate officiisque singulorum Ordinum, nisi id jam præstitisset Archidiaconus, qui eos de omnibus in suo Ordine agendis instruxisse olim debuerat, quemadmodum aperte deducitur ex Concilio IV Carthaginensi anni 398, can. IX, ubi ita legimus : « Ostiarius » cum ordinatur, postquam ab Archidiacono » instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat » conversari, ad suggestionem Archidiaconi tra- » dat ei Episcopus claves ecclesiæ, etc. » Idipsum habet totidem verbis S. Gregorius in Sacramentario, quum agit de Ostiarii Ordinatione. Fatetur Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, capite VIII, articulo VIII, num. III, sermonem istum exhortatorium, quem exhibet Romanum Pontificale editum, in vetustioribus omnino libris desiderari. Addimus nos, in excusis Romanis Pontificalibus, Lugduni anno 1542, et Venetiis anno 1572, ea etiam Rubricæ nostræ verba desiderari, quibus edicitur ne sermo ille exhortatorius ad Ostiarios fieri solitus, ad Cardinales electosque Episcopos habeatur.

III. Illud certe nemo inficiari potest, quin prisci Patres Ostiarii munerum, quæ in ipso exhortatorio sermone continentur, semel ac iterum mentionem fecerint. S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XIV, verba faciens de Ostiariis, ita scribit : « Ostiarii sunt, qui in Veteri Testamento jani- » tores vocabantur; qui præerant portis templi » Hierusalem, quique ordinati per vices suas » omnia interiora Templi vel exteriora cus- » todiebant. Hi denique inter sanctum et ini- » quum discernentes, eos tantum in Ecclesia qui » sunt fideles recipiunt. Intrare enim Templum » nisi per eos non possumus : habent enim in » potestate tam bonos recipiendi, quam reji- » ciendi indignos. » Creditus Alcuinus, in libro *de divinis Officiis*, postquam egit de Tonsura ac nomine Clericorum, Ostiarii officium ita explicat : « Ostiarius ab ostio ecclesiæ dicitur, » quod ita debet prævidere ne ullo modo paga- » nus ingrediatur ecclesiam, quia suo introitu » polluit eam : debet etiam custodire ea quæ » intra ecclesiam sunt, ut salva sint : quia illi » traditæ sunt claves, et commissa cura custo- » diendæ ecclesiæ. » Ivo Carnotensis episcopus, sermone habito in Synodo de excellentia sacrorum Ordinum, et de vita Ordinandorum, sic inquit : « Primus gradus est Ostiariorum, qui pos- » sunt discernere inter bonos et malos, dignos » et indignos, et admittere in ecclesiam quos » sciunt esse dignos, et repellere quos sciunt

Digitized by Google

» esse indignos. Istis cura est, et introitum eccle-
» siæ servare, et res ecclesiæ pervigili cura cus-
» todire. » Eadem habent et alii multi Scriptores, ex quibus discimus magnam in veteri Ecclesia fuisse hujus ordinis Ostiariatus dignitatem : « Nam, » ut verbis utar Catechismi Concilii Tridentini, *De Sacramento Ordinis*, num. XXXII, « Thesaurarii officium, qui erat idem Sacrarii » custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter ho- » nestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc ha- » betur. » Apud Græcos cum nullus esset ordo Ostiariorum, Diaconi januas Ecclesiæ custodire debebant ex parte virorum, uti videre est lib. VIII *Apostolicarum constitutionum*, cap. XV.

IV. Hodie Ostiarii munus negligentia præfectorum ecclesiarum videtur in desuetudinem abiisse, verenturque ipsi Ostiarii Clerici ne aliquem nobilitatis gradum amittant, si ea officia exerceant quæ sibi ex proprio munere competunt. Hæc tandem hujusmodi Clericorum desidia effecit ut ecclesia Dei nihil pene a foro distinguatur. Canes, mendici, luxuriosi homines officia divina perturbant, ut hæreticos omittamus, qui vel ipso divinorum officiorum tempore in ecclesiam introducuntur, visendi ergo templi structuram, vel celebriores Sanctorum picturas, seu alia ducti curiositate. S. Carolus, qui veteris Ecclesiæ disciplinæ servator erat et custos, jam in prima provinciali Synodo Mediolanensi, abusus hosce aliosque plures profligavit, cum ita de Ostiario statuit : « Ostiarius fores ecclesiæ custodiat; ecclesiam » suo tempore claudat et aperiat; infideles, » hæreticos, excommunicatos, et alios quibus » jure interdictum est, ab ecclesia arceat et eji- » ciat : ne populus propius ad Sacerdotem rem » divinam facientem accedere patiatur : cam- » panas pulset : in ecclesia dormientes, ven- » dentes, ementes, deambulantes, colloquentes, » aliave ratione officia divina perturbantes, » et quovis modo indecore atque irreverenter » se habentes, moneat; si pertinaces sint, expel- » lat aut ad superiorem deferat : mendicantes » excludat : ecclesiam verrendam curet : bruta » denique canesve expellat; quidquidve in ec- » clesia dedecet, amoveat. » Sane celebre est, ac notatu dignum, quod scribit eruditissimus Guillelmus Estius, in libri IV distinctionem vigesimam quartam, § IX, de Ostiariis verba faciens : « Itaque hujus Ordinis exercitium, si » quando alias nunc maxime necessarium foret, » ut Templo, et Sacramentis, ac potissimum » tremendis Altaris mysteriis debitus honor et » reverentia servetur. » Utinam hodie Ostiarii nostri Ostiarios Donatistarum imitarentur, nullos in ecclesiam intrare permittentes, quos prius non interrogarent cujus essent communionis; teste S. Augustino sermone XLVI novæ editionis, cap. XXXI. Utinam et in hac re vigilantiores hodie essent Ecclesiæ Præsules.

§ III.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus claves ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente : *Sic agite quasi reddituri rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur.*

COMMENTARIUS.

I. Claves esse instrumentum, seu materiam, ut aiunt; verba vero, *Sic agite, etc.* in § recitata, formam, quibus Ostiarius ordinatur, liquet ex laudato Concilio IV Carthaginensi, can. IX, in quo ita legimus : « Ostiarius cum » ordinatur, postquam ab Archidiacono in- » structus fuerit, qualiter in domo Dei debeat » conversari, tradat ei Episcopus claves ecclesiæ » de altario dicens : *Sic age quasi redditurus* » *Deo rationem de his rebus quæ his clavibus* » *recluduntur.* » Sacramentarium S. Gregorii, in quo deest vox *de altario*, post ipsam verborum formulam ab Episcopo pronuntiandam, addit : « Et tradat ei Diaconus ostium eccle- » siæ. » Idem habet apud Hittorpium antiquus Ordo Romanus, in eo tamen a Concilio Carthaginensi et a Sacramentario S. Gregorii discrepans, quod eam verborum formulam numero plurali recitat, et ubi Gregorius in fine inquit, « Et tradat ei Diaconus ostium ecclesiæ. » in

Digitized by Google

laudato Romano Ordine, *Archidiaconus* legitur. Alios libros Pontificales idipsum testantes memorare supervacaneum est. Sunt vero notatu digna quæ refert Martenius loco laudato, num. v, in Pontificali Silvanectensi Petri *de Trigny* præscribi, ut Episcopus claves tradendo, dicat: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » sic agite quasi rationem reddituri pro his re- » bus quæ his clavibus recluduntur : » in Maguntino paulo antiquiori : « Accipite has claves; » sic agite, etc. » Quæ quidem verba, etiamsi plures ordinarentur, semel duntaxat pronuntiabantur, eisque dictis, singulis per ordinem claves porrigebat. Docet tandem ipse Auctor ex Andegavensi Pontificali annorum tercentum, Episcopum claves non quidem tangendas Ostiariis porrexisse, sed tantum videndas ostendisse (1).

II. Jam secundum non modo recentem, sed et pristinam disciplinam, apud Latinos vel in collatione infimi gradus Minorum Ordinum, qualis est Ostiariatus, instrumenta porrigebantur. Græci vero quamvis per manus impositionem et orationem ordinarentur, rectissime tamen animadvertit Morinus, de Sacris Ordinationibus, parte III, exercitatione XI, cap. VII, hoc non ita esse intelligendum, ut inde colligi possit nulla unquam eos in Ordinum collatione tradere instrumenta. Tradunt enim nonnulla, ut videre est in Ordinationum ritibus apud Jacobum Goar in suo Rituali Græcorum. Verbi gratia, in Lectoratu datur Lectori liber Apostolicus, et legit de Apostolo lectionem aliquam : in Cantoratu datur Cantori Psalterium, de quo pericopen aliquam legit : in Subdiaconatu datur Subdiacono mantile, et malluvium, quibus Episcopo sacra celebranti aquam manibus lavandis infundit, et lotas manus abstergit : in Diaconatu datur Diacono sanctum flabellum, quo postea more Græco sancta dona ventilat. Etsi autem hæc instrumenta ipsis ab Episcopo ordinante tradantur, et in iis ritibus celebrandis Euchologia omnia ipsorum consentiant, triplex tamen inter Græcos et Latinos hac in causa, et maximi quidem momenti, discrimen viri eruditi norunt. Primum est, quod apud Latinos instrumenta dentur initio ritus Ordinationis; apud Græcos, nonnisi Ordinatione celebrata. Secundum, quod ex primo consequitur, est quod apud Latinos porriguntur instrumenta, ut per ipsa Ordinandus consecretur; apud Græcos, ut per ea Ordinatus esse probetur et demonstretur. Tertium denique discrimen est, quod Græci, cum dant ordinatis instrumenta sua, nullis utuntur verborum formulis, ut Latini, quibus assignari possit aliqua formæ imago; sed nihil prorsus dicentes ea tradunt, ut officium quod ipsis recens collatum est, jam exercere incipiant.

III. Omnino et illud constat, quod docet lau-

(1) [Nemo est in theologicis disciplinis versatus, qui nesciat quanti momenti sit, in collatione Ordinum, contactus legitimus instrumentorum ab Ordinandis, et quam stricta sit relatio sacramentalis hujus contactus cum ipsismet verbis formæ quæ profertur ab Episcopo. Ad hunc igitur locum nostri Pontificalis quo primum agitur de traditione instrumentorum, proferre juvat, et forsan non absque utilitate erit, recentes Sanctæ Sedis responsiones ad instantiam Episcopi Civitatensis, quibus valde res, quoad praxim, elucidatur pro conferendis sive Minoribus, sive etiam Majoribus Ordinibus.

Prima quæstio lata est de traditione clavium in ordinatione Ostiariorum. Petierat Præsul an Ordinandi deberent singuli claves tangere? an sufficeret illos simul tangere, et non successive, ita ut Episcopus super duos, tres aut quatuor simul tangentes dictam materiam semel proferret formam Ordinationis? Retulit sacra Congregatio Rituum, ex praxi sacrosanctæ basilicæ Lateranensis, omnium Ecclesiarum matris et magistræ, non esse necessarium Ordinandos successive tangere instrumenta, bene vero sufficere ut plures simultance attrectent; sed in eo casu Episcopum toties formam proferre debere quoties unico actu plures simul dicta instrumenta tangunt. Quæ quidem intelligenda esse docet sacra Congregatio non tantum de ordinandis ad Minores Ordines, sed etiam de promovendis ad Subdiaconatum. Ratio quam afferunt Eminentissimi Judices sumitur ab ipsismet formæ verbis, quæ cum sit in plurali potest super plures Ordinandos pronuntiari.

Inde infert sacra Congregatio, ad aliam partem quæsitorum supradicti Episcopi, in ordinatione Presbyteri cuilibet tradendum esse calicem cum vino et aqua, et patena cum hostia, et cuilibet pariter formam repetendam esse in singulari, prout jacet in Pontificali : *Accipe potestatem, etc.*

Hæc responsa data sunt sub die 11 martii 1820; sed mirum est nihil in his proferri de ordinatione Diaconorum, quibus tradit etiam Episcopus librum Evangeliorum, formam etiam verbis proferendo. Nihilominus, ex responsione supra relata inferri potest sufficienter, cuilibet Ordinando ad Diaconatum librum Evangeliorum tradi debere, et etiam cuilibet formam a Pontifice repeti debere, siquidem in singulari numero illam profert Pontificale : *Accipe potestatem legendi, etc.*]

Digitized by Google

datus Morinus, hunc ritum ab initio Christianæ religionis apud Orientales minime fuisse usurpatum, sed progressu temporis additum antiquis Ecclesiæ cæremoniis : nam tum sanctus Clemens, tum S. Dionysius, ubi Ordinationis uniuscujusque ritum enarrant, nullam istius traditionis mentionem faciunt : quamobrem evidenter patet, nullum eorum sæculo fuisse in Ordinatione traditionis istius usum, licet ex Patribus eisdem constet Græcos et flabella habuisse, quibus sacra dona ventilabant Diaconi ; et malluvium, ac mantile, quibus Subdiaconi Episcopo Presbyteroque sacra celebranti aquam manibus infunderent, lotasque abstergerent ; Scripturas denique tum Apostolorum, tum Prophetarum, quas Lectores perlegerent. Labente quidem tempore visum est Ecclesiæ Græcæ Proceribus, recens ordinatos, statim ab Ordinatione suscepta, in muneris suscepti exercitium et possessionem mittere, ut ipso exercitio functi, antequam ab ecclesia discederent, admonerentur se officiis Ecclesiasticis esse adscriptos et mancipatos, ne unquam de hac re dubitare possent, aut aliquis litem movere. Porro per traditionem instrumentorum, ac præsertim clavium in ordinatione Ostiariorum, imitati fuisse videntur Ecclesiarum antiqui Præsules consuetudinem Romanorum, qui in rei venditæ vel donatæ possessionem traditione clavium, vel contactu emptores vel donatarios mittebant, l. LXXIV, *ff. De contrahenda emptione*, Institutionum Justiniani libro secundo, tit. primo *De rerum divisione, et acquirendo ipsarum dominio*, § *Item si quis merces*.

[*Claves* et non *clavem* tradere debet Episcopus Ordinandis ad officium Ostiariorum. Ideo petiit S. Rituum Congregationi Episcopus Civitatensis, in Hispania, an unica clavis materia sit sufficiens pro conferendo ordine Ostiariatus. Responsum fuit, die 11 martii 1820 : « Quamvis » unica clavis esse possit materia sufficiens, ser- » vandam tamen esse Rubricam quæ præcipit » *claves* esse tradendas, quæ, sive argenteæ sint, » sive ferreæ, sive ligneæ, dummodo aptæ sint » ad aperiendum, constituunt materiam remo- » tam hujus Ordinis. »

Advertendum etiam est non qualescumque claves, sed tantummodo claves quibus aperiuntur et clauduntur januæ ecclesiæ, materiam esse conferendi ordinis Ostiariatus. Ingens igitur abusus foret si traderentur aliæ quæ tali usui non inservirent, quia in hoc casu invaliditas Ordinationis sequeretur. Ita etiam si celebraretur Ordinatio in loco cui nomen *Ecclesiæ* non competeret, saltem aliquo modo, patet traditionem clavium talis loci non fore materiam congruam Ostiariatus. Sed quid sentiendum de Episcopo tradente claves sacrarii pro clavibus ecclesiæ? Numquid valida erit Ordinatio? Affirmative responderi posse videtur. Verba Pontificis ordinantis committunt ei qui ordinatur res quæ intra ecclesiam sunt, quas designat his vocibus: *Quæ his clavibus recluduntur;* porro sacrarium pars est ecclesiæ et in eo multa tenentur quorum conservatio pendet a fideli custodia Ostiariorum, qui debent aperire ecclesiam et *sacrarium*, ut ait Episcopus in admonitione prævia. Similiter censendum est tradi etiam posse claves campanilis, siquidem Episcopus in eadem admonitione docet Ostiarium curam habere ex officio *percutiendi cymbalum et campanam.*]

§ IV.

Post hæc Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium ecclesiæ, et facit illos claudere et aperire : tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare : deinde illos reducit ad Pontificem, quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos Ordinatos, dicit :

Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est; ut sit eis fidelissima cura in domo Dei, diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini : adjuvante Domino nostro

Digitized by Google

Jesu Christo, qui cum eo regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Postquam Episcopus claves tradidit Ostiariis, eisque illa verba dixit : *Sic agite, quasi reddituri rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur,* ait primo Rubrica, ut Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducat eosdem ad ostium ecclesiæ, ipsumque ostium eos claudere et aperire faciat. Qui ritus etsi desideretur in laudato Concilio Carthaginensi IV, can. IX, habetur tamen in Sacramentario sancti Gregorii, ubi post recitata Episcopi verba, statim subditur : « Et tradat ei Diaconus » (sive, ut habent vetus Ordo Romanus et prisci codices Rituales, *Archidiaconus*) « ostium » ecclesiæ. » Codex Ratoldi apud Menardum, et Pontificale Corbeiense apud Morinum, ac Suessionense monasterii Compendiensis apud Martenium, præscribunt ut Archidiaconus ostium ecclesiæ tradendo dicat : « Per hoc ostium » traditur vobis ministerium, ut sitis janitores » templi Dei, habeatisque potestatem recipiendi » bonos et rejiciendi indignos. » Ad quæ verba alludere visus est S. Isidorus, lib. II *De officiis*, cap. XIV, inquiens : « Habent enim in potestate » tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indi» gnos. » Eadem quæ in Codice Ratoldi ac in Pontificalibus Corbeiensi ac Suessionensi, habentur in Silvanectensi Pontificali, his tamen præmissis verbis : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Codex tandem Constantini Cajetani abbatis, ab Italo Romæ vicino compositus, teste Morino *De Sacris Ordinationibus*, parte II, præscribit Archidiacono, ut Ostiario ostium ecclesiæ tradat, dicatque illam orationem, *Deum Patrem omnipotentem, etc.*, in § præsenti descriptam, itemque aliam quæ incipit : *Domine sancte Pater omnipotens, etc.*, in § sequenti describendam.

II. Ait secundo Rubrica, ut ipse Archidiaconus Ostiariis etiam tradat *funem campanarum*, *faciens eos campanas pulsare.* Quod quidem recens est institutum annos vix quingentum superans, ut Scriptores eruditi autumant, cum nec antiqui libri Pontificales, nec prisci auctores, traditionis funis, campanarumque pulsationis mentionem ullam fecerint. Sane Amalarius Fortunatus, lib. III *De Ecclesiasticis officiis*, cap. I, postquam sacras campanas originem a tubis veteris Testamenti traxisse dixisset, illasque ora prædicatorum novi Testamenti significare docuisset, statim subdit : « Ne despiciat » Presbyter hoc opus agere, ut in ipso sit imi» tator filiorum Aaron. » Præceperat quidem olim Deus, ut filii Aaron Sacerdotes tubis clangerent ad convocandam multitudinem, uti habetur Numerorum capite decimo. Quem ritum cum ad novi Testamenti Sacerdotes transisse, atque in Ecclesia diu perdurasse constet vel ex Capitulari Caroli Magni lib. VI, cap. CLXVIII, ubi statuitur, « ut Sacerdotes signa tangant horis » Canonicis, » idcirco Concilium Carthaginense IV, vetus Ordo Romanus et antiqua Ritualia materiam Ostiariatus in sola clavium traditione constituunt, nulla habita ratione pulsationis campanæ, quia hoc ad ejus officium minime pertinebat. « Neque sine ratione, » inquit Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum liturgicarum*, cap. XXII, « Majores nostri decreverunt a Deo » sacratis viris signa tangi, quia et sacra res est » fidelem populum ad divinum Officium, ad » Missam, ad communionem, ad audiendum » verbum Dei coadunare; et ipsæ campanæ » Episcopali benedictione sanctique olei unctio» ne consecratæ sunt, et inter sacra Ecclesiæ » vasa connumerantur. »

III. Hodie officium Ostiarii est campanas pulsare, quem decet superpelliceo indutum esse dum signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet : « Eos vero, » inquit Durantus, lib. I *De Ecclesiæ ritibus*, cap. XXXI, « qui campanas pul» sant, congruit superpelliceis indui. » Porro sicut Ecclesia pro Ostiariis priorem materiam instituit, qualis est traditio clavium ecclesiæ, sic potuit et hanc secundam funis et pulsationis campanæ : quamobrem duplex est hodie materia Ostiariatus, ut acriter contendit Morinus, fuseque defendit, parte III, *De Sacris Ordinationibus*, exercitatione XIII, cap. unico, adversus communem Theologorum sententiam, qui docent funem campanulæ ejusque pulsationem Ostiariis datam, præscriptamque ab Archidia-

Digitized by Google

cono, haudquaquam spectare ad ejus ordinis materiam, sed esse meram Ecclesiæ cæremoniam; quemadmodum et actio illa qua Archidiaconus Ostiarium post clavis acceptionem ad portam Ecclesiæ ducit, potestatis jam collatæ executio est, et veluti missio in possessionem ejus.

IV. Sane posita, ut a pluribus jam sæculis instituta est, Ecclesiæ disciplina, ut Ostiario non solum claves ab Episcopo tradantur, sed et campanæ funis ab Archidiacono, non videtur omnino improbabilis Morini opinio aientis, etiam funem campanæ materiam ordinis Ostiariatus ab Ecclesia constitui. Etenim, si signi rationem in qua Sacramentum potissimum consistit, consideremus, pulsatio campanarum ad vocandum fideles ad Sacrificii celebrationem, et horas distinguendas, æque repræsentat et causatur quid spirituale ac ostii apertio et clausura. Unde in præfatione quæ ad orationem pro Ostiariis ordinandis fideles exhortatur, exstatque in Sacramentario S. Gregorii, antiquo Romano Ordine, ac priscis Ritualibus passim libris, dicit Episcopus : « Deum Patrem omnipotentem, Fratres » charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos » famulos suos bene ✠ dicere dignetur quos in » officium Ostiariorum eligere dignatus est, ut » sit eis fidelissima cura, in domo Dei, diebus » ac noctibus ad distinctionem certarum hora- » rum, ad invocandum nomen Domini, etc. » Certis nonnisi horis distinctis vel a Christiana nascente religione convenisse in Ecclesiam fideles ad orandum, liquet ex Actis Apostolorum c. III, ubi dicitur Petrum et Joannem ascendisse in templum ad horam orationis nonam. Cæterum si adversus hanc duplicem Ostiaratus materiam objiciat forsan quispiam, campanæ funem præberi ab Archidiacono, non ab Episcopo, cujus solius est materiam tradere et applicare : breviter dicam cum laudato auctore Joanne Morino, ad eum pertinere materiæ applicationem, cui illam Ecclesia attribuit.

§ V.

Tum Pontifex mitra deposita stans conversus ad altare, dicit : *Oremus*. Et ministri subjungunt, *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Ostiariorum, ut inter Janitores ecclesiæ tuo pareant obsequio, et inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Post hæc Ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

NOTA.

Habent hanc Orationem tum Sacramentarium S. Gregorii, tum Ordo Romanus, tum omnes pene libri Pontificales, quos longa serie describunt Morinus *De Sacris Ordinationibus*, parte II, et Martenius lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo XI. Quibus addi etiam potest Pontificale ms. insignis Ecclesiæ Capuanæ, quod Romæ asservatur in bibliotheca Casanatensi, estque annorum circiter noningentorum; Pontificale ms. Ecclesiæ Barensis, et alia complura Pontificalia mss. quæ vidi in Vaticana bibliotheca et in aliis plurimis insignioribus Urbis bibliothecis, tum ordinum Religiosorum, cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium.

Digitized by Google

TITULUS VI.

DE ORDINATIONE LECTORUM.

I. Quam sit antiquus ordo Lectorum, qui inter Minores Ordines secundus est hodie gradus, liquet ex Canone vulgo Apostolorum XLIII, ex libro VIII Apostolicarum Constitutionum, quæ S. Clementi papæ adscribuntur, ex Epistola S. Ignatii ad Antiochenos, et ex illa quam Cornelius Summus Pontifex misit ad Fabium episcopum Antiochenum, apud Eusebium lib. VI *Historiæ*, cap. XXXV, quibus in locis passim occurrit mentio Lectorum. His adde S. Cypriani Epistolas XXXIII ac XXXIV, quæ nos non solum de ejus Ordinis antiquitate docent, sed et de meritis pene ineffabilibus præclarissimum exhibent testimonium, quibus ad ipsum Ordinem ascenderetur; ut inde mirari possis quanta sit nostrorum temporum iniquitas, ubi vides non modo ad inferiores Ordines, sed et ad superiores, quin et ad ipsum Episcopatus fastigium non semel ascendere parvi pretii homunciones. Sane constat ex laudatis S. Cypriani Epistolis, persecutionum tolerantia, et martyrii quibusdam jam experimentis, quodam veluti gradu, præstantissimos homines, Aurelium et Celerinum Lectorum ordini fuisse adscriptos : Celerinus quippe carceres et cruciatus complures per decem et novem dies invicto animo perpessus erat. Quamobrem sapientissime contestatur Cyprianus, talibus quidem Lectoratum et Ecclesiastica ministeria mandari debere, « Ut » qui sublimiter Christum confessi essent, Cle- » rum postmodum Christi ministeriis Ecclesia- » sticis adornarent. »

II. Licet autem tam hodie quam olim Lectores secundum gradum inter Minores Ordines constituerent, multos tamen locos invenio ipsum primum gradum implere; nam, ut alia exempla sileam, S. Felicem Nolanum episcopum, primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum refert in ipsius Vitæ Natali IV S. Paulinus his versibus :

« . . . . . Primis Lector servivit in annis,
» Inde gradum cepit cui munus voce fideli
» Adjurare malos et sacris pellere verbis. »

Ubi nota quod multis etiam probat Canonibus perspicuisque exemplis Hugo Menardus, in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii papæ, Lectores olim non modo maturioris ætatis, sed etiam puerilis fuisse, ut nimirum dociles et bonæ indolis pueri jugo Ecclesiastico maturius assuescerent. Id clarum est ex Concilio Carthaginensi III, can. XIX : « Placuit ut Lectores, » cum ad annos pubertatis venerint, cogantur » aut uxores ducere, aut continentiam profi- » teri. » Siricius quoque Pontifex Maximus in Epistola I, ad Himerium, cap. IX, ita statuit : « Quicumque itaque se Ecclesiæ voverit obse- » quiis, a sua infantia ante pubertatis annos » baptizari, et Lectorum debet ministerio socia- » ri. » Discimus tandem ex S. Augustino, lib. I *De consensu Evangelistarum*, cap. X, pueros olim, modo legendi periti essent, in hoc gradu constitutos. Cui testimonio egregie suffragatur Victor Uticensis, lib. IV Historiæ Vandalicæ, sic dicens : « Tunc etiam Eugenio pastore in exilio » constituto, universus Clerus Ecclesiæ Cartha- » ginensis cæde inediaque maceratur : fere » quingenti, vel amplius, inter quos quamplu- » rimi erant Lectores infantuli, qui gaudentes » in Domino, exilio traduntur. » Vox *infantuli*, ut observat Menardus, non quidem pro his parvulis qui rationis usu carerent et loqui non possent, sed pro his qui jam deposita infantia ad puerilem ætatem pervenerant, sumenda est.

III. Ut finem exordio huic imponam, quantum supra inferiores alios Ordines præstaret ordo Lectorum, vel ex eo constat quod in Ecclesiæ Græcæ monumentis persæpe soli memorantur Lectores, et eo nomine inferiores Clerici omnes comprehenduntur. Sic contra Nestorium palam obtestari legimus Clerum Constantinopolitanum, his verbis : « Obtestor ut hanc sche- » dam Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lecto- » ribus, necnon et laicis ostendant; » parte I Concilii Ephesini, cap. XIII. Sic etiam Sardicensis Synodus, can. XIII, juxta editionem Dionysii Exigui aperte innuit, a gradu Lectorum ad

Digitized by Google

Diaconatum nullo medio ascensum dari : « Si » forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut » ex administratore (alias ex administratione) » Episcopus fuerit postulatus, ut non prius or- » dinetur, nisi ante et Lectoris munere, et of- » ficio Diaconi aut Presbyteri fuerit perfun- » ctus. » Ea verba, *de foro scholasticus*, causarum advocatum significant. Sic demum sanctus Joannes Chrysostomus, primum Lector ordinatus a Renone episcopo, et paulo post Diaconus a Meletio; de quo vide Palladium in ejus Vita, et Socratem lib. VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, c. III. Etiam apud Latinos Lectoratum aliquando fuisse primum gradum, et ab eo nullo medio ad Diaconatum ascendisse, testatur Sidonius Apollinaris, lib. IV, Epistola XXV, ubi de quodam Cabillonum Præfecto ad Episcopatum evecto ita scribit : « Lector hic primum, sic minister al- » taris, idque ab infantia : post, laborum tem- » porumque processu Archidiaconus, etc. »

§ I.

Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum. Ostiariis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte Epistolæ. Interim cantatur primum Graduale, vel primum *Alleluia*, si sit infra octavam Pentecostes : et Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit primum Graduale, vel *Alleluia*. Quibus dictis, surgit deposita mitra, et versus ad altare cantat secundam Collectam. Tunc sedet reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum.*

COMMENTARIUS.

I. Omnium Scriptorum est una sententia præclarissimis antiquorum librorum Pontificalium, ac præsertim Carthaginensis IV Synodi, can. VII, testimoniis roborata, apud Latinos sacrum Codicem divinas Scripturas continentem, materiam esse ordinis Lectoratus, formam vero ea Episcopi verba : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, etc.*, quæ nos inferius illustrabimus. Recte itaque mandat Rubrica hæc nostri Romani Pontificalis, *ut pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum*, utique divinæ Scripturæ. In Ecclesia Græca Ordinis hujus materia manus impositio est; forma vero, manuum impositioni oratio adjuncta, uti constat ex Euchologiis, et ex septimæ Synodi generalis canone XIV. Quin et Apostolicæ Constitutiones S. Clementi adscriptæ, libro VIII, nil aliud referunt in ordinatione Lectoris, quam orationem et manus impositionem. Paratur quidem pro ipso Ordinando sacer etiam Codex, *liber Apostoli*, Epistolas nimirum et Apostolorum Acta continens, quem Pontifex quoque eidem Lectori tradit, non tamen quasi libri illius traditio materia sit ad constituendum Ordinem concurrens, sed objectum potius ac materia circa quam meditandam, exponendam ac pertractandam Lector ordinatus occupatur, uti recte observat Goar ad Rituale Græcorum, in Notis ad officium in Lectorem, numero XII, ubi etiam hæc scribit : « Li- » bri Apostolici traditio non legendi in Ecclesia » potestatem recenter confert, sed ut acceptam » exerceat, monet et excitat; Lectoremque in » actu secundo confirmat, in actu primo nulla- » tenus constituit. » Et statim subdit : « Ut se- » cus de Græcis ac de Latinis sentiamus, ratio » est, quod hæc traditio sequatur deprecantem » Lectoratus formam, materia vero potius præ- » jacet quam posterius tardiusque apponatur, » eademque rursus sine ullis penitus verbis ad- » moveatur. » Videsis triplex discrimen quod nos in Commentario ad § III tituli V, num. II, explicuimus de porrectione instrumentorum

Digitized by Google

quæ fit a Græcis in quorumdam Ordinum collatione, et ejus quæ fit a Latinis. Denique ut hunc Græcum ritum pene absolvamus, statim ac Lector accepit *Apostoli librum*, pauca præsente Episcopo ex eo percurrit, ut in Euchologio videre est apud laudatum Jacobum Goar.

§ II.

Et mox nominantur per notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens : *Electi Filii charissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, Officium vestrum agnoscite et implete. Potens est enim Deus ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea quæ* (*vel, ei qui*) *prædicat, et Lectiones cantare; et benedicere panem et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet Lectiones sacras distincte et aperte, ad intelligentiam et ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum Lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque cum legitis, in alto loco ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, cœlestis vitæ formam præbeatis; quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.*

COMMENTARIUS.

I. Inter varia Lectorum officia, quæ in recitato hortatorio Episcopi sermone memorantur, præcipuum munus, ut ipsum Lectoris nomen sonat, est Scripturarum sacrarum publica in Ecclesia lectio. Hinc auctor Apostolicarum Constitutionum, lib. VIII, cap. XXVIII, hanc in ordinatione Lectoris orationem recitandam præscribit : « Deus æterne, qui multus es in misericordia, et miserationibus, qui mundi » constitutionem per ipsa opera manifestas, et » numerum electorum tuorum conservas : ipse » nunc respice super famulum tuum, qui pro» movetur ad legendum tuas sanctas Scripturas » populo tuo : da ei Spiritum sanctum, spiritum » propheticum, qui servum tuum Esdram in» struxisti ad legendum leges populo tuo, et » nunc invocatus a nobis instrue servum tuum, » et da ei ut, laudabiliter perfecto commisso » sibi munere, altiore gradu dignus efficiatur; » per Christum, cum quo tibi gloria et cultus, et » Spiritui sancto in sæcula, Amen. » Similia pene legere est in orationibus quas infra ex nostro Romano Pontificali describemus. Certe apud Græcos, vel ipsi principes, ubi Lectores creati erant, divinas Scripturas in Ecclesia lectitabant. Id quidem testatum facit S. Gregorius Nazianzenus, Oratione I in Julianum, de duobus illis e regia Constantini familia oriundis principibus Gallo et Juliano ejus fratre minore natu, quibus etiam visum esse ait Clericatum, Ordinemque Lectorum splendidius aliquid optatiusque ipsa imperii purpura : « Qui etiam in » Cleri Ordinem seipsos cooptarunt, adeo ut » divinos quoque Libros plebi lectitarent, non » minus id sibi amplum et honorificum esse » existimantes, quam aliud quidvis, imo om» nium ornamentorum maximum præstantissi» mumque, pietatem esse existimantes. » Addit Sozomenus, lib. V *Historiæ*, cap. II, hos, antequam in Clerum adscriberentur, divinæ Scripturæ operam navasse diligentissimam. Præstantissimis hisce initiis cætera, quæ deinde secuta sunt, minime responderunt.

II. Idem in Ecclesia Latina servatum, ut Lectores non modo cæteras sacras Scripturas, sed et ipsum Evangelium inter sacra, et in ipso Corporis et Sanguinis Christi sacrificio e suggestu legerent, docet S. Cyprianus in Epistola

Digitized by Google

XXXIII, de Aurelio Lectore agens : « Merebatur, » inquit, talis Clericæ Ordinationis ulteriores » gradus et incrementa majora, non de annis » suis, sed de meritis æstimandus. Sed interim » placuit ut ab officio Lectionis incipiat. Quia et » nihil magis congruit voci quæ Dominum glo- » riosa prædicatione confessa est, quam cele- » brandis divinis lectionibus personare, post ver- » ba sublimia quæ Christi martyrium prolocuta » sunt, Evangelium Christi legere, unde mar- » tyres fiunt, ad pulpitum post catastam veni- » re, illic fuisse conspicuum Gentilium multi- » tudini, hic a fratribus conspici, illic auditum » esse cum miraculo circumstantis populi, hic » cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, » fratres dilectissimi, et a me et a collegis » qui præsentes aderant, ordinatum sciatis. » Quod vos scio et libenter amplecti, et optare » tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordi- » nari. Et quoniam semper gaudium properat, » nec potest moras ferre lætitia, Dominico legit » interim nobis, id est, auspicatus est pacem, » dum dedicat lectionem. » Dominicum hic certe intelligit Cyprianus sacrificium Missæ, quod eo nomine appellari, quia nimirum maxima et præcipua functio est quæ ex Domini institutione et præcepto in Ecclesia peragitur, tradit Joannes cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum* lib. I, cap. III, num. II; probatque etiam auctoritate ipsius Cypriani, qui in Epistola LXIII, ad Cæcilium ita scribit : « Numquid » ergo Dominicum post cœnam celebrare debe- » mus, ut sic mysticum calicem frequentandis » Dominicis offeramus? » Vide Baronium ad annum 303, et in Notis ad Martyrologium Romanum 25 decembris. Significat etiam aliquando Templum, ut idem ostendit auctor eminentissimus, eodem lib. I, cap. XIX, num. IV.

III. Quod rem nostram quammaxime spectat, illud est, ritum esse profecto antiquissimum, ut dum Lectores Scripturas divinas legerent, in alto loco ecclesiæ starent : docet id quidem laudatus Episcopi sermo hortatorius ad ipsos Lectores, redditque hanc rationem, ut scilicet ab omnibus audirentur, et positione corporali figurare videantur se in alto virtutum gradu debere conversari, quatenus cunctis a quibus audiuntur ac videntur cœlestis vitæ formam præbeant. Alludere hæc haud dubie videntur ad ea quæ scribit idem S. Cyprianus in Epistola XXXIV, agens de Celerino Lectore ordinato, quem ait, « super pulpitum, id est tribunal » Ecclesiæ » oportuisse imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus legeret præcepta et Evangelium Domini. Jungit paulo post Aurelio Celerinum, de eisque hunc in modum inquit : « Pares ambo et uterque consimiles, in quan- » tum gloria sublimes, in tantum verecundia » humiles, quantum divina dignatione promoti, » tantum sua quiete et tranquillitate submissi, » et virtutum pariter et morum singulis exem- » pla præbentes. » Et infra : « Hos tamen Lecto- » res interim constitutos sciatis, quia oportebat » lucernam super candelabrum poni, unde om- » nibus luceat, et gloriosos vultus in loco al- » tiore constitui, ubi ab omni fraternitate cir- » cumstante conspecti, incitamentum gloriæ » videntibus præbeant. » Eum celsiorem locum quem Cyprianus *pulpitum* et *tribunal* ecclesiæ vocavit, posterior ætas *ambonem* dixit, uti videre est in canone XV Concilii Laodiceni, ex interpretatione Dionysii Exigui, et apud Sozomenum lib. IX *Historiæ*, cap. II. Vide etiam Ciampinum, in lib. *De Sacris ædificiis*, et in collatione veterum monumentorum, itemque opusculum nostrum de Codice S. Evangelii lib. II, cap. III et VI.

IV. Suas hodie partes juxta Ecclesiæ votum nullatenus implere possunt Lectores, nisi et Scripturarum peritia saltem mediocri, eximia autem pietate imbuti sint, et amore proximorum salutis : *Studete igitur*, inquit Episcopus, *verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte et aperte, ad intelligentiam et ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre, ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur*. Id quod etiam prolixius monet ex veteri Ecclesiæ instituto S. Isidorus, episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XI, sic inquiens : « Qui autem ad hujusmodi promove- » tur gradum, iste erit doctrina et libris im- » butus, sensuumque ac verborum scientia » perornatus, ita ut in distinctionibus senten- » tiarum intelligat, ut finiatur junctura, ubi » adhuc pendet oratio, ubi sententia extrema » claudatur. Sicque expeditus vim pronuntiatio- » nis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes » sensusque promoveat, discernendo genera pro-

Digitized by Google

» nuntiationis, atque exprimendo omnium » sententiarum proprios affectus, modo indi- » cantis voce, modo dolentis, modo increpantis, » modo exhortantis. » Ex variis hisce modis, quibus Lectores in excelso ecclesiæ loco divinas Scripturas lectitabant, ortum puto ut iidem prædicatores quidam verbi Divini appellarentur; quia scilicet legendi varietate, sapientia, fidelitate ac vi blandissima, audientium mentes et luce Evangelicæ veritatis et amore perfunderent : « Sunt enim Lectores, qui verbum Dei » prædicant, » inquit S. Isidorus, loco citato : cui succinit sermo hortatorius nostri Romani Pontificalis, ubi juxta plures editiones legimus : *Lectorem siquidem oportet legere ea quæ prædicat.*

V. Scio complures cum Vasquezio affirmasse posse Lectorem ad populum concionem habere, exponendo ei quæ ex Scripturis legit; eo quod in Romano Pontificali dicitur, Lectorem debere legere ea quæ prædicat. Sed immerito; hoc enim Episcopo convenit : Lector autem solum potest alta voce populis Scripturas perlegere, et verbum *prædicat* idem plane significat ac recitat alta voce, clare et distincte. Sensus itaque est, Lectorem debere legere ea quæ prædicat, id est ea quæ populo recitat, nec debet ex se, seu ex sua mente et ingenio dicere, sed ex libro fideliter legere. Porro habetur in nostro Romano Pontificali et hæc alia lectio : *Lectorem siquidem oportet legere ei qui prædicat.* Quod profecto concordat cum vetere Ecclesiæ disciplina, juxta quam Episcopo concionem ad populum habituro stabat Lector toti populo conspicuus, et de pulpito legebat præscriptam ab Episcopo Evangelii vel alterius libri sacri partem, quam deinde Episcopus Christianæ plebi exponebat. Liquet id ex veterum sanctorum Patrum sermonibus, præsertim vero ex Enarratione S. Augustini in Psalmum CXXXVIII. Vide eruditissimum Bernardinum Ferrarium, *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum.* Cernere est hodie vestigium hujus disciplinæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, parte III, ubi modus declaratur uti Parocho de libro concionanti Lector debeat inservire. Sic enim legimus pag. 466 : « Populum vero alloquendi » nulla potest utilior excogitari ratio, quam si » Evangelium ipsum interpretetur, cujus expli- » catio et interpretatio ipsi (Parocho) facilior » erit, et auditoribus fructuosior, si libro Evan- » geliorum ante Sacerdotem collocato, Evange- » lium Lector, cujus id proprium munus est, » si adsit, sin minus Clericus, dum commode » legat, aut plane Sacerdos ipse, per membra, » clausulas et sententias sedate, distincte atque » ex ordine pronuntiando, eadem illud ratione » exponatur. » Sane utriusque, tum Lectoris, tum Expositoris munus implevit Christus, « quando in medio seniorum, » ut ex cap. IV Lucæ probat Ivo Carnotensis, sermone de excellentia sacrorum Ordinum in Synodo habito, « librum Isaiæ Prophetæ aperiens, distincte ad » intelligendum legit : *Spiritus Domini super* » *me, ad evangelizandum pauperibus misit me,* » et cætera quæ in eodem sequuntur capitulo, » ut hoc exemplo cognoscat Lector, quia spiri- » tuali gratia debet clarere, et sic auditoribus » verbum Dei prædicare. »

VI. Fuerunt præterea Lectorum partes, Lectiones cantare, eas præsertim quæ inter nocturnam psalmodiam legi solerent, teste Catechismo Romano; quamvis tam apud Græcos quam apud Latinos Cantoratus officium a Lectoratu esset distinctum, uti constat ex Epistola S. Ignatii ad Antiochenos, « Saluto Hypodiaconos, Lectores, » Cantores, etc. » et ex S. Isidoro episcopo Hispalensi, qui lib. VII *Originum*, cap. XII, inquit : « Lectores a legendo, et Psalmistæ a » psalmis canendis vocati : illi enim prædicant » populis quid sequantur; isti canunt, ut exci- » tent ad compunctionem animos audientium. » Legimus nihilominus apud Hugonem a S. Victore lib. I *De Sacramentis*, cap. XXXIV, in Ecclesia id officii habere Lectores, « ut divinas Scriptu- » ras recitent, et ad laudem Dei Gradualia, » Alleluia et hujusmodi cantent. » Quin et Martinus Bracharensis, qui floruit labente sexto Ecclesiæ sæculo, cap. XLV suæ Canonum collectionis, Cantores seu Psalmistas cum Lectoribus confundere videtur, ita inquiens : « Non liceat » in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab » Episcopo Lector est ordinatus. » Spectat denique ad munus Lectorum, « benedicere panem » et omnes fructus novos; » ut admonet Episcopus ipsorum officia explicans, ex nostri Romani Pontificalis præscripto : quanquam hodie benedictiones illæ a solis Presbyteris peragantur. Item quoque ipsorum partes fuerunt, « prima » Religionis Christianæ rudimenta fidelibus tra- » dere, » ut observat Concilii Tridentini Cate-

Digitized by Google

chismus, jussu S. Pii V ac opera S. Caroli Borromæi editus, quorum alter in Concilio provinciali Mediolanensi I, ad hoc Lectoris munus respiciens, ita ait : « Pueros, si ita Episcopo » videatur, prima fidei rudimenta doceat. »

VII. Lectores apud Græcos longe pluribus officiis fungi, quam apud Latinos, docet nos Simeon Thessalonicensis episcopus in lib. *De sacris Ordinationibus*, cap. II. Nam primo, qui Lector apud ipsos constitutus est, præter munus quo insignitus est legendi divinas Scripturas, cereos et lampades altaris accendit. Secundo, præit sanctis Mysteriis luminaria ferens, in introitu scilicet quem magnum vocant. Tertio, gnem ad Sacerdotem in Missarum solemniis affert, cum calici aqua calida infundenda est : solent enim Græci post consecrationem, ut observat Morinus in Nota LXXVI ad laudatum Thessalonicensem, cum jam sunt communicaturi, aquam fervidam calici miscere, ut gratiam Spiritus sancti in Sacrificio præsentem significent, atque ut communicantes videantur sibi sanguinem et lac e Christi vivi mammis sugere, vivificumque Christi corpus mansisse, licet anima a corpore separata. Quarto, oblationes, vinum et aquam Sacerdoti celebranti defert. Quinto, singula quæque in ecclesia præparat et ornat, hymnosque divinos psallentibus præcinit, sive Canonem incipit. Sexto denique, omnia prope divina ministeria exercet.

§ III.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus Codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

COMMENTARIUS.

I. Totidem pene verbis hæc eadem forma, quam numero plurali describit nostrum hoc Romanum Pontificale, exprimitur in Concilio Carthaginensi IV, can. VIII, et in Sacramentario S. Gregorii Papæ, atque in compluribus aliis Ritualibus, modo singulari, modo etiam numero plurativo. Concilium Carthaginense ita inquit : « Lector cum ordinatur, faciat de illo » verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus » fidem ac vitam, atque ingenium. Post hæc, » spectante plebe, tradat ei codicem de quo le- » cturus est, dicens ad eum : *Accipe, et esto* » *Lector* (alias relator) *verbi Dei, habiturus, si* » *fideliter et utiliter impleveris officium, par-* » *tem cum eis qui verbum Dei ministraverint.* » Addit S. Gregorius : « Eligunt te fratres tui, ut » sis Lector in domo Dei tui, et agnoscas offi- » cium tuum, et impleas illud : potens est Deus » ut augeat tibi gratiam. » Eumdem ritum habes in ms. Capuano Pontificali, et in aliis multis. In antiquo Romano Ordine apud Hittorpium ordinatio Lectorum ita describitur : « Lectores cum ordinantur, faciat de illis Epi- » scopus verbum ad plebem, indicans eorum » fidem ac vitam, atque ingenium, et dicat ad » electos : *Elegerunt vos fratres vestri, ut sitis* » *Lectores in domo Dei vestri, et ideo agnoscite* » *officium vestrum, ut impleatis illud. Potens* » *enim est Deus ut augeat vobis gratiam.* Post » hæc, spectante plebe, tradat eis Episcopus co- » dicem de quo lecturi sunt, dicens : *Accipite,* » *et estote verbi Dei relatores, etc.* » ut in nostro Romano Pontificali.

II. Ea verba, quibus in Carthaginensi Concilio, ac in priscis Ritualibus libris, dicitur ut, antequam ordinetur Lector, faciat de illo Episcopus sermonem ad plebem, indicando ejus fidem ac vitam atque ingenium, respicere videntur ad ritum quo usus fuit S. Cyprianus antequam Aurelium Lectoratu insigniret; sic enim in Epistola XXXIII plebem allocutus est : « In Ordinationibus Clericis, fratres charissimi, » solemus vos ante consulere, et mores ac me- » rita singulorum communi consilio ponderare. » Huc spectat quod scribit S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis*, cap. XI : « Isti » quippe, » Lectores, « dum ordinantur, pri- » mum de eorum conversatione Episcopus ver- » bum facit ad populum. Denique coram plebe » tradit eis Codicem apicum divinorum, ad Dei

Digitized by Google

» verbum annuntiandum. » Porro non passim ad Lectoratum admittebatur, sed ii duntaxat quos bene instructos fidelesque Episcopus nosceret ad exequendas muneris sui partes; non enim solum publice in ecclesia sacros libros lectitabant, sed et eosdem apud se depositos, suæque fidei et custodiæ creditos habebant; ut videre est in actis Africanæ persecutionis, Diocletiano imperatore, a cujus ministris interrogati plerique Episcopi, ut divinarum scripturarum Codices traderent igni comburendos, juxta impium memorati scelestissimi principis edictum, responderunt : « Scripturas Lectores » habent. » Et infra, cum iidem ministri alios militiæ Ecclesiasticæ addictos interrogarent, ut proferrent Scripturas, quas haberent : « Catu- » linus et Marcuelius dixerunt : Plus non habe- » mus, quia Subdiacones sumus; sed Lectores » habent Codices. » Sane qui eos tradebant *Traditores* dicti sunt, de quibus vide opusculum nostrum *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario ritibus*, lib. III, cap. XXXIX.

§ IV.

Quibus expeditis, et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit : *Oremus, Fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in ordinem Lectorum dignatur assumere, bene ✠ dictionem suam clementer effundat : quatenus distincte legant quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ V.

Tum Pontifex mitra deposita stans conversus ad altare, dicit : *Oremus;* et Ministri subjungunt : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Deinde conversus ad Ordinatos dicit sine mitra :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati, et agenda dicant, et dicta opere impleant, ut in utroque S. Ecclesiæ exemplo sanctitatis suæ consulant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Postea suggerente Archidiacono redeunt Ordinati ad loca sua.

COMMENTARIUS.

I. Etsi prima oratio in § IV descripta, desideretur in Sacramentario S. Gregorii, habetur tamen passim in aliis posterioribus libris Ritualibus, præsertim vero in antiquo Romano Ordine, in quo nonnihil variat ad initium; nam ubi nostrum Pontificale habet, *Oremus, Fratres charissimi*, Ordo Romanus scribit, *Oremus, dilectissimi nobis.* Altera oratio, seu potius benedictio exstat quidem in S. Gregorii Sacramentario, singulari concepta numero, et aliquantum contractior; nam præterquamquod, ubi nostrum Pontificale scribit *instructi*, Sacramentarium habet *distinctus*, desunt etiam in ipso Sacramentario ea verba quæ exstant in Romano Pontificali ad finem benedictionis, *exemplo sanctitatis suæ.* Porro habet Ordo Romanus eam benedictionem, quæ tamen in quibusdam variat. Sic enim inquit : « Domine sancte,

Digitized by Google

» Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere » dignare hos famulos tuos N. in officium Le- » ctorum, ut assiduitate lectionum sint apti » pronuntiare verba vitæ, et mentis ac vocis » distinctione populo monstrare intelligibilia, » et in utroque sanctæ Ecclesiæ gratiam pro » suis modulis spirituali devotione resonent. » Per Dominum. »

TITULUS VII.

DE ORDINATIONE EXORCISTARUM.

I. Recte creationem Lectorum sequitur ordinatio Exorcistarum, et quidem juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, ut addiscere licet ex S. Paulino in Vita S. Felicis Nolani episcopi ac martyris, quem inquit primo ordinatum fuisse Lectorem, deinde Exorcistam, sic scribens in ejus Natali IV :

» . . . . . Primis Lector servivit in annis,
» Inde gradum cepit cui munus voce fideli
» Adjurare malos et sacris pellere verbis. »

Ergo Exorcistæ ab adjurando dicti sunt *Adjuratores*, ut docet S. Isidorus episcopus Hispalensis, libro VII *Originum*, cap. XII; eosque non modo memorarunt, sed et inter ordines Ecclesiasticos recensuerunt S. Ignatius in laudata Epistola ad Antiochenos, Cornelius papa in Epistola ad Fabium Antiochenum episcopum, apud Eusebium lib. VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXXI, et alii complures apud eruditum Hugonem Menardum in Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, pag. 277. Quibus adde Tertullianum, scriptorem Ecclesiæ vetustissimum, qui, ut alibi diximus, in lib. *De Præscriptionibus*, cap. XLI, Clericorum functionibus et illam accenset, *exorcismos agere* : hæreticos ibi Montanistas seu Pepuzianos sugillans, apud quos etiam mulieres Sacerdotio fungebantur. Addi hic etiam possunt imperatores Gratianus et Valentinianus, quorum primus non modo Exorcistas inter Ecclesiasticos ordines retulit, sed et ipsos, sicut et Presbyteros ac Diaconos ex curialibus assumptos, ex curiæ nexibus liberavit L. CXXI cod. Theodosiano *De Decurionibus*. Alter vero in L. *Presbyteros*, cod. *De Episcopis et Clericis*, eosdem solvit, aliosque minores Clericos a muneribus personalibus. Meminit tandem Exorcistatus ejus ordinis Severus Sulpitius in Vita S. Martini sub initium, ubi ait Martinum ab Hilario Exorcistam fieri jussum, eam Ordinationem ne despexisse tanquam humiliorem videretur, haudquaquam repudiasse. Quia enim cum furiosis hominibus omnis Exorcistarum occupatio erat, vulgo contemptus hic Ordo habebatur, quamvis eo munere Christus Dominus functus sit, quando saliva sua tetigit aures surdi et muti, et dixit : *Ephpheta*, quod est *adaperire*, ut habetur Matthæi cap. VII.

II. Constat autem et Judaicum populum suos exorcistas habuisse. Nam Actorum cap. XIX legimus quosdam de circumeuntibus Judæis exorcistis conatos per invocationem nominis Jesu spiritus malignos ejicere. Quia et illud Matthæi cap. XII, *Filii vestri in quo ejiciunt*, *etc.* quamvis nonnulli de Christi discipulis dictum putent, probabilior tamen videtur aliorum sententia, qui juxta S. Hieronymi interpretationem, de exorcistis qui jam antea erant in gente Judaica, dictum esse affirmant : quorum et Josephus meminit lib. VIII *Antiquitatum Judaicarum*, cap. II. Utrum vero Salomon modum adjurandi dæmones tradiderit, sicut eodem loco Josephus idem commemorat, nobis incertum est; uti recte docet Guillelmus Estius in libri IV distinctionem XXIV, quia scilicet quod ibi Josephus scribit de quibusdam exorcismis a Salomone inventis, magicas incantationes significare videtur, per quas ex pacto dæmones abigebantur, quemadmodum tradit S. Augustinus lib. XXI *De Civitate Dei*, cap. VI, et lib. X, cap. XII. Sane qui ab Ecclesia traditi vel approbati sunt exorcismi, ii nec dæmonum pacto nituntur, ut ad-

Digitized by Google

versarii calumniantur, nec naturali virtuti, sed potestati et gratiæ omnipotentis Dei. De qua Christus ad discipulos ait, Lucæ cap. x : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici;* et Marci cap. ultimo : *In nomine meo dæmonia ejicient.* Exorcismis a primitivæ Ecclesiæ Christianis dæmones fuisse fugatos, ostendit Tertullianus *De Corona militis*, cap. xi, et *De Spectaculis*, capite xxvi. S. Cyprianus Epistola ad Demetrianum ait, voce humana per Exorcistas, et potestate divina flagellari, uri et torqueri diabolum.

III. Ex hisce tot Patrum sententiis aperte refellitur cæca Joannis Calvini impudentia ita garrientis lib. iv Institutionum, cap. xix : « Exorcistas vero in quem tandem finem con- » secrant? Audio Judæis suos fuisse exorcistas, » sed ab exorcismis dictos video quos exerce- » bant. De ementitis istis exorcistis quis unquam » fando audivit? Quod specimen unum suæ » professionis ediderint? Fingitur istis potestas » data imponendi manus super energumenos, » et catechumenos, et dæmoniacos; sed ipsi se » potestate præditos dæmonibus persuadere non » possunt. » Ita hæreticus; sed quid denotant S. Cypriani verba loco allegato? « Voce, inquit, » humana per Exorcistas, et potestate divina » flagellatur, uritur et torquetur diabolus. » Secutus videtur esse Calvinus hostem Christiani nominis acerrimum Ulpianum, qui in Lege i, ff. *De extraordinariis cognitionibus*, Christianos sugillans ea præditos potestate exorcizandi dæmones, dixit, exorcizandi verbum esse imposturam. Vide plura in nostro opusculo *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario ritibus*, lib. iii, cap. ix.

§ I.

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber Exorcismorum, cujus loco dari potest Pontificale vel Missale. Lectoribus ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit secundum Graduale, vel secundum *Alleluia*, si sit infra octavam Pentecostes. Interim cantatur a Choro ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat tertiam Collectam. Tum sedet reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistæ vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicentem : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum.*

§ II.

Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens :

Ordinandi, Filii charissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis : Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones, et dicere populo, ut qui non communicat det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus sancti et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vin-

Digitized by Google

dicare. Tunc enim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum sanctum.

COMMENTARIUS.

I. Exorcistatus materiam esse libri traditionem in quo sunt exorcismi, aperte docent Concilium Carthaginense IV, canone VII, Sacramentarium S. Gregorii, vetus Ordo Romanus, Rituales ac Pontificales libri editi a Joanne Morino, *De sacris Ordinationibus,* parte II, et ab Edmundo Martenio, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* cap. VIII, articulo XI. His adde S. Isidorum episcopum Hispalensem, lib. II *De divinis officiis,* cap. XIII; Rabanum Maurum, libro I *De institutione Clericorum*, cap. X; Amalarium Fortunatum, sive Amalarium Metensem Diaconum, lib. II *De officiis,* cap. IX; Ivonem Carnotensem in sermone in Synodo habito, *De excellentia sacrorum Ordinum;* Hugonem a Sancto Victore, et alios sexcentos Theologos veteres æque atque recentiores, passim docentes librum Exorcismorum esse materiam ordinis Exorcistatus remotam, traditionem vero ipsius libri, proximam. Porro verba laudati Concilii Carthaginensis IV, can. VII, hæc sunt : « Exorcista cum ordinatur, accipiat de » manu Episcopi libellum in quo scripti sunt » exorcismi, dicente sibi Episcopo : Accipe, et » commenda memoriæ, et habeto potestatem » imponendi manus super energumenum, sive » baptizatum, sive catechumenum. » Qui ritus hodieque servatur, licet materia aliquantum dilatata sit, cum Pontificale Romanum Leone X Pontifice Maximo editum, pro libro Exorcismorum, *Pontificale* ipsum porrigi sinat; alia vero, *Pontificale* vel etiam *Missale* tradi permittant, uti videre est in Pontificali Lugduni edito anno 1542, et in altero editionis Venetæ anno 1572, ac tandem in nostro, quod Summorum Pontificum Clementis VIII ac Urbani VIII auctoritate recognitum est. Ubi nota quod docet Morinus *De sacris Ordinationibus,* parte III, exercitatione XIII, num. VII, de materiis hujusmodi ac formis disponere Ecclesiam ut æquum esse judicat : id quod etiam et alii Theologi docent.

II. Præcipuum Exorcistæ munus ex recitata Episcopi ad Exorcistas admonitione addiscere licet : *Exorcistam*, inquit, *oportet abjicere dæmones;* id quod passim tradunt veteres Ecclesiæ Scriptores, inter quos S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. VII *Originum,* cap. XII, ita scribit : « Exorcistæ ex græco in latinum adju- » ratores, sive increpantes vocantur. Invocant » enim super catechumenos, vel super eos qui » habent spiritum immundum, nomen Domini » Jesu, adjurantes per eum ut abigatur ab eis. » Duo alia Exorcistarum officia, quæ in nostro Romano Pontificali commemorantur, populum scilicet admonere, ut qui non communicant aliis qui sacram Eucharistiam sumpturi sunt locum cederent, ac præterea aquam in ministerio fundere, in desuetudinem abiere. Porro notatu dignum est, ex ipsa Episcopi admonitione magnam requiri in ordinis Exorcistatus candidatis vitæ sanctimoniam, morumque integritatem, quo muneris sui partes recte ac utiliter exequi possint : « Debet autem habere » spiritum mundum, qui spiritibus imperat » immundis, ut concordet vita cum officio; et » malignum quem per acceptum officium ex- » pellit de corpore alieno, per munditiam vitæ » expellat de corpore suo : ne medicina quam » alii facit, sibi non prosit; et ne dicatur ei : » *Medice, cura te ipsum*, si per immunditiam » conscientiæ spiritum retinet immundum. » Verba sunt Ivonis episcopi Carnotensis, sermone habito in Synodo *De excellentia sacrorum Ordinum.* Quibus verbis plane respondent ea quæ ex nostro Romano Pontificali habet Episcopus in admonitione ad Exorcistas.

§ III.

Post hæc Pontifex accipit et tradit omnibus librum in quo scripti sunt exorcismi, cujus loco tradi potest Pontificale, seu Missale, quem manu dextera tan-

Digitized by Google

gant, Pontifice dicente : *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

COMMENTARIUS.

I. Plerumque, ut ex antiquis Ecclesiæ monumentis eruitur, enuntiatur hæc forma Ordinis Exorcistatus, numero quidem singulari. « Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu » Episcopi libellum in quo scripti sunt exorci- » smi, dicente sibi Episcopo : Accipe, et com- » menda memoriæ, et habeto potestatem im- » ponendi manus super energumenum, sive » baptizatum, sive catechumenum, » inquit Concilium Carthaginense IV, can. VII, quem ad verbum describit Sacramentarium S. Gregorii, ac plerique libri Pontificales a Morino editi : quamvis Ordo Romanus ac non pauci alii Rituales libri eamdem formam habeant numero plurali conceptam : « Accipite, commendate » memoriæ, et habetote potestatem imponendi » manus super energumenos, sive baptizatos, » sive catechumenos. » Quibus ex verbis profecto et illud addiscimus, exorcismos qui adhibentur baptizandis, ut per eos ad baptismum præparentur, de quibus passim Patres loquuntur, aientes catechumenos diebus baptismum præcedentibus purgari exorcismis, cum non pertineant ad curandos energumenos, sed sint exorcismi alterius generis, pertinentes ad baptismi cæremonias, non videri comprehendi in officio Exorcistæ, licet ita nonnulli senserint cum Magistro Sententiarum, sed magis spectare ad officium Sacerdotis ejus qui catechumenum baptizaturus est, uti recte docet Estius, probatque auctoritate S. Gregorii, qui Homilia XXIX in Evangelia, exponens illud : *In nomine meo dæmonia ejicient*, ait, Sacerdotes per gratiam exorcismi manum credentibus imponere, ne in mente eorum habitent spiritus maligni. Magis enim spiritualis est effectus hujus exorcismi, quam illius qui energumenis, id est qui corporaliter a dæmone obsessis adhibetur.

II. Sane de hoc antiquo ritu solvendi virtute exorcismi dæmonem, non modo corporaliter baptizatos, sed et catechumenos spiritualiter obsidentem, plura habent S. Cyprianus, Epistola LXXVI; S. Optatus Milevitanus, lib. IV contra Parmenianum; S. Gregorius Nazianzenus, Oratione XL; S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi I; S. Ambrosius, lib. I *De Sacramentis*, cap. V; S. Augustinus, in sermone *De Symbolo ad Catechumenos* lib. II, *De peccato originali contra Cœlestium* cap. XL, lib. I *De nuptiis et concupiscentia*, cap. IX, et lib. II, c. XXIX, ac alibi passim. Tandem Gennadius, ut alios mittam, in tractatu *De Ecclesiasticis dogmatibus*, cap. X, ita ad rem inquit : « Illud etiam » quod circa baptizandos in universo mundo » sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso » contemplemur intuitu, cum sive parvuli, » sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacra- » mentum, non prius fontem vitæ adeant quam » exorcismis et insufflationibus Clericorum, ab » eis spiritus immundus abigatur. » Satis ergo liquet, Clericorum seu Sacerdotum fuisse munus catechumenos exorcizandi vel a primis quinque Ecclesiæ sæculis, antequam baptismo donarentur.

III. Quæret hic fortasse quispiam : Eccur ea Exorcistæ non datur potestas imponendi etiam manus super Paganum et Judæum energumenos, cum non pauci ex iis a maligno Spiritu vexati, et ab Ecclesiæ ministris soluti memorentur? Respondet Philibertus Marchinus, *De Sacramento Ordinis* tract. II, parte IV, cap. II, illam forte rationem suffragari, quia ad dæmonis propulsationem obsessi fides non parum conducit; unde S. Cyprianus in libro *De idolorum vanitate* ita scribit : « Adjurati per Deum » verum a nobis statim cedunt et fatentur, et » de obsessis corporibus exire coguntur. Videas » illos nostra voce et operatione majestatis oc- » cultæ flagris cædi, igne torreri, incremento » pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, » deprecari unde veniant et quando discedant, » ipsis etiam qui se colunt audientibus confite- » ri; et vel exiliunt statim, vel evanescunt grada- » tim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia » curantis adspirat. » Quænam regulæ demum in exorcismis energumenorum observandæ sunt, docet S. Carolus in I et IV provinciali Concilio Mediolanensi : videri tamen etiam possunt Hieronymus Mengha in tractatu artis Exorcizandi, Petrus Tyræus *De dæmoniacis*, Cirvelus par-

Digitized by Google

te III *De Superstitione*, Sammarinus parte I *Sacerdotalis*, ubi agit *De Exorcismo*. Cæterum, quod spectat hujus Ordinis functionem, scite monet Natalis Alexander *Theologiæ dogmaticæ et moralis* libro II, de sacramento Ordinis, ubi de Exorcistis tractat, optimum interdum fore ipsam functionem non a Presbyteris, multo minus ab Episcopis, sed ab Exorcistis junioribus et adolescentibus ad hoc officium ordinatis, ac morum innocentia et sapientia huic ministerio paribus, exerceri, ad majorem dæmonis contemptum atque confusionem. Sane mandat sanctus Carolus, ne aliis exorcismis quis utatur, nisi ad libri Episcopi judicio comprobati rationem præscriptam.

§ IV.

Postea vero omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit :

Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, supplices deprecemus, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur in officium Exorcistarum, ut sint spirituales imperatores, ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi : Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Tunc conversus ad altare, deposita mitra, dicit : *Oremus.* Et Ministri subjungunt : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et mox conversus ad Ordinatos genuflexos, dicit :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum; ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati : Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Post hæc suggerente Archidiacono redeunt ad loca sua.

COMMENTARIUS.

I. Etsi prior ac altera Episcopi deprecatio pro Exorcistis totidem verbis in antiquo Romano Ordine reperiatur, in Sacramentario tamen S. Gregorii, et in quibusdam aliis Ritualibus libris, ambæ orationes præterquam singulari numero enuntiantur, in nonnullis etiam variant aliquantum : etenim deest in prima, *Fratres charissimi ;* deinde ubi nos legimus *deprecemur*, ille habet *deprecamur;* ac tandem, ubi nos, post illa verba, *cum omni nequitia eorum multiformi,* primam in orationem statim concludimus, *Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo, etc.* Gregorius ponit, *Adjuvante Domino nostro Jesu Christo, etc.* In altera oratione, seu potius benedictione, aliqua est etiam variatio notabilior : est enim hujusmodi : « Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne Deus, benedicere digne- » ris hunc famulum tuum ill. in officium Exor- » cistæ, et ad impositionem manuum et oris » officium eum eligere digneris, ut imperium » habeat spirituum immundorum coercendo- » rum, et probabilis sit medicus Ecclesiæ, gra- » tiæ curationum virtute confirmatus. Per Do- » minum. » Ea vox *probabilis,* sive *probabiles*, ut in Romano Pontificali, idem est ac *bonus*, vel *boni*, ut aperte deducitur ex Concilio Toletano IV, can. IV ; illa vero verba, quibus dicitur ut Exorcista sit *gratia curationum virtuteque cœlesti confirmatus*, profecto alludere videntur ad Apostolicas Constitutiones, lib. VIII, cap. mihi XXXII, ubi habetur Exorcistam, quo etiam nomine a S. Epiphanio appellatur, gratiam accipere sanitatum.

Digitized by Google

TITULUS VIII.

DE ORDINATIONE ACOLYTHORUM.

I. Quartus ac postremus eorum omnium qui Minores et non sacri appellantur, est ordo Acolythorum, de quibus mentionem faciunt præter alios Cornelius papa in laudata Epistola ad Fabium Antiochenum episcopum, apud Eusebium libro VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, et S. Cyprianus in Epistola LV, ad ipsum Cornelium Pontificem maximum, ita rescribens : « Legi litteras tuas, » frater charissime, quas per Saturum fratrem » nostrum Acolythum misisti, et dilectionis fra- » ternæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ, et Sacer- » dotalis censuræ satis plenas. » Fuit ergo Acolythorum primis Christi sæculis munus deferre Ecclesiasticas Episcoporum ad Episcopos litteras, quibus Ecclesiæ gravissimis de rebus inter se consultabant. Semel ac iterum in suis Epistolis Cyprianus Acolythis id muneris tribuit, cui necessaria præ cæteris erat fides arcani, silentiique constantia, eo sane tempore quo insidiabantur undique Gentiles ut sacratissima nostræ Religionis mysteria profanarent.

II. Acolythorum, quos aliqui sine aspiratione Acolytos scribunt, et alii Acoluthos dicere malunt, unde derivatum sit hoc vocabulum, testatur Pamelius in Notis ad laudatam Cypriani Epistolam, nondum inter interpretes convenire. Vir doctissimus Guillelmus Estius, in libri IV distinctionem XXIV, § XIII, utrumque vocabulum græcum esse affirmat. Prius significat improhibitum, id est admissum ad Altaris ministerium ; nam olim inferioribus Clericis ad altare propius accedere et sacrificanti ministrare non permittebatur, sed hoc Acolythis demum concessum est ; pertinet enim ad eorum officium luminaria accendere et deferre, manibusque tenere maxime cum Evangelium recitatur, itemque vinum et aquam in sacrificio Missæ ministrare, uti infra fusius explicabimus. Posterius vocabulum, id est Acoluthi, comitem seu asseclam significat, quia scilicet Acoluthi in ministerio Altaris ministros majores, nimirum Subdiaconos atque Diaconos, assectantur, eisque operam præbere debent. Erravit, ergo Calvinus, stygioque ore insipienterque locutus est, cum lib. IV Institutionum, cap. XIX, § XXIII, nomen Acolythi magicum prorsus esse dixit, nihilque aliud antiquitus fuisse quam Episcoporum cubicularios. Sed vide quæ infra dicentur.

§ I.

Pro Acolythis ordinandis paretur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino pro Sacramento.

Exorcistis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit tertium Graduale, vel tertium *Alleluia*, si sit infra octavam Pentecostes. Interim a Choro cantatur ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante altare, ubi sedet cum mitra. Acolythi vero vocantur per Archidiaconum : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum*.

Digitized by Google

§ II.

Et mox nominantur per Notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens :

Suscepturi, Filii charissimi, officium Acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre; luminaria ecclesiæ accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut Veritas dicit : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Et sicut Apostolus Paulus ait* : In medio nationis pravæ et perversæ lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sint ergo lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. *Quæ sit vero ista lux quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens* : Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate : *Estote igitur solliciti, in omni justitia, bonitate et veritate, ut et vos et alios et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.*

COMMENTARIUS.

I. Scite admodum scribit Martenius lib. I, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo VIII, num. XIV, Acolythorum ordinem aliis longe illustriorem nobilioremque extitisse in Ecclesia præsertim Occidentali, utpote quorum ministerium circa incruentum Missæ sacrificium pene totum versatur; cum ipsorum officium sit *luminaria ecclesiæ accendere*, itemque *vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare*. Primum munus ita explicat S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. VII *Originum*, cap. XII : « Acolythi » græce, latine Ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis, quando Evangelium legendum » est aut Sacrificium offerendum. Tunc enim » accenduntur luminaria ab eis, et deportantur » non ad fugandas tenebras, dum sol eodem » tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis » illa lux ostendatur de qua in Evangelio legi» tur : *Erat lux vera quæ illuminat, etc.* » Usum cereorum ad sacrosanctam Evangelii lectionem jam priscis Christi sæculis invaluisse, abunde probavimus in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, etc.* lib. II, cap. XIII, ubi descripsimus celeberrimum S. Hieronymi locum, qui contra Vigilantium ad lumina illa cæcutientem ac dormitantem, ita inquit : « Per to» tas Orientis Ecclesias, quando legendum est » Evangelium, accenduntur luminaria jam sole » rutilante, non utique ad fugandas tenebras, » sed ad signum lætitiæ demonstrandum, unde » et virgines illæ Evangelicæ semper habent » accensas lampades suas; et ad Apostolos dici» tur : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ » ardentes in manibus vestris*. Et de Joanne Ba» ptista : *Ille erat lucerna ardens et lucens*, ut » sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur » de qua in Psalterio : *Lucerna pedibus meis ver» bum tuum, Domine, et lumen semitis meis.* »

II. Neque vero tantum ubi sacrosancta Evangelii lectio recitaretur, verum etiam ubi opus in Ecclesia luminaribus fuisset, Acolythos aiunt illa accendisse atque gestasse : cum enim antelucanæ olim essent Christianorum orationes, et

Digitized by Google

de Divinis rebus lectiones, uti constat ex Tertulliano in Apologetico, et ex Plinio in Epistola ad Trajanum; aliquos fuisse necesse est, quorum hæc esset præcipua cura et officium, ut luminaria accenderent, quo in obscuro noctis Divinæ scripturæ aliique veteres Christianorum libri legi possent; atque ideo Acolythos tum constitutos esse non sine fundamento censet Anastasius Germonius, lib. III *De sacrorum immunitatibus*, cap. III, ubi etiam scriptum reliquit, Acolythos a S. Ignatio in Epistola ad Antiochenos, Laborantes fuisse appellatos, quorum munus, uti alias ostendimus, erat defunctorum corpora curare. Cui sententiæ jam antea subscripsit Baronius tom. I, ad annum Christi 34. Porro per Laborantes Ignatium accepisse Acolythos, inde sibi suadet Marchinus *De Sacramento Ordinis* part. V, cap. IV, quod verisimile minime sit sanctum Martyrem in prædicta Epistola omnes Ecclesiasticos ordines salutasse, fuisse vero oblitum Acolythorum, qui gradus multos alios longe superat. Addit et illud laudatus Auctor, sub nomine Laborantium Acolythos omnino ab Ignatio comprehendi, dum ait : « Saluto sanctum Presbyterorum collegium, » saluto sacros Diaconos; » et paulo post : « Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Innitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores. »

III. Quod spectat alterum Acolythorum munus, constat ex Concilio Carthaginensi IV, can. VI, quem infra recitabimus, ideo ipsos in sua ordinatione urceolos vacuos accipere, ut moneantur suum jam esse officium, vinum et aquam in eucharistiam Sanguinis Christi suggerere. Sed et olim Eucharistiam ipsam Pontifici ad altare procedenti Acolythos prætulisse in capsis, quas tenebant apertas, dum Pontifex SANCTA adorasset, atque ex iis particulas assumi jussisset in usum Sacrificii quod mox ab ipso celebrandum erat, ex antiquioribus libellis Romani Ordinis patet : ex quibus et illud addiscere licet, Acolythos olim ideo porrecto sacculo ordinari consuevisse, quia hujusmodi sacculos in Missa Pontificia tunc gestare solebant ad excipiendas oblationes consecratas, tum illas quæ in Missa confringebantur ad fidelium communionem, tum etiam eas quæ fermenti nomine ad Titulos mittebantur ad fovendam unitatem, concordiam, charitatem, teste Innocentio I Pontifice Maximo, qui in Epistola XXIX, ad Decentium ita scribit : « De fermento, quod die Dominica per Titulos mittimus, superflue nos » consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ » intra Civitatem sint constitutæ; quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, » maxime illa die, non judicent separatos. » Sane Tharsicius martyr ex illorum Acolythorum numero fuisse dicitur, « qui cum quadam » die deferret Christi corporis sacramenta, nec » vellet ea discutientibus prodere paganis, tandiu est fustibus et lapidibus maceratus ab eis, » quousque exhalaret spiritum : » teste Usuardo ad XVIII kal. septembris.

IV. Cæterum in libello VIII Ordinis Romani, quem edidit vir clarissimus Joannes Mabillonus, tomo II *Musæi Italici*, antiquus ordinandi Acolythum ritus porrecto sacculo ita describitur : « Dum Missa celebrata fuerit, induunt » Clericum illum planetam et orarium. Dumque » venerit Episcopus aut ipse Domnus Apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire » ad se, et porrigit in ulnas ejus sacculum super » planetam, et prosternit se in terram cum ipso » sacculo, et dat ei orationem sic : *Intercedente* » *beata et gloriosa semperque virgine Maria, et* » *beato Apostolo Petro, salvet, et custodiat, et* » *protegat te Dominus. Amen.* » Mirum plane illud est, quod Acolytho ordinando tribuitur planeta et orarium, sed illud amplius mirandum quod nulla in eo libello mentio fiat Ostiarii, Lectoris et Exorcistæ, neque etiam in posteriori Libello, uti observat laudatus Mabillonius. In Ordine Romano vulgato, et in Codice Vindocinensi, Ostiarii, Lectoris et Exorcistæ ordinatio habetur ante Acolythum; imo etiam in Sacramentario S. Gregorii. Atque hinc colligi potest ipsorum Libellorum antiquitas, quos una cum aliis Mabillonius ipse edidit, qui etiam in Nota ad Ordinem Romanum VIII, de sacculo Acolythis in ordinatione tradito, sic ait : « Ejusmodi » sacculus erat ad recipiendam et deferendam » Eucharistiam. » Quale officium fuisse Acolythorum, jam fuse a nobis ostensum est.

V. Enarratis hactenus Acolythorum officiis adjungi et illud potest, consuevisse olim duos ex ipsis Romanæ Ecclesiæ Acolythis binas tenere ampullas olei et chrismatis, quæ ab Epi-

Digitized by Google

scopo solemni quidem ritu consecrabantur : « Duo Acolythi accipientes illas duas ampullas, » quæ ad chrisma et ad oleum Catechumeno- » rum consecrari debent, involutas cum sindo- » nibus de albo serico, ita ut videri possint a » medio, teneant in brachio sinistro, projectis » sindonibus super scapulam sinistram, ita ut » pertingant ad scapulam dextram, quatenus » possint dependentia retineri, et procedant. » Verba sunt Ordinis antiqui Romani, ubi agit de Consecratione principalis Chrismatis. Cujus Ordinis aut prisci ritus meminit quidem Amalarius Fortunatus, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII. Sane laudamus frequenter nos hosce de Ecclesiasticis officiis libros nomine Amalarii Fortunati, quod vulgo et passim ipsi Auctori a Scriptoribus adscribantur; cum alias non ignoremus spectare eos ad Amalarium Metensem Diaconum, qui anno 831 a Ludovico Pio Augusto Romam missus ad Gregorium IV, corrigendi gratia Antiphonarios, ad libros apposuit, quos scripsit.

§ III.

Post hæc Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente : *Accipite Ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

[Quæri potest a quo debeat proferri hoc responsum *Amen* post verba Episcopi porrigentis instrumenta hujus Ordinis, ac etiam Majorum? Sæpius a circumstantibus responderi audivimus; sed minus accurate, siquidem S. Rituum Congregatio, die 12 novembris 1831, Marsorum Episcopo sciscitanti asseruit hoc responsum *juxta consuetudinem*, *ab Ordinando* dari debere. Jam non est igitur ambigendum.]

§ IV.

Tunc accipit et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus : *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Duplicem esse ordinis Acolythatus materiam, unam nempe ceroferarii cum cereo traditionem, alteram urceoli vacui, testantur passim veteres ac recentiores libri Rituales cum Concilio Carthaginensi IV, can. VI, cujus verba hæc sunt : « Acolythus cum ordinatur, ab Epi- » scopo quidem doceatur qualiter in officio suo » agere debeat : sed ab Archidiacono accipiat » ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accen- » denda ecclesiæ luminaria mancipari : acci- » piat et urceolum vacuum, ad suggerendum » vinum in eucharistiam Sanguinis Christi. » Quo in Canone illud notatu dignum est, nulla ab Episcopo proferri verba, cum hæc instrumenta candidatis Acolythatus porrigebantur, sed sui duntaxat eos officii ab ipso Episcopo fuisse admonitos. Sacramentarium S. Gregorii vult Archidiaconum tradere ceroferarium Ordinando, ac formam pariter pronuntiare, itemque ipsum porrigere illi urceolum vacuum, nulla habita mentione formæ : « Ab Archidiaco- » no, inquit, accipiat ceroferarium cum cereo, ut » sciat se ad accendenda ecclesiæ luminaria man- » cipari, ita sibi dicente : *Accipite hoc gestato- » rium luminis, ut per illud valeatis adversario- » rum tenebras effugere ; et verissimum lumen » quod illuminat omnem hominem venientem in » mundum, fideliter invenire :* Accipiat et ur- » ceolum vacuum ad fundendum vinum in eu- » charistia Corporis Christi. »

II. Porro quamvis omnes antiqui Rituales libri, ut testatur Morinus de Sacris Ordinationi-

Digitized by Google

bus part. III, exercitatione XIII, num. VIII, velint utramque materiam ab Archidiacono tradi, Ordo tamen vetus Romanus apud Hittorpium diserte præscribit, Archidiaconum quidem materiam illam porrigere, sed Episcopum formam pronuntiare : « Acolythi cum ordinantur primum ab Episcopo quidem doceantur qualiter » in officio suo agere debeant; sed ab Archi» diacono accipiant ceroferarium cum cereo, » dicente sibi Episcopo : *Accipite ceroferarium » cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda eccle» siæ luminaria mancipari.* Accipiant et urceo» lum vacuum, dicente sibi Episcopo : *Accipite » urceolum, ad suggerendum vinum et aquam » in Eucharistiam Sanguinis Christi.* » *Ceroferarium* in laudatis locis pro candelabro neutraliter sumendum esse arbitror cum erudito Menardo, nam ceroferarius masculine acolythus est. Quod Synodus Carthaginensis, Sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, priscique alii Rituales libri *Ceroferarium* vocant, *Ceroferale* dicitur a Gregorio Turonensi in libro *De Gloria Confessorum*, LXXIX. Denique non omittendum quod tradit Martenius, in Pontificali Salisburgensi annorum sexcentorum; Cameracensi, annorum quingentorum; duobus Remensibus S. Remigii, ejusdem ætatis; Mettensi et Antissiodorensi, annorum quadringentorum; et Silvanectensi, ante annos trecentos exarato, præscribi quidem ut Archidiaconus materiam tangendam præbeat, Episcopus vero formam recitet. Hodie tamen usus invaluit, jubeturque etiam ex nostro Romano Pontificali, ut Episcopus et materiam exhibeat, et formam pariter pronuntiet. *Tunc accipit, et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus :* Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam.

III. Constat præterea ex laudatis Ritualibus libris, magnam olim fuisse varietatem in conjunctione formæ cum ipsa materia ordinis Acolythatus. Nostrum quidem Pontificale vult ut Episcopus, cum dat Ordinandis candelabrum seu ceroferarium, dicat : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Amen.* Cum vero urceolum porrigit : *Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. Amen.* Eadem verba referunt vetus Ordo Romanus, et antiquus Constantini abbatis Codex apud Morinum, omissis tamen his verbis : *In nomine Domini. Amen.* Sed laudata Synodus IV Carthaginensis, et antiquissimi omnes Rituales penes eumdem Morinum, illam formam prorsus omittunt, cum tamen utramque materiæ partem commemorent. Sacramentarium autem S. Gregorii, antiquus Corbeiensis Codex Ratoldi quoque, et Bellovacenses duo, hanc formam exhibent ab Archidiacono pronuntiatam : « Accipite hoc gestatorium luminis, ut » per illud valeatis adversariorum tenebras ef» fugare, et verissimum lumen, quod illuminat » omnem hominem venientem in mundum, » fideliter invenire. » Cum vero datur urceolus, nihil prorsus dicunt, præter Ratoldi Codicem, qui refert eamdem, quæ supra exhibita est, formam. Atque hinc vides quam multiplex olim fuerit Acolythatus materiæ et formæ, et eorum qui ipsam applicabant varietas, de qua vide laudatum Morinum in memorata exercitatione XIII, aliosque eruditos Scriptores ea de re disserentes.

§ V.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos dicit :

Deum Patrem Omnipotentem, Fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos Famulos suos bene ✠ dicere dignetur in ordine Acolythorum, quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant : adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Tunc Pontifex ad altare se convertens, deposita mitra stans dicit : *Oremus.* Et

Digitized by Google

Ministri, *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et mox Pontifex conversus ad eosdem genuflexos dicit :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, et Apostolos ejus in hunc mundum lumen claritatis tuæ misisti, quique, ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissimæ illum Crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, bene ✠ dicere dignare hos Famulos tuos in officium Acolythorum; ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam, ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis Altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per eumdem Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accederentur lucernæ in Tabernaculo testimonii, ✠ *bene dicere dignare hos Famulos tuos, ut sint Acolythi in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, bene ✠ *dicere dignare hos Famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes, et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irroges; ut ita acceptum ministerium, te auxiliante, peragant; qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Post hæc, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua.

NOTA.

Ne quis putet novum esse Ecclesiæ inventum recitatas hucusque Orationes, habentur omnes pene ad verbum in antiquo Ordine Romano apud Hittorpium, et in aliis multis Pontificalibus. In Sacramentario S. Gregorii tres primæ omnino desiderantur, ac solum postrema describitur numero singulari. Ultima etiam solum exstat in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Capuanæ, ut in Appendice videre est, et in plurimis Pontificalibus antiquioribus.

Digitized by Google

TITULUS IX.

DE SACRIS ORDINIBUS IN GENERE.

Sacri Majores Ordines sunt Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare; ideo parentur pro eorum numero Hostiæ parvæ consecrandæ.

COMMENTARIUS.

I. Sacri et majores, ex communi Theologorum sententia, ideo hi tres postremi Ordines, Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus appellantur, quod propius ad Altaris ministerium et quod in eo offertur Sanctum Sanctorum accedant, id est circa sacrum Domini Corpus in Eucharistia occupentur, atque aliquid agant, vel consecrando, vel dispensando, vel materiam subministrando. Quanquam enim omnes Ecclesiastici Ordines re vera sacri sint, tres tamen isti peculiariter, ob eam causam, et quasi per excellentiam Sacri dicuntur. « Sacer Ordo, » inquit S. Thomas in IV Sententiarum, dist. XXIV, quæstione I, artic. I, quæstiunc. III, « dicitur » dupliciter; et sic quilibet Ordo est sacer, cum » sit sacramentum quoddam : alio modo ratio- » ne materiæ, circa quam habet aliquem ac- » tum; et sic Ordo Sacer dicitur, qui habet » aliquem actum circa rem aliquam consecra- » tam; et sic sunt tres Ordines Sacri, scilicet » Sacerdos, et Diaconus qui habet actum circa » Corpus Christi et Sanguinem consecratum, et » Subdiaconus qui habet actum circa vasa con- » secrata; et ideo etiam eis continentia indi- » citur, ut sancti et mundi sint qui Sancta » tractant. » Antiquitus quidem Diaconatus ac Presbyteratus tantum eo nomine censebantur, quibus postmodum circa finem XII sæculi Subdiaconatus adjunctus est. Græci tamen licet Subdiaconos a matrimonio contrahendo arceant, adhuc distinctionem antiquam conservant, ut nimirum bini Ordines priores, Presbyteratus ac Diaconatus, ad altare et inter Missarum solemnia conferant; cæteros vero extra ecclesiam in Diaconico, sive in Secretario; aut si in ecclesia, extra sanctuarium et chorum. Id quod alias fusius enarravimus.

II. Illud insuper nostræ Rubricæ præscriptum, ut sacris Ordinibus initiati Corpori Christi communicent, suam profecto a primis Ecclesiæ sæculis ducit originem. Etenim S. Dionysius in lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. VI, mysterium Monasticæ consecrationis describens, tradit Monachos consecratos ad Eucharistiam percipiendam invitari, ut ad Divinæ societatis adoptionem atque perceptionem perveniant : « Postremo Sacerdos ad Divinam communio- » nem invitat eum qui initiatus est, sancte indi- » cans illum qui consecratus est, si vere ad » Monachorum institutum quod singulare est » pervenerit, non solum spectatorem Sacro- » rum, quæ ei permissa sunt, fore, nec ritu » medii ordinis in sanctissimorum Sacramento- » rum societatem communionemque venturum, » sed cum divina eorum Sacrorum, quæ perce- » pit, communione, venturum esse ad Divinæ » societatis adeptionem et perceptionem. » Ita ille, qui mox ad Ecclesiasticas consecrationes rediens, perspicue ostendit, quoslibet etiam Ordinatos sacram Eucharistiam percipere : « Ita- » que cum Sacerdotum ordinibus in sanctis » eorum consecrationibus ad extremum sanctis- » sima Eucharistia communicatur a Pontifice » qui eos consecravit, non solum quod Divino- » rum Mysteriorum perceptio uniuscujusque » ad Hierarchiam pertinentis perceptionis est » summa, verum etiam quod ipsius divini mu- » neris quod communicatur, sancti omnes Or-

Digitized by Google

» dines pro captu suo participes fiunt ad suam » ipsorum divinæ similitudinis traductionem et » perfectionem. » Similiter S. Maximus in dictum cap. VI S. Dionysii idipsum affirmat, ita inquiens : « Omnes enim æque post Ordinatio» nem Divinis dignantur mysteriis; quod cum » Deo familiaritatem et unitatem ostendit. » Vide Rituale Græcorum in Ordinatione Episcopi, Presbyteri, et Diaconi; et quæ nos infra de Ritu communicandi Ordinandos disseremus.

TITULUS X.

DE ORDINATIONE SUBDIACONI.

I. Subdiaconorum, qui a Græcis Ὑποδιάκονοι vocantur, antiquissimus est in Ecclesia Ordo, ac pene coævus origini Diaconorum : passim enim de illis mentionem faciunt Canon vulgo Apostolorum XLIII, Apostolicæ Constitutiones, lib. VIII; S. Ignatius, in Epistola ad Antiochenos; S. Cyprianus, in Epistola XXIV, scribens Optatum quemdam in Africa Subdiaconum a se ordinatum; et S. Cornelius papa, in Epistola ad Fabium Antiochenum episcopum, apud Eusebium lib. VI *Historiæ*, cap. XLIII, ubi testatur, Romæ suo ævo septem Diaconos totidemque Subdiaconos extitisse. Jam alibi diximus, ab initio et deinceps per multa sæcula Subdiaconatum inter minores Ordines connumeratum fuisse, relatumque postea inter majores circa finem duodecimi sæculi. Quod confirmatur auctoritate Petri Cantoris, qui vixit anno 1197. Is enim in libro ms. *De verbo mirifico*, cap. LIV, exstatque in bibliotheca Monasterii S. Germani a Pratis, teste Menardo, scribit, non ita pridem ut Subdiaconatus ordo sacer esset institutum fuisse : « Prima autem, inquit, manus impositio debe» tur Diaconibus ordinandis. De novo enim » institutum est, Subdiaconatum esse sacrum » Ordinem. » Sunt qui primam hujusce novæ disciplinæ originem Urbano II, qui anno 1087 creatus fuit Pontifex Maximus, adscribendam censent. Cum enim vetarent Canones ne Episcopi eligerentur, nisi ex sacris seu ex majoribus Ordinibus, indultum est a laudato Pontifice, ut Subdiaconatus iis Ordinibus accenseretur; cui decreto adhæsit etiam postea Innocentius III, qui in cap. *A multis*, Extra. *De ætate et qualitate præficiendorum*, ita inquit : « Cum » hodie Subdiaconatus inter sacros Ordines » computetur, sicut Urbanus papa II his verbis » expressit : Qui in sacris Ordinibus, Presbyte» ratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi. »

II. Hæc Urbani decisio reperitur quidem in can. *Nullus*, cap. IV, distinctione LX, et a nonnullis perperam Urbano I tribuitur. Ivo Carnotensis episcopus, parte V sui Decreti, cap. LXXXII, eam decisionem desumptam esse ait ex Synodo Beneventana sub Urbano III, sed falso; constat enim deductam esse ex Beneventana quidem Synodo, sed sub Urbano II. Quod cum iis ignotum esset qui sub Gregorio XIII emendationi librorum juris Canonici operam dederunt, Synodum Beneventanam ab Ivone laudatam intelligendam esse dixerunt de Synodo quæ Beneventi tempore Victoris III celebrata est, cui successit Urbanus II. Quod omnino falsum est; exstant enim Acta Concilii Beneventani ab Urbano II celebrati anno 1091, in quibus hæc decisio habetur, prout a Gratiano et ab aliis refertur. Concilium autem ipsum ex ms. Codice monasterii Ananiensis edidit quidem inter alios vir clarissimus Stephanus Baluzius, in additionibus ad Petrum de Marca.

§ I.

Pro Ordinatione Subdiaconorum parentur calix vacuus cum patena superposita, urceoli cum manutergio, et liber Epistolarum.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Apud Latinos materiam subdiaconatus fuisse priscis sæculis calicis vacui et patenæ vacuæ traditionem ab Episcopo factam, necnon traditionem urceoli cum aqua, et mantili, ac manutergio ab Archidiacono factam, docent nos Patres Concilii Carthaginensis IV, can. V, sic aientes : « Subdiaconus cum ordinatur, quia » manus impositionem non accipit, patenam » de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem » vacuum; de manu vero Archidiaconi, ur- » ceolum cum aqua, et mantile, et manuter- » gium. » Nulla hic libri Epistolarum mentio, quæ neque habetur in Sacramentario S. Gregorii, neque in antiquo Romano Ordine, neque apud ullos Scriptores ante annos quadringentos invenitur, uti cum Martenio eruditi omnes ostendunt. Licet autem Concilium Remense anni 813, can. IV, asserat « Subdiaconi ministerium » esse Apostolum legere, » miratur nihilominus Amalarius, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XI, cur is in aliqua Ecclesia invaluerit usus, ut Subdiaconus frequentissime ad Missam legeret Lectionem, « Cum hoc non reperiatur in » ministerio sibi dato in consecratione commis- » sum, neque ex litteris canonicis, neque ex » nomine suo. » Non ergo virtute potestatis sibi in Ordinatione traditæ, medio nono sæculo quo floruit Amalarius, alicubi Epistolam legebant Subdiaconi, sed sola potius Ecclesiæ indulgentia, uti docet Micrologus in lib. *De Ecclesiasticis observationibus*, cap. VIII, his verbis : « Solis » Subdiaconis inter inferiores gradus Romana » auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti » Epistolam legant ad Missam. Quod tamen » non ex eorum consecratione, sed potius ex » Ecclesiastica consensione meruerunt obtine- » re. » Idem docet Durandus episcopus Mimatensis, qui floruit sæculo XIII, in suo Rationali lib. II, cap. VIII, num. IV. Quamobrem recte ait Estius, aliique Theologi insignes, ipsum Subdiaconatus ordinem conferri potius traditione calicis et patenæ, quam libri Epistolarum, propterea quod Carthaginense Concilium nullam faciat libri Epistolarum mentionem, uti nec Florentinum; in quo etiam expresse dicitur, conferri Subdiaconatum per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Estque ea communis Doctorum sententia.

II. Ex hactenus enarratis jam satis liquet, quam hallucinati sint nonnulli Auctores, qui hujus Ordinis materiam in sola libri Epistolarum traditione constituunt, cum vix in ullo ante annos quadringentos scripto Pontificali præscripta reperiatur teste Martenio; qui etiam jure ac merito Medinam sugillat, quod lib. I *De Continentia*, cap. XLIV, censuerit non modo traditionem calicis et patenæ Subdiaconatus esse materiam, verum etiam librum Epistolarum, quin et manipulum ac tunicam in illa Ordinatione ab Episcopo traditam. Enimvero, ut eruditi omnes nôrunt, omnis illius supellectilis traditio toti antiquitati pene incognita permansit per annos mille, nec nisi ad solemnitatem postmodum ab Ecclesia instituta fuit. Nam si Pontificale Egberti excipias, docet Martenius nullam ante annos 700 manipuli in Subdiaconorum ordinatione tradendi mentionem existere in antiquioribus Pontificalibus libris mss., ejusque usum primo alium non fuisse quam ad sordes vultus abstergendas, uti constat vel ex ipsis verbis quæ in illius traditione in quibusdam Pontificalibus mss. adnotantur : « Accipe ma- » nipulum in manibus tuis ad extergendas sor- » des cordis et corporis, in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti. Amen. » Tunicam ait etiam multo serius cœpisse in ordinatione Subdiaconorum tradi, ipsumque ritum vix annos sexcentos attingere, imo nec omnes etiam initio respexisse, sed eos solos qui ex monachis ordinabantur Subdiaconi, uti docet nos Pontificale Bisuntinum ad usum Ecclesiæ Turonensis accommodatum.

§ II.

Acolythis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit quartum Graduale, vel quartum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pente-

Digitized by Google

costes. Interim a Choro cantatur ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quintam Collectam.

§ III.

Tum sedet reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio : interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad sedem suam ante medium Altaris, et Archidiaconus versus ad Ordinandos dicit : *Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi.* Et Notarius unumquemque illorum vocat, dicens : *N. ad titulum Ecclesiæ N., N. ad titulum Patrimonii sui, Frater N. professus Ordinis N. ad titulum paupertatis.* Et sic de aliis; et quilibet vocatus dicit : *Adsum.* Et accedit versus Episcopum.

COMMENTARIUS.

I. Antiquam Ecclesiæ legem esse, *ut nemo absolute ordinetur*, id est nisi certæ alicui Ecclesiæ adscribatur, in qua sacra ministeria obeat, et ex cujus redditibus vel obventionibus alatur, satis superque ostendimus nostro I tomo Conciliorum in commentario canonis VI Chalcedonensis; cujus verba hæc sunt : « Nullum » absolute ordinari Presbyterum aut Diaconum, » nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, nisi spe» cialiter in ecclesia civitatis, aut pagi, aut mar» tyrio, aut monasterio, qui ordinandus est, » pronuntietur. Qui vero absolute ordinatur, » decrevit sancta Synodus irritam haberi hu» juscemodi manus impositionem, et nunquam » posse ministrare ad Ordinantis injuriam. » Eadem legere est in sequioris ævi Conciliis usque ad sæculum Christi undecimum : etenim in Concilio Placentino, quod anno 1095 celebratum est, irrita pronuntiatur Ordinatio quæ sine titulo fit : « Ut sine titulo facta Ordinatio, » irrita habeatur. » In Concilio quoque Claromontano, quod eodem anno habitum est, diserte Patres caverunt, can. XIII, ne quis ordinaretur, nisi sub unius Ecclesiæ titulo : « Ut omnis » Clericus ad eum titulum ad quem primum » ordinatus est semper ordinetur. »

II. Illud hic admonendum censeo, hujus disciplinæ, quam rigide olim et Summi Pontifices et sacri Canones passim servandam inculcarunt, duplicem vel olim fuisse exceptionem. Ordinabantur nimirum sine titulo Ecclesiastico ii quibus vis inferebatur, seu qui ab Episcopo ad ordinationem compellebantur, primitusque protestabantur nolle se ulli Ecclesiæ alligari. Id quidem in S. Hieronymo patet, qui ea lege ordinari consensit a Paulino episcopo Antiocheno, ut illius Ecclesiæ minime adscriberetur. Idem quoque perspicue elucet exemplo S. Paulini Nolani episcopi, qui in Epistola VI ad Severum, de Ordinatione qua insignitus est a Lampio Barcinonensi, ita scribit : « Ea conditione in » Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus » sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer in Sacer» dotium Domini, non etiam in locum Ecclesiæ » dedicatus. » Altera tandem explicatæ disciplinæ exceptio in eo versatur, quod, etsi juxta veteres Canones, uti ostendimus in commentario canonis VI Chalcedonensis, Clerici in eis titulis ad quos primum ordinabantur perpetuo permanerent, transire nihilominus poterant in aliam Ecclesiam, cum ea cui per ordinationem adscripti fuerant diruta esset, capta ab hostibus, vel alio modo amissa : « Exceptis illis, » inquit Concilium Chalcedonense, can. XX, « qui pro» prias amittentes provincias, ex necessitate ad » aliam Ecclesiam transierunt. »

III. Præter memoratos casus, fuit quondam receptus Ecclesiæ usus, ut minoribus majoribusque Ordinibus initiandis tituli assignarentur, quibus Episcopi illos alligabant. Hinc S. Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, ubi agit de Ordine, *Qualiter Romana Ecclesia Diaconi et Presbyteri ordinandi sunt*, ita Episcopum aientem inducit : « Auxiliante Domino Deo » et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus in » ordinem Diaconii, sive Presbyterii ill. Sub» diaconum, sive Diaconum de titulo ill. ill. » Presbyterum de titulo ill. » Vetus Ordo Ro-

Digitized by Google

manus eo capite quod inscribitur, *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiunt*, hæc habet : « De domo S. Mariæ eligimus N. ad » Ostiarium, ad eumdem titulum. De titulo » S. Stephani N. eligimus ad Lectorem ad » eumdem titulum. De Ecclesia S. Petri N. » eligimus ad Exorcistam ad eumdem lo» cum. » Constat ex ipso Romano Ordine solemniter et magna cum pompa deductos fuisse ad suos titulos Ordinandos, eisque factum illo die convivium a Pontifice : « Plateæ autem » civitatis per quas transituri sunt coronentur » palliis, et cum tanta gloria ad statutos titulos » deducant proprios Sacerdotes ; et ipse facit » eis eo die convivium. » Hæc quidem non addubito specialiter intelligi de titulis qui Romæ existunt, ad quos ordinantur Diaconi, vel Presbyteri Cardinales, qui ita appellantur quod suis titulis sive ecclesiis incardinati atque affixi sint. Verum jam dixi, fuisse morem Ecclesiæ pervetustum, probatumque canone VI Chalcedonensi, aliisque quamplurimis, ut nulli Clerici ordinarentur, nisi ad certam quamdam ecclesiam. « Quod si hoc tempore » (verba sunt Hugonis Menardi in laudatum locum Sacramentarii S. Gregorii), « quo mundus vagis Sacer» dotibus plenus est, observaretur ad quantam » gloriam et decus se res Ecclesiastica attolleret, » dici non potest. » Cæterum ex Concilio Tridentino sess. XXIII, cap. XVI *De Reformatione*, diserte cautum est ne quis ordinetur, nisi certæ Ecclesiæ adscribatur, quam si deserat inconsulto Episcopo, a sacris ministeriis suspendi debeat.

IV. Quanquam vero per mille et amplius annos solus ecclesiæ seu beneficii titulus fuerit ad quem Clerici ordinarentur, cœpit post undecimum sæculum patrimonii titulus ex dispensatione quadam a Summis Pontificibus approbari. Concilium Lateranense III, quod anno 1179 celebratum est Alexandro III Pontifice Maximo, can. V, hanc antiquioribus Canonibus addidit pœnam in Episcopos qui absque titulo Ecclesiastico Presbyteros aut Diaconos ordinassent : « Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo » necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel » Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria » ei subministret donec in aliqua ei ecclesia » convenientia stipendia militiæ Clericalis assi» gnet; nisi forte talis qui ordinatur extiterit, » qui de sua vel paterna hæreditate subsidium » vitæ possit habere. » Concilium Londinense, quod habitum est anno 1200, laudatum Canonem Lateranensem promulgavit, extenditque ad Subdiaconos; « Idem, inquit can. VI, in Sub» diaconi ordinatione statuimus. » Vide Epistolam Decretalem Innocentii III, in cap. *Accepimus*, Extra. *De ætate et qualitate præficiendorum*, et Concilium Tridentinum sessione XXI, cap. II *De Reformatione*, ubi eadem regula confirmatur explicatiusque edocetur.

V. Tertius tandem titulus ad quem soli Regulares professi ordinari possunt, est quidem paupertas religiosa, ad quam per votum solemne in ipsa professione sponte se obligarunt. Hinc ubi ad sacros Ordines promoveri volunt Regulares, religiosæ professionis testificationem loco tituli exhibere tenentur; cujus etiam ratihabitionem in scriptis ac juramento firmatam potest ab ipsis Episcopus exigere, juxta constitutionem S. Pii V Pontificis Maximi, quam S. Carolus in Concilio Mediolanensi II, decreto XXIII, firmavit, ita inquiens : « Ut quod Sum» mus Pontifex Pius V in explicatione decreti » Tridentini, quod ex sessione vigesima secun» da, capite secundo, constituit, executionem » habet, Episcopus ne Clericum ullum Regu» larem, neque sæcularem qui Regularium mo» re in communi vitæ disciplina sit, beneficium» que Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus » sacris adscribat, nisi a Superiore fidem ille » attulerit se religionis, cui adscriptus est, pro» fessionem confecisse; juratusque affirmet » scripto manu sua subsignato, coram Episcopo » se id sponte fecisse aut ratum habuisse. Illud » autem scriptum in archivio asservandum Epi» scopus curet. »

VI. Natalis Alexander, Theologiæ Dogmaticæ et Moralis lib. II, *De Sacramento Ordinis*, cap. III, artic. III, regula XXIX, decreti hujus æquitatem inde ait elucescere, quod cum loco tituli Ecclesiastici, vel patrimonii, sit regularis professio religiosis viris, sicut Ecclesiastici beneficii titulum et pacificam possessionem, vel patrimonium, seu annuum censum ordinatori suo comprobare debent sæculares Clerici, ut ad sacros Ordines promoveantur; quia ipsius est cavere ne sine hujusmodi titulo facta Ordinatio vitiosa sit : ita apud eumdem de religiosa professione emissa Regulares fidem facere oporteat, ne ad titulum Monasterii falso aliqui ordi-

Digitized by Google

nentur, et religiosam professionem ideo mentiantur. Quia vero vel extorta, vel ante ætatem facta, vel ante probationem annuam, vel aliis ejusmodi conditionibus destituta, sine quibus ipsam irritam esse Summi Pontifices declararunt, nulla est et irrita, consulto additur illa religiosæ Professionis coram Episcopo ratihabitio, ne abolita postea professione, absque ullo titulo quis ordinatus remaneat, et ita cum ordinis Clericalis dedecore mendicare, aut sordidum quæstum facere cogatur. Quam infamiam ut averteret Burdigalensis Synodus, sub cardinale de Sourdis, cap. VI, num. IV, de Subdiacono agens, hoc decretum edidit : « Regulares autem » quicumque sine litteris Superiorum suorum, » quibus constet eos vota Religionis emisisse, » non ordinentur : promoti vero si quando ab » hujusmodi Superioribus, pro criminis exi- » gentia puniri conveniat, et urgeat necessitas » ne possint tamen habitu Religionis privari, ita » ut extra monasteria in contemptum Ecclesiæ » ejiciantur mendicaturi; sed intra eorumdem » monasteriorum septa detineri, puniri et sus- » tentari : et ad id prædicti Superiores per Or- » dinarios compellantur. »

VII. Sciendum denique et illud omnino est, Religiosos viros, seu Canonicos, vel Clericos Regulares, sive intra claustra monasteriorum suorum aut domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire, vel dimitti, et ad sæculum redire libere et licite possunt, si prætextu Religionis, ante professionem expressam, sacros Ordines susceperint, absque titulo sufficienti beneficii vel patrimonii, ex constitutione S. Pii V quæ incipit *Romanus Pontifex*, edita pridie Idus octobris anno 1568, ipso jure ab executione Ordidinum esse suspensos, et si ministeria sacra obierint, eo ipso in irregularitatem incurrere; Ordinantes vero per annum a collatione talium Ordinum ipso pariter jure privari : sane ea constitutione grave incommodum avertere curavit Pontifex zelantissimus, ne scilicet « sic pro- » moti, et claustro exeuntes, et per sæculum » vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæs- » tum exercere non sine ipsorum dedecore, vel » Ordinis vilipendio, et quamplurimorum Chri- » sti fidelium scandalo cogerentur. » Patres Societatis Jesu singulari quidem privilegio ab hac lege excepit eorum benefactor insignis Gregorius XIII, votaque simplicia post biennium novitiatus emissa ipsis sufficere declaravit, constitutione quæ incipit *Ascendente*, edita anno 1584, et quam deinde Gregorius XIV, alia constitutione quæ incipit *Ecclesiæ Catholicæ*, edita anno 1591, confirmavit.

§ IV.

Debet autem quilibet Ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu, non tamen super caput, alba et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextera.

COMMENTARIUS.

I. Cum de hisce Subdiaconorum sacris vestibus infra dicturi sumus, unum hic explicandum censemus, nudo capite esse eos debere, Ordinibus sacris initiandi sunt, ut scilicet ipsorum capiti decentius ab Episcopo manus imponatur. Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, in libro *De Templo,* ex eo Sacerdotes, dum sacris operantur, nudatum caput habere contendit, non solum ut Christum, qui ex Apostolo in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, caput nostrum est, honorent, verum etiam quia nudo omnes capite ordinantur : « Aperto capite Epi- » scopi et Sacerdotes Orientis omnes, excepto » Alexandrino Patriarcha, sacris funguntur; » non ob aliquam humilitatem, sed ob causam » altiorem et longe Diviniorem; videlicet quam » divinus Paulus ponit ac docet, Christum caput » nominans, nos autem membra ipsius, et opor- » tere nos Christum caput nostrum honorantes, » caput inter orandum nudatum habere. Nec ob » hoc tantum, sed quia etiam nudo capite, qui » ordinatur, Ordines suscipit, atque ita quem- » admodum ordinatur, ita et precari et sacris » operari debet. » Recte itaque præscribit nos-

Digitized by Google

trum Pontificale, ut in Subdiaconum ordinandus, amictu indutus, illum non habeat super caput. Sane in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Capuanæ, variis figuris insignito, quod in celebri Casanatensi bibliotheca Romæ asservatur apud Fratres inclyti ordinis Prædicatorum, Ordinandi omnes semper nudo capite repræsentantur.

§ V.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos (nisi omnes sint Religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur), dicens :

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis; licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire : quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite.

COMMENTARIUS.

I. Si, ut superius ostendimus, et in nostro tomo I Conciliorum fuse probavimus, nefas sit iis qui prima Tonsura vel minoribus Ordinibus initiati sunt, a Clericatu temere resilire, Subdiaconi certe, Diaconi ac Presbyteri, nullatenus possunt Ecclesiastico statui renuntiare, et matrimonio alligari; sed omnino debent castitatem servare, et in sacra militia permanere. Circa cæteros minores Clericos varius quidem fuit usus Ecclesiarum apud Latinos. Licet enim Concilium Carthaginense III statuat can. XIX, « Ut Lectores cum ad annos pubertatis vene- » rint, cogantur, aut uxores ducere, aut conti- » nentiam profiteri; » et Concilio Carthaginensi V, can. III, placuerit, superiores tantum Ordines cælibatus lege frenari, « Cæteros autem » ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque » Ecclesiæ consuetudinem observari debere : » Agathense tamen Concilium, quod initio sæculi VI sive anno 506 habitum est, canone XXXIX, ne hanc quidem libertatem minoribus Clericis ducendi uxores concessit, cum inquit : « Pre- » sbyteri, Diacones, Subdiacones, vel deinceps, » quibus ducendi uxores licentia non est, etiam » alienarum nuptiarum evitent convivia. » Cujus præcepti hanc rationem affert : « Ne auditus » et obtutus sacris Mysteriis deputati, turpium » spectaculorum atque verborum contagione » polluantur. » Augustanum quoque Concilium anni 952, can. XI, minores ait Clericos vel invitos ad continentiam cogi, ubi ad annos pubertatis pervenirent : « Cæteri autem Clerici » quando ad maturiorem ætatem pervenerint, » licet nolentes, ad continentiam cogantur. »

II. Quin et sæculo undecimo, in quo, ut produnt Annales Ecclesiastici, impudicitiæ lues ubique fere locorum Clerum infecerat, non desunt Concilia, quorum decretis universim Clerici omnes continere jubentur, nec posse ducere uxorem : « Similiter nulli de Clero per- » mittimus deinceps uxorem, neque concubi- » nam habere. » Verba sunt Concilii Bituricensis anni 1301, can. V. Alexander III, post medium sæculum XII, Clericos minores qui conjugia inirent, beneficiis quæ haberent excidere jussit, ut videre est in cap. II et III *De Clericis conjugatis*. Ubi Innocentius III, cap. V, novo robore Alexandri decretum munivit, ob eam præsertim rationem, quod eorum liberi et uxores Ecclesiasticarum rerum substantiam dissiparent : « Præsertim cum rerum Ecclesiasti- » carum substantia per tales soleat deperire. » Idem Pontifex Innocentius III, et Honorius pariter III, omni etiam eos spoliaverunt privilegio Clericali, sive ipsos, seu bona ipsorum spectante, uti liquet ex cap. IX et X, titulo eodem *De*

Digitized by Google

Clericis conjugatis. Perrexerunt tandem privilegium Clericale magna saltem ex parte, certisque conditionibus, iis relinquere posteriores tum Summi Pontifices, tum sacræ Synodi, modo vestem et tonsuram Clericalem gestarent : id quod et Synodus Tridentina firmavit, ubi sessione XXIII *De Reformatione,* cap. VI, ita statuit : « In Clericis vero conjugatis servetur » constitutio Bonifacii VIII, quæ incipit, *Clerici » qui cum unicis;* modo hi Clerici, alicujus » ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo » deputati, eidem ecclesiæ serviant vel minis- » trent, et Clericali habitu et tonsura utantur. »

III. Explicata utcumque hucusque disciplina cælibatus Clericorum inferiorum, quod spectat Subdiaconos, de quibus nobis est in præsenti sermo, constat ipsos in Ecclesia Græca semper fuisse prohibitos uxorem ducere post suam ordinationem : etenim Canon XXVII, ex iis qui vulgo Apostolis tribuuntur, quique disciplinam complectuntur quæ tribus prioribus sæculis apud Orientales obtinuit, ex interpretatione Dionysii Exigui, ita statuit : « In nuptiis autem, qui ad » Clerum provecti sunt, præcipimus ut, si vo- » luerint, uxores accipiant, sed Lectores Can- » toresque tantummodo. » Quibus verbis perspicue liquet, iis sæculis jam fuisse vetitum Subdiaconis ne matrimonia inirent. Canonem istum non modo confirmavit Justinianus in lege XLV, ad Julianum Præfectum, Cod. *De Episcopis et Clericis;* sed præterea dolens a compluribus temere violari, ideo ultra degradationem filios ex hujusmodi matrimonio natos fecit non tantum spurios aut nothos, sed « un- » dique prohibitos, et successionis genitorum » indignos; » utpote natos ex coitu jampridem damnato, uti observat Lupus in Canonem sextum Concilii Trullani, cujus verba hæc sunt : « Quo- » niam in Apostolicis Canonibus dictum est, » eorum qui non ducta uxore in Clero promo- » ventur, solos Lectores et Cantores uxorem » posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, » ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel » Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem » contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus » facere, deponatur. »

IV. Apud Græcos prohibitum quoque fuisse Subdiaconum prioribus sæculis uti uxore cum qua ante ordinationem nupsisset, luculentissime docet S. Epiphanius, *Hæresi* LIX, num. IV, cum ita scribit : « Quin eum qui adhuc in matrimonio » degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit » uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, » Presbyteri, Episcopi aut Hypodiaconi ordi- » nem admittit Ecclesia, sed eum duntaxat qui » ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, » aut ea sit orbatus. » Eam mox disciplinam maxime cum sacris Canonibus cohærere contendit : « Quod in illis locis præcipue fit ubi » Ecclesiastici Canones accurate servantur. » Concludit tandem, contrariam quorumdam locorum consuetudinem esse meram corruptelam, atque abusum qui contra Canones irrepserit : « Non illud, inquit, ex Canonis auctoritate fieri, » sed propter hominum ignaviam, quæ certis » temporibus negligenter agere solet. » Ex quibus verbis colligere licet, jam Epiphanii tempore, id est senescente sæculo IV, alicubi suboriri cœpisse illam quam Græci hodierni consuetudinem servant ex canone XIII Concilii Trullani, ubi ex Canone Apostolorum male ac pravo intellecto permittitur conjugii usus Presbyteris et Diaconis qui ante Ordinationem matrimonium celebrarent : reclamante veteri Ecclesiæ Orientalis disciplina, de qua S. Hieronymus ita scribit adversus Vigilantium, qui incontinentiæ labem in Ecclesiam Occidentis spargere nitebatur : « Quid facient, inquit, » Orientis Ecclesiæ ? quid Ægypti et Sedis » Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos acci- » piunt, aut continentes; aut si uxores ha- » buerint, mariti esse desistunt? » Hodie etsi Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi Græci, ex canone laudato Trullanæ Synodi, etiam ii qui in Nostro Neapolitano regno degunt, conniventibus Pontificibus Maximis, uxoribus utantur quibus cum ante Ordinationem nupserant, recte tamen illis exprobrari potest, permissum id ipsis fuisse « propter duritiam cordis : ab initio enim » non fuit sic. »

V. Quod autem spectat Latinorum morem, quamvis Siricius et Innocentius, Pontifices Maximi, aliique prisci Patres et sacræ Synodi solos Diaconos et supra, non autem Subdiaconos, continentiæ legi addixerint, uti late ostendit Thomassinus, parte I *Disciplinæ,* lib. II, cap. LXI, eos tamen cælibatus vinculo coarctavit primum S. Leo Magnus, qui in Epistola LXXXIV, quæ est ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, cap. IV, ita scribit : « Cum extra Clericorum

Digitized by Google

» ordinem constitutis, nuptiarum societati et » procreationi filiorum studere sit liberum : ad » exhibendam tamen perfectæ continentiæ pu» ritatem, nec Subdiaconibus quidem connu» bium carnale conceditur, ut et qui habent » sint tanquam non habentes, et qui non habent » permaneant singulares. » S. Leonis constitutum successu caruisse, vel ex eo patet, quod rursum S. Gregorius Magnus illud executioni mandare coactus sit, uti videre est in compluribus illius Epistolis, et in plerisque Conciliis post S. Leonem habitis, quorum canones refert laudatus Thomassinus loco citato, cap. LXII et LXIII. Quin et Gregorii legem vel non statim, vel non diu in pluribus provinciis viguisse, liquet ex Gregorio II et Zacharia Pontificibus Maximis, Conciliisque Romæ ipsorum tempore habitis : voluit namque Zacharias omnes Diacono inferiores Clericos ea super re consuetudinem Ecclesiarum suarum servari, cum in Capitulari, seu compilatione Canonum quam ipse ad Gallos destinavit anno 744, articulo XI, continentiæ legi non subjiciantur, nisi Episcopi, Presbyteri Diaconique, juxta V Carthaginensis Concilii canonem tertium, reliquis Clericis arbitrio suo, vel Ecclesiæ suæ consuetudini permissis : « Cæteros autem Clericos ad id non » cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ » consuetudinem observari debere. » Vide Baronium, ad annum 744, numero XI.

VI. Dudum nihilominus in Hispania cœpere ad continentiam cogi Subdiaconi, postquam eis et sacra vasa contrectare datum est, et imposita Episcopi manus : enimvero, ne, uti solebant, hanc obtenderent quidam cavillationem, quod in Ordinatione sua nulla fuerint Episcopali benedictione consignati, præcepit VIII Synodus Toletana, anno 653 habita, can. VI, ut posthac in Subdiaconorum ordinatione post datam iis contrectandi sacra vasa potestatem, Episcopus benedictionem super eos effunderet, seu manus iis imponeret, ut nonnulli Viri docti egregie interpretantur : « Relatum est nobis, quosdam » Subdiaconos, postquam ad sacri Ordinis per» venerint gradum, non solum carnis immun» ditia sordidari, cum scriptum sit, *Mundamini*, » *qui fertis vasa Domini*, sed etiam, quod dictu » quoque nefas est, novis uxoribus copulari, » asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedi» ctionem a Pontifice se nesciunt percepisse. » Proinde omni excusationum discisso vela» mine, id præcipimus observari, cum iidem » Subdiacones ordinantur, cum vasis ministerii » benedictio eis ab Episcopo detur, sicut in » quibusdam Ecclesiis vetustas tradit antiqua, » et sacra dignoscitur consuetudo substare, » prolata omni penitus ab illis sorde mulierum, » ac familiaritate remota. Quod si hoc vulnere » deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœ» nitentiæ oneribus usque ad extremum vitæ » monasteriis religandi. »

VII. In hoc Canone dignum notatu est, quod eruditi Scriptores docent, eam Episcopi benedictionem seu manus impositionem non fuisse nisi meræ cæremoniæ loco habendam, cum ejus institutio tam tarda fuerit in hac Synodo, et si qua erat in aliquibus provinciis, erat tamen posterior Concilio Carthaginensi IV, ubi tam perspicue delineati sunt ritus omnes Ordinationum, et ubi conceptis verbis affirmatur, Subdiaconis instrumenta tangenda porrigi, quod nulla manus impositione ordinentur. Ejus Concilii verba in can. V hæc sunt : « Subdiaconus » cum ordinatur, quia manus impositionem » non accipit, patenam de Episcopi manu acci» piat vacuam, et calicem vacuum, etc. » In sacrum itaque paulatim assurgescebat ordinem Subdiaconatus citius tardiusve in aliis et aliis provinciis, prout citius tardiusque, et vasorum contactu sacrorum consecratus, et impositione manuum Episcopalium firmatus, et continentiæ jugo suppositus fuit. Porro, cum jam a pluribus sæculis Subdiaconatus ordo cælibatus vinculo coarctetur, recte monet nostrum Pontificale, ut ad illum promovendi iterum atque iterum considerare debeant attente, quod onus ultro appetunt; itemque dum tempus est, cogitare, si in sancto Ecclesiæ ministerio, ac in perpetuæ continentiæ proposito perseverare valent; quod quidem consentaneum est cum disciplina a compluribus Synodis inculcata, inter quas Audomarensis anni 1583, tit. IX, cap. VIII : « Ne» mo, inquit, ad Subdiaconatus ordinem susci» piendum se offerat, qui non suam ipsius Dei » beneficio castitatem expertus, firmiter sta» tuat, mulieribus et mulierum desideriis, om» nisque generis turpitudinibus perpetuo abs» tinere, tum animi, tum corporis castitati » studere. »

VIII. Cum denique in recitato sermone hor-

Digitized by Google

tatorio Episcopus ad Subdiaconatus ordinem promovendos moneat, liberos eos hactenus esse, ac licere ipsis pro arbitrio ad sæcularia vota transire, et demum si Ordinem susceperint, non posse amplius a proposito resilire, sed Deo debere perpetuo famulari, ac castitatem servare; recte mandat nostra præsens Rubrica, ut si ordinandi Subdiaconatu sint Religiosi, omittat Episcopus eam ad illos admonitionem, quippe qui per suam solemnem professionem jam statui religioso et continentiæ vinculo adstricti sunt, nec valent sine apostasiæ et sacrilegii nota ab Ordine suo resilire; adeo ut si nuptias inirent, nullum profecto matrimonium esset, natique filii sacrilegi vocarentur; ipseque tandem in varias pœnas incurreret : de quibus vide Doctores.

[Hic forte confutanda foret illa nova, absona ac prorsus inaudita opinio quam vigere novimus in pluribus seminariis de vi et proprietate illius accessus quo pergunt ad Pontificem hi qui, audita ejusdem exhortatione, in sancto proposito persistunt, et ad recipiendum sacrum Subdiaconatus ordinem se accingunt. Difficile sane foret a mentibus de quorum loquimur illud præjudicium evellere quo, cæca et vulgari traditione, censent illos quibus contigit ad Episcopum ita solemniter accedere, quod aiunt antonomastice *faire le pas,* ipso facto sæculo renuntiasse, nec amplius deinceps nuptias posse validas inire, quin et cælibatui sacro in perpetuum mancipari. Quæ quidem opinio longe ab illis esset si rite docerentur continentiæ debitum ab Ecclesia imponi his qui sacrum Subdiaconatus ordinem susceperint, non vero iis qui nondum illo insigniuntur. Quod si Episcopus dictam admonitionem omitteret, ut fit pro Regularibus, tunc non haberent præfati Ordinandi occasionem ad Pontificem celeberrimo illo gressu procedendi; numquid tales se a Subdiaconali continentia immunes judicarent? Præjudicium igitur deponant, attento et præparato corde admonitionem Pontificis audiant, accedant ad illum, vel potius ad Christum qui eos vocare dignatus est, generoso et volenti animo; sed noverint Subdiaconos rite ordinatos, per Ordinis collationem tantum sacro ligamine adstringi, et ideo cum unctione Spiritus sancti, vigili et fervida mente sacramentales ritus suscipiant quibus initiantur ad tantæ dignitatis Ordinem, ut Ecclesia decreverit huic, jure indispensabili, perpetuæ castitatis professionem annexam fore. His serio consideratis, nemo est qui non videat quantum liturgicæ gravitati adversatur impetus ille quo, in quibusdam Ecclesiis, vocati ad Subdiaconatum, theatrico saltem more, ad Pontificem et altare procedunt.]

§ VI.

Illis tunc accedentibus et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocet cæteros Ordinandos, dicens : *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.* Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet Diaconandos paratos amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera tenentes contra cornu Epistolæ altaris, faciebus altari versis; et Presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum Diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra, et candelam dextera tenentes contra faciem Pontificis ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens procumbit super faldistorium, in superiori gradu sive plano altaris paratum, et omnes Ordinandi in locis super tapetia prosternunt se; Ministri vero et alii astantes genuflectunt; et Schola inchoat Litanias Choro respondente; vel, si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, Ministris et Capellanis respondentibus : *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Christe audi nos, etc.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Neque vero Ordinandos tantum genua sua flexisse, sed præterea solitos fuisse prosterni, docet nos S. Dionysius, qui inter sacros Ordinationis ritus etiam ὑπόπτωσιν statuit, quæ *prostratio* dici potest. Proprie tamen Græci non prosternuntur, sed sive Diaconus sive Presbyter ordinandus est, *frontem in sancta mensa applicat*, cum hoc profecto discrimine, quod ille dextrum duntaxat genu inflectit, hic vero utrumque incurvat, uti videre est in eorum Euchologio, et in nostris commentariis superioribus, in quibus ejus discriminis rationem dilucide explicuimus. In Ecclesia Latina, quemadmodum hodie Minorum Ordinum candidati non prosternuntur, ita nec olim Subdiaconatu initiandi prosternebantur, ut ex S. Ambrosio inferre conatur Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. VI, cujus illationem etsi nihil curem, præstat tamen ejusdem Scriptoris testimonium recitare, ut ex illo quid ipsius sæculo de prostrationis ritu usitatum fuerit, addiscere liceat. Sic ergo scribit Amalarius : « Juxta verba Ambrosii intelligimus, subjectos Ordines Diacono et Presbytero non debere Ordinationem accipere circa altaria; nec quando Episcopus prosternitur ante altare, debere secum prosternere alios, nisi eos qui provehendi sunt ad Sacerdotale ministerium vel ad Diaconatus officium. »

II. Est et antiquissimus in Ecclesia Latina usus dicendi Litanias dum Diaconi et Presbyteri ordinarentur, ejusque ritus diserte meminit in suo Sacramentorum libro S. Gregorius, qui agens de ordine qualiter in Romana Ecclesia Diaconi et Presbyteri ordinandi sunt, ubi ritum memoravit titulorum Ordinandis assignandorum, statim subdit : « Et post modicum intervallum incipiunt omnes *Kyrie eleison* cum Litania. » In Ordine Romano nihil tale exstat; eratque olim breviuscula, quam hic ex pervetusto Ratoldi abbatis Codice subjicio, quem obiisse aiunt anno Domini 996, idibus martii. Sane in ipso Codice apud Morinum, parte II, *De Sacris Ordinationibus*, pag. 246, et apud Menardum, in Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii papæ, memorata Litania ita describitur :

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Christe, audi nos.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli, orate.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Omnes sancti Apostoli, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes sancti Confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Agatha, ora.
Omnes sanctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius esto, libera nos, Domine.
Per Adventum tuum, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Circumcisionem tuam, libera.
Per Baptismum tuum, libera.
Per Jejunium tuum, libera.
Per Crucem tuam, libera.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut Apostolicum nostrum, etc. te.
Ut Regem nostrum, etc. te.
Ut Episcopum nostrum, etc. te.
Fili Dei, te rogamus. ter.
Agnus Dei, qui tollis, etc. ter.
Christe, audi nos, ter.

III. Sunt et aliæ apud Scriptores Ecclesiasticos longiores Litaniæ, quas vel in tribus Rogationum diebus, vel in Extrema infirmorum unctione, vel alias recitare consueverant. Apud Arnoldum Wionem, lib. IV *Ligni vitæ*, c. XII, habetur Litania quam testatur ille esse S. Gre-

Digitized by Google

gorii Magni, seque in Codice ms. Cassinensis monasterii reperisse. Sed nemo est vel leviter antiquitatis Ecclesiasticæ studiis imbutus, qui ejusmodi Litaniam illius esse arbitretur; uti scite observat Menardus in Notis ad laudatum librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 158, addens, vel ex eo refelli Arnoldi opinionem, quod in ipsa Litania invocetur S. Gregorius, et quidem alii Sancti qui cum illa habita est adhuc vivebant. Sane constat hodiernam Litaniam, quam habet nostrum Pontificale Romanum, Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, variare nonnihil ab iis Litaniis quæ exstant in Romanis Pontificalibus antiquioribus, Lugduni anno 1542, et Venetiis anno 1572 editis. Quidquid sit de illa varietate, propterea invocantur Sancti, ut illorum intercessione ii qui promovendi sunt, ad suæ Ecclesiæque utilitatem Ordines sacros suscipere mereantur. Boni enim malive ipsorum mores cæteris normam vivendi præbent.

§ VII.

Postquam autem dictum fuerit in Litaniis : *Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.* ℟. *Te rogamus audi nos*, surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad Ordinandos vertens, et baculum pastoralem in sinistra manu tenens, Ordinandis prostratis manentibus, dicit : *Ut hos electos bene ✠ dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hos electos bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et conse ✠ crare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tum iterum super faldistorium procumbit, Schola perficiente Litanias : *Ut nos exaudire digneris*, usque ad finem.

COMMENTARIUS.

I. Jam alibi vidimus ex Rubricis nostri Romani Pontificalis tam Clericorum creationem quam minorum Ordinum collationem non aliter celebrari quam adhibita super Clericos ac cæteros minoribus Ordinibus initiatos cum signo Crucis benedictione. Unde non mirum si nec sacros Ordines præsens hæc Rubrica conferri permittit, quin prius in Litaniis, dum hæc a Pontifice recitantur, primo quidem, *Ut hos electos bene ✠ dicere digneris;* secundo, *ut hos electos bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris*; tertio, *Ut hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et conse ✠ crare digneris*, trina benedictione, adhibito signo Crucis, Ordinandi consignentur. Tribus quippe illis versiculis, veluti totidem gradibus exorat Pontifex Deum, ut sanctitatem Ordinandorum amplius promoveat, naturales eis virtutes, itemque sanctificantem gratiam et divinam auctoritatem gratiis gratis datis undequaque munitam copiosissime largiatur. Cæterum etsi in singulis Minoribus Ordinibus conferendis benedicat Episcopus signo Crucis initiandos, ubi tamen agitur de collatione Majorum Ordinum, ac idcirco de re majoris momenti, semel, iterum atque iterum expresso Crucis signo benedictionem Ordinandis ipse Episcopus impertitur; imo si de Presbytero et Diacono loquamur, ii certe, ut inferius ostendetur, quando jam consecrati dimittuntur, salutari iterum Crucis signo consignantur; quo etiam signo, ut suis locis patebit, Presbyter et Episcopus muniuntur, dum eos Episcopus consecrans sacro oleo inungit.

II. Huc certe spectare videtur quod ait S. Augustinus, Sermone CLXXXI de Tempore, et Tractatu CXVIII in Joannem, ita inquiens : « Signo Crucis consecratur corpus Dominicum, » et omnia quæcumque sanctificantur, cum in» vocatione Christi nominis, in hoc signo con» secrantur; hoc enim signum nisi adhibeatur, » sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ qua » regenerantur, sive oleo quo Chrismate un» guntur, nihil eorum rite perficitur. » Ideo in Ordinibus præsertim sacris conferendis Crucis semper signaculum affulget : « Unicuique eo» rum, » inquit S. Dionysius de Ecclesiastica

Digitized by Google

Hierarchia, « qui consecrantur, signum Crucis » a consecrante Pontifice imprimitur. » Ibidem vero subdit, Crucis consignationem communem esse Ordinationi Episcoporum, Sacerdotum et Diaconorum. Id quod etiam testatur memoratus Augustinus Sermone XIX de Sanctis, ubi ita ait : « Sacerdotes et Levitæ per signum Crucis ad » sacros Ordines promoventur. » Tandem, ut alia omittam testimonia, quæ videri possunt apud Andream Saussay, Panopliæ Clericalis parte I, lib. V, cap. IV, S. Joannes Chrysostomus Homilia LV in Matthæum, absolute inquit in quacumque Ordinatione signum hoc salutis adhiberi : « Crux adest, cum Ordinandi statui- » mur. »

§ VIII.

Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra sedet supra faldistorium ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce : *Recedant in partem qui Ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.* Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad Ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice per ordinem in modum coronæ genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens :

Adepturi, Filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite quale vobis ministerium traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium Altaris præparare; Diacono ministrare; pallas altaris et corporalia abluere; calicem et patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes quæ veniunt in altare, panes propositionis vocantur : de ipsis oblationibus tantum debet in altare poni quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari; ipsaque aqua in baptisterium debet vergi. Studete itaque, ut ista visibilia ministeria quæ diximus, nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum, in quo et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallæ et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista : Dominus regnavit, decorem indutus est. *Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, id est Sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda est a vobis aqua cœlestis doctrinæ; qua purificati, ad ornamentum altaris et cultum divini Sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui Sacrificii divinis et Ecclesiæ Dei, hoc est corpori Christi, digne servire valeatis in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus :* Omne quod non est ex fide, peccatum est, *schismaticum est et extra unitatem Ecclesiæ est. Et ideo si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Subdiaconorum officia, ex recitata Episcopi ad ipsos Subdiaconatu initiandos admonitione, hæc sunt : aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam eidem in usum Sacrificii offerre, oblationes quæ veniunt ad altare suscipere, ut ex iis quantum satis est in altari ponatur, ne aliquid putridum in altari remaneat. Eadem iisdem fere verbis legere est in antiquis Ritualibus libris, et apud veteres Scriptores Ecclesiasticos, inter quos S. Isidorus episcopus Hispalensis, in Epistola ad Leudfridum episcopum Cordubensem addit, munus esse etiam Subdiaconi urceolum et aquamanile et manutergium tenere, et Episcopo et Presbyteris ac Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere. Olim quidem, ut ex eodem Isidoro constat, Subdiaconi ipsi nec calicem, nec patenam, nec oblationes in altari ponebant; sed ista Diaconis, ut hoc ii præstarent, porrigere soliti erant. Id quod et creditus Alcuinus, et Amalarius Fortunatus sequioribus sæculis tradiderunt : quorum primus in libro *De Divinis Officiis,* in eo capite ubi agit de Tonsura Clericorum, § VII, « Subdiaconus, inquit, submini» ster, eo quod sub Diacono sit, id est sub mi» nistro; illius ministerium est, ut ministret » Diacono, id est deferat ei linteum super quod » consecrandum est corpus et sanguis Domini, » deferat ei patenam cum oblatis, et calicem in » quo vinum et aqua habeatur, etc. » Alter vero, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis,* cap. XI, ita scribit : « Subdiaconus vasa altaris ad eum » (*Diaconum*) defert, ipse vero ad altare, ut in » eo disponat quæ disponenda sunt, atque inde » recipiat ut bonus dispensator de mensa domini » sui. » Ex quibus recte infert Morinus, *De sacris Ordinationibus,* parte III, exercitatione XII, cap. II, Subdiaconos tum temporis, id est initio sæculi IX, quo floruerunt laudati Auctores, quanquam sanctuarium Diaconis ministrandi causa ingrederentur, et in eo dum Missarum solemnia celebrarentur consisterent, ad ipsum tamen altare, ut in eo per seipsos juxta morem hodiernum inservirent, non accessisse.

II. Christianus Lupus, vir sane doctissimus, tomo VI, in canonem septimum Concilii Quintilinoburgensis, vel ex eo probare intendit Subdiaconi officium non esse tantæ dignitatis apud Græcos quantæ apud Latinos, quod ipsi in Laodicena Græca Synodo vetitum sit sacra vasa contingere, cum alias in Carthaginensi IV, aliisque Latinis Conciliis, semper licuerit sacra vasa etsi a corpore et sanguine Domini vacua contrectare. Verum pace tanti Viri, canone Laodiceno XXI quem ipse allegat, illorum tantum sacrorum vasorum contrectationem Subdiaconis inhiberi, dum divina Sacramenta continent, vel Græcus auctor Theodorus Balsamon docet, non item si vacua sint; tunc enim ea contingere ad Subdiaconos pertinere, diserte liquet ex testimonio Simeonis episcopi Thessalonicensis, sic aientis : « Tangit vero (*Subdiaconus*) vasa sacra, » et ea decenter disponit, ut cum Sacerdotes » dona voluerint offerre, parata inveniant. In » ipsa quoque magna donorum introductione, » vasa quæ supersunt Diaconus suscipiens, cus» todienda Subdiaconis tradit : neque enim ea » tangere inferioribus ministris concessum est. » Disponit ergo et tangit sacra vasa Subdiaconus, teste laudato Thessalonicensi; hancque sententiam strenue propugnat contra Petrum Arcudium vir clarissimus Jacobus Goar, ad Rituale Græcorum in Notis ad ordinem fieri solitum in ordinatione Subdiaconi, numero XIII, ubi etiam post allatum pro nostra opinione aliud Græci scriptoris testimonium docet, canonem Laodicenum XXI prohibere quidem Subdiaconis Dominica vasa tangere, « Corpus videlicet et san» guinem Domini continentia. »

III. Pro intelligentia eorum verborum quibus Episcopus admonet Subdiaconos ut oblationes quæ veniunt ad altare suscipiant, ex iisque in altari ponatur *quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat;* sciendum est, vetus esse Ecclesiæ institutum, ut omnes qui ad Missarum solemnia conveniebant communicaturi, panem quoque et vinum offerrent, ex quibus Eucharistia conficeretur; atque ideo cum jure communicandi annexum erat et jus offerendi. Memorant passim ipsum ritum prisci Patres, Tertullianus, S. Cyprianus, Augustinus et alii apud Eminentissimum Cardinalem Baronium, et apud Christianum Lu-

Digitized by Google

pum ad canonem XIII quinti Romani Concilii S. Gregorii VII, ubi fuse hanc materiam tractat. Sane hujus ritus tanta fuit apud majores nostros religio, ut cum Concilium Matisconense II, anno 585 habitum, can. IV, Christianos nonnullos deprehendisset ad Missarum solemnia accedere nullam admoventes hostiam, sub anathematis pœna decreverit, « Ut in omnibus dominicis » diebus, Altaris oblatio ab omnibus viris et » mulieribus offeratur, tam panis quam vini. » Hasce oblationes in Ecclesia Romana, testatur vetus Ordo Romanus datas fuisse Subdiaconis, ab iisque porrectas Archidiacono, qui ex illis quantum populo satis esset in altari ponebat : « Archidiaconus accipiens oblatas per Subdia- » conos, hinc inde porrigentes eas, ponit tantas » sub altare quantæ possint populo sufficere. » Varia de hac re scitu digna videri possunt apud laudatum Lupum loco citato, et ad canonem V Romani Concilii Nicolai II Pontificis, item apud cardinalem Bona, libro II *Rerum liturgicarum*, cap. VIII et IX, apud Van Espen, parte II, *in Universum Jus Ecclesiasticum*, tit. V, cap. IV et V, et alios complures, ac recentissime apud virum clarissimum Cajetanum Merati in additionibus ad Gavantum parte I.

IV. Neque dissimulanda sunt ea verba ejusdem admonitionis Episcopi ad Subdiaconos, cum ita inquit : *Pallæ quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallæ.* Primas enim pallas a pallis corporalibus distinguit, quæ vulgo corporalia appellantur; et illæ quidem sunt mappæ altaris ut dicimus, vel mantilia ut veteres appellarunt, quæ alias appellantur pallæ altaris, uti docet ad *Concordiam Regularum* vir clarissimus Hugo Menardus. Substratorium est id quod alicui substernitur, ut hodie in altari grossiores telæ, quæ pallis altaris substernuntur. Corporalis nomen sæpe legitur in Ordine Romano, in quo etiam exstant tres orationes ad illud benedicendum, quibus Antistes Deum precatur ut ipsum linteamen cœlesti benedictione sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. In eodem libro, et in Sacramentario S. Gregorii, palla Corporalis nuncupatur. Demum quod in peculiari vase ejusmodi corporales pallæ lavari debeant, educit Concilium Meldense apud Burchardum, lib. IV, cap. XIII : « Similiter ad corporale lavandum, » et ad pallas altaris propria vasa habeantur, in » quibus nihil aliud fiat. » Et in Concilio Remensi apud eumdem Burchardum, lib. III, cap. XLVIII, ita cautum legimus : « Quando » abluitur (*Corporale*) a Sacerdote, Diacono, » vel Subdiacono, primo in ecclesiæ loco, et » vase ad hoc præparato abluatur : eo quod ex » Dominico Corpore et Sanguine infectum sit. »

V. Fuerunt et alia olim Subdiaconorum munera; ipsi siquidem Sacrorum tempore fores ecclesiæ observabant, ex canone XXII Concilii Laodiceni, in quem etiam notat Zonaras, antiquis temporibus solitos fuisse Subdiaconos non modo ad fores ecclesiæ consistere, sed et ibi catechumenis, et iis qui in pœnitentium ordine censebantur, cum opus esset, emittendis, operam suam præstare. Hodie ex recentiori disciplina, omne pene Subdiaconorum officium reducitur ad ministerium altaris in Missis solemnibus, præcipuumque creditur solemnis Epistolæ decantatio, quæ tamen intra officia Subdiaconi antiquius in Ecclesia Latina minime recensebatur, sicut nec hodie apud Græcos, uti observat Morinus loco laudato. Porro cum hodie paucos aut nullos fere in ordine Subdiaconatus perseverare videamus, illumque ordinarie assumi tanquam gradum quo ad Presbyteratum ascendatur, officiaque Subdiaconatus, sicut et Diaconatus, non ut olim per solos Subdiaconos et Diaconos, sed passim per Presbyteros etiam in officio solemni agantur, non est ut hac in re amplius immoremur. Hoc unum moneo, quod etiam superius tradidi, Subdiaconatus candidatis, cum hunc Ordinem susceperint, non licere amplius a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos, ac demum summa sedulitate ac sanctimonia debere munus suum peragere, juxta Episcopi admonitionem ita ipsos alloquentis : *Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti.*

Digitized by Google

§ IX.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente : *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Et Archidiaconus accipit et tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio; quæ omnia similiter tangere debent.

COMMENTARIUS.

I. Cum in Commentario ad § I hujus tituli abunde actum sit de materia tam ab Episcopo quam ab Archidiacono Subdiaconis tradenda, hoc unum hic admonendum censeo, verba quæ ab Episcopo in mox recitato § proferuntur, *Videte cujus ministerium, etc.* haberi quidem in Sacramentario S. Gregorii, in quo tamen ea verba initium sunt admonitionis quam non ita prolixe, ut in nostro Pontificali, facit Episcopus ad Subdiaconos. Eadem quoque verba contractius in antiquo Romano Ordine referuntur, ubi Episcopus statim ac ipse et Archidiaconus Subdiaconis materiam tangendam tradit, ita inquit : « Videte cujus ministerium vobis tra- » ditur. Et ideo si usque nunc fuistis tardi ad » ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si » usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si » usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque » nunc incesti, amodo casti. Ideo vos admoneo, » ut tales vos exhibeatis ut Deo placere possitis. » Eadem legere est in plerisque priscis Ritualibus libris apud viros clarissimos Joannem Morinum, ac Edmundum Martenium.

§ X.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum, stans cum mitra dicit :

Oremus Deum ac Dominum nostrum, Fratres charissimi, ut super hos servos suos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene✠dictionem suam et gratiam; ut in conspectu ejus fideliter servientes, prædestinata Sanctis præmia consequantur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XI.

Tunc, deposita mitra, conversus ad altare Pontifex, dicit : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et mox Pontifex conversus ad Ordinandos genuflexos dicit sine mitra :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es; ut eos in sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque cœlestis militiæ instituas excubitores, sanctisque Altaribus tuis fideliter subministrent; et requiescat super eos Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; et repleas eos Spiritu timoris tui; et eos in ministerio divino confirmes, ut obedientes facto ac dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Scite observat eruditissimus auctor Hugo Menardus in Notis et Observationibus ad librum Sacramentarium S. Gregorii papæ, hasce Episcopi orationes exstare non modo in ipso S. Gregorii libro, sed in plerisque aliis Ritualibus, ac præsertim in Ordine Romano, quemadmodum et in Codice Rotaldi, in quo tamen ita ea verba legimus : « Spiritu sapientiæ et intellectus, » Amen; Spiritu consilii et fortitudinis, Amen; » Spiritu scientiæ et pietatis, Amen. » Cæterum in Ordine Romano post secundam orationem statim sequitur : « Et Episcopus det eis mappu- » las dicendo : In vestitione harum mappularum » subnixe te, Domine, deprecamur, ut hi famuli » tui sic operentur in temporali conversatione, » quatenus exemplo piorum Patrum, in futuro » mereantur perenniter gaudere. Per Domi- » num, etc. » In Ordine ms. S. Germani apud laudatum Menardum porrectio mappulæ habetur hunc in modum : « Hic dat eis Episcopus map- » pulam, dicens : Accipe mappulam : imple » ministerium tuum; potens est enim Deus, ut » augeat tibi gratiam. » Ubi mappula nihil aliud est, quam manipulus, quem immittit Episcopus in brachium sinistrum cuilibet Subdiacono. De quo nos infra suo loco dicemus.

§ XII.

Tum Pontifex, accepta mitra, amictum, qui in collo Ordinandorum jacet, imponit super caput singulis, dicens : *Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis amictus vetus sit in Ecclesia vestimentum, quod primum capiti ac deinde humeris injicitur, dictum idcirco a credito Alcuino in capite : Quid significent vestimenta, *Superhumerale* vel *Humerale,* juxta Honorium Augustodunensem in Gemma animæ, lib. I, cap. CCI, et ab aliis Auctoribus alias appellatum, uti videre est apud Joannem cardinalem Bona, lib. I *Rerum liturgicarum,* cap. XXIV : nulli tamen prisci libri Pontificales, seu alii Scriptores ullam habent mentionem impositionis amictus Subdiaconorum capiti ab Episcopo faciendæ. Quamobrem puto eum ritum esse in Ecclesia recentissimum, quippe qui reticetur in ms. Pontificali insignis Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringentorum, quod exstat in Bibliotheca Regis Gallorum, num. 3870, teste Martenio. Per amictum itaque, quo collum undique cingimus, significari castigationem vocis, quæ formatur in collo, docet Amalarius Fortunatus lib. II *de Ecclesiasticis Officiis,* cap. XVII, sic inquiens : « Per amictum intelli- » gimus custodiam vocis : de qua Psalmista » dicebat : *Dixi custodiam vias meas, ut non* » *delinquam in lingua mea : posui ori meo* » *custodiam.* Et in alio Psalmo : *Pone, Domine,* » *custodiam ori meo.* Amictus ideo dicitur, quia » circumjicitur. In isto primo vestimento ad- » monetur castigatio vocis. » Alias amictus significationes anagogicas, allegoricas ac tropologicas, seu morales, vide apud Gavantum in Thesauro sacrorum Rituum, parte II, tit. I, ubi agit de præparatione Sacerdotis celebraturi. Vide ibidem novas additiones viri clarissimi Cajetani Merati.

§ XIII.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium, cuilibet dicens : *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Factam vel sæculo VIII in ordinatione Subdiaconorum manipuli traditionem, compertum profecto habemus ex antiquo Romano Ordine, quem opus esse eo sæculo conditum, Eruditi plerique affirmant. Scio eum ritum in plerisque antiquioribus Pontificalibus libris mss. desiderari; sufficit tamen nobis auctoritas præfati Romani Ordinis; ubi, ut etiam supra diximus, præscribitur, ut « Episcopus det eis mappulas, » dicendo : In vestitione harum mappularum » subnixe te, Domine, precamur, ut hi Famuli » tui sic operentur in temporali conversatione, » quatenus exemplo piorum Patrum in futuro » mereantur perenniter gaudere. Per Domi- » num. » Mappula dicebatur passim olim manipulus, ejusque usus primum alius non fuit quam ad sordes vultus detergendas, ut constat vel ex ipsis verbis quæ, teste Martenio, in illius traditione in quibusdam Pontificalibus mss. adnotantur : « Accipe manipulum in manibus » tuis, ad extergendas sordes cordis et corporis. » In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Idipsum jam ante docuerunt antiqui Scriptores qui de Divinis Officiis scripserunt, inter quos Alcuinus ita inquit : « Mappula quæ » in sinistra parte gestatur, qua pituitam ocu- » lorum et narium detergimus, præsentem vi- » tam designat, in qua superfluos humores » patimur. » Et Amalarius lib. II, cap. XXIV : « Sudarium, ait, ad hoc portamus, ut eo deter- » gamus sudorem. In manu sinistra portatur, » ut ostendatur in temporali vita tædium nos » pati superflui humoris. » Durasse hunc mappulæ sive sudarii lintei usum, donec in locum ejus manipulus, non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est, qui propterea ejus materiæ et texturæ est ex qua stola et planeta fieri solent, docet eruditissimus Joannes Bona cardinalis, lib. I *Rerum liturgicarum*, cap. XXIV, ubi etiam non levi rationum momento conjicit, mutationem mappulæ in manipulum sæculo decimo factam fuisse.

II. Meminit quidem manipuli traditionis in Ordinatione Subdiaconorum Pontificale ms. insignis Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quadringentorum; præscribit tamen ut Episcopus, dictis orationibus, « transeat per circuitum, » et manipulum ad manum sinistram cujuslibet » imponat, dicens ad quemlibet sigillatim : *In* » *nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* » *accipe manipulum, per quem designantur fru-* » *ctus bonorum operum, in nomine Domini.* » *Amen.* » Ubi vides tam quoad Rubricam, quam quoad verba quæ ab Episcopo proferuntur, variari ipsum Pontificale Moguntinum a nostro Romano Pontificali. Mysticæ manipuli expositiones videri possunt apud laudatum Gavantum et Natalem Alexandrum, *Theologiæ dogmaticæ et moralis* lib. II.

§ XIV.

Post hæc induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens postremum totaliter induit, dicens cuilibet : *Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat te Dominus. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sancto Gregorio Magno, Pontifice Maximo, Subdiaconos Romanæ Ecclesiæ in suo ministerio sola alba indutos perfunctos fuisse, liquet ex ejusdem Pontificis Epistola LXIV, ad Joannem Syracusanum, lib. VII, ubi etiam idem Gregorius testatur eum morem ab ipsa Romana Ecclesia ad alias transiisse. Honorius Augustodunensis, in Gemma animæ, lib. I, cap. CCXXIX, duas illis postea vestes peculiares tributas asserit, tunicam, quam *Subtile* vocat, quia subtilius contextata, et Sudarium, sive mappulam, cui hodie successit manipulus. Ipsam tunicam post undecimum sæculum in ordinatione Subdiaconi tradi consuevisse, eumque ritum vix sexcen-

Digitized by Google

tos annos attingere, neque omnes etiam initio respexisse, sed eos solos qui ex monachis Subdiaconi ordinabantur, testis est eruditus Martenius lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, c. VIII, articulo VIII, num. XVI, probatque testimonio Pontificalis Bisuntini ad usum Ecclesiæ Turonensis accommodati; quinimo addit in omnibus pene Pontificalibus ante annos quingentos scriptis eum ritum omnino prætermitti. Certe in Pontificali insignis Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringentorum legimus, Episcopo post factam Subdiaconis mappularum investionem, ut ait, præscribi ut « iterum circumeat, et subtile collo cujuslibet imponat, » dicens : *Induat te Dominus vestimento salutis, » et indumento justitiæ circumdet te semper in » nomine Domini. Amen.* » Vide in Appendice ms. Pontificale Vaticanæ bibliothecæ.

§ XV.

Postea accipit et tradit omnibus Librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens : *Accipite Librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

§ XVI.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua; unus tamen de noviter ordinatis Tunica indutus dicet Epistolam suo tempore.

COMMENTARIUS.

I. Quanquam fateri cogamur, quod circa medium sæculum nonum alicubi Epistolam in Missa legeret Subdiaconus, ut colligitur ex Amalario, qui eo tempore floruit, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XI, et nonnisi ex concessione Romanæ Sedis, eo deinde munere fungeretur, teste Micrologo in lib. *De Ecclesiasticis Observationibus*, cap. VIII, ac Durando in suo Rationali, lib. II, cap. VIII, num. IV, constat tamen, nec multo post tempore ac isti auctores vixerunt (vixit enim primus post medium sæculum XI, alter vero senescente sæculo XIII), porrectum fuisse ab Episcopo librum Epistolarum Subdiacono. Enimvero scribit Martenius nullam ejus rei fieri mentionem vel in libris Pontificalibus, Antissiodorensi, et Sylvanectensi paulo ante tercentos exaratis, imo nec in Rothomagensi cujus character ducentos parumper annos excedit ullum haberi verbum de traditione libri Epistolarum, quam alias in solis Pontificalibus, Arelatensi annorum quadringentorum, Andegavensi annorum tercentorum, et Guillelmi Durandi, episcopi Mimatensis, se reperisse ait. Dubito quin genuinum sit istud Durandi Pontificale, cum ipse Durandus in suo Rationali, loco citato, diserte scribat Subdiaconum præter ejus officium lectiones in Missa legere. Certe in ms. Pontificali Vaticano ante annos quadringentos scripto, post tunicæ traditionem, tradit etiam Episcopus sub præscripta forma librum Epistolarum. In Pontificali Moguntino, nulla ejus ritus mentio habetur : præscribit tamen, ut « ultimus Subdiaconorum induatur » subtili (id est tunica seu tunicella, de qua » supradictum est) qui postea legat Epistolam. » Et statim addit, ut « deinde dicat eis » Episcopus, quod ex hinc adstricti sunt ad dicendum septem Horas canonicas singulis diebus. » Et tandem, « ut deinde revertantur ad » locum unde vocati fuerant, et ultimus ex eis » permaneat, et legat Epistolam. » Id quod prorsus concordat cum Rubrica nostri hodierni Romani Pontificalis.

[Cum sæpius accidat, licet minus congruenter, Missam in qua conferuntur sacri Ordines, non cantari, sed tantummodo legi ab Episcopo, quæsitum fuit a sacra Rituum Congregatione si Rubrica illa quæ præcipit Epistolam a Subdiacono recens ordinato cantari, debeat servari, vel quomodo applicanda sit, in Missa Ordinationis quæ sine cantu celebratur. Idem quærebatur de Evangelio quod pariter in Missa sacrorum

Digitized by Google

Ordinum novus Diaconus cantare debet. Dubium enucleavit sacra Congregatio respondens episcopo Marsorum, die 12 novembris 1831, Subdiaconum et Diaconum de quibus agitur legere debere Epistolam et Evangelium dum Episcopus ipsa legit.]

TITULUS XI.

DE ORDINATIONE DIACONI.

. Descendendo ab Episcopis et Presbyteris, sunt profecto in tertio gradu Diaconi, quos etiam in tertio Sacerdotio constitutos appellat Optatus Milevitanus, lib. I adversus Donatistas, ita scribens : « Quid commemorem laicos, qui » tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suf- » fulti? Quid ministros plurimos, quid Diaco- » nos in tertio, quid Presbyteros in secundo » Sacerdotio constitutos? » Quamvis autem ab Apostolis fuerint septem primi Diaconi constituti occasione murmuris Græcorum adversus Hebræos, « eo quod despicerentur in ministerio » quotidiano viduæ eorum, » ut habetur Actorum cap. VI, non tamen electi sunt ut mensis tantum communibus ministrarent, sed etiam sacris, ut evidenter Theologi colligunt ex dotibus quas Apostoli in illis septem viris desiderarunt, ut nimirum essent *boni testimonii, pleni Spiritu sancto et sapientia;* et quod illos manuum impositione consecrarunt, oratione prævia. Quorsum enim tot dotes, ac tam sacri ritus adhibiti ad constituendos ministros mensarum communium? Apostolus etiam, postquam dotes Episcopis necessarias descripsit, easdem pene postulat in Diaconis, ut videre est in illius Epistola I ad Timotheum, c. III.

II. Etsi vero ab Apostolis primum Diaconatus Ordo collatus fuerit, nemo tamen addubitare potest quin sit institutionis divinæ, quatenus scilicet nonnisi ex Christi auctoritate et mandato illum Ordinem Apostoli contulerint. Scite enim docet Thomassinus lib. I *Disciplinæ*, c. V, num. III, Apostolos, accepta a Christo Sacerdotii plenitudine, ab eodem etiam et potestatem et mandatum accepisse, ut illud munus non solum in successores transfunderent, sed et in varios ac multiplices distribuerent gradus, prout Ecclesiæ decor, ordo et gubernatio postularet. Hortatur S. Ignatius primos fideles, ut ita Episcopo obtemperarent, sicut suo divino Patri Christus, Presbyteros colant tanquam Apostolos, Diaconos autem ut mandatorum Dei ministros. Sic enim scribit in Epistola sua ad Smyrnenses : « Episcopum sequimini, ut Christus » Patrem; Presbyterum, ut Apostolos; Diaco- » nos, ut Dei mandatum. » Postrema hæc verba fortasse innuunt, quod accepere Apostoli a Christo de instituendis Diaconis mandatum.

III. Dices tam locum capitis VI Actuum Apostolorum, quam S. Hieronymum, ac Patres deinde Concilii Trullani, quod anno 692 habitum est, aperte docere septem prioribus Diaconis, quos Apostoli primitus instituerunt, concreditum non fuisse ministerium sacrum, sed duntaxat profanum : « Quis patiatur, inquit » Hieronymus in Epistola ad Evagrium, ut men- » sarum et viduarum minister supra eos se tu- » midus efferat ad quorum preces Christi Cor- » pus Sanguisque conficitur? » Concilii vero Trullani can. XVI hæc sunt verba : « Quoniam » Actuum liber septem Diaconos ab Apostolis » constitutos esse tradit, Neocæsariensis autem » Synodus sic in a se editis Canonibus aperte dis- » seruit : Quod septem debent esse Diaconi ex » Canone, etiamsi sit valde magna civitas, ex » libro autem Actuum persuadeberis : Nos cum » dicto Apostolico Petrum mentes adaptassemus, » invenimus eos esse locutos non de viris qui » ministrant mysteriis, sed de ministerio quod » in usu mensarum adhibebatur, cum liber Ac- » tuum sic habeat : *In diebus illis, cum discipu- » lorum multitudo cresceret, fuit Græcorum » murmur adversus Hebræos, quod despicie- » bantur eorum viduæ in ministerio quotidiano.*

Digitized by Google

» *Duodecim ergo accersita discipulorum multi-* » *tudine, dixerunt : Non placet ut, verbo Dei* » *relicto, mensis serviamus, etc.* Propter hæc » ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti » septem Diaconi non de iis accipiantur qui » mysteriis serviunt, ut est prius exposita do- » ctrina, sed eos esse quibus fuit concredita ac » tradita dispensatio communi eorum usui qui » tunc collecti fuerant : qui nobis in hac quo- » que forma fuere humanitatis et studii in eos » qui indigent. »

IV. Antequam hasce objectiones diluamus, illud præmitti velim, quod etsi Diaconorum instituendorum occasio fuerit Apostolis mensa communis, non ea tamen sola ratio extitit, cum primarium potius ejus institutionis consilium ad sacrificium ipsum spectaret, et ad sacram mensam, quæ tum temporis a communi mensa minime divellebatur. Certe docent pervetusti Ecclesiæ Patres, vel primis Christi sæculis ministros fuisse Diaconos sacræ Communionis. Etenim S. Justinus, in Apologia II ad Antoninum imperatorem, ita scribit : « Postquam An- » tistes gratiarum actionem perfecit, et populus » omnis apprecatus est, Diaconi ex pane, vino » et aqua consecratis, partes dividunt unicui- » que præsentium, et ad absentes portant. » Panis et vinum quæ cum gratiarum actione consecrata per Diaconos distribuuntur præsentibus, quid aliud sunt quam sacra Eucharistia, id est Corpus et Sanguis Christi ? Longe clarius ea de re habemus apud S. Cyprianum testimonium in lib. *De Lapsis*, ubi refert historiam cujusdam puellæ quæ, quod de idolothitis prægustasset, sacram Eucharistiam accipere renuit : « Ubi vero, inquit, solemnibus adimpletis cali- » cem Diaconus afferre præsentibus cœpit, et » accipientibus cæteris locus ejus advenit, fa- » ciem suam parvula instinctu divinæ Majesta- » tis avertere et labiis obturantibus premere, » calicem recusare : præstitit tamen Diaconus, » et reluctanti licet de sacramento Calicis in- » fudit. » Nota est demum sancti Laurentii Diaconi Ecclesiæ Romanæ historia, qui, cum videret sanctum Xistum Pontificem Maximum ad martyrium duci, ipse martyrii cupidus ita illum allocutus est apud S. Ambrosium, lib. I *De Officiis*, cap. XLI : « Quo progrederis sine filio, Pa- » ter ? Quo, Sacerdos sancte, sine Diacono pro- » peras ? Nunquam Sacrificium sine ministro » offerre consueveras. Quid in me ergo displi- » cuit, Pater ? Num degenerem probasti ? Expe- » rire certe, utrum idoneum ministrum elege- » ris. Cui commisisti Domini Sanguinis dispen- » sationem, cui consummandorum consortium » Sacramentorum, huic consortium tui sangui- » nis negas ? »

V. Fuit ergo Diaconorum munus vel primis sæculis Eucharistiæ dispensandæ vi suæ institutionis, etsi alterius rationis solum meminerit in Epistola ad Evagrium S. Hieronymus, ut quorumdam scilicet sui temporis Diaconorum supra Presbyteros sese efferentium insolentiam retunderet. Verum aliis in locis S. Pater Diaconorum ordinem commendat quammaxime. Et primo quidem in Epistola ad Heliodorum, in tertio eos collocat Sacerdotii gradu. Secundo in Epistola ad ipsum Evagrium scribit eos hoc esse in Ecclesia, quod Levitæ quondam fuerunt in Synagoga : « Quid Aaron et filii ejus atque Le- » vitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri » et Diaconi vindicent in Ecclesia. » At Levitis multo inferiores essent, si uni mensarum et viduarum ministerio dicarentur. Asserit tertio in lib. II adversus Jovinianum, eos partem esse Cleri, quem Christus supra laicos evexit. Quarto demum, in Apologia adversus Jovinianum, Diaconos non minus quam Episcopos et Presbyteros constringit continentiæ vinculo, indeque legis illius argumentum sumit, quod cum Presbyteris immaculatam hostiam offerant : « Non mihi, inquit, irascantur, sed Scripturis » sanctis, imo Episcopis, et Presbyteris, et Dia- » conis, et universo choro Sacerdotali et Levi- » tico, qui se noverunt hostias offerre non pos- » se, si operi serviant conjugali. » Quod tandem spectat auctoritatem canonis XVI Concilii Trullani, ea est nullius prorsus momenti, fuit enim Concilium ex schismaticis conflatum, quod etiam perperam non semel receptos Latinæ Ecclesiæ ritus improbavit. Vide Jueninum *De Sacramentis*, in quæstione *de Diaconatu*, et Theologos passim, inter quos celeberrimum Bellarminum.

Digitized by Google

§ I.

Subdiaconis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit Hymnum *Benedictus es*, vel *Alleluia*, cum versu *Benedictus es*, si sit infra octavam Pentecostes. Interim cantatur a Choro dictus Hymnus, vel *Alleluia* cum suo versu, ut supra. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare, dicit in competenti tono : *Gloria in excelsis Deo*, si sit infra octavam Pentecostes; quod dum a Choro perficitur, sedet cum mitra. Quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad populum dicit : *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, si *Gloria in excelsis* non sit dicendum; et conversus ad altare cantat orationem Missæ diei, cum oratione pro Ordinatis et Ordinandis, sub uno *Per Dominum nostrum*, videlicet.

ORATIO.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi; ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat, etc.

COMMENTARIUS.

I. Unum censui in hoc § minime omittendum, quænam scilicet sit origo ejus salutationis Episcopi, qui populum ita solitus est salutare : *Pax vobis*, seu *Pax vobiscum*, vel *Pax omnibus*. Certe hæc formula est adeo pervetusta, ut illam passim memorent antiquissimæ liturgiæ sanctorum Jacobi ac Basilii, quibus addi præsertim potest sanctus Joannes Chrysostomus, qui multis in locis, ac longe egregie in Epistolam Pauli ad Colossenses, ad rem ita disserit : « Cum ingressus fuerit is qui præest » Ecclesiæ, statim dicit, *Pax omnibus;* quando » concionatur, *Pax omnibus;* quando benedicit, » *Pax omnibus;* quando salutem optare jubet, » *Pax omnibus;* quando sacrificium absolvi» tur, *Pax omnibus.* » Ita ille. Quem etiam jam vita functum, cum corpus ejus a Proclo patriarcha in throno collocatum esset, dixisse ad populum, *Pax vobis;* idque Proclum et adstantes omnes audivisse, Ecclesiastica Nicephori prodit Historia, lib. XIV, cap. XLIII. Meminit quoque ejus formulæ S. Athanasius, in Epistola ad Eustachium, ubi quosdam Episcopos suggillat, qui cum initio sacrificii et sermonis illud proferrent, *Pax vobis*, tragœdias tamen excitabant, et alios affligebant. Porro docet Hugo Menardus in Notis et Observationibus ad librum S. Gregorii papæ, pag. 67, illud *Pax omnibus* Græcorum esse; formula vero *Pax vobis*, seu *Pax vobiscum*, Latinos uti consuevisse; probatque auctoritate Optati Milevitani, lib. III adversus Parmenianum, itemque nonnullis locis laudati Sacramentarii S. Gregorii, et prisci Codicis Ratoldi abbatis.

II. In Ecclesia Latina, uti diximus in opere nostro *De Codice S. Evangelii*, lib. II, cap. XV, ea salutatio, *Dominus vobiscum*, est propria Sacerdotum; Diaconi vero tantum illam usurpant in solemni Evangelii lectione, et in benedictione cerei Paschalis, quia ibi, inquit Durandus, l. IV Rationalis divinorum officiorum, cap. XIV, ex persona Christi loquitur, et eumdem resuscitatum repræsentat. Præsules autem prima vice dicere solent, *Pax vobis*, quam ideo Episcopalem salutationem S. Petrus Damiani appellat in opusculo *De Dominus vobiscum*. Cæterum etsi prima vice Episcopus ea salutet formula, *Pax vobis*, quoniam, ut ait Innocentius papa III,

Digitized by Google

hæc fuit prima vox Christi ad discipulos, utitur tamen deinde ipse Episcopus eadem salutatione, qua Presbyter, *Dominus vobiscum*. Hanc autem salutationem esse adeo antiquam, ut ea a veteri Testamento Apostolica traditione in Ecclesiam dimanarit, ingenue fatentur Patres Concilii Bracharensis I, quod anno 563 habitum est, can. III: « Item placuit, ut non aliter Episcopi, et aliter » Presbyteri populum, sed uno modo salutent, » dicentes, *Dominus vobiscum*, sicut in libro » Ruth legitur; et ut respondeatur a populo : » *Et cum spiritu tuo*, sicut et ab ipsis Apostolis » traditum omnis retinet Oriens, et non sicut » Priscilliana pravitas permutavit. » Pro *Oriens* legendum *Occidens*, jam ante nos alii adverterunt; quandoquidem in Ecclesia Orientali alius profecto erat, et nunc est ritus salutandi populum hac formula, *Pax omnibus*, vel *Pax vobis*. Sane distinctioni mox traditæ inter Presbyterum, qui semper ea formula utitur, *Dominus vobiscum*, et inter Episcopum, qui prima vice dicere solet, *Pax vobis*, minime refragatur laudata Synodus Bracharensis : nam, uti recte animadverterunt viri docti, Garzias Loaisa, et Ludovicus Bail in Notis ad illum Canonem, arguit quidem Synodus hæreticum Priscillianum contendentem, non semel tantum, ut moris est, sed semper ab Episcopo dicendum esse, *Pax vobis*. Sed vide quæ scripsimus in laudato opere nostro, *De Codice sancti Evangelii, etc.*

§ II.

Finita Oratione, sedet Pontifex, reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candela, legit Epistolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita, surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad ordinem Diaconatus per Archidiaconum vocantur, dicendo : *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum*. Et mox singulatim nominantur per Notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu, et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus, et in modum coronæ coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici dicit : *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis*. Pontifex interrogat dicens : *Scis illos dignos esse?* Respondet Archidiaconus : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii*. Et Pontifex dicit : *Deo gratias*.

COMMENTARIUS.

I. Cum de vocatione et præsentatione Ordinandorum in superioribus Commentariis fuse locuti fuerimus, idcirco breviter hic ea solum elucidabimus quæ ad explicationem hujus ritus conducunt, quo Archidiaconus offerens Ordinandos Pontifici, dicit : *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica*, *etc.* Notandum ergo primum cum Hallierio *De sacris Ordinationibus*, pag. 966, eos qui Pontifici consecraturo ab Archidiacono præsentantur nomine Ecclesiæ præsentari, ut nimirum discant Pontifices neminem ex humana gratia, vel ex qualibet privata prece ad Ordines recipere, sed Ecclesiæ solum flagitantis postulationibus acquiescant : et quod sancta Tridentina Synodus sessione XXIII, cap. XIII *De Reformatione* decrevit, nullum debere ordinari cogitent qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis : moneantur vero Ordinandi, ne se ultro ingerant, sed nec postulanti suam operam Ecclesiæ desint, utilitatibus ejus serviant, voluntati obsecundent.

II. Alterum in eo ritu observatu dignum est, ad solos ordines hierarchicos Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum præsentationem istam nomine Ecclesiæ fieri, quia scilicet hos

Digitized by Google

antiquitus præsertim a Clero et populo electos, cæterorum autem graduum distributioni *trium veracium testimonium* cum Episcopi approbatione suffecisse, ex Anacleto edocemur : hos præterea solos populis præfectos esse, et in partem sollicitudinis vocari, ac ad onus et Ecclesiæ regimen assumi ex luculentis testimoniis sacrarum Litterarum, sanctorum Patrum, et Conciliorum tum particularium, tum etiam generalium novimus. Unde non mirum si de iis præsertim Ordinandis sollicita non solum ex recenti ritu Ecclesia hodie sit, sed etiam ex pervetusto; eorumque creationem vel olim a Pontificibus flagitaverit. Enimvero S. Gregorius in libro Sacramentorum, ubi agit de ordine qualiter in Romana Ecclesia Diaconi et Presbyteri ordinandi sunt, ritum ita enarrat : « Postquam Antiphonam ad Introitum dixe» rint, data oratione, venit Archidiaconus, et » offert eum qui ordinandus est Pontifici, ita » dicens : *Postulat sancta Mater Ecclesia Ca» tholica, ut hunc præsentem Subdiaconum ad » onus Diaconii, vel Diaconum ad onus Presby» terii ordinetis.* Interrogat Episcopus : *Scis » illum dignum esse?* Respondet offerens : » *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et » scio, et testificor, ipsum dignum esse ad hu» jus onus officii.* Et tunc annuntiat Pontifex » populo, etc. »

III. Sunt qui ex veteri Ordine Romano morem antiquum fuisse autumant, ut qui vel inferioribus Ordinibus initiandi essent, ab Archidiacono Pontifici ordinatori iis etiam verbis præsentarentur, *Postulat sancta Mater Ecclesia, etc.*, probantque ex eo quod antequam Ordinum etiam inferiorum conferendorum ritus sigillatim in eo Ordine explicetur, hæc inter alia præmittantur in titulo, Qualiter in Romana Ecclesia sacri Ordines fiunt : « Mensis primi, » quarti, septimi et decimi, Sabbatorum die, » in duodecim lectionibus, ad sanctum Petrum, » ubi Missæ celebrantur, postquam Antipho» nam ad Introitum dixerint, per lectiones det » Pontifex orationes. Deinde Archidiaconus » sine casula ad Chori usque medium præce» dens, habens præ manibus eorum qui ordi» nandi sunt nomina, et vocatis eis, humiliter » respiciens in Episcopum, his eum verbis al» loquitur : Postulat hæc sancta Mater Ecclesia, » reverende Pater, hos viros Ordinibus aptos » consecrari sibi a vestra Paternitate. » Quibus hæc responsio Episcopi subnectitur : « Vide ut » natura, scientia et moribus tales per te intro» ducantur, imo per nos tales in domo Domini » ordinentur personæ, per quas diabolus procul » pellatur, et Clerus Deo nostro multiplicetur. » Et statim reponit Archidiaconus : « Quantum » ad humanum spectat examen, natura, scien» tia et moribus digni habentur, et probi co» operatores effici in his, Deo volente, pos» sunt. » Hæc vetus Ordo Romanus, quæ tamen, uti rectius alii docent, de solis sacris Ordinibus intelligenda sunt, quemadmodum ex titulo colligi potest, qui ita inscribitur : *Ordo qualiter in Romana Ecclesia sacri Ordines fiunt.*

IV. Notandum denique ex laudato Hallierio superest, humanam fragilitatem Archidiaconum de præsentatorum dignitate interrogatum præmittere tanquam excusationem, ne forte audax et temerarius videatur, si de re tanti momenti ac ponderis judicium ferre præsumat; si testari audeat hominem aliquem huic muneri ferendo parem esse. Hinc ingens olim peritia, industria fidelitasque necessaria fuit Archidiacono, quippe qui oculus esset et manus Episcopi, ejusque jurisdictionis administer : dicebant enim de Ordinandis testimonium laici omnes, Clericique minores apud Archidiaconum, quibus ille auditis proponebat Episcopo, quibus testimonia publica suffragarentur. Cum itaque Archidiaconus quasi præcipuus Episcopi minister negotiis Ecclesiasticis præficeretur, merito S. Leo, Epistola LXXXV, de Anatolio episcopo Constantinopolitano conqueritur, quod eum Archidiaconum constituisset qui Eutychianæ hæreseos se prodiderat defensorem; merito etiam in actione X Concilii Chalcedonensis, crimini datum est Ibæ episcopo Edesseno, quod ad Episcopatum voluisset hominem prorsus indignum protrudere, etsi id facere prohibitus esset ab Archidiacono suo : « Tentavit eum ordinare Episcopum, » et prohibitus ab eo qui tunc Archidiaconus » erat, indignatus est. » Insuper cum etiamnum ea lex exstet in Romano Pontificali, ut quos diligentius examen non indignos Ordinatione approbarit, eos Episcopo offerat Archidiaconus, quid si Episcopus ordinare velit eos quos Archidiaconus dignos non novit, imo indignos esse novit, num eos Episcopo præsentare debebit,

Digitized by Google

aut poterit? Nequaquam. « Quomodo enim, » ut recte inquit Van Espen in universum Jus Ecclesiasticum, parte I, tit. XII, cap. I, num. XXVII, « juxta formulam Pontificalis dicet : *Scio et* » *testificor eos dignos esse, quantum humana* » *fragilitas nosse sinit*, si nesciat dignos, aut » quod amplius, indignos esse sciat? »

§ III.

Et ad eorum Ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, Clero et Populo annuntiat, dicens : *Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hos præsentes Subdiaconos in ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.*

COMMENTARIUS.

I. Habet hanc Episcopi admonitionem totidem verbis Sacramentarium S. Gregorii, ubi tamen, sicut et in nostro Pontificali Romano, ut alibi dictum est, tituli non nisi promovendorum ad sacros Ordines referuntur, cum alias ex vetere Ordine Romano vel Minoribus ipsis Ordinibus initiandos, et gradum eorum et titulum soleret olim ante Ordinationem populo Episcopus significare his verbis : De domo San» ctæ Mariæ eligimus N. ad Ostiarium ad eum» dem titulum. De titulo Sancti Stephani N. eli» gimus ad Lectorem ad eumdem titulum. De » ecclesia Sancti Petri N. eligimus ad Exorcis» tam ad eumdem locum. » Quibus ex verbis sciendum est, eas Ecclesias in exemplum nobis proponi. Cæterum quod attinet ad admonitionem et adjurationem istam publicam, qua jubentur omnes ab Episcopo Ordinationes celebrante ea crimina prodere quæ ab Ordinibus suscipiendos electos arcere possint, jam alibi a nobis copiose disputatum est.

II. Illud autem hic nefas est omittendum, ea Episcopi admonitione ideo admoneri omnes, ut in prodendo promovendorum crimina *memores sint conditionis suæ*, ne scilicet vel tanquam invidi ac maledici audiant, si bonorum famam carpant; vel imprudentiæ atque injustitiæ nota inurantur, si ignota crimina pandant, et in probatione deficiant. Certe Episcopo incumberet examinare, an ii qui de Ordinandis testimonium dicunt, amicitia cum ipsis juncti sint, vel inimicitiis divisi; sicut enim testimonia inimicorum invidorumque ac malevolorum jura passim infirmant, ita et amicorum sæpe testimoniis diffidunt, eorum præcipue qui importuna etiam prece Clericatus officio ineptos, ad Clericatum ipsum et ad altiores Sacerdotii progressiones provehi curant : contra quos tamen Patres Concilii Aurelianensis III, habiti anno 538, can. VI, ita pronuntiant : « De quorum promo» tionibus, si quis Clericus aut civis testis exti» terit, quorum testimonio dum creditur, fre» quenter Pontificis ignorantia prævenitur, cum » agnitum fuerit ordinationem illicite celebra» tam, anno integro a communione pellatur. » Addunt tamen, si in infirmitate deciderint, eis viaticum non negandum.

§ IV.

Et facta aliquali mora, Pontifex convertens sermonem suum ad Ordinandos, admonet eos, dicens :

Provehendi, Filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et prædicare. Sane in veteri Lege ex duodecim una tribus Levi electa est, quæ speciali devotione tabernaculi Dei ejusque sacrificiis ritu perpetuo

Digitized by Google

deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex ejus stirpe, ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret; adeo ut grandi quodam privilegio hæreditatis, et tribus Domini esse mereretur et dici : quorum hodie, Filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis, quia in ministerium Tabernaculi testimonii, id est Ecclesiæ Dei, eligimini in Levitico officio, quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat; unde ait Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. *Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur* additus, *sive* assumptus. *Et vos, Filii dilectissimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quæ militant adversus animam : estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ut digni addamini ad numerum Ecclesiastici gradus; ut hæreditas et tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura :* Mundamini qui fertis vasa Domini. *Cogitate beatum Stephanum merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur :* Beati pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. *Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis in præparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Diaconum idem esse ac ministrum, vel ipsum Diaconi nomen significat : est enim Episcopi ac Sacerdotis minister. Frequentissime a Patribus appellatur Levita, quod nempe Sacerdotibus inserviat in nova lege, sicut Levitæ Sacerdotibus legis antiquæ. S. Isidorus, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. VIII, Diaconorum originem et officia tractare sic incipit : « Diaconorum ordo a Levi tribu accepit exordium : » pergit deinde eorum officia ex veterum Levitarum muneribus explicare. Atque hunc Ordinem etiam tenent Concilium Aquisgranense cap. VII, ac passim Scriptores de divinis officiis agentes, inter quos Amalarius Fortunatus, lib. II, cap. XII, utitur celebri illo S. Hieronymi testimonio, qui in Epistola ad Evagrium ita inquit : « Et ut sciamus traditiones Apostolicas » sumptas de veteri Testamento : quod Aaron » et filii ejus atque Levitæ fuerunt, hoc sibi » Episcopi et Presbyteri et Diaconi vindicent in » Ecclesia. » Sicut ergo Levitarum in veteri lege, ita et nunc in nova Diaconorum officia ex officiis Sacerdotalibus colligi possunt. Sunt autem Sacerdotalis dignitatis, ut summatim comprehendantur, hæ fere functiones, sacrificare, baptizare, docere, reconciliare, afflictorum curam habere. In his omnibus assistere atque operam suam præstare debet Diaconus Episcopo, vel Sacerdoti, tametsi et alia complura fuerint olim ipsius munera, de quibus diffuse disserunt viri eruditissimi Isaacius Habertus ad part. IX Pontificalis Græcorum, Joannes Morinus et Franciscus Hallierius in operibus *De sacris Ordinationibus*, Ludovicus Thomassinus in sua Vetere et Nova Ecclesiæ disciplina, et alii quamplurimi.

II. Primum ac præcipuum Diaconi munus, quod in nostro Romano Pontificali recensetur, est *ministrare ad altare*, id est Episcopo vel Presbytero Sacrum facienti assistere, et quodammodo cooperari, ipsumque in omnibus ad-

Digitized by Google

juvare præscriptis ritibus, qui in diversis Ecclesiis diversi sunt; ut recte docet Joannes cardinalis Bona, l. I *Rerum Liturgicarum*, c. XXV, n. XV. Apud Græcos Celebrantem sæpius admonet de iis quæ agenda sunt : unde in Liturgiis passim ea Diaconi verba ad Sacerdotem occurrunt : « Benedic, Domine, Extolle, Immola, » et his similia. Ex S. Dionysio, *De Hierarchia Ecclesiastica*, cap. III, Diaconi « cum Sacerdotibus in » divino altari proponunt sacrum panem et be» nedictionis calicem. » Ex S. Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi V, in ipso Sacrificio Episcopo et Presbyteris aquam porrigunt lavandis manibus : « Vidistis, inquit, Diaconum aquam » lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, et » illis qui circum altare Dei stant Presbyteris. » Ex pervetusto auctore Constitutionum Apostolicarum, lib. VIII, cap. XIII, ipsi Diaconi circumstant Episcopum sacrificantem, tenentes flabella ad arcendas muscas, et ventulum faciendum Pontifici : « Duo vero Diaconi ex utraque parte » altaris teneant flabella ex tenuibus membra» nis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut » parva animalia volantia abigant, ne in ca» licem incidant. » Huc spectat quod refert Joannes Moschus in suo Limonario cap. CXCVI, de pueris Apamiensibus, qui per ludum sacrum faciebant, e quibus duo velut Diaconi Presbytero assistebant : « Assistuntque unus quidem » ut Presbyter, duo vero alii hinc et inde, ut » Diaconi, et ille quidem sanctæ oblationis ver» ba dicebat; illi vero fasciolis pro flabellis au» ram faciebant. »

III. His accedunt et alii Græcorum ritus ad Diaconos pertinentes; ii siquidem ministros inferiores officiis suis applicant, et illis signo, nutu, et aliquando sublato orario indicant quid et quando agere, seu psallere aut legere debeant : de quo ritu vide nostrum opusculum *De Codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. X. Ipsi præterea præter Evangelii lectionem, de qua inferius, Psalmum ad Missam decantant, ex S. Athanasio in Apologia I de fuga sua, ubi ita inquit : « Sedens in cathedra jussi Diaconum » Psalmum recitare. » Ipsi preces Deo in ipso Missæ sacrificio pro plebe offerunt, uti constat ex S. Joanne Chrysostomo, Homilia XIV in Epistolam ad Romanos sic aiente : « Cujus et nunc » signum Diaconus est, pro populo preces Deo » offerens. » Et hoc est quod dicitur in Canone *Perlectis*, distinctione XXV, ad Diaconum pertinere officium precum, ad quem etiam ex ipso Canone pertinet nominum recitatio eorum qui in solemni Missa dona offerunt. Ipse preces pro defunctis indicit, teste laudato Chrysostomo in Acta Apostolorum Homilia XXI : « Non simpli» citer Diaconus clamat pro his qui defuncti » sunt in Christo, et pro his qui illorum me» moriam faciunt; non Diaconus est qui talem » illam vocem emittit, sed Spiritus sanctus, in» quam, sed donum. » Eodem sancto Patre auctore in Acta Apostolorum Homilia XIX : « Dia» conus stat, Diaconus alta voce clamans, et » dicens, *Attendamus*, et sæpius illam vocem » clamans. » In sacra Synaxi ipse etiam subinde clamat : « Alii alios noscite, » uti constat ex eodem S. Doctore, Homilia XXXIV, ad Antiochenos : « Non attenditis quid in sacra Synaxi Dia» conus subinde clamet : *Alii, alios noscite*, » quomodo in fratres studiose inquirendi ma» num vobis porrigat. » Tandem, ut alia persequar Diaconi munera, ipse indignos a communione submovebat, edicebatque ante oblationem : « Ne quis ex catechumenis, ne quis ex » pœnitentibus, ne quis ex infidelibus, ne quis » ex Hæreticis. »

IV. De Eucharistia ab ipsis præstita, tum apud Græcos, tum apud Latinos, in solemni Missæ sacrificio alibi factus est sermo; pauca hic tantum perstringam. Apostolicæ quidem Constitutiones tradunt, post speciem panis ab Episcopo porrectam, Diaconum calicem porrigere : « Episcopus quidem tradat oblationem » dicens : *Corpus Christi;* et qui accipit, dicat, » *Amen.* Diaconus vero retineat calicem, et dis» tribuens dicat : *Sanguis Christi, Calix vitæ;* » et qui bibit illum, respondeat, *Amen.* » De calice distribuendo a Diacono clarissime S. Cyprianus in lib. *De Lapsis* ad finem : « Ubi vero » solemnibus adimpletis, calicem Diaconus of» ferre præsentibus cœpit. » De calice etiam ab eodem ministrando testem habemus S. Laurentium, qui apud S. Ambrosium lib. I *de Officiis*, cap. XLI, sic allocutus est S. Xistum, Pontificem Maximum : « Experire utrum ido» neum ministrum elegeris, cui commisisti Do» minici Sanguinis dispensationem. » Eadem legere est apud antiquos Scriptores, inter quos S. Isidorus Hispalensis in lib. *De Divinis Officiis*, cap. VIII, ita scribit : « Sicut in Sacerdote

Digitized by Google

» consecratio, ita in ministro dispensatio Sa-
» cramenti est; ille oblata sanctificat, hic sancti-
» ficata dispensat. » Quin et Hugo a Sancto Victore, qui floruit initio duodecimi sæculi, lib. I *De Sacramentis*, cap. XXXVIII : « Diaconorum, » inquit, officium est in ecclesia Evangelium » legere, sacrificium in altari componere, Cor-
» pus et Sanguinem Domini distribuere, licet » non ubique hoc observetur. » Certe in Concilio Nicæno, can. XVIII, vetantur solum Diaconi Eucharistiam Presbyteris administrare, ejusque ante ipsos fieri participes. Concilium Arelatense II, can. XV, Diacono non licere statuit præsente Presbytero Corpus Christi populo erogare. Verum Carthaginense IV, can. XXXVIII, permisit tradi ab eo posse Eucharistiam præsente Presbytero, si tamen id fieri necessitas cogeret, et a Presbytero juberetur : « Ut Dia-
» conus præsente Presbytero eucharistiam Cor-
» poris Christi populo, si necessitas cogat, jussus » eroget. »

V. Longe plus tandem Diacono detraxit Gelasius Papa, dum ipsi in Epistola IX ad Episcopos Lucaniæ, vetuit Eucharistiam dispensare, nisi absente Presbytero vel Episcopo. Verum ex laudatis superius testimoniis S. Isidori, et Hugonis a Sancto Victore, satis liquet quam variata sit ea in re disciplina. Cæterum vel primis sæculis tantam ausi sunt sibi potestatem arrogare, ut multis in locis Sacrificium ipsum offerrent, unde ea audacia prohibendi fuere in Concilio Arelatensi I, can. XV, cujus verba hæc sunt : « De Diaconibus, quos cognovimus mul-
» tis locis offerre, placuit minime fieri debere. » Quæ insuper sint Diaconorum munera in Missa apud Latinos, vide Rubricas Missalis, quas commentariis illustrarunt viri clarissimi Bartholomæus Gavantus, Paulus Maria Quarti, et novissime amicus noster scriptor eruditissimus Cajetanus Maria Meratus, in Observationibus Additionibusque ad ipsum Gavantum.

VI. Alterum munus quod Diacono tribuitur a nostro Romano Pontificali est *baptizare;* non sine tamen Episcopi vel Presbyteri auctoritate, uti ex Tertulliano addiscere licet, qui in libro *de Baptismo*, cap. XVII, inquit : « Dandi quidem » (Baptismi) habet jus summus Sacerdos, qui » est Episcopus : dehinc Presbyteri et Diaconi, » non tamen sine Episcopi auctoritate propter » Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est, » alioquin etiam laicis jus est. » Atque ita intelligendus est S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ut scilicet nonnisi Episcopi permissu olim Presbyteri vel Diaconi baptizarent : « Non quidem abnuo, hanc esse » Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui » longe in minoribus urbibus per Presbyteros » et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad in-
» vocationem sancti Spiritus, manum impositu-
» rus excurrat. » Ex eodem Hieronymi loco citato perspicue liquet, habere quidem Diaconum potestatem ministrandi Baptismi, si modo ab Episcopo licentiam et chrisma acceperit. Quod quidem probat S. Doctor exemplo Philippi Diaconi, qui, ut habetur Actorum c. VIII, Samaritanos Baptismo initiaverat : « Inde venit » ut sine chrismate et Episcopi jussione neque » Presbyter neque Diaconus jus habeant bapti-
» zandi. » Restrictionis id postea adjecit S. Gelasius, ut non posset Diaconus baptizare, nisi necessitas cogeret et Presbyter abesset. In Oriente autumat Thomassinus, parte I Disciplinæ, lib. II, cap. XXIX, num. XIV, ex Constitutionibus Apostolicis, lib. VIII, cap. XXVIII, vetitum fuisse Diaconis baptizare : « Diaconus non » baptizat, non offert, etc.; » sed hoc intelligendum est, si Diaconus baptizet sine Episcopi facultate. Certe docet auctor ipsarum Constitutionum, lib. III, cap. XVI, munus Diaconi esse masculos e sacro fonte suscipere, Diaconissæ vero feminas, ut consulatur pudori sexus : « Ac » virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem » vero Diaconissa, ut honeste, et a quibus de-
» cet, fiat signum in fructum. »

VII. Tertium tandem Diaconi officium ex nostro Pontificali est *prædicare*. Miror esse in ea opinione Thomassinum, ut dicat cœpisse Diaconos sexto sæculo prædicare, et a Gallia id quidem cœptum fuisse. Verum labi videtur Scriptor eruditissimus; nam, uti habetur Actorum c. V, S. Stephanus, unus e primis septem Diaconis ab Apostolis constitutus, apud Judæos verbum Dei prædicans, primus martyrii palmam adeptus est. Samaritas quoque ad fidem perduxit alter e septem ipsis Diaconis S. Philippus, uti constat ex Actorum cap. VIII. Origenem adhuc Diaconum sacras Litteras in Ecclesia docuisse testatur Eusebius, lib. VI *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XIII. Simili exemplo Ephrem Diaconus ad plebem in Ecclesia Edissena con-

Digitized by Google

ciones habuit; et S. Vincentius, ut testatur Breviarium Romanum, supplebat in prædicatione verbi Dei vices Episcopi sui. Præsente Meletio episcopo Antiochiæ elegantissime non semel concionatus est S. Joannes Chrysostomus, cum vix esset Diaconus, uti habetur in ejus Vita; quin et ipsum S. Gregorium Magnum adhuc Diaconum prædicasse, compertum habemus ex Joanne Diacono in ejus Vita, lib. I, cap. XLI. Certe Diaconos a prædicatione ad cantandi officium transferri vetuit ipse Gregorius, lib. I, Epistola LXXXVIII, abusum his plane verbis perstringens : « In sancta Romana Ecclesia dudum » consuetudo est valde reprehensibilis exorta, » ut quidam ad sacri Altaris ministerium Can» tores eligantur, et in Diaconatus ordine con» stituti modulationi vocis inserviant, quos ad » prædicationis officium et eleemosynarum stu» dium vacare congruebat. » Can. *In sancta*, XCII distinctione. Eruditissimus Isaacius Habertus, ad partem IX Liturgiæ Ordinum, observatione V, fuse contendit, munus prædicandi ad Diaconum nonnisi extra ordinem pertinuisse : certe ordinario jure non diffiteor solemnem verbi Dei prædicationem proprium ac præcipuum esse Episcopi officium.

VIII. Jam non pigebit nos alia carptim Diaconorum munera percensere : ipsi etenim, præter Sacrorum ministerium, vel ab initio nostræ christianæ Religionis, curam viduarum, orphanorum, pauperum atque peregrinorum, habuere, uti constat ex Actibus Apostolorum, cap. VI, et ex Summis Pontificibus S. Clemente I ac S. Gregorio Magno, quorum primus in Epistola I ad Jacobum fratrem Domini, vult Diaconum Episcopo suggerere si quis peregrinus aut alioqui opis indigens suscipiendus sit, vel eleemosynæ largitione adjuvandus; alter vero in loco superius recitato, Diaconis congruere dicit, ut ad eleemosynarum studium vacet. Sane ex historia passionis S. Laurentii patet, olim penes Diaconum fuisse thesaurum Ecclesiæ ex oblationibus fidelium collectum, et Episcopi jussu ac judicio in pauperes erogandum. Testantur id quidem Augustini, Leonis et Maximi sermones, et Prudentii hymnus in B. Laurentium, et de eodem S. Ambrosii locus lib. II Officiorum, cap. XXVIII.

IX. Fuit præterea munus Diaconorum, ut Episcopo vel Sacerdoti baptizanti assisterent, et coram eo nomina catechumenorum recitarent. Erat enim primis illis Ecclesiæ temporibus consuetudo, ut catechumeni in Paschate Baptismum suscepturi, quarta feria ante Dominicam Passionis ad Baptismum nomina darent, ex quo tempore competentes vocabantur, quos deinde magna cura, devotione et abstinentia per dies sequentes ad suscipiendam Baptismi gratiam præparari oportebat, uti liquet ex S. Augustino lib. IV *De Symbolo ad Catechumenos*, cap. I, et lib. *De fide et operibus*, cap. VI, et ex iis qui de divinis Officiis ex professo scripserunt. Illorum igitur præparatorum nomina descripta Diaconus in Sabbato Sancto Paschæ, quando competentium Baptismus inchoabatur, recitabat apud Sacerdotem baptizaturum, ne quis non legitime præparatus ad sacrum Baptisma se intruderet. Cujus moris vestigium est quidem hodieque in officio Ecclesiastico tam Sabbati Sancti quam feriæ quartæ ante dominicam Passionis, in quo officio frequens et quasi perpetua est Baptismi mentio, uti recte notat Estius in libri quarti distinctionem vigesimam quartam. Ipsius autem Baptismi administratio ad Diaconos minime pertinebat, nisi ex commissione Episcopi aut Presbyteri, vel in illorum absentiam, ut supra dictum est.

X. Quanquam vero perpetua et constans viguerit in Ecclesia consuetudo, ut urgente necessitate, aut instante mortis periculo, quilibet Presbyter et pœnitentiam imponere et pœnitentes absente Episcopo etiam publicos reconciliare posset, invenio nihilominus id etiam muneris fuisse non raro Diaconis etiam concessum : « Occurrendum est fratribus nostris, » inquit S. Cyprianus, Epistola XIII, « ut qui libellos a » Martyribus acceperunt, et prærogativa eorum » apud Deum adjuvari possunt, si incommodo » aliquo et infirmitatis periculo occupati fue» rint, non expectata præsentia nostra, apud » Presbyterum quemcumque præsentem, vel si » Presbyter repertus non fuerit, et urgere exi» tus cœperit, apud Diaconum quoque exomo» logesim facere delicti sui possint, ut manu eis » in pœnitentiam imposita, veniant ad Domi» num cum pace. » Et Concilium Illiberitanum, can. XXXII : « Apud Presbyterum, si quis » gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, pla» cuit agere pœnitentiam non debere sine Epi» scopi consultu, sed potius apud Episcopum

Digitized by Google

» agat. Cogente tamen infirmitate, necesse est » Presbyterum communionem præstare debere, » et Diaconum, si jusserit Sacerdos. » Et ut videas hanc facultatem datam fuisse Diaconis sæculis etiam subsequentibus, Concilium Eboracense anni 1694, canone IV : « Decernimus, » inquit, ut nonnisi summa et urgente necessi» tate Diaconus baptizet, et Corpus Christi cui» quam eroget, vel pœnitentiam confitenti im» ponat. » Et ut alia omittam, Concilium Londinense anno 1200 celebratum, cap. III, idipsum confirmans, ita statuit : « Non liceat Diaconibus » baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici » necessitate ; videlicet quia Sacerdos non po» test, vel absens, vel stulte non vult, et mors » imminet puero vel ægro. »

XI. Qualis sit horum Canonum sensus, diserte explicat Natalis Alexander, *Theologiæ dogmaticæ et moralis* lib. II, de sacramento Pœnitentiæ, articulo VIII, propositione I, docens Eboracensem ac Lodinensem Canonem, aliosque similes, non permisisse Diaconis administrationem pœnitentiæ, sed cæremoniæ cujusdam ex earum numero quas Theologi vocant *Sacramentalia*, executionem, qua, deficiente vero Sacramento, moribundi in impotentia illud consequendi, ob Sacerdotum absentiam, constituti contritio excitaretur ; atque Deus interiori ejus dispositione ac precibus Ecclesiæ motus, ipsi effectum Sacramenti tribueret. Neque mirum, cum ejusdem generis confessionem a laico homine fieri, urgente necessitate, scripserit S. Thomas, quæ tamen non sit « Sacramentum per» fectum, quia deest id quod est ex parte » Sacerdotis, scilicet absolutio. » Quod et Odo de Soliaco in Statutis Synodalibus satis explicat, sic inquiens : « Prohibetur districte ne Diaconi » ullo modo audiant confessiones, nisi in arc» tissima necessitate : claves enim non habent, » nec possunt absolvere. » Ad Canonem Illiberitanum varia adduxerunt Mendoza et Albaspineus. Emmanuel Gonzalez autumat, Canonem esse accipiendum de communione Eucharistica pœnitenti concedenda, non vero de reconciliatione et absolutione. Verum non est spernenda illa sententia, quæ docet Diaconos aliquando reconciliasse ex delegatione sui Episcopi pœnitentes, reconciliatione non quidem sacramentali, sed tantum cœremoniali, et quæ solum proderet ad agnoscendos fructus pœnitentiæ ac devotionem pœnitentis : de qua reconciliatione accipiendi sunt etiam textus in Can. *Cum aliquis* XI, quæstione III, et cap. *Fures*, Extra. *De furtis*, in illis verbis, *Presbytero vel Diacono confessi fuerint.*

XII. Porro Exomologesis nomine, quam lapsi, ex allegato S. Cypriani testimonio, apud Diaconos facere poterant, nequaquam designatur sacramentalis confessio, sed solemnis tantum pœnitentiæ ritus, quo lapsi humi prostrati crimina sua palam detestabantur, et ea se nunquam perpetraturos contestabantur, et peracta pœnitentia Ecclesiæ reconciliari et Sacramentorum communioni restitui supplices postulabant. Hæc autem restitutio, seu absolutio a censuris et pœnis canonicis, uti docet laudatus Natalis Alexander post alios Scriptores, erat Episcopo reservata ; sed absente illo, et imminente pœnitentibus obitu, permittebatur etiam Presbyteris; iisque absentibus Diaconi quoque ex Ecclesiæ concessione pœnitentes reconciliare poterant, illisque pacem dare. Sed reconciliatio illa, quamvis, ab Episcopis et Presbyteris facta, absolutio sacramentalis esset, a Diaconis tamen data, erat absolutio duntaxat canonica, quæ jus communionis reddebat. Cum enim absolutio canonica spectet forum exterius, Diaconis, imo etiam inferioribus Ordinibus committi potest munus illam impertiendi. Quæ sunt nempe jurisdictionis committi possunt Clericis non initiatis Sacerdotio; verbi gratia, sententiam excommunicationis ferre, ab excommunicatione absolvere, indulgentias dare : quæ sunt vero ordinis, demandari non possunt nisi illis qui inaugurati sunt. Quamvis ergo susceptio pœnitentium, quæ spectat jurisdictionem exterioris fori, et absolutionem canonicam, necnon et Eucharistiæ administratio, non modo primis sæculis, sed adulta jam Ecclesia, Diaconis aliquando demandata sit, ubi absentes erant Sacerdotes, ut fidem facit creditus Alcuinus in lib. *De Divinis Officiis* in capite Jejunii, his verbis : « Si autem necessitas evenerit, et Pre» sbyter non fuerit præsens, Diaconus susci» piat pœnitentem, ac det sanctam Communio» nem; » Sacramentalis tamen absolutio conferri non poterat nisi a Sacerdotibus, quæcumque necessitas urgeret; unde idem Auctor ait « Claves regni cœlestis solis Episcopis vel Pre» sbyteris traditas esse. » Cæterum licet ad Sa-

Digitized by Google

cerdotem spectet reconciliandorum peccatorum officium, cum tamen ei conjunctum sit ipsos corripere, atque errantes in viam reducere, ea in re diligentissime Episcopis ac Sacerdotibus olim Diaconi cooperari consueverunt. Nam, ut est apud S. Clementem in Epistola I ad Jacobum fratrem Domini, et refertur a Gratiano in can. *Diaconi*, XCIII distinctione, Diaconus, tanquam oculus Episcopi, sedulo circumlustrare et perscrutari debet actiones et studia fidelium, ut, cum de iis Episcopum certiorem fecerit, ille delinquentes, vel privatim vel publice corripiat, prout se magis profecturum intellexerit.

XIII. Denique, ut cæteras Diaconorum veterum partes prosequamur, vult auctor Apostolicarum Constitutionum, lib. II, cap. XLVII, Diaconos cum Episcopis et Presbyteris Christianorum controversiis dijudicandis assistere : « Assistant, inquit, judicio Diaconi et Presbyteri, » qui citra acceptionem personarum tanquam » homines Dei juste judicent. » Similiter, si quod negotium necessarium erat Episcopis in comitatu Imperatoris, illud per Diaconos procurare debebant, ex Concilio Sardicensi, c. VIII et IX. Curam etiam Martyrum et Confessorum in carceribus, propter confessionem Jesu Christi captivorum, gerere soliti erant Diaconi, qui illos consilio et exhortationibus adjuvabant, iis fidelium eleemosynas distribuebant, eorum vota postremaque voluntatis placita excipiebant et ad Episcopum referebant. Vide S. Cyprianum, Concilium Carthaginense IV, anni 398, can. XLIII, et Concilium Aurelianense V, anni 559, can. XX. Eo nomine absens damnatus fuit Cæcilianus in pseudo-Concilio Donatistarum, quod adhuc Diaconus Martyribus in custodia positis alimoniam ministrare vetuisse diceretur, uti refert S. Augustinus in Breviculo collationum : « Et recitatum est a Donatistis Concilium » ferme septuaginta Episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum » absentem damnaverant, quia, cum esset Diaconus, victum afferri martyribus in custodia » constitutis prohibuisse dicebatur. » Sane operosum esset omnia Diaconorum officia percensere; versabantur enim in omnibus prorsus negotiis ecclesiasticis. Qualia essent eorum munera in Synodis, videsis quæ fuse a nobis dicta sunt tomo I Conciliorum, in Prolegomenis ad Concilia, cap. XIV, num. III, et pluribus sequentibus.

§ V.

Deinde, si non sint ordinati Subdiaconi, Ordinandi omnes prosternunt se ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniæ, et Ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra in Ordinatione Subdiaconi dictum est. Post hæc, Ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur Clerum et Populum, dicens :

Commune votum communis oratio prosequatur; ut hi totius Ecclesiæ preces, qui ad Diaconatus ministerium præparantur, Leviticæ bene ✠ dictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

§ VI.

Deinde surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad Ordinandos dicit, alta voce legendo :

Oremus, Fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam

Digitized by Google

clementer effundat, eisque consecrationis indultæ propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat; ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio, et quos sacris mysteriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua bene ✠ dictione sanctificet et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus.

§ VII.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit: *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis per Verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus Corpus, Ecclesiam videlicet tuam, cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens; electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderint. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tanquam homines divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam quantum possumus æstimamus. Te autem, Domine, quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium; tu horum vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, et admissa purgare, et ea quæ sunt agenda concedere.*

COMMENTARIUS.

I. Quanquam allocutio Episcopi ad Clerum et Populum, quæ incipit *Commune votum, etc.*, habeatur tum in antiquo Romano Ordine, tum in aliis passim priscis Pontificalibus libris mss. a Morino et a Martenio relatis, ac præterea in ms. Pontificali Capuano, nihil tamen de ea exstat in Sacramentario S. Gregorii, qui etiam id scriptum reliquit : « Ad ordinandum Diaco- » num et Presbyterum, prima oratio dicitur le- » gendo, et sequitur oratio, et non dicitur *Vere* » *dignum* in consecratione. » Certe in variis Ecclesiis prolixa oratio § VII recitata neque longe post annum millesimum in modum præfationis cani consuevit, sed incipiebat ab iis verbis, *Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, bonorum dator, etc*, uti videre est in ms. Pontificali Ecclesiæ Noviomensis annorum quadringenta, quamvis in Pontificali ms. Ecclesiæ Cameracensis annorum quingenta, et in alio Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringenta, ea oratio in modum præfationis legatur, ut in Pontificali Romano. Porro et illud monendum

Digitized by Google

est, ipsam præfationem in Sacramentario sancti Gregorii, et in vetere Ordine Romano, ac in plerisque priscis libris Pontificalibus non terminare ad ea verba, *quæ sunt agenda concedere*, sed statim illa sequi verba : *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, etc.*, quæ nos inferius recitabimus. Item neque est omittendum, ubi initio præfationis Romani Pontificalis et aliorum complurium legimus : *Honorum dator*, in Ordine antiquo Romano et in nonnullis etiam Ritualibus libris legi : *Bonorum dator*. Verum non recte, nam præterquam quod Sacramentarium S. Gregorii habet, *Honorum dator*, ea vox *honor*, apud sanctos Patres ac pervetustos Scriptores Ecclesiasticos, passim dici consuevit de tribus excellentioribus Ordinibus, Diaconatu, Presbyteratu et Episcopatu, uti fuse eleganterque ostendit vir clarissimus Hugo Menardus in Notis et Observationibus ad laudatum Sacramentarium S. Gregorii, pag. mihi 285 et seq.

§ VIII.

Hic solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet Ordinando, et nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini.* Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram usque in finem præfationis : *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo, in opus ministerii tui fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant; ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiæ testimonium præferentes in Christo firmi et stabiles perseverent; dignisque successionibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.* Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Impositio manus Episcopi super caput Diaconi, de qua agitur in hoc § tam in Sacramentario S. Gregorii quam in Ordine antiquo Romano, et in multis Pontificalibus etiam post annum Christi millesimum, facienda certe præscribitur initio ordinationis ipsorum Diaconorum. « Diaconus, » inquit S. Gregorius, « cum » ordinatur, solus Episcopus qui eum bene» dicit manum super caput illius ponat, quia » non ad Sacerdotium, sed ad ministerium con» secratur. » Idem habet Ordo Romanus, qui tamen numero plurali loquitur. Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, c. XII, hujus libelli carpendi occasionem sumit ex c. VI Actuum Apostolorum, ubi Apostoli omnes S. Stephano aliisque Diaconis manus suas imposuisse memorantur. Sic enim ille : « Est li» bellus quidam apud nos de sacris Ordinibus, » nescio cujus auctoris, qui dicit, solum Epi» scopum debere manus imponere super Diaco» num; quia non ad Sacerdotium consecratur, » sed ad ministerium. Numquid scriptor libelli » doctior atque sanctior Apostolis, qui posue» runt plures manus super Diaconos, quando » consecrabantur; et propterea solus Episcopus » ponat manum super Diaconum, ac si solus » posset precari virtutem gratiarum, quam plu» res Apostoli precabantur? »

Digitized by Google

II. Addit et his alia ipse Amalarius, qui tamen, ut scite observant Menardus, Morinus, ac præsertim Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo IX, num. I, non qualemcumque libellum carpit, sed Concilium ipsum Carthaginense IV, cujus canon IV ita exprimitur : « Diaconus cum ordinatur, solus » Episcopus, qui eum benedicit, manum super » caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, » sed ad ministerium consecratur. » Quæ quidem verba, post S. Gregorii Sacramentarium et Ordinem Romanum, transcribunt passim libri Pontificales bene multi venerandæ antiquitatis, ut Egberti Eboracencis archiepiscopi, Anglicanus monasterii Gemmeticencis, Gellonensis, et Remensis annorum noningenta; Corbeiensis, annorum octingenta; Bellovacensis, annorum septingenta; Noviomensis, Salisburgensis, Bisuntinus, annorum sexcentum; Apamiensis, et Remensis S. Remigii, annorum circiter quingenta, et alii. Imo Lugdunensis Halinardi archiepiscopi, et Senonensis, annorum quingenta, diserte vetant ne Presbyteri caput Diaconi ordinandi tangant. In Ordine tamen Gelasiano, et in Codice Noviomensi, annorum noningentorum, itemque in Anglicano Ecclesiæ Rothomagensis, et in Caturcensi annorum octingenta, ita legitur : « Diaconus cum ordinatur, solus » Episcopus qui eum benedicit, manum super » caput illius ponat; reliqui omnes Sacerdotes » juxta manum Episcopi caput illius tangant, » quia non ad Sacerdotium, sed ad ministe- » rium consecratur. » Quibus concinit Guillelmus Durandus, in Rationali lib. II, cap. IX, num. IV, ubi, postquam retulit verba Concilii Carthaginensis, addit : « In Actibus tamen Apo- » stolorum ita legitur : *Hos statuerunt ante* » *conspectum Apostolorum, et orantes imposue-* » *runt manus super eos*. In quo ostenditur, non » solum Episcopum, verum etiam Presbyteros » tunc adstantes debere manum super Diaco- » num, dum ordinatur, imponere. » Non addubito quin in quibusdam provinciis Presbyteri manus Diaconis cum Episcopo imponerent; nunquam enim reprehendisset Amalarius illum libellum, nisi fuisset Sacramentariorum quibus utebatur auctoritate subnixus, uti recte observat Morinus, *De Sacris Ordinationibus*, part. III, exercitatione IX, cap. II in fine.

III. Neque vero aliquid negotii facessit adducta Amalarii ratio ex laudato cap. VI Actuum Apostolorum, quia, cum ea Diaconorum ordinatio facta sit ab Apostolis simul congregatis, æquum erat ut omnes manus imponerent, quamvis id minime esset necessarium, cum unicus Apostolus sufficere potuisset, uti diserte docet Hugo Menardus in Notis et Observationibus ad Sacramentarium S. Gregorii, pag. mihi 285. Cæterum communi doctrinæ mirifice suffragatur S. Dionysius, qui lib. V *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* ita inquit : « Diaconus vero genu » altero flexo ante altare, dexteram manum » Pontificis, qui eum consecrat, super caput » habet. » Idem legere est in Rituali Græcorum, ubi agitur de ritu faciendo in ordinatione Diaconi; solus enim ibi Pontifex memoratur tenens dexteram manum capiti illius impositam, pro quo etiam hoc pacto precatur : « Do- » mine Deus noster, qui in præscientia tua, su- » per destinatos ab imperscrutabili tua virtute, » ut ministri fiant, et illibatis mysteriis tuis de- » serviant, sancti tui Spiritus copiam effundis : » Ipse Domine et hunc, quem tibi a me promo- » veri complacuit in Diaconi ministerium, in » omni honestate fidei Sacramentum in pura » conscientia tenentem conserva : gratiam vero » Stephano protomartyri tuo in opus ministerii » hujus a te primum vocato concessam largire, » et gradum a bonitate tua sibi præstitum, se- » cundum beneplacitum tuum administrare » præbe; recte namque ministrantes gradum » sibi bonum acquirunt; et perfectum ostende » servum tuum. Quia tuum est regnum, et vir- » tus, et gloria, Patris, et Filii, et Spiritus » sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculo- » rum. Amen. » Est et alia oratio quam apud Græcos dicit Pontifex, manum etiam Diaconi capiti impositam tenens.

IV. Manus impositionem tactu corporali, ex ritu ab Apostolis introducto, fieri ab Episcopo debere « cum oratio super caput effunditur or- » dinandi Presbyteri, seu Diaconi, » docet nos inter alios priscos Pontifices Gregorius IX, in cap. *Presbyter*, Extra. *De Sacramentis non iterandis*. Ejus ritus egregiam significationem tradit nobis S. Dionysius in Theoria capitis V *Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, his verbis : « Manus » autem Pontificis impositio simul quidem di- » vinum præsidium declarat, quo tanquam » sancti pueri Patris charitate foventur, ita ut

Digitized by Google

» eis quidem statum vimque ecclesiastici or-
» dinis largiatur; contrarias autem potestates
» procul ab eis fuget. Docet etiam omnia officia
» et munera sacri Ordinis exequi eos qui con-
» secrati sunt, ut sub Deo agentes, eumque om-
» nium suarum actionum habentes ducem in
» omnibus. » Paucioribus hæc verbis comprehendit Pachimeres in paraphrasi hujus loci, quæ mysterium non minus clare explicant : « Manus autem impositio, inquit, declarat qui-
» dem præsidium seu tegmen ex Deo, quod
» custodiat Patris more filios ipsi adhærentes;
» simulque docet, hoc intentum habere conse-
» cratos suum ipsorum mysterium perficere, ut
» sub Deo operantes : manus enim symbolum
» est operationis, seu praxis. » Simeon Thessalonicensis in libro *De Sacris Ordinationibus*, cap. IV, memoratum ritum enarrat hunc in modum : « Diaconus suscipit supra caput Epi-
» scopalem dexteram, quæ demonstrat gratiæ
» adumbrationem, et illius a Christo participa-
» tionem, quandoquidem et ipse Apostolis ma-
» nus imposuerit. Ipse etenim elevans manus,
» dixit, *Benedic eos*, et Spiritus descendens
» capitibus eorum insedit; ideo manuum impo-
» sitione gratiam omnes accipiebant. Et sicut
» manus Dei nos creaverunt, sic nunc manus
» disponit, ad reformationem et recreationem
» hominum. »

V. Inter Latinos scriptores ea de re ita disserit quintus Ecclesiæ Doctor, S. Thomas Aquinas, III parte, quæstione LXXXIV, articulo IV : « Impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ
» fit ad significandum aliquem copiosum gratiæ
» effectum, quo illi quibus manus imponuntur
» quodammodo per quamdam similitudinem
» constituantur ministri, in quibus copia gratiæ
» esse debet. Et ideo manus impositio fit in
» sacramento Confirmationis, in quo confertur
» plenitudo Spiritus sancti, et in sacramento
» Ordinis, in quo confertur quædam excellen-
» tia potestatis in divinis mysteriis. Unde et II
» ad Tim. I dicitur : *Resuscites gratiam Dei*,
» *quæ est in te per impositionem manuum mea-*
» *rum.* » Dari alicui potestatem per manus impositionem, compertum habemus ex libro Numerorum capite XXVII, ubi Deus Moysi ita præcipit : *Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum, et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ* (potestatis nimirum qua pollebat Moyses in populum), *ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Quod autem dextera potius quam sinistra capiti Ordinandorum imponenda sit, dextræ manus supra sinistram variæ prærogativæ demonstrant, quas singulatim percenset eruditus Hallierius in opere *De Sacris Ordinationibus*, pag. 991. Simeon Thessalonicensis in laudato loco ex eo mysterium deducit imponendæ dexteræ manus, quoniam, uti in Scriptura legimus, *Dextera Domini fecit virtutem;* et *Dextera Domini exaltat;* et *Dextera Domini glorificata est in virtute.*

VI. Hanc Episcopalis manus impositionem esse materiam essentialem, et adæquatam, ut aiunt, Diaconatus, abunde constat ex hactenus enarratis, fuseque probatur a viro clarissimo Joanne Morino ac aliis scriptoribus eruditis, quamvis Dominicus Sotus, Vasquesius, aliique scholastici eam manus impositionem ab essentiali materia Diaconatus excludere non vereantur, et præter ipsos nonnulli etiam asserere non erubescant Diaconum olim ordinari solitum fuisse absque manuum impositione : quod quidem repugnat luculentissimis testimoniis capitis VI Actuum Apostolorum, Patrum Concilii Carthaginensis IV, Sacramentarii S. Gregorii, veteris Romani Ordinis, ac omnium pene veterum librorum Pontificalium, in quibus passim fit mentio impositionis manus ab Episcopo capiti Diaconi faciendæ. Certe, ex iis qui contendunt solam impositionem manus constituere integram ac essentialem Diaconatus materiam, ut testatur Jueninus, nonnulli sunt qui censent illius formam esse hæc tantum verba quæ proferuntur ab Episcopo dum Ordinando manum imponit : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum Diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini.* Alii vero putant esse præfationem, sive orationem quæ immediate post illorum verborum prolationem, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, ab Episcopo funditur extensam tenente manum dexteram, quæque sic incipit : *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur, etc.*, uti habetur supra in § VIII hujus tituli. Scholastici tandem quibus placet utrumque ritum, nempe manus impositionem et traditionem libri Evangeliorum, de qua nos

Digitized by Google

infra suo loco dicemus, esse conjunctim essentialem materiam Diaconatus, docent Pontificis verba quæ duplicem illum ritum comitantur, ex æquo ad illius formam essentialem pertinere.

VII. Verum ea verba, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, quæ profert Episcopus dum Ordinando manum imponit, et immediate antequam dicat orationem quæ in Romano Pontificali incipit, *Emitte, quæsumus, Domine, in eos, etc.*, non esse formam Diaconatus essentialem, vel ex eo probari potest quod recentioris sint institutionis, vixque superent quadringentos annos, ut scite observat eruditus Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, artic. IX, num. II; ubi etiam docet desiderari ea verba in duplici Pontificali S. Remigii Remensis, in Senonensi, in Cameracensi, in Apamiensi, et Constantinopolitano annorum circiter quingenta; in Romano duplici, in Aquensi, in Arelatensi, in Noviomensi, annorum quadringenta; in Silvanectensi, annorum tercentum aut parum amplius; ac tandem longe minus ea verba haberi in antiquioribus libris istis codicibus. Sane Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quadringenta, Episcopo præscribit, ut post factam Diaconis de suis officiis instructionem, « surgat, et transiens per circui- » tum, ambas manus superponat, ad quemlibet » dicens sigillatim : *Spiritus sanctus superve- » niet in te, et virtus Altissimi sine peccato » custodiat te, in nomine Domini. Amen.* » Deinde jubet ut, recitatis tribus orationibus, sequatur consecratio Diaconorum per modum præfationis proferenda, in qua, cum ad illa verba pervenit, *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, etc.*, ut Episcopus extendat manum dexteram super Ordinandos, et extensam teneat usque ad finem Præfationis. In Pontificali quoque Antissiodorensi, cujus character quadringentos annos attingere non videtur, ordinatio Diaconi incipit ab impositione manuum, ad quam singulis sigillatim dicat Episcopus hæc tria verba tantum, *Accipe Spiritum sanctum,* deinde orationes, et consecrationem absque alia manus impositione, et sine forma descripta in nostro Romano Pontificali.

VIII. Puto itaque formam Diaconatus esse orationem quæ incipit, *Emitte, quæsumus, Domine, etc.*, cum ipsam tum quoad sensum, tum fere quoad verba describat in suo Sacramentario S. Gregorius, qui nihil aliud omnino recenset quod sua ætate Episcopus proferret dum manum imponeret Ordinando. Neque alicujus momenti videri debet quod aiunt nonnulli, Ecclesiam scilicet post sæculum duodecimum, verba illa imperativa, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, Pontificali inseruisse, non quidem tanquam formam essentialem, sed tanquam conditionem sine qua non valeat Ordinatio. Nullibi siquidem Ecclesia definiit ea verba potius quam hæc alia, *Emitte, quæsumus, Domine, etc.*, quæ leguntur supra in hoc §, requiri ut Ordinatio valida sit. Hoc unum tum de Diaconatus et aliorum inferiorum Ordinum forma edixit Eugenius IV, Pontifex Maximus, in Decreto pro instructione Armenorum; « et sic de » aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali » Romano late continetur. » Quibus quidem verbis, uti observat post alios Jueninus, nequaquam determinat an imperativa verba, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, etc.*, aut ista, *Accipe potestatem legendi Evangelium, etc.*, aut Oratio quæ incipit, *Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, etc.*, sint essentialis forma sacramenti Diaconatus. Sane ea verba, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, ideo ab Episcopo dici Diaconis docet Gilbertus, seu Guibertus vel Gisbertus, ut aliis placet, de Torniaco theologo Parisiensi, qui vixit sub annum 1258, in tractatu *de Officio Episcopi et Ecclesiæ cæremoniis*, « quia istis maxime competit vita spiritualis, » quia sunt præcones Evangelii, sicut determi- » natur in prima ad Timotheum. » Exstat liber hujus auctoris tom. XXV Bibliothecæ Patrum.

§ IX.

Post hæc Pontifex sedens cum mitra cuilibet Ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis : *Accipe stolam ✠ candidam de manu Dei, adimple ministerium*

Digitized by Google

tuum; potens enim est Deus ut augeat tibi gratiam suam, Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Faciens super quemlibet eorum signum Crucis, et Ministri reflectent capita stolæ, et alligent sub brachio dextro.

COMMENTARIUS.

I. Post recitatas Orationes præscriptas, ad consummandum Diaconatus officium, dari unicuique stolam vel primis sæculis consuevisse, compertum habemus ex Sacramentario S. Gregorii, in quo tamen sub hac verborum formula traditur : « Per hoc signum vobis Diaconatus » officium humiliter imponimus, ut firmamen- » tum mensæ divinæ tanquam sustentacula co- » lumnarum esse possitis, et præcones Regis » cœlestis irreprehensibiliter existere merea- » mini. » In Ordine Romano, præter recitatam hic in § IX ex Romano Pontificali, hæc alia exhibetur formula ab Episcopo pronuntianda : « Accipe stolam candidatam de manu Domini, » ab omnibus vitiorum sordibus purificatus in » conspectu divinæ majestatis, ut omnibus vita » conversationis tuæ præbeat exemplum, plebs- » que dicata Christi nomine, possit imitando te, » imitationem acquirere justam. » Pontificale ms. Anglicanum monasterii Gemmeticensis, annorum noningenta, et Caturcense ab annis octingentis exaratum, mandat ut, Diaconus cum ordinatur, circumdetur ejus humerus sinister cum stola ab Episcopo ita ei dicente : « In no- » mine sanctæ Trinitatis et unicæ Divinitatis, » accipe stolam, quam tibi Dominus per humi- » litatis nostræ famulatum et per manus nostras » accipiendam præparavit, per quam scias sar- » cinam Domini Dei tui cervicibus tuis imposi- » tam, et ad humilitatem atque administratio- » nem Ecclesiæ te esse connexum, et per quam » te cognoscant fratres tui ministrum Dei esse » ordinatum; ut qui in Diaconatus ministerio » es constitutus, Leviticæ benedictionis ordine » clarescas, et spiritali conversatione præful- » gens, gratia sanctificationis eluceas : sed et in » Christo Jesu firmus et stabilis perseveres, qua- » tenus hoc quod per hanc stolam significatur, » in die districti judicii, ante tribunal Domini » sine macula repræsentare valeas, ipso auxi- » liante, cui est honor et gloria in sæcula sæ- » culorum. Amen. »

II. In Ecclesia Orientali ritus ipse est etiam antiquissimus, ut stolam Diaconicam, sive Orarium, ut aiunt, humero sinistro Ordinati Episcopus circumponat, ut videre est in Euchologio, titulo *De ritu faciendo in ordinatione Diaconi*, et apud Simeonem Thessalonicensem *De sacris Ordinationibus* cap. IV, ubi ritum ipsum ita explicat : « Hic vero (Episcopus) illius hu- » mero orarium adaptat, eo quod Diaconus mi- » noris est adhuc et subjecti Ordinis, minister- » que unius et solius operis, ad ministrandum » scilicet et serviendum tantum institutus. Cum » vero initiabitur in Presbyterum, tunc stolam » in dexterum quoque humerum accipiet, ve- » lut tunc et ministrandi et sacrificandi potes- » tate donatus. » Acceptam in sua ordinatione stolam per annum integrum diu noctuque a Diaconis gestari aliquando consuevisse liquet ex Vita S. Mauri abbatis, qui labente sæculo Ecclesiæ sexto florebat; quique claudum et mutum curaturus, « stolam cum qua eodem » anno, jubente beato magistro suo, ordinatus » ad ministerium fuerat Leviticum, et quam » juxta morem, sanctitatis gratia, primo indesi- » nenter ferebat anno, de collo suo protulit, et » super caput infirmi signum crucis faciens, » posuit. » Vide opus nostrum *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. X, ubi plura scitu digna habes circa stolam Diaconalem. Cæterum, quod in quibusdam Pontificalibus manuscriptis, ac præsertim in Ordine Romano, « stola dari dicatur ad consummandum Diaconatus officium, » monet Martenius non sic esse id accipiendum, quasi stolæ traditio sit de Diaconatus essentia, sed quia in illa traditione consummabatur finemque accipiebat solemnitas seu ritus ordinationis Diaconorum. Verum labitur vir clarissimus, cum post traditionem stolæ et aliæ orationes et alii ritus sequantur, præsertim in ordine Romano, ut mox ostendemus.

Digitized by Google

§ X.

Post hæc Pontifex accipiens Dalmaticam, induit ea quemlibet successive usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc si una tantum sit dalmatica. Si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet : *Induat te Dominus indumento salutis et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper. In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis longe a vero, ut verbis utar Martenii, aberret Michael Medina, ubi lib. I *De Continentia*, præter manuum impositionem, stolam, dalmaticam et Evangelii traditionem Diaconatus materiam statuit, multo longe a vero aberrasse mihi videtur ipse Martenius cum lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, art. IX, num. VIII, tradit, dalmaticæ traditionem multo tardius introductam fuisse in ordinatione Diaconorum, primumque institutam ipsi videri in gratiam eorum qui in monasteriis ordinabantur, atque inde ad alios ab annis circiter quingentis, et non prius transiisse; quia scilicet, ut ipse inquit, nullam ejus mentionem faciunt codices ante illam ætatem scripti. Falsum id esse quod scribit laudatus auctor, constat in primis ex antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, VII fere Christi sæculo exarato, ultimum ritum ordinationis Diaconorum esse dalmaticæ traditionem. Sic enim inquit : « Cum » vero consecrati fuerint, induantur dalmatica, » etc. » Idipsum quoque Pontificale manuscriptum S. Cornelii Compendiensis ad usum Ecclesiæ Suessionensis, quod ante annos sexcentos scriptum testatur ipse Martenius loco citato, articulo X. Pontificale Moguntinum, annorum circiter quadringenta, in traditione dalmaticæ hanc habet formulam : « Induat te Dominus » novum hominem, qui secundum Deum crea- » tus est in justitia et sanctitate veritatis, in no- » mine Domini. Amen. » Et statim subdit hanc aliam : « Induat te Dominus vestimento salutis, » et indumento justitiæ circumdabit te. » Vide quæ scripsimus de dalmatica supra in Prolegomenis, et in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. XI.

§ XI.

Postremo Pontifex accipit et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Contendit idem Martenius, traditionis libri Evangeliorum faciendæ in ordinatione Diaconi, nullum Pontificalem codicem ante annos octingenta meminisse, exceptis quibusdam Anglicanis Pontificalibus, veluti Egberti Eboracensis episcopi, et Gemmeticensi annorum noningenta, atque Rothomagensi ejusdem ætatis, ad Anglicanæ Ecclesiæ usum exarato. Sed iterum hallucinatur vir clarissimus; meminit etenim ejus ritus Ordo vetus Romanus, ubi, post stolæ traditionem, præscribitur Episcopo ut Diaconis « det Evangelium, dicens : *Accipe potes-* » *tatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei,* » *tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine* » *Domini.* ℟. *Amen.* » Illud ego libens fateor, hanc libri Evangeliorum porrectionem non fuisse in usu apud Ecclesias universas, cum ejus ritus nec apud S. Isidorum, Amalarium, Alcuinum et Rabanum inveniatur; sed nec olim exstiterit in antiquissimo Ordinario Ecclesiæ Aniciensis, quo utebatur Durandus in Ordinum collatione, uti ipse testatur in IV Senten-

Digitized by Google

tiarum, distinctione XXIV, quæstione III, his verbis : « Sed contra hoc argui potest, quia » illud in quo imprimitur character, debet » observari, et probabile est quod observetur » in omni Ecclesia, sed traditio libri in ordina- » tione Diaconi non observatur in omni Eccle- » sia; nec antiquitus forsitan observabatur in » aliqua Ecclesia. Unde, secundum Ordinarium » antiquissimum Ecclesiæ Aniciensis, cui præ- » fuimus, liber Evangeliorum non tradebatur » Diacono in ordinatione sua. Sed nos volentes » nos conformare cæteris Ecclesiis, posuimus » de manu nostra in margine dicti Ordinarii, » quod liber Evangeliorum tradatur cum con- » sueta forma verborum. Quare non videtur » quod in traditione libri imprimatur character » Diaconatus; et ideo alia opinio est, quod cha- » racter imprimatur in impositione manuum. » Per quod datur intelligi quia applicatur ad » magnum ministerium. Et huic videtur Canon » concordare XXIII distinctione, ubi dicitur, » quod cum ordinatur Diaconus, solus Episco- » pus ei manum imponit, eo quod ad ministe- » rium applicetur. »

II. Vel ex hoc Durandi testimonio ac ratiocinio perspicue illud quidam deducunt, traditionem libri Evangeliorum non pertinere ad essentialem Diaconatus materiam. Aiunt nonnulli, quod nec in mentem Durandi venit, errasse in hoc Ecclesiam Aniciensem. Verum dicendum puto eos auctores falli, cum manifestum videamus conformitatem hujus veteris Ordinarii præfatæ Ecclesiæ Aniciensis cum Concilio Carthaginensi, cum S. Gregorii Sacramentario ac laudatis auctoribus, a quibus ritus ipse tradendi libri Evangeliorum in Diaconi ordinatione minime memoratur. Memorat illum quidem Ordo Romanus, quem nos superius allegavimus, ut ostenderemus contra Martenium, in Ecclesia saltem Romana, omnium Ecclesiarum matre ac capite, eum ritum jam ante nongentos annos viguisse. Sane varia olim fuit formula qua Episcopus uteretur cum Evangelii librum Diacono traderet. Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis, annorum noningenta, hanc exhibet : « Accipe istud vo- » lumen Evangelii. Lege, et intellige, et aliis » trade, et tu opere adimple. » Cæterum, cum nostri Romani Pontificalis Rubrica diserte præscribat ut Diaconi manu dextera tangant librum Evangeliorum porrectum sibi ab Episcopo dum ordinantur, in ea quidem sum ego communi fere opinione Theologorum, quam propugnavi in opere *De Codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. III, ubi scripsi probabiliorem rationem propter quam Evangelii lectio Diaconis tribuatur oriri ex vi ordinationis suæ, in qua, præter manuum impositionem, liber etiam Evangeliorum illis porrigitur.

§ XII.

Quo facto, Pontifex stans ad altare conversus dicit, sine mitra : *Oremus*. Et Ministri : *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Et vertens se ad Ordinatos dicit :

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos spiritum tuæ bene ✠ dictionis emitte; ut cœlesti munere ditati, et tuæ majestati gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum; qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiæ, et profectuum remunerator, qui in cœlestibus et terrenis Angelorum ministeriis ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque famulos tuos spirituali dignare illustrare affectu, ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant; et indulgentia tua puriores, eorum gradu quos Apostoli tui in

Digitized by Google

septenarium numerum, beato Stephano duce ac prævio, Spiritu sancto auctore elegerunt, digni existant; et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi, tibi complaceant. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XIII.

Deinde, cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis dalmatica indutus Evangelium dicit. Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

COMMENTARIUS.

I. Exstant recitatæ Orationes § XII in Ordine Romano : prima quidem paulo post initium ordinationis Diaconorum; altera vero post stolæ et libri Evangeliorum traditionem, verum antequam dalmatica ipsis Diaconis porrigatur. In Rituali Græcorum variæ etiam exstant preces atque orationes in ipsorum Diaconorum ordinatione pronuntiandæ, in quibus etiam S. Stephani commemoratio fit. Olim in quibusdam Ecclesiis post traditionem libri Evangeliorum manus etiam Diaconi ungebantur, ut legere est in Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, aliisque Anglicanis ab annis nongentis scriptis; in quibus sub finem ordinationis ita legitur : « Consecratio manuum Diaconi de oleo sancto » et chrismate. » Et deinde hæc sequitur formula : « Consecrentur manus istæ, quæsumus, » Domine, et sanctificentur per istam unctio- » nem, nostramque benedictionem, ut quæcum- » que benedixerint benedicta sint, et quæcum- » que sanctificaverint sanctificata sint. » Inolevisse hunc olim morem in Gallia, ut manus Diaconis inungerentur, testem habemus Rodulphum archiepiscopum Bituricensem, qui Apostolicam Sedem consuluit quid ea de re sibi esset in Ordinum collatione agendum : ad quam tamen Nicolaus I, Pontifex Maximus, hunc in modum rescripsit : « Sciscitaris utrum solis » Presbyteris, an et Diaconibus debeant, cum » ordinantur, manus chrismatis liquore perun- » gi. Quod in sancta hac Romana, cui, Deo auc- » tore deservimus, Ecclesia, neutris agitur; sed » et quia sit a novæ legis ministris actum nus- » quam, nisi nos fallat oblivio, legimus. » Certe id minime interrogasset Pontificem Maximum Rodulphus, nisi morem hunc esse in Diaconorum ordinatione alicubi in Gallia compertum habuisset, uti recte observat Hugo Menardus, in Notis et Observationibus ad Sacramentarium S. Gregorii papæ, pag. 289.

II. Omitti hic non debet ritus ille ex manuscripto Pontificali Cameracensi, annorum quingenta, præscriptus, quo jubentur Diaconi ut, postquam consecrati fuerint et dalmatica induti, « dent osculum Episcopo et Sacerdotibus, et » stent ad dexteram Episcopi. » Longe plus requirit manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria; etenim, post recitatam ultimam orationem, quæ spectat ad Diaconi ordinationem, ita præscribit : « Hic tradatur ei » dalmatica, et induatur. Hoc facto, osculatis » primum pedibus Pontificis, det osculum tam » ipsi Pontifici quam Episcopis, si forte affue- » rint, Presbyteris et Diaconibus; et postmo- » dum descendat et stet in ordine suo. » Simeon Thessalonicensis, qui cunctas suæ Græcæ Ecclesiæ cæremonias persequitur, mira sagacitate ritum ipsum sic explicat in opere *De sacris Ordinationibus*, cap. IV : « Tradens Episcopus Dia- » cono flabellum, eum jubet primum osculari » sacram mensam, utpote qui in ea gratiam sus- » ceperit; deinde manum Episcopalem, velut » per ipsam ordinatum; tertio genam, propter » charitatem et in divinis unionem, et quod » amabilis sit in Christo qui bona per spiritum » distribuit, et dilectus qui accepit; postea et » Diaconos osculatur, prius uniuscujusque ora- » rium deosculans, demonstrans hac actione, » et veluti dicens : Per hoc donum vobis sum » unitus et æqualis factus, et unum vobiscum.

Digitized by Google

» ejusdemque vobiscum ordinis. » Quod demum spectat ad ritum præscriptum in § XIII, ut aliquis de noviter Ordinatis dalmatica indutus Evangelium dicat, Pontificale Moguntinum, annorum quadringenta, mandat legendum esse Evangelium per ultimum ordinatum; ob eam fortasse rationem, quod ubi una tantum dalmatica sit, ea Episcopus Diaconorum ultimum totaliter induit. De eo ritu hæc habet Pontificale manuscriptum Bibliothecæ Vaticanæ numero 4744 : « Dalmatica illius Diaconi qui ministra- » vit in Missa, traditur alicui de novis Ordina- » tis, qui Evangelium dicat. » Tum vero concludit, Ordinatos statim, vel juxta ritum aliarum Ecclesiarum, lecto Evangelio, ad loca sua redire debere.

TITULUS XII.

DE ORDINATIONE PRESBYTERI.

I. Tertius, omniumque Ordinum summus, est ordo Presbyteratus. Qui illo præditi sunt, eos prisci Patres duobus nominibus soliti sunt appellare : interdum enim vocant Presbyteros, aliquando Sacerdotes. Presbyter græce *Seniorem* significat, non solum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini minime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam. Ut enim scriptum est Sapientiæ cap. IV, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Nomen Presbyteri, quod in Scriptura Veteris Testamenti et in Evangeliis passim occurrit, pro magistratu plebis accipitur, quod ea præfectura plerumque deferri soleret viris ætate provectis. In Actibus autem et Epistolis Apostolorum, in quibus etiam frequenter ea vox occurrit, Ecclesiasticam præfecturam significat : ita tamen, inquit eruditus Estius in libri quarti distinctionem XXIV, § XXVII, ut duplex ejus acceptio reperiatur, una generalis, altera specialis. Generalis acceptio Episcopos comprehendit, imo et ipsos Apostolos, ut in prima Petri Epistola, et in secunda et tertia Joannis, quibus locis se Seniores, id est Presbyteros vocant. Item in Epistola Pauli ad Titum, cap. I, generale esse Presbyteri nomen, cum jubetur Titus per civitates constituere Presbyteros, inde constat quia sequitur : *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Et, ut alia omittam loca, Actorum cap. XX, Majores natu, id est Presbyteros, uti in Græco habetur, convocasse dicitur Apostolus; quos tamen paulo post, Episcopos vocat. Quod autem spectat specialem vocabuli Presbyteri acceptionem, legimus in prima Pauli Epistola ad Timotheum, cap. V : *Qui bene præsunt Presbyteri, etc.*, et rursum : *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, etc.;* quibus in locis agitur certe de Presbyteris Episcopi judicio subjectis. In hac speciali significatione Presbyteri vocabulum passim apud vetustissimos Patres, Tertullianum, S. Cyprianum, Origenem et alios fuisse usurpatum, ex ipsorum scriptis liquido constat.

II. Sacerdotis vocabulum, quo offerendi sacrificii potestas seu functio proprie significatur, in Scriptura Novi Testamenti nusquam legitur Sacerdotibus novæ legis attributum, sed soli Christo. Cujus rei rationem hanc assignant Theologi, quod totum Testamentum eo tempore scriptum est quo adhuc in usu, aut certe in recenti memoria erant sacrificia veteris Legis, et in sua functione versabantur ejusdem instituti Sacerdotes, cum quibus nomine communicare noluerunt Apostoli, ne adhuc vigere, et non abrogatum vetus illud Sacerdotium videretur. At paulo post, Hierosolyma cum Templo eversa, et proinde veteris Legis Sacerdotio cessante, mox Episcopi et Presbyteri *Pontifices et Sacerdotes* appellari cœperunt. Et quamvis Sacerdotis vocabulo frequenter Episcopus per excellentiam

Digitized by Google

designetur apud veteres, uti apud S. Leonem in suis Epistolis et Sermonibus, et apud alios eo antiquiores, non minus tamen eamdem vocem cuivis Presbytero attribuerunt, uti videre est apud S. Ignatium in Epistola ad Philadelphios, et in altera ad Hæronem; item passim apud S. Dionysium in libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, apud S. Cyprianum, et apud alios frequentissime, inter quos S. Augustinus, l. xx *De Civitate Dei*, cap. x, dicit Episcopos et Presbyteros proprie in Ecclesia vocari Sacerdotes.

III. Quamvis autem communia quædam habeant Presbyteri cum Episcopis, ut offerre, prædicare, et alia, de quibus suo loco inferius; sunt tamen jure divino Episcopi dignitate et potestate ipsis Presbyteris superiores, damnato jam Aerii errore contendentis Presbyteros per omnia æquales esse Episcopis. Fuit Aerius, a quo progeniti sunt hæretici Aeriani, Eustathii Sebaste in Armenia Præsulis condiscipulus, qui, teste S. Augustino in libro *De hæresibus*, c. LIII, « cum esset Presbyter, doluisse fertur quod » Episcopus non esset ordinatus. » Ægre itaque id valde ferens, quod interim ad Episcopatum Sebasteæ pervenisset Eustathius, in Arianam transiit hæresim, IV Christi sæculo, Constantino imperatore, et Julio I Romano Pontifice; hæresique Arianæ insana plura de suo addens, docere cœpit Episcopis æquales esse Presbyteros. Secutus est errorem Joannes Wiclefus; qui tamen manifeste refellitur ex illo Pauli in Epistola I ad Timotheum, Ephesiorum episcopum, cap. v, dicentis : *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Agnoscit ergo et ostendit manifeste Paulus, Timotheum Ephesi episcopum esse Presbytero majorem, et jurisdictione superiorem : ad quid enim, ut notat S. Epiphanius, Timotheo commendasset Paulus adversus Presbyterum accusationem non recipere sine duobus aut tribus testibus, si Presbyterum jurisdictione non superaret Episcopus? Illud idem ostendit Apostolus, dum Tito Cretæ episcopo in Epistola ad eumdem, cap. I, scribit : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas Presbyteros, etc.* Quod non dixisset sane Paulus, si Titum, ut Episcopum, non judicasset jure divino Presbyteris et jurisdictione et ordinis potestate majorem; cum certum sit nullum esse simplicem Presbyterum, qui Presbyteros sive Sacerdotes constituendi seu consecrandi potestatem habeat. Unde merito Concilium Tridentinum, sessione XXIII, can. VII, sic definit : « Si quis » dixerit Episcopos non esse Presbyteris supe- » riores, vel non habere potestatem confirman- » di et ordinandi, vel eam quam habent illis es- » se cum Presbyteris communem..., anathema » sit. » Vide Estium loco laudato, § XXV et XXVI; cardinalem Bellarminum, et alios passim insignes Theologos, inter quos Joannem Morinum *De sacris Ordinationibus*, exercitatione III, ubi hanc materiam late eleganterque pertractat.

IV. Neque huic obstat dogmati, quod Paulus Apostolus in Epistola ad Philippenses, cap. v, ita scribens, *Omnibus Sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus*, per Episcopos intelligere videatur Presbyteros; quia scilicet in una civitate Philippensi non erant plures Episcopi, sed unus tantum : fatemur etenim duo hæc nomina, *Episcopus et Presbyter*, Apostolorum tempore communia fuisse omnibus Sacerdotibus, tam majoribus quam minoribus, Episcopis scilicet et Presbyteris, licet res nomine Episcopi significata non esset simplici Sacerdoti et Episcopo communis. Ideo autem illa nomina majoribus et minoribus Sacerdotibus communia tunc fuerunt : primo quidem, quia sunt æquales in potestate consecrandi corpus Christi et absolvendi a peccatis, licet impares in potestate ordinandi seu consecrandi Ecclesiæ ministros, et Confirmationis sacramenti administrandi; secundo, quia tunc temporis, antequam orirentur schismata, non tam auctoritate, et jurisdictione distincta ac divisa, quam communi et cum Episcopo concordi Presbyterorum consilio, labore et zelo regebantur Ecclesiæ; unde Presbyteri dicebantur Episcopi, id est inspectores et morum populi correctores, non quod Episcopi proprie dicti potestatem et jurisdictionem haberent, sed quod cum Episcopo et de illius consensu regerent Ecclesiam sua vigilantia, consilio et labore; imo et in conciliis cum Episcopis sederent, et sententiam suam rogati dicerent, uti constat ex illo Actorum cap. XV : *Convenerunt Apostoli et Seniores* (id est Presbyteri) *videre de verbo hoc.* Ita, post laudatos Theologos, Petrus Annatus in Apparatu ad positivam Theologiam, lib. VII, *De præcipuis in Ecclesia subortis hæresibus*, c. *De Aerianis.* Solent contra Catholicum dogma

Digitized by Google

quod propugnamus opponi varia S. Hieronymi loca, quæ tamen a Bellarmino et ab Estio, ac novissime a Juenino, mirifice explicantur; etsi Michael Medina apud ipsum Bellarminum asserere non erubuerit S. Hieronymum favisse hæreticis Aerianis.

§ I.

Pro ordinatione presbyterorum parentur oleum Catechumenorum, calix cum vino et aqua, patena et Hostia desuper posita; medulla panis, et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

COMMENTARIUS.

I. Quoniam unus, inter alios ritus quibus Sacerdotes ab Episcopo consecrantur, est sacri Olei inunctio, ut infra dicemus, recte Pontificalis nostri Rubrica præscribit ut Oleum sive ampulla Olei Catechumenorum paretur. Tria olim in Ecclesia fuisse vascula sacris Oleis asservandis, unum scilicet sacri Chrismatis, alterum sacræ Extremæ Unctionis, tertium vero sacri Olei Catechumenorum, liquet ex Burchardo Wormacensi episcopo, qui, libro IV *Decretorum*, cap. LXXV, ex cap. I Concilii Meldensis constitutum tradit, « Ut Presbyter in cœna Domini » ampullas tres secum deferat, unam ad Chris- » ma, alteram ad Oleum ad Catechumenos in- » ungendos, tertiam ad infirmos, juxta senten- » tiam Apostolicam, ut, *quando quis infir- » matur, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, etc. » Chrismalis ampullæ meminit quidem Optatus Milevitanus, lib. II *adversus Donatistas*, ubi et insigne miraculum memoriæ mandavit, quod scilicet sacra ampulla quam ipsi impie projecerant, Angelica manu servata fuisset illæsa : « Ampullam quoque Chrismatis, inquit, per fe- » nestram, ut frangerent, jactaverunt; et cum » casum adjuvaret abjectio, non defuit manus » Angelica quæ ampullam spiritali subvectione » deduceret; projecta casum sentire non potuit, » Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. »

II. De unctione manuum Presbyteri in ipsius Ordinatione, testimonium profecto luculentissimum habemus in Sacramentario S. Gregorii, ubi etiam hæc verborum formula exhibetur : « Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domi- » ne, et sanctificentur per istam unctionem et » nostram benedictionem, ut quæcumque bene- » dixerint benedicta sint, et quæcumque sanc- » tificaverint sanctificentur. Per. » S. Gregorio concinit vetus Ordo Romanus, ex quo desumpta est Rubrica et verborum formula nostri Romani Pontificalis, ut infra patebit. Sic ergo ille inquit ubi agit de Ordinatione Presbyterorum : « Expleta autem Oratione, accipiens Oleum » sanctum, faciat crucem super ambas manus » eorum, dicens : *Consecrare et sanctificare » digneris, Domine, manus istas per istam unc- » tionem et nostram benedictionem, ut quæcum- » que recte consecraverint consecrentur, et quæ- » cumque benedixerint benedicantur et sanctifi- » centur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* » Respons. *Amen.* » An non mirari possimus cur Nicolaus I, Pontifex Maximus, in Epistola ad Rodulphum Bituricensem archiepiscopum scribere valuerit, non fuisse moris Ecclesiæ Romanæ, non modo Diaconis, sed nec Presbyteris, « cum ordinantur, manus Chrismatis li- » quore perungi; » cum, ut vidimus ex Ordine Romano et S. Gregorii Sacramentario, Romanæ Ecclesiæ consuetudo fuit? Potuit illud quidem de Diaconis pronuntiare Nicolaus, licet in quibusdam locis illorum manus etiam ungerentur, uti suo loco auctoritate veterum Pontificalium demonstravimus. Fortasse de sui temporis consuetudine locutus est Pontifex, quæ in Ecclesia Romana servabatur, etsi alibi passim, ac præsertim in Galliis, manus Presbyteris ungerentur, quemadmodum ex ipso Nicolao liquet, quem Rodulphus Bituricensis de eo ritu consuluit. Certe Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIII, hunc morem tenere Episcopos provinciæ suæ scribit, ut manus Presbyterorum de oleo ungerent. Unde et Theodulphus, Aurelianensis Episcopus, in Capitulari ad Presbyteros, num. I, « Oportet, inquit, vos » semper memores esse tantæ dignitatis, memo- » res vestræ consecrationis, memores sacræ, » quam in manibus suscepistis, unctionis. »

Digitized by Google

Quam sententiam ex dictis Augustini citat Burchardus, episcopus Wormacencis, lib. II *Decretorum*, cap. LV. Floruit is auctor initio sæculi XI, teste Bellarmino, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

III. Allata superius testimonia Sacramentarii S. Gregorii, atque antiqui Romani Ordinis, satis nobis ostendunt lapsum viri clarissimi Joannis Morini, qui in opere *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitatione VI, cap. II, ubi, ex testimonio Epistolæ XXXIX laudati Nicolai I, Romani Pontificis, ad Rodulphum Bituricensem, ita scribit numero III : « Presbyteralis unctio » longe tardius a Romanis accepta est; Nicolao » enim I sedente, nondum erat in usu, ut ipse » testatur, etc. » Verum jam dixi loqui Nicolaum de sui temporis consuetudine, non autem de more suorum Prædecessorum, inter quos S. Leo Magnus, Gregorio Magno longe antiquior, diserte etiam meminit sacræ Unctionis Sacerdotum, ita scribens in Sermone VIII de Passione Domini : « Nunc enim, et ordo clarior » Levitarum, et dignitas amplior seniorum, et » sacratior est unctio Sacerdotum. » Ait Morinus Sacerdotes hic intelligi Episcopos : sed non video cur ab ea unctione excludi possint Presbyteri, quorum ordinatio in multis profecto similis est ordinationi Episcoporum : constat enim ex compluribus pervetustis Pontificalibus libris, non solas Presbyterorum manus, sed et caput, uti in Episcoporum ordinatione fieri assolet, inungi consuevisse. Servatum aliquando hunc ritum in Anglia, docet Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, ante annos noningentos exaratum, ubi, post manuum unctionem, hæc exhibetur formula unctionis capiti Presbyteri faciendæ : « Unguatur et consecretur caput » tuum cœlesti benedictione in ordine Sacer- » dotali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti. Amen. » Idipsum totidem verbis habet Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis, annorum noningenta. Idem observatum etiam in quibusdam Galliarum Ecclesiis constat ex Pontificali Caturcensi, Rothomagensi, atque ex Ratoldi Sacramentario, in quibus iisdem verbis ritus ipse describitur, quem etiam exhibent bina Pontificalia manuscripta Beccensis monasterii ante quingentos annos exarata. Sane docet Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo IX, num. XIV, antiquos quidem Rituales præscribere unctionem *ex chrismate*, aut *ex oleo et chrismate*, faciendam; recentiores vero *ex Oleo sancto*, aut ex *Oleo Catechumenorum;* unumque esse librum Pontificalem Ecclesiæ Rothomagensis, annorum ducentorum, qui antiquum ritum unctionis ex chrismate retinuit.

IV. Apud Græcos, in laudata Exercitatione VI, cap. I, pluribus contendit Morinus, nec Presbyterorum nec Episcoporum unctionem unquam fuisse in usu, nullum apud eos vestigium nec in auctoribus nec in Euchologiis reperiri, ac demum, si Græcus auctor aliquis de unctione materiali dixisse aliquid visus fuerit, id facile de spirituali explicari. Fusissime eamdem rem conatur ostendere vir clarissimus Isaacius Habertus, in *Observationibus ad Pontificale Græcorum*, præclarissima sua dissertatione, *De unctione, an locum habuerit in Græcorum ordinatione*, explicans quamdam homiliam seu orationem S. Gregorii Nazianzeni, cujus prima verba sunt : « Iterum super me unctio et Spi- » ritus. » Sane durum videtur ea laudati S. Patris verba, sicut et innumera alia iis similia complurium Græcorum testimonia, perpetuo de spirituali unctione esse intelligenda. Invehitur in ea dissertatione Habertus adversus Joannem Catumsyritum, scriptorem Italogræcum, qui in Prolegomenis ad Sacramentum Ordinis, multis paginis, non atramento sed veneno, ut aiunt, scriptis, dimicat doctrinam Petri Arcudii Presbyteri Corcyrei, quod lib. I *De Ordine*, cap. VI, omnes Græcorum Patrum locos unctionem in sacra Ordinatione memorantes, de spirituali solum et mystica per gratiam S. Spiritus unctione explicat. Ait ergo in prima sua propositione Catumsyritus oppugnans Arcudii sententiam : « Dico non solum in fide catholica » mihi videri essentialem esse chrismationem » Episcopalem capitis, ut vere et practice con- » stituatur Episcopus in ordine Pontificali caput » Ecclesiasticæ hierarchiæ, subeundo perso- » nam Christi capitis; sed etiam esse de essen- » tia unctiones manuum Episcopalium et Sacer- » dotalium, ad hoc ut potestatem ordinariam, » id est ex sacramento Ordinis, consequatur » benedicendi episcopaliter et sacerdotaliter; et » oppositum mihi videtur erroneum in fide. » Addit et alia Italogræcus pro sua constabilienda sententia adversus Arcudium, contra quem ait viginti per annos apud Paulum V, Pontificem

Digitized by Google

Maximum, semper continuis lacrymis et supplicationibus exclamasse.

V. Verum, ut ingenue fatear, non sunt tam levis momenti loca ex priscis Patribus, ac sacris Canonibus a Catumsyrito adducta, quibus saltem probari non possit priscus Græcorum mos unguendi Episcopos atque Presbyteros in sua ipsorum ordinatione. Quid enim clarius illo S. Gregorii Nazianzeni loco, qui in limine orationis suæ VII ait : « Rursum super me unctio, » et Spiritus. » Quibus verbis quid aliud insinuare videtur Gregorius, quam duplicem unctionem, unam in Presbyterii ordine, alteram in Episcopatu acceptam? Nonne, ut alia omittam testimonia, perspicua est Innocentii III, Pontificis Maximi, Epistola decretalis ad Patriarcham Constantinopolitanum, quæ refertur in cap. I *De sacra Unctione,* ubi pluribus ostendit ritum sacræ Unctionis omnino a Græcis in Ordinatione esse servandum? In eo ego certe non possum non reprehendere Catumsyritum, cum ait ipsam unctionem ad essentiam Ordinis pertinere; quod quidem communi omnium Theologorum sententiæ adversatur, qui cum S. Thoma in IV, distinctione XXIV, quæstione II, articulo III; et S. Bonaventura ibidem, articulo I, quæstione IV, unctionem sacerdotalem præparativam solum esse asserunt, non secus ac benedictionem. Sane, quod spectat materiam ordinis Presbyteratus essentialem, etsi alii eam esse doceant solam manuum impositionem, alii vero solam traditionem calicis cum vino et aqua, ac patenæ cum hostia superimposita, materiam esse velint, ex qua essentialiter constet Sacramentum de quo agitur in præsenti; ego tamen mediam sententiam amplexus sum, quæ docet ipsam Presbyteratus materiam ex utroque ritu constare, impositione scilicet manuum et vasorum traditione, tum quia complures Synodi ac sancti Patres, ubi agunt de Presbyteratu, eum diserte aiunt dari per impositionem manuum; tum etiam quia Eugenius IV in Concilio Florentino ita decrevit : « Materia est illud per cu- » jus traditionem confertur Ordo, sicut Presby- » teratus traditur calicis cum vino, et patenæ » cum hostia porrectione. » Quibus verbis planè concinit nostrum Pontificale Romanum, cum in § præsenti mandat, ut pro ordinatione Presbyterorum paretur calix cum vino et aqua, et patena et hostia desuper posita; et ubi inferius jubet, materiam ipsam a Presbyteris contingendam.

VI. Cæterum, cum ipsum Pontificale Romanum hunc ritum præscribat, et traditionem illam instrumentorum, verbaque præscripta, *Accipe potestatem, etc.*, partialis saltem materiæ ac formæ vices in ordinatione Sacerdotali habere, passim Theologi doceant, post Eugenium IV in decreto pro instructione Armenorum, ad materiæ formæque integritatem illa pertinere censet Natalis Alexander, lib. II *Theologiæ dogmaticæ et moralis*, tractatu *De Sacramento Ordinis*, cap. I, articulo VII, § II, ubi etiam ingenue fatetur Theologis plerisque doctissimis visum esse, Christum Dominum materias et formas Ordinationum sacrarum in genere tantum sic instituisse, ut ex Ecclesiæ institutione ac usu speciale aliquid pro materia et forma addi posset, cujus omissio ordinationem irritam redderet. Denique, ut alios omittam, est pro nostra sententia patronus omnium excellentissimus, quintus Ecclesiæ Doctor, S. Thomas Aquinas, qui in IV *Sententiarum*, distinctione XXIV, quæstione I, articulo III, post impositionem manuum, per quam inquit dari plenitudinem gratiæ et ad magna officia fieri idoneos Ordinandos, de memorata instrumentorum traditione ita loquitur : « Potestatis collatio fit per hoc » quod datur eis aliquid quod ad proprium ac- » tum pertinet. Et quia principalis actus Sacer » dotis est consecrare Corpus et Sanguinem » Christi, ideo in ipsa datione calicis, sub forma » verborum determinata, character Sacerdotalis » imprimitur. » Idipsum docent, post omnium magistrum S. Thomam, et alii Theologi.

§ II.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua, vel in faldistorio, in plano juxta cornu Epistolæ accedit, et cantatur Tractus usque ad ultimum versum exclusive, vel si sit infra octavam Pentecostes, Tractus et Sequentia usque ad ul-

Digitized by Google

timum versum exclusive. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum et Sequentiam usque ad ultimum versum exclusive. Deinde Pontifex revertitur cum mitra ante altare, ubi sedet super faldistorium. Tunc Archidiaconus vocat Ordinandos voce intelligibili, dicens : *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus.*

COMMENTARIUS.

I. Pontificale insignis Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quadringentorum, in eo hic a nostro Romano differt, quod præscribat ordinandos Presbyteros non modo post lectum Evangelium per ultimum Diaconum ordinatum, verum etiam post *Credo in unum Deum*, si fuerit eo die decantandum ; cum alias, ut infra videbimus, Pontificale Romanum diserte jubeat, ut post ordinationem Presbyterorum unus ex Diaconis noviter ordinatis Evangelium solemniter canat. « His peractis, » inquit Moguntinum Pontificale, « cantetur ultimus versus de Tractu, » vel Graduali, vel Sequentia, sicque Diaconi » recedant. Quo lecto cantetur *Credo in unum*, » si fuerit decantandum ; sin autem, deosculato » libro Evangeliorum, Episcopus resumens in» fulam, revertatur ad sedem suam, et Presby» teri ordinandi vocentur. » Porro Graduale est Responsorium quod Chorus concinebat, non quidem a gradibus altaris dictum, uti nonnulli recentiores scribunt, sed a gradibus ambonis sive pulpiti, uti docet vetus Ordo Romanus dicens : « Finita lectione, illis qui Gradualem et » Alleluia cantaturi sunt, juxta pulpitum in in» feriori gradu standum est. » Est vetus ejusdem Ordinis expositio apud Cassandrum in Liturgicis cap. XXI : « Responsorium, inquit, quod ad Mis» sam dicitur, pro distinctione aliorum, Gra» duale vocatur, quia hoc psallitur in gradibus, » cætera vero ubicumque voluerit Clerus. » Luctuosis temporibus pro Alleluia Tractus dicitur, aliquot versibus et interdum integro Psalmo constans, cui a trahendo nomen inditum est, quia tractim et graviter, notarumque seu vocum prolixo decursu cantatur. Sequentia tandem dicitur, quia est quædam veluti sequela cantici Alleluia. Vide Joannem Cardinalem Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. VI.

§ III.

Et mox nominatim leguntur per Notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi more, Diaconorum parati, amictu, alba, cingulo, stola et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis ac lavandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronæ se disponunt. Tunc Archidiaconus præsentat Ordinandos Pontifici, dicens : ***Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.*** Et Pontifex interrogat, dicens : *Scis illos esse dignos?* Respondet Archidiaconus : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii.* Pontifex dicit : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Multa sunt in antiquo Romano Ordine, ac in priscis recentibusque etiam Pontificalibus libris, quæ in nostro hoc Romano desiderantur. Enimvero in laudato Ordine Presbyteri ordinatio a nonnullis interrogationibus incipit, quas operæ pretium duximus hoc loco describere. Sic ergo inquit : « Post Lectionem, et Tractum, » atque Litaniam, parato electo qui Presbyter

Digitized by Google

» ordinandus est, Diaconi more cum orario, » præsentantibus eum atque ducentibus duobus » Diaconibus usque ad Presbyteros, duo Pres- » byteri ducant ad sedem Pontificis. Et ipse se » erigens interroget si justus et dignus sit, hoc » modo : *Est dignus?* Respondeant Presbyteri : » *Dignus est.* Episcopus : *Est justus?* Respon- » deant : *Justus est.* Et sic denuo ac tertio » utrumque interrogetur. Deinde Episcopus di- » cat : *Dignum et justum faciat illum Deus » semper in suo servitio manere.* Respondeant : » *Amen.* » Pergit idem Ordo Romanus, præscribitque ut « post hæc Episcopus interroget » Presbyterum talibus verbis : *Vis Presbyterii » gradum in nomine Domini accipere?* Respon- » deat : *Volo.* — *Vis in eodem gradu, quantum » prævales et intelligis, secundum Canonum » sanctiones jugiter manere?* Respondeat : *Volo.* » —*Vis Episcopo tuo, adc ujus parochiam ordi- » nandus es, obediens et consentiens esse secun- » dum justitiam et ministerium tuum?* Respon- » deat : *Volo; et hoc Deo et Sanctis ejus ita in » præsenti promitto, prout scio et implere valeo. » Ita me Deus adjuvet, et Sancti ejus.* » Tandem Episcopus dicit : *Voluntatem tuam bonam et rectam ad perfectionem sibi beneplacitam Deus perducere dignetur.* Respondeat : *Amen.* Hactenus vetus Ordo Romanus, cujus hisce dicendi ac respondendi formulis, numero licet plurali, usus est quidem liber Pontificalis Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringentorum, ubi etiam, initio ordinationis Presbyterorum, antequam fiant de ipsis et ad ipsos interrogationes, fit mentio tituli : « Ad titulum, in- » quit, S. Mariæ de domo Presbyteri ordinandi » procedant. » Et statim subdit : « Sacerdotem » oportet offerre et benedicere, præesse, et » prædicare, et baptizare. » Quæ verba habentur quidem in nostro Romano Pontificali, sed in prolixa Episcopi ad Presbyteros admonitione, quam nos suo loco describemus atque explicabimus.

§ IV.

Et annuntiat Clero et Populo, dicens :

Quoniam, Fratres charissimi, rectori navis et navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum qui ad regimen Altaris adhibendi sunt consulatur etiam populus; quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio, quantum mihi videtur, probata et Deo placita existit, et digna, ut arbitror, ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse vel paucos, aut decipiat assensio vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium Sacerdotii magis pro merito quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Episcopi ad populum allocutio in Ordine antiquo Romano, et quidem statim post enarratas in § superiori interrogationes. Sciendum autem est omnino circa finem variare eam Episcopi allocutionem quam habet Ordo Romanus ab illa quam mox recitavimus ex nostro Pontificali. Ibi siquidem, ut de aliis sileam parvis verborum mutationibus, post illa

Digitized by Google

verba, « Itaque quid de eorum actibus aut mo-
» ribus noveritis, quid de meritis sentiatis, Deo
» teste consulimus, » hæc alia sequuntur :
« Debet hanc fidem charitas vestra habere
» quam, secundum præceptum Evangelii, et
» Deo exhibere debetis et proximo, ut his testi-
» monium Sacerdotii magis pro merito quam
» affectione aliqua tribuatis. Et qui devotionem
» omnium exspectamus, intelligere tacentes non
» possumus : scimus tamen quod est acceptabilius Deo, si aderit per Spiritum sanctum
» consensus unus omnium animorum. Et ideo
» electionem vestram debetis publica voce pro-
» fiteri. » Consentiunt fere antiquo Romano Ordini tres antiquissimi manuscripti Sacramentorum libri, Noviomensis, regis Gallorum numero 3866, et Gellonensis annorum noningentorum. Meminit et ejus allocutionis Episcopi codex manuscriptus Pontificalis Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, ubi agit de ordinatione Presbyteri, additque eam fieri ab Episcopo sedendo, ac simpliciter legendo, « juxta statutum » Carthaginensis Concilii. » Sane hinc vides quanta olim fuerit sitque etiam hodie Episcopi diligentia in eligendis sacris ministris, iis præsertim qui ad Sacerdotium assumendi sunt. Verum fateri cogimur, adhuc adhibitis tot cautionibus ac diligentiis, passim parvi pretii homines in sacra mysteria sese inferre, conniventibus nonnunquam Episcopis, qui illos cæteroqui indignos, vel magnatum commendationibus, vel importuna amicorum prece, ad sacros Ordines admittere non verentur.

§ V.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad Ordinandos, admonet eos, dicens :

Consecrandi, Filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut cœlestis sapientia, probi mores et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendent. Unde Dominus præcipiens Moysi ut septuaginta viros de universo Israel in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus sancti dona divideret, suggessit : Quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis, si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio et eadem figura, in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit; ut doceret verbo simul et facto ministros Ecclesiæ suæ fide et opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adjutorium Moysi et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi, diversorum Ordinum viri consecrantur; et ex multis et alternæ dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaque, Filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ et sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis. Imitamini quod tractatis; quatenus, mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit do-

Digitized by Google

ctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est familiam Dei; quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione, damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Plura in hoc prolixo Episcopi sermone ad Presbyteros edocemur; ac primo quidem quæ sint præcipua Presbyteri munera : *Sacerdotem*, inquit, *oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare.* Idipsum habet vetus Ordo Romanus, ubi totus Episcopi sermo ad ipsos Presbyteros hisce tantum verbis concluditur : « Qui ordinandi estis Presbyteri, offerre » vos oportet, et benedicere, præesse, et præ» dicare, baptizare, et bonis operibus et Deo » placitis undique redundare. » Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quadringentorum, ea solum verba recitat quæ nos ex nostro Romano descripsimus initio hujus Commentarii; nihil enim aliud ait, quam ista duntaxat : « Sacerdotem oportet offerre, et bene» dicere, præesse, et prædicare, et baptizare. » Multa pie admodum ac erudite de iis officiis congerit in sua *Panoplia Sacerdotali* vir clarissimus Andreas Saussay, parte II. Nos, ea qua possumus brevitate, illa dicemus quæ scitu magis digna videbuntur, sensumque verborum auctoritate veterum Canonum ac testimoniis Patrum enucleabimus.

II. Est ergo primum ac præcipuum Presbyteri munus *offerre*, id est, sacrificium Corporis et Sanguinis Domini. Quod munus adeo est ipsius Presbyteri proprium, ut ne Diaconis quidem, nec jure, nec ulla commissione seu dispensatione potestatis ecclesiasticæ, commune sit aut fieri possit, ac multominus cæteris quibuscumque, vel laicis Christifidelibus. Hinc, cum aliquando Diaconi eo insaniæ devenerint, ut offerre sacrificium præsumerent, illico Patres Concilii I Arelatensis anni 314, c. XV, illorum temeritatem coercuerunt : « De Diaconibus » quos cognovimus multis locis offerre, placuit » minime fieri debere. » Quem Canonem non multo post confirmavit Nicæna I œcumenica Synodus decernens, can. XVIII, Diaconos neque ex sacris Canonibus, neque ex traditione habere potestatem offerendi. Sane definitum est ex Concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, cap. I, sacramentum Corporis et Sanguinis Christi a nemine confici posse, qui non sit Sacerdos rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse Christus concessit Apostolis et eorum successoribus. Et Tridentina Synodus, sessione VII, can. X, ita statuit : « Si quis dixerit » Christianos omnes in verbo et omnibus Sa» cramentis administrandis habere potestatem, » anathema sit. » Quod quidem constitutum fuit contra nonnullos articulos Joannis Wicleffi jam ante damnatos in Concilio Constantiensi, et contra id quod Lutherus asseruit in libro pestifero *De Captivitate Babylonica*, omnes Christianos esse Sacerdotes, et omnes in verbo et Sacramentis potestatem habere. Sed de hac re videri possunt sacri Theologi. Cæterum, quantalibet Presbyteris potestas sit Sacrificium offerendi, tradit nihilominus S. Ignatius in Epistola ad Smyrnenses, id eis agere minime licuisse absque Episcopi facultate : « Non licet sine » Episcopo, nec offerre, neque Sacrificium im» molare, neque Missas celebrare. »

III. Sacerdotis alterum munus est *benedicere*. Hinc S. Telesphorus Papa et Martyr, referente Gratiano, can. *Sacerdotes* VI, quæstione I, Sacerdotibus deberi reverentiam a laicis affirmat, vel eo titulo quod ab his benedictionem accipiant. Ob eamdem rationem S. Ephrem in Sermone de timore Dei inquit : « Honora Sacer» dotem atque Presbyteros, ut in te benedictio » oris ipsorum perveniat. » Et S. Maria Ægyptiaca, ut testatur Sophronius Hierosolymitanus in ejus Vita, cap. X, dixisse fertur ad Zosimum sibi in via occurrentem : « Abbas Zosime, tibi » competit benedicere et orare; tu enim Pres» byteri honore fultus es, et plurimis jam annis » assistis altari. » De S. Antonio abbate refert in ejus Vita S. Athanasius, quod Episcopis quoque ac Presbyteris ad benedicendum se caput

Digitized by Google

submitteret. Porro, cum Sacerdotes consecrentur ut sint præcipui Christi ministri, ut ait Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. IV, et dispensatores mysteriorum Dei; ac præterea cum per benedictiones dispensentur gratiæ et dona Dei; merito Ecclesia adnexuit ordini Presbyteratus munus benedicendi, ita ut soli Sacerdotes sint ministri benedictionum : quare, cum, ut infra dicemus, ordinatur Sacerdos ejusque manus consecrantur, sic ei dicitur ab Episcopo consecrante : *Ut quæcumque benedixerint, benedicantur*. Hinc etiam iis qui ob crimina Presbyterali gradu moverentur, seu dignitatis suæ diminutione plecterentur, benedicendi facultatem ademptam legimus : nam S. Basilius in Epistola canonica ad Amphilochium Iconii episcopum, canone XXVII, decernit Presbyterum qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, esse quidem cathedræ participem, ut scilicet cum aliis Presbyteris sedere posset : « Ut is autem aliis benedicat, qui sua » debet vulnera curare, » non esse consentaneum. Cujus rei hanc rationem subjicit : « Be- » nedictio enim est sanctificationis communi- » catio : qui autem eam non habet propter » ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communi- » cabit ? » Tandem in iis verbis concludit : « Nec ergo publice, nec privatim benedicat, » nec Christi corpus aliis impertiat; nec aliquod » aliud sacrum ministerium obeat. »

IV. Neque vero hactenus dictis ullatenus adversatur canon XLIV Concilii Agathensis, ubi legimus : « Benedictionem quoque super ple- » bem in ecclesia fundere, aut pœnitentem in » ecclesia benedicere, Presbytero penitus non » licebit. » Intelligendum enim canonem esse aiunt de solemni benedictione extra Missarum solemnia, qualem Episcopi per ecclesiam incedentes largiri solent; quod quidem patet ex ejusdem Concilii canone XLVII, quo præcipitur ut populus non discedat ante benedictionem Sacerdotis : « Missas, inquit, die Dominico » sæcularibus totas tenere speciali ordine præ- » cipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis » egredi populus non præsumat. » Sane cavendum summopere est Sacerdoti ne benedictiones quæ ad majoris dignitatis officium pertinent, temere vel imperite usurpet. Sunt enim in Missali et Rituali Romano nonnullæ benedictiones quæ non ad Sacerdotes simpliciter, sed vel ad Episcopum, vel ad alios facultatem habentes spectant. Sed de hac re vide omnino Paulum Mariam Quarti, in suo docto et copioso Tractatu *De sacris Benedictionibus*.

V. Tertium munus Presbyterorum *præesse* est. « Præsident, » inquit Tertullianus in Apologetico, cap. XXXIX, « probati quique seniores; » id est, cuique cœtui præsident Sacerdotes, altari, Sacrificio, Sacramentis, exhortationibus, correctionibus, concioni, catechesi, divinis præconiis, et quibusque aliis ecclesiasticis officiis ac sacris exercitationibus, ut omnia, sicut ait Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. XIV, in Ecclesia cum ordine fiant. Hinc cautum est ex canone VI Concilii Gangrensis, juxta editionem Dionysii Exigui, ut « si quis extra Eccle- » siam seorsum conventus celebrat, et, despi- » ciens Ecclesiam, ea quæ sunt Ecclesiæ voluerit » usurpare, non conveniente Presbytero, juxta » decretum Episcopi, anathema sit. » Ergo præesse in Ecclesia, absente Episcopo, sacris quibusque officiis, proprium Presbyteri munus est, adeo ut qui sine Episcopo vel Presbytero congregat Clerum vel Populum, dignus sit, ut habet canon iste, qui Antistitis judicio anathemate feriatur, etiamsi sit Diaconus, cujus sane congregare Populum, et multo minus Clerum, et divinis præesse officiis, per se jus nullum est; ut scite observat Andreas Saussay in sua *Panoplia Sacerdotali*, part. II, lib. I. Oportet autem ut qui præsunt fidelibus in Domino, *curent bonis operibus præesse*, ut verbis utar Apostoli in Epistola ad Titum cap. III, id est, ut explicat laudatus Saussay, non modo bona opera facere, sed magisterium omnis virtutis insuper profiteri. At malum illud est haudquaquam ferendum, quod, cum ipse Apostolus jubeat in Epistola I ad Timotheum, cap. V, *Ut qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina; dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti; et : Dignus est operarius mercede sua*, non semel iis neglectis ac fame laborantibus, otiosi et qui male præsunt Presbyteri panem Ecclesiæ comedant, ac sacerdotiis abundent.

VI. Quartum Presbyteri munus est *prædicare*. Ut enim sacrificandi, ita et prædicandi munus est Presbyteratui ipsi illigatum, quanquam nonnisi ex Episcopi facultate exercendum, cui principaliter hoc onus incumbit, quippe qui

Digitized by Google

proprie, secundum Apostolum in Epistola ad Ephesios, cap. IV, in Ecclesia pastor et doctor constitutus est. Pertinere autem ad officium Presbyteri concionandi munus, perspicue liquet ex Canone vulgo Apostolorum quinquagesimo septimo, qui non tantum Episcopo, sed et Presbytero prædicationem negligenti segregationem et degradationem comminatur : « Episcopus aut » Presbyter qui Clerum vel Populum pietatem » non docet, segregetur; et si in socordia per» severat, deponatur. » Ancyrana Synodus, can. I, inter Presbyteri officia omnino numerat « sermonem facere ad populum. » Et Aquisgranensis sub Ludovico I, lib. I, cap. VIII, sive potius S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Ecclesiasticis officiis*, cap. VII, cujus verba Synodus ipsa Aquisgranensis usurpavit, Presbyteros in confectione Corporis et Sanguinis Christi, et in prædicatione Verbi Dei, eodem jure agnoscit uti cum Episcopis : « His enim, sicut » Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei com» missa est : præsunt enim Ecclesiæ Christi; et » in confectione divini Corporis et Sanguinis » consortes cum Episcopis sunt; similiter et in » doctrina populorum et in officio prædicandi.»

VII. Hinc non immerito dolebat S. Hieronymo in Epistola ad Nepotianum de vita Sacerdotum, quod quibusdam in Ecclesiis, quasi subinviderent Episcopi Presbyteris suis, non sinerent eos publice concionari, maxime ipsis præsentibus, cum gratulari potius illis tanquam filiis debuissent, et eorum gloriam tanquam et sibi communem judicare : « Pessimæ consuetudinis est in » quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, et » præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut » invideant, aut non dignentur audire. Gloria » Patris est filius sapiens. Gaudeat Episcopus » judicio suo, cum tales elegerit Sacerdotes. » In Oriente prædicasse jam primum Presbyteros, ac deinde eo munere fuisse interdictos occasione Arii hæresiarchæ, addiscimus ex Socrate, lib. V *Historiæ*, cap. XXI, et ex Sozomeno, libro VII, cap. XIX : « Alexandriæ non concionatur Pres» byter : qui mos eo tempore initium habuit, » quo Arius perturbavit Ecclesiam. » Ex Concilio Chalcedonensi et Epistolis S. Leonis id colligitur, suspensos a prædicandi facultate fuisse monachos, postquam errores suos Eutyches monachus disseminavit.

VIII. Postremum Presbyteri officium in Pontificali præscriptum est *baptizare*. Quod S. Thomas III parte, quæstione LXVII, articulo II, inde probat quia Sacerdotes ad Eucharistiam consecrandam instituti sunt, quæ Sacramentum est Ecclesiasticæ pacis et unitatis, secundum illud Apostoli in Epistola I ad Corinthios, cap. X : *Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes qui de uno calice participamus*. Per Baptismum autem homo fit particeps ecclesiasticæ unitatis, et jus accipit ad mensam Domini accedendi : quamobrem, sicut ad Sacerdotem pertinet Eucharistiæ consecratio, ita etiam et Baptismi administratio. Scio plerosque in ea esse constanti et indubitata opinione, ad solos olim Episcopos jus baptizandi pertinuisse, quia scilicet aliquando Patres Presbyteris sine Episcopi venia baptizandi jus permissum non esse dixerunt, ut Tertullianus in libro *De Baptismo*, cap. XVII; S. Hieronymus in *Dialogo adversus Luciferianos*, et alii complures a Martenio relati, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. I, articulo III. Verum id de Baptismo quidem solemniori, qui in Paschate et Pentecoste administrari consueverat, intelligendum monet Concilii Tridentini Catechismus, parte II, *De Baptismi Sacramento*, § XXII; aut certe ad honorem et reverentiam Episcopi ea disciplina olim observata est, ut Presbyter eo præsente ministerium ipsum, quod ex ordine illi competit, nisi ejus jussu, non exerceret.

IX. Itaque non mirum videri debet si vel circa medium XII sæculum Cardinales ipsi in suis titulis non baptizarent, nisi petita prius a Summo Pontifice facultate, ut palam fit ex Ordine quodam Romano, quem ante annum 1143 scripsit Benedictus, Sancti-Petri canonicus, qui inter alia præsertim hæc verba habet : « Finito » officio, dominus Pontifex descendit ad Fontem » cum Diaconis et Subdiaconis regionariis, can» tando Litaniam... Cardinales autem qui re» manserunt in choro exeunt per posterulam » post absidem, et intrant per porticum Sancti» Joannis; et vadunt ad ecclesiam Sancti-Ve» nantii. Tunc Archidiaconus præcipit duobus » ut eant ad ostium Sancti-Venantii; qui obe» diunt. Accipiunt priorem Cardinalium per » manus, adextrantes eum usque ante Pontifi» cem; omnes Cardinales sequentes eum. Prior » autem inclinat se, et dicit : *Jube, Domne, be» nedicere*. Pontifex benedicit eum. Progrediens » parum facit similiter, et benedicit. Tertia vice

Digitized by Google

» similiter, et benedicit eum Pontifex, et dicit : » *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris,* » *et Filii, et Spiritus sancti.* Cardinales vero » tunc induti cum equitibus revertuntur ad ti- » tulos suos. » Eodem prorsus modo loquitur Cencius in Ordine Romano quem exeunte sæculo XII digessit. Unde quid mirum si in vetustioribus Synodis, et in Vernensi, anno 755 habito, can. VIII, sancitum fuerit : « Ut omnes » Presbyteri qui in parochia sunt, sub potestate » Episcopi esse debeant, et de eorum ordine » nullus Presbyter præsumat in illa parochia » baptizare, nec Missas celebrare sine jussione » Episcopi in cujus parochia est. »

X. Cæterum in Constitutionibus Apostolicis, lib. III, cap. XI, Presbyteris perinde ac Episcopis Baptismi ministerium ex æquo concessum reperio : « Neque reliquis Clericis potestatem » baptizandi facimus, ut Lectoribus, Cantori- » bus, Janitoribus, aut ministris, nisi tantum » Episcopis et Presbyteris, ministrantibus Dia- » conis. » Adde Apostolorum Principem, uti habetur Actorum cap. X, versiculo XLVIII, per alios baptizari jussisse Cornelium ejusque familiam, quos ipse antea docuerat; diserte quo que fateri Paulum in Epistola I ad Corinthios, cap. I, baptizasse se aliquando Stephanæ domum, non esse autem a Christo missum ut baptizaret, sed ut Evangelium nuntiaret : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Cum ergo majora Episcopis, qui Apostolorum locum in Ecclesia tenent et vices gerunt, onera incumbant quæ ad eorum officium peculiariter pertinent, docendi videlicet ac orandi, quemadmodum aiunt etiam Apostoli Actorum cap. VI : *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus;* non immerito baptizandi provincia Presbyteris, qui secundi ordinis Sacerdotes a Patribus appellantur, commissa est.

XI. Præter hactenus explicata ex Romano Pontificali, sunt et alia Presbyteri officia. Ipsi siquidem communem habent cum Episcopis ligandi et solvendi potestatem, de qua inferius. Ipsi vel olim ordinarii erant ministri Extremæ Unctionis, « quia Episcopi, aliis occupationibus » impediti, ad omnes languidos ire non pos- » sunt; » ut in Epistola I inquit Innocentius I, Pontifex Maximus. Iis aliquando datum esse Subdiaconos et alios inferiores Clericos ordinare, aperte colligitur ex Epistola IX S. Gelasii. A Concilio Carthaginensi IV certe ea potestas data est Presbyteris ut Psalmistas vel Cantores creare possent : « Psalmista, id est Cantor, » potest absque scientia Episcopi, sola jussione » Presbyteri officium suscipere cantandi; di- » cente sibi Presbytero : Vide ut quod ore » cantas, corde credas. » Fuisse Cantores de Clericorum inferiorum ordine, testatur Concilium III Carthaginense, can. XXII : « Clericorum » nomen etiam Lectores, et Psalmistæ, et Ostia- » rii retinent. » Præterea, etsi in Occidente aliquando fuerint Presbyteri extraordinarii ministri sacramenti Confirmationis, apud Græcos tamen ab omni pene ævo per simplices Sacerdotes consueverunt baptizati confirmari. Item auctore et idoneo teste S. Hieronymo, in Epistola ad Heliodorum, excommunicandi etiam jus habebant : « Mihi, inquit, ante Presbyterum sedere » non licet; illi, si peccavero, licet tradere me » Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus » sit. » Alludit ad Apostoli locum Corinthium incestuosum excommunicantis, ut sacri Scriptores exponunt. Etiam conciliis ecclesiasticis cum Episcopis interfuisse Presbyteros, cum hoc tamen discrimine ut a tergo Episcoporum considerent, Diaconis stantibus, liquido constat ex Concilii Illiberitani præfatione, ubi ita legimus : « Præsidentibus etiam viginti et sex » Presbyteris, adstantibus Diaconis et omni » plebe, Episcopi dixerunt, etc. »

XII. Notanda sunt insuper ea memorata sermonis Episcopi verba quibus dicitur ordinari Presbyteros in adjutorium Episcoporum, tanquam locum tenentes septuaginta virorum quos ex Dei mandato, uti habetur Exodi cap. XVIII, in adjutorium sui et ad Israelitici populi regimen Moyses elegit, ac præsertim septuaginta duorum discipulorum, quos in Novo Testamento Christus Dominus elegit, sicut Episcopi Moysis ac duodecim Apostolorum locum tenent. Ne quis autem putet hanc comparationem novum esse nostri Romani Pontificalis inventum, audiamus Venerabilem Bedam in Evangelium Lucæ, lib. III, cap. X, sic aientem : « Post hæc » autem designavit Dominus et alios septua- » ginta duos. Sicut duodecim Apostolos for- » mam Episcoporum exhibere simul et præ- » monstrare nemo est qui dubitet, sic et hos » septuaginta duos figuram Presbyterorum, id

Digitized by Google

» est secundi ordinis Sacerdotum, gessisse » sciendum est : tametsi primis Ecclesiæ tempo- » ribus, ut Apostolica Scriptura testis est, utri- » que Presbyteri, utrique vocabantur Episcopi; » quorum unum sapientiæ maturitatem, alte- » rum industriam curæ pastoralis significat. »

XIII. Venerabili Bedæ omnino fere consentit quod ad suæ diœcesis Sacerdotes olim scripsit Theodolphus Aurelianensis episcopus, labente sæculo VIII, nimirum, ut in Apostolorum Episcopos, ita in septuaginta duorum locum suffectos fuisse Presbyteros; et, sicut Aaron personam Episcopi prægestavit, ita filios Aaronis nostrorum Presbyterorum : « Scitote vestrum » gradum nostro gradui secundum, et pene con- » junctum esse : sicut enim Episcopi Apo- » stolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri » cæterorum discipulorum Domini vicem te- » nent : et illi tenent gradum summi pontificis » Aaronis, isti vero filiorum ejus. » Concludit autem cap. I Epistolæ suæ ad Presbyteros, sive Capitularis, ut aiunt, his memorandis verbis : « Unde oportet vos semper memores esse tantæ » dignitatis, memores vestræ consecrationis, » memores sacræ quam in manibus suscepistis » unctionis, ut nec ab eadem dignitate degene- » retis, nec vestram consecrationem irritam » faciatis, nec manus sacro unguine delibutas » peccando polluatis; sed cordis et corporis » munditiam conservantes, plebibus exemplum » bene vivendi præbentes, his quibus præestis » ducatum ad cœlestia regna præbeatis. » Dignum lectu esset totum Capitulare; quemadmodum et id quod scribunt Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIII; Rabanus Maurus, lib. I *De institutione Clericorum*, cap. VI; Ivo Carnotensis in sermone habito in Synodo, de excellentia Sacrorum Ordinum, § *Presbyterorum Ordo a filiis Auron sumpsit exordium, etc.;* et alii complures, inter quos sanctus Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. VII.

§ VI.

Si non sint factæ Ordinationes Subdiaconorum vel iaconorum, dicuntur Litaniæ, ut supra in Ordinatione Subdiaconorum dictum est. Post hæc surgunt omnes, et Ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione nulloque cantu præmissis, imponit simul utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi successive, nihil dicens : idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt, quorum tres aut plures planetis, vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra, dicit :

Oremus, Fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ordinari Presbyterum per impositionem manus Episcopi astantiumque Presbyterorum, manifestum fit ex Concilio Carthaginensi IV can. III, cujus verba hæc sunt : « Presbyter » cum ordinatur, Episcopo eum benedicente et » manum super caput ejus tenente, etiam » omnes Presbyteri qui præsentes sunt, ma- » nus suas juxta manum Episcopi super caput » illius teneant. » Eadem habet Sacramentarium S. Gregorii, vetus Ordo Romanus, prisci omnes recentesque libri Pontificales. Hanc manus impositionem quam cum Presbyteris astantibus super Ordinandorum caput facit Episcopus, forte spectant illa Apostoli verba in Epistola I ad Timotheum, cap. IV : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam*

Digitized by Google

cum impositione manuum Presbyterii. Quæret quispiam quare Diacono solus Episcopus manum imponat, Presbytero autem Episcopus una cum aliis Presbyteris. Rationem indicat memoratum Concilium Carthaginense, canone IV : quia nimirum Diaconus non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur; Presbyter autem ad Sacerdotium, et proinde a compresbyteris velut in consortium paris dignitatis, assumitur. Sane annotandum hic illud puto, solam manus impositionem ab Episcopo factam essentialem esse, cum ipse solus sit Ordinationis minister: adstantes autem alii Sacerdotes ideo simul manus imponunt, non ut Ordinem conferant, inquit S. Bonaventura, sed ut eo ritu gratia communionis significetur, quæ in ordine Sacerdotali confertur et per Sacerdotem administrari debet. Hæc ergo manus impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est.

II. Huic Latinorum ritui respondet apud Græcos salutatio quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis de novo consecratis exhibent; uti videre est in illorum Euchologio, et apud S. Dionysium *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. v. Ut autem pateat eam impositionem manuum non esse sacramentalem, præcipuum argumentum est quod Presbyteri manus imponentes nulla verba proferant; hoc enim ostendit ipsos, cum formam non exhibeant Ordinationis, nec materiam exhibere. Indicium etiam hujus rei est quod ipsi Presbyteris consecrandis non benedicant, sed solus Episcopus; unde nec partem benedictionis, nec totam simul cum Episcopo Ordinationem attingunt. Deinde, etsi cum Episcopo cooperentur sacramento Ordinis, non ideo tamen evidenter sequeretur eos solos absque Episcopo ordinare posse; sicut, licet certum sit Episcopos assistentes simul cum Episcopo consecratore in Episcopi consecratione operari, dubitatur tamen an aliquis eorum solitarie sumptus Episcopum ordinare possit. Docet hæc Hallierius in opere *De Sacris Ordinationibus*, pag. 575.

III. Si quis autem iterum interrogaverit : Cum Diacono jam fuerit in sua ordinatione ab Episcopo manus imposita, quare, quando postea sit Presbyter, ei manus iterum imponatur ? Respondet Gulielmus Durandus, lib. II *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. IX. § XV, id ideo fieri, » quia per consecrationem transit (Presbyter) de » opere ad opus, id est de ministerio ad Dei im» molationem, quoniam sicut nec illud, ita nec » illud, nisi gratia Dei adjuti, agere non vale» mus. » Exscripsit plane Durandus Amalarium Fortunatum, qui lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, c. XII, proponens hanc sibi difficultatem : Quid necesse est toties imponere manus super capita eorum qui consecrantur, primo cum quis fit Diaconus, et postea cum Presbyter ordinatur? respondet : « Quia per consecrationem de opere ad » opus transit, sicut de ministerio Diaconi ad » immolationem Sacerdotalem : quoniam nec » illud opus, nec illud possumus agere, nisi » dono gratiæ Dei adjuti, ut ait Apostolus : Deus » enim est qui operatur et velle et operari pro » bona voluntate. Repetitur manus impositio, ac » sic deprecatio primi operis transit ad deprecationem secundi. Additur unum ministerium » Diacono, id est ut legat Evangelium, etc. »

IV. Quæstio celebris illa est : Quænam manuum impositio ad essentiam Presbyteratus pertineret : an ea scilicet quæ nunc ex Pontificalis nostri Rubrica fit statim post Litanias ab Episcopo silente et Presbyteris adstantibus; an ea quæ immediate post illam priorem impositionem fit ab omnibus qui adsunt Sacerdotibus, et ab Episcopo, qui in Diaconum electum in Presbyterum divinam omnipotentiam invocat; an vero ea quæ post communionem fit a solo Episcopo sic Presbyterum alloquente : *Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Respondet Jueninus in tractatu *De Sacramentis*, dissertatione IX, quæstione III, cap. II, priorem et tertiam manuum impositionem, quarum quæstio meminit, non fuisse in usu decem prioribus sæculis, quod nullus eorum tempore scriptor ecclesiasticus eas referat : secundam vero manuum impositionem, de qua mox dictum est, fuisse unicam et veram materiam Presbyteratus, ex eo probare nititur, quod eam solam S. Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro describat; ac illam præterea comitaretur episcopalis benedictio, seu orationes quæ erant, ut inquit, Presbyteratus forma. « Presbyter cum ordinatur, » ait laudatus S. Gregorius in libro Sacramentorum, post IV Concilium Carthaginense, « Episcopo eum » benedicente, et manum super caput ejus te-

Digitized by Google

» nente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes » sunt, manus suas juxta manum Episcopi su- » per caput ejus teneant. » Præivit in hac sententia Juenino Joannes Morinus, qui *De Sacris Ordinationibus* parte III, exercitat. VII, cap. I et II, acriter contendit, non modo solam manuum impositionem Presbyteratus esse materiam, sed ulterius eam acrius contendit manuum impositionem esse Presbyteratui substantialem quam Presbyteri simul cum Episcopo super Ordinandum adhibent : postremam vero solius Episcopi manus impositionem cum ea verborum formula, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, nullo modo ad Sacerdotii substantiam pertinuisse, sed esse cæremoniam recens a Latinis additam. Sunt et alii complures qui Morinum sequuntur, præsertim recentiores Galli scriptores.

V. Nos, qui jam superius diximus impositionem manus Episcopi, æque ac traditionem instrumentorum, pertinere ad substantiam Presbyteratus (quam sententiam longe probabiliorem dicit tueturque Bellarminus in suis Controversiis *De Sacramento Ordinis*, cap. IX), cum eodem doctissimo Cardinale etiam asserimus postremam impositionem manus Episcopi cum ea formula, *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, omnino ad Sacerdotii substantiam pertinere; probamusque ex celebri canone IV, sessione XXIII, Concilii Tridentini ita definientis : « Si quis » dixerit per sacram Ordinationem non dari » Spiritum sanctum, ac proinde frustra Epi- » scopum dicere : Accipite Spiritum sanctum, » anathema sit. » Ubi, uti recte observat Bellarminus, Concilium declarat, tunc ordinari Presbyteros, et tunc dari illis gratiam Spiritus sancti, cum eis dicitur, *Accipite Spiritum sanctum.* At cum hoc dicitur manus imponuntur, ut patet ex Pontificali et Ecclesiæ consuetudine; ergo sentiebat Concilium illam impositionem manus esse de essentia. Porro sciendum est in ordinatione Presbyterorum duas conferri potestates, unam consecrandi Eucharistiam, quæ dicitur potestas in Corpus Christi verum; alteram absolvendi a peccatis, quæ dicitur potestas in Corpus Christi mysticum. Propter has duas potestates, duæ sunt in Presbyterorum ordinatione præcipuæ cæremoniæ observandæ : una scilicet, qua Episcopus porrigit futuro Presbytero patenam cum hostia, et calicem cum vino, dicens : *Accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.;* altera, cum post missam Episcopus manus imponit, ita inquiens : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, etc.* Utramque cæremoniam esse essentialem Presbyteratui recte docet atque explicat Scotus; nam per unam confertur una potestas, per alteram altera, sive sint duo characteres, sive unus, qui in secunda cæremonia extendatur.

VI. Neque est probabile quod quidam dicunt, in una totum dari, et in altera tantum explicari : nam in primis verba illa, *Accipe potestatem offerendi, etc.*, et ista, *Accipe Spiritum sanctum*, non significant *explicari*, sed revera tunc *dari* potestatem significant. Deinde omnium pene Theologorum consensu Christus Dominus divisim in diversis temporibus dedit Apostolis hanc duplicem potestatem; nam in nocte cœnæ contulit eis potestatem conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, dicendo : *Hoc facite in meam commemorationem;* et post resurrectionem dedit eis potestatem ligandi atque solvendi. Id quod inter alios docet Angelicus Doctor in IV distinct. XXIV, quest. II, ad II, his verbis : « Ad secundum, » dicendum quod Dominus discipulis dedit Sa- » cerdotalem potestatem quantum ad principa- » lem actum in Cœna, quando dixit : *Accipite,* » *et manducate;* inde subjungit : *Hoc facite in* » *meam commemorationem;* sed post resurrec- » tionem dedit eis Sacerdotalem potestatem » (scilicet quando dixit Joannis XX : *Accipite Spiritum sanctum, quorum, etc.*, de quo erat argumentum) « quantum ad actum secunda- » rium, id est ligare et absolvere. » Hinc Judas Ischariotes, qui post resurrectionem non interfuit, quippe qui ob nefariam proditionem laqueo se suspendit et crepuit medius, potestate ligandi atque solvendi caruit, solumque in ministerium apostolatus quoad reliqua dicendus est cum aliis fuisse annumeratus.

VII. Dices nec S. Thomam interfuisse quando Christus Apostolis dixit, *Accipite Spiritum sanctum, etc.;* et tamen quis unquam negaverit habuisse ipsum utramque potestatem? Respondent Theologi sanctum Apostolum, licet minime tunc interfuerit, recepisse postea illam potestatem ligandi ac absolvendi, quando Christus scilicet illi apparuit, et ipsi dixit quod in priori apparitione fuerat locutus, quamvis id

Digitized by Google

minime scriptum fuerit. Recte itaque Ecclesia morem Christi sequuta, prius ante consecrationem confert Episcopus patenam cum hostia, et calicem cum vino, dicens : *Accipe potestatem offerendi, etc.* Et post consecrationem imponit manus, ac dicit : *Accipe Spiritum sanctum, etc.* Cæterum, ne quid in hoc Commentario præterire videamur, ea Episcopi oratio in hoc § descripta, *Oremus, Fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, etc.*, totidem pene verbis habetur in Sacramentario S. Gregorii, numero tamen singulari, cum alias in antiquo Romano Ordine, et in plerisque Pontificalibus libris, sicut in nostro Romano, plurali numero enuntietur.

[Maximi momenti videtur hic producere recentissimam sacræ Rituum Congregationis responsionem ad Episcopum Aniciensem, die 18 februarii 1842, quæ ad praxim reducitur nostri Pontificalis textus, quoad superiorem orationem *Exaudi nos.* Quærebat præfatus Episcopus an extensio manus tam Pontificis quam Sacerdotum fieri debeat non tantum intra hæc verba : *Oremus, Fratres charissimi*, usque ad *Flectamus genua*, verum etiam post genuflexionem, intra orationem quæ incipit : *Exaudi nos.* Neminem theologum fugit gravitas hujus quæstionis, siquidem semper habita est manuum impositio quæ fit in his sacræ Ordinationis adjunctis velut proxime ad ritum essentialem pertinens. Responsum fuit praxim sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ab omnibus servari debet, esse manus Ordinandis imponi tantum in prima oratione quæ incipit : *Oremus, Fratres*, et ideo manus tum Pontificis, tum Sacerdotum, non denuo debere extendi post *Flectamus genua.* Parum intelligere fatemur quomodo talis solutio cum sensu verborum Pontificalis conciliatur. Patet enim non formulam deprecatoriam esse, bene vero puram allocutionem ad fideles adstantes, hanc orationem quæ incipit : *Oremus, Fratres charissimi;* dum e contra hæc altera formula, quæ pronuntiatur post *Flectamus genua*, vera sit oratio ad Deum, quæ cum impositione manuum conjuncta, sacramentalis ritus speciem præbere videbatur. Quid inde ? Sequenda est nihilominus sacræ Rituum Congregationis decisio, utpote fundata super praxim Ecclesiæ Romanæ, quæ nunquam in ritibus essentialibus Sacramentorum errare potest.]

§ VII.

Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare, dicit : *Oremus.* Et ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et mox conversus ad Ordinandos, dicit :

Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene✠dictionem sancti Spiritus et gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

Tunc extensis manibus ante pectus, dicit : ℣. *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum, et justum est.* — *Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus atque officia Levitarum Sacramentis mysticis instituta creverunt; ut cum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo, per septuaginta virorum*

Digitized by Google

prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populos, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire; qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores Ordinis nostri; eluceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Quod sequitur legat submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quæ in præsenti § descripta sunt, totidem pene verbis habentur in Ordine antiquo Romano et in compluribus Ritualibus libris. Habentur etiam in Sacramentario S. Gregorii : in quo tamen ea verba *Flectamus genua*, sicut et illa, *Per omnia sæcula sæculorum; Dominus vobiscum; Sursum corda; Gratias agamus Domino Deo nostro; Vere dignum et justum est, etc.*, omnino desiderantur, sicut et in Ordine Romano, qui tamen habet *Flectamus genua, Levate.* Sane tum in isto cum in Sacramentario S. Gregorii, consecratio Presbyterorum incipit ab illis verbis, *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus;* imo in Romano Ordine deest *Domine sancte, et æterne*, incipitque consecratio in modum præfationis, *Omnipotens Deus bonorum dator, etc.* Antiqui libri Pontificales, Egberti Eboracensis archiepiscopi et Anglicanus monasterii Gemmeticensis, itemque Noviomensis, et Gellonensis, annorum noningentorum, sequuntur lectionem Sacramentarii S. Gregorii. Puto ea verba, *Per omnia sæcula sæculorum, etc.* præmitti consuevisse consecrationi Presbyterorum ab annis quingentis, cum eo tempore exaratus Pontificalis liber insignis Ecclesiæ Cameracensis, et alius insignis Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter quadringentorum, eam habeat verborum formulam quam supra descripsimus ex nostro Romano Pontificali.

II. Porro notatu dignum in ea præfatione illud est, quod Episcopi vocantur *Pontifices summi.* Eo nomine eos olim appellatos fuisse edocemur ex Epistola I Melchiadis Romani Pontificis, apud Burchardum, lib. IV, cap. LXI, et Ivonem, parte I, cap. CCLV. Loquens enim ibi de Sacramento Confirmationis, ait unum esse « quod a majoribus fit, id est a Summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest. » Minores innuit Chorepiscopos, a quibus Sacramentum illud conferri nequit, ut et postea concedit Damasus, sive alius ejus nomen præ se ferens in Epistola XLV, quæ est de Chorepiscopis ; cujus Epistolæ varia loca citantur in Capitularibus, et ubi *Summorum Pontificum* nomen etiam Episcopis tribuitur. Locum hunc integrum descripsisse videtur S. Leo I, in Epistola LXXXVI, ad Episcopos Galliæ et Germaniæ ; Hormisda, in Epistola ad B. Remigium Remensem episcopum; Concilium Agathense, cap. XXXV; Parisiense sub Ludovico, lib. I, cap. III ; tum Aquisgranense II, sub eodem Ludovico, in præfatione, eo sensu dixit neminem in Ecclesia Pontifice potiorem. Hincmarus id quidem firmat in Epistola IV, cap. IV, dum Christum duos

Digitized by Google

Ordines in Sacerdotibus constituisse asserit, unum *Summorum Pontificum,* id est Episcoporum, alterum Presbyterorum. Eo respexit Theodulphus Aurelianensis episcopus, in Epistola ad Presbyteros suæ diœcesis, et alii complures scriptores ecclesiastici, præsertim ii qui agunt de officiis ecclesiasticis, cum aiunt Episcopos tenere gradum summi Pontificis Aaron. Fortunatus tandem, lib. XI, Epigrammate XIII, ubi nomine Pontificis summi intelligit Germanum Parisiorum episcopum, ita canit :

Pontifici summo nos commendare precamur :
Regibus et dominis ferte salutis opes. »

III. Neque vero solum Pontifices Summi, sed et summi Sacerdotes, Pontifices Maximi et Principes Sacerdotum honoris causa olim Episcopi nominabantur. Auctor sub nomine Ambrosii, in Epistolam ad Ephesios cap. IV, expressis verbis principes Sacerdotum eos nuncupat. Atque ita nomen Summi Sacerdotis a S. Hieronymo crebro adhibitum est, ut exempli causa in *Dialogo contra Luciferianos*, ubi ita scribit : « Ecclesiæ salus in Summi Sacerdotis » dignitate pendet. » Vide plura apud Josephum Binghamum, lib. II *Originum Ecclesiasticarum*, cap. II, § VI.

§ VIII.

Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit orarium sive stolam ab humero sinistro cujuslibet, capiens partem quæ retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus, in modum crucis, singulis dicens : *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi nulla mentio fiat in Sacramentario S. Gregorii atque in aliis Ritualibus libris de ritu apponendæ stolæ Presbyteris in eorum ordinatione, habetur tamen in antiquo Romano Ordine cum eadem verborum formula nostri Romani Pontificalis; item in vetustissimis Pontificalibus Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum nongintorum, in quibus, dum Episcopus dat stolam Presbytero, ita inquit : « Stola justitiæ » circumdet Dominus cervicem tuam, et ab » omni corruptione peccati purificet Dominus » mentem tuam. » Exstat idem ritus in Euchologio Græcorum, ubi Episcopus in ordinatione Presbyteri, post impositam capiti illius manum et recitatam orationem, « erigit illum, et poste- » riorem stolæ partem ad anterius dextrum la- » tus reducit, dicens : *Dignus.* » Idem docet Simeon Thessalonicensis, in libro *De Sacris Ordinationibus,* cap. V, his verbis : « Postea » orarium a sinistro humero in dexterum trans- » fert, quod posterius est anterius agens; et hoc » modo velut sub jugum mittit Ordinandum. » Conspicere enim debet et considerare per » symbola, quam acceperit gratiam; et primum » quod secundum unum et solum Diaconatus » opus contraxerit debitum; nunc vero ad mys- » teria et Sacerdotium universum, unde majus » illi impendet jugum, ita ut totius operis de- » beat esse minister et curator : ideo secundo » cingitur, velut vocatus ad majus opus. » Fortasse omissus est in quibusdam latinis libris Pontificalibus ritus tradendæ stolæ in ordinatione Presbyterorum, quia scilicet, uti recte observat Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VIII, articulo IX, num. XIII, eam, cum ipsi fuerant ordinati in Diaconos, jam acceperant : alioqui non minus Presbyteris quam Diaconis traditio stolæ est antiquissima; eamque perinde ac Diaconi extra cultum divinum diu noctuque continuo gestabant : « Presby- » teri, » inquit Concilium Moguntinum anni 813, can. XVIII, « sine intermissione utantur » orario, propter differentiam Sacerdotii digni- » tatis. » Cujus rei praxim videre est apud Joannem monachum in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, libro I, num. XXXVII, qui prima post Ordinationem suam nocte expergefactus, et præter solitum sentiens appensam collo suo stolam, flere cœpit. Sæculo adhuc XII ritum hunc viguisse testatur Joannes Saresbergensis in Vita S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi,

Digitized by Google

qui « stolam, jugum Christi suave, circa collum » diebus ac noctibus habebat. »

II. Significari per stolam jugum Christi suave et onus ejus leve, docent passim scriptores ecclesiastici. Creditus Alcuinus, *De Divinis Officiis*, cap. *Quid significent vestimenta*, loquens de orario, id est de stola, diserte ait ipsum orarium admonere « illum qui illo in» duitur, ut memor sit sub jugo Christi, quod » leve et suave est, esse se constitutum. » Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XX : « Per stolam, inquit, designatur » onus leve ac suave de quo Dominus dicit : » *Tollite jugum meum super vos; jugum enim* » *meum suave est et onus meum leve.* Per jugum » Evangelium intelligimus, etc. » Ivo Carnotensis episcopus, in sermone habito in Synodo, de significationibus indumentorum Sacerdotalium, hæc habet : « Utuntur (Sacerdotes) et » stola, quæ alio nomine orarium vocatur; qua » vetus Sacerdotium non utebatur. Hoc tan» quam jugum bobus arantibus vel triturantibus » collo juxta humeros superponitur, ut illud » Evangelicum ab eis impleatur : *Tollite jugum* » *meum super vos, et discite a me quia mitis* » *sum et humilis corde; jugum enim meum* » *suave est et onus meum leve.* Hæc a collo per » anteriora descendens, dextrum latus ornat et » sinistrum, ut doceat Sacerdotem per arma » justitiæ, a dextris et a sinistris, id est in pro» speris et adversis, debere esse munitum; quod » ad fortitudinem pertinet, sine qua cæteræ vir» tutes facile expugnantur et minime coro» nantur. »

III. Eadem edocuerunt Patres Concilii Bracharensis III, anni 675, can. III, ubi aiunt « antiqua et ecclesiastica institutione fuisse » præfixum, ut omnis Sacerdos cum ordinatur, » orario utroque humero ambiatur, scilicet ut » qui imperturbatus præcipitur consistere inter » prospera et adversa, virtutum semper orna» mento, utroque circumseptus appareat hu» mero. » Tum abusum refellentes quorumdam Sacerdotum, quod sine orario Missam celebrare ausi essent, districte præcipiunt sub anathematis pœna, ne id in posterum attentarent; quod nulla scilicet ratio patiatur non assumi a Presbyteris tempore Sacrificii, quod in sua ordinatione jam ab Episcopo acceperunt : « Qua ratione tempore » Sacrificii non assumit quod in Sacramento » accepisse non dubitat ? Proinde modis omni» bus convenit ut quod quisque percepit in » consecratione honoris, hoc retineat et in ob» latione vel perceptione suæ salutis; scilicet, » ut, cum Sacerdos ad solemnia Missarum ac» cedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, » aut Sacramentum Corporis et Sanguinis Do» mini nostri Jesus Christi sumpturus, non » aliter accedat quam orario utroque humero » circumseptus, sicut et tempore Ordinationis » suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno » eodemque orario cervicem pariter et utrum» que humerum premens, signum in suo pec» tore præparet Crucis. Si quis autem aliter » egerit, excommunicationi debitæ subjaceat. » Quibus ex verbis et illud licet addiscere, esse plane antiquissimum ut stola Presbyteris ante pectus in modum crucis aptetur. « Quo quidem » ritu, » ut verbis utar Catechismi Concilii Tridentini, parte II *De Ordinis Sacramento*, numero XLVIII, « declaratur Sacerdotem virtute » indui ex alto, qua possit Crucem Christi Do» mini et jugum suave divinæ legis perferre, » eamque non verbis solum, sed vitæ sanctis» sime et honestissime actæ exemplo tradere. » Aliam explicationem vide apud Durandum in suo *Rationali*, lib. III, cap. V.

§ IX.

Postea imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte interiori deorsum dependentem, singulis dicens : *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus ut augeat tibi charitatem et opus perfectum.* ℟. *Deo gratias.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Statim stola collo Presbyteri in modum crucis apposita, consequenter casula tanquam vestis Sacerdotalis ipsi dabatur; ejusque ritus perspicue meminit Ordo Romanus, sic inquiens : « Hic vestiat eum casula, dicens : Stola » innocentiæ induat te Dominus. » Sunt ibidem aliæ duæ verborum formulæ ab Episcopo in casulæ traditione proferendæ, quarum altera eadem est ac illa qua utitur nostrum Pontificale Romanum, quamque in præsenti § descripsimus; altera vero hunc inquit in modum : « Induere vestibus præclaris, a cunctis commaculationum spurcitiis expurgatam, descendatque super te divinæ Trinitatis ante mundi » constitutionem tibi benedictio data. Per omnia » sæcula sæculorum. Resp. Amen. » Meminit et casulæ traditionis in suo Sacramentario S. Gregorius, ubi etiam hæc statim habentur verba : « Benedictio Patris, et Filii, et Spiritus » sancti descendat super te, ut sis benedictus in » ordine Sacerdotali, et offeras placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi » omnipotenti Deo : cui sit honor et gloria in » sæcula sæculorum. » In codice Ratoldi ita legitur : « Benedictio post casulas super omnes. » Et statim : « Benedictio Dei Patris, et Filii, et » Spiritus sancti descendat super vos; et his » Sacerdotalibus vestibus induti, protecti et » muniti esse valeatis ab omnibus impugnationibus malignorum spirituum; et sitis benedicti in nomine Domini nostri; et offeratis » hostias placabiles pro peccatis atque offensionibus Deo; cui est honor et gloria. » Supervacaneum fuerit de eo ritu alios Pontificales libros referre, cum in Concilio Toletano IV, quod habitum est anno 636, can. XXVII, diserta mentio fiat de orario seu stola, ac planeta, quæ idem est ac casula, in ordinatione Presbyteri adhibita. Usos porro fuisse et eo ritu Græcos, ex eorum Euchologio liquet, ubi post traditam Presbytero stolam, ita Episcopo præscriptum legimus : « Deinde induens illum casula, rursum exclamat : *Dignus.* » Vide Simeonem Thessalonicensem *De sacris Ordinationibus*, cap. V.

II. Præter superius recitatas, variæ sunt in variis Pontificalibus libris verborum formulæ ab Episcopis usurpatæ in traditione casulæ sive planetæ. Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, ante annos noningentos exaratum, ait : « Induat te Dominus vestimentum salutis, et » coronam lætitiæ ponat super caput tuum. » Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis noningentorum annorum : « Per hæc » indumenta stolam et casulam salutis indui » merearis, æternæ perpetuitatis plenitudinem, cum sanctis Sacerdotibus Christo ministrantibus, ut præmia feliciter capescere valeas » repromissa. Per. » Certe plerique libri Pontificales habent formulam nostri Romani Pontificalis, sive ut melius dicam, alteram antiqui Romani Ordinis : *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur, etc.* Significari per casulam charitatem testatur auctor nomine Alcuini in libro *De Divinis Officiis*, cap. *Quid significent vestimenta.* « Casula, inquit, quæ » super omnia indumenta ponitur, significat » charitatem, quæ alias virtutes excellit. » Idipsum docet Ivo Carnotensis episcopus in sermone in Synodo habito de significationibus indumentorum Sacerdotalium. « Omnibus, ait, » indumentis superponitur casula, quæ alio » nomine planeta vocatur; quæ quia communis » est vestis, charitatem significat, quæ universis » virtutibus surperponitur, quia cæteræ virtutes nihil sine ea utile operantur. » Hugo a S. Victore *De mysteriis Ecclesiæ*, cap. VI, hæc habet : « Casula charitatem exprimit, quæ loco » prudentiæ ponitur, quia plenitudo legis est » dilectio. » Casulæ in sacro ministerio antiquitatem perperam irridet Calvinus in quodam libello quem *Indicem reliquiarum* appellat, quem nos alias solide confutavimus in opere nostro *De Codice S. Evangelii, etc.* lib. II, cap. VII.

Digitized by Google

§ X.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit :

Deus, sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ bene✠dictionis infunde; ut gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur : justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem cæterasque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et per obsequium plebis tuæ, panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justi et æterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu sancto pleni resurgant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Post casulæ traditionem dabatur Presbytero benedictio, cujus binas formulas in Commentario superioris § recitavimus, alteram ex libro Sacramentorum S. Gregorii, ex Codice Ratoldi alteram. Benedictio in § præsenti descripta est sane ejusdem tenoris cum illa Ordinis antiqui Romani, ubi tamen, sicut et in pervetustis Pontificalibus Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicano monasterii Gemmeticensis, Noviomensi ac Gellonensi annorum nongentorum, atque in aliis compluribus sequioris ævi, præcedit hæc Episcopi ad populum allocutio : « Sit nobis, Fratres, communis oratio, » ut hi qui in adjutorium et utilitatem vestræ sa- » lutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem, » divini indulgentia muneris consequantur, et » ut sancti Spiritus gratia, Sacerdotalia dona » privilegio virtutum, ne impares loco depre- » hendantur, obtineant. » Deinde sequitur, *Deus sanctificationum omnium auctor, etc.*, ut in Pontificali nostro Romano. Quam orationem seu benedictionem vetus quidem Ordo Romanus appellat *consecrationem :* nonnulli vero libri Pontificales, veluti Anglicanus, *consummationem Presbyteri* nominant.

§ XI.

Tunc Pontifex sine mitra ante altare conversus, flexis genibus incipit alta voce, schola prosequente, Hymnum : *Veni, Creator Spiritus, Mentes tuorum visita, Imple superna gratia Quæ tu creasti pectora.* Surgit Pontifex, et facit, ut in fine Hymni habetur; interim schola prosequitur Hymnum, qui, si propter Ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo versu : *Qui diceris Paraclitus, Altissimi donum Dei, etc.*, usque ad finem.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quanquam Hymnus *Veni Creator Spiritus, etc.*, sicut et alii complures, S. Ambrosio episcopo Mediolanensi, a doctissimo æque ac pientissimo Cardinale Thomasio tribuatur, uti videre est in ejus Hymnario addito ad librum cui titulus, *Psalterium juxta duplicem editionem, etc.*, non videtur tamen antiquitus in ordinatione Presbyteri usurpatus, cum, ni fallor, nullam illius ritus mentionem faciant Pontificales libri ante annum millesimum exarati. Certe in Pontificali S. Cornelii Compendiensis ad usum Ecclesiæ Suessionensis, ante annos sexcentum scripto, post eam verborum formulam, *Consecrare, et sanctificare, etc.*, ad unctionem manuum Presbyteri dicendam, subjicitur, *Veni Creator Spiritus.* Verum in Pontificali insignis Ecclesiæ Noviomensis, quod ante annos quadringentos scriptum putatur, ubi de manuum Sacerdotis consecratione agitur, ipsum Hymnum *Veni Creator Spiritus, etc.*, præmitti legimus, quemadmodum et in Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ annorum circiter trecentorum, ubi, post datam ab Episcopo benedictionem in superiori § ex nostro Romano Pontificali recitatam, ritus hunc in modum describitur : « Post hoc » reponat se super sedem suam Episcopus : ap- » portentur coram eo pelvis, aqua et manuter- » gium, et lavet manus suas. Quibus lotis, sur- » gat, et conversus ad altare, flexis genibus » incipiat, Clero prosequente *Veni, sancte Spi-* » *ritus.* Quo dicto, surgat, et cum oleo Cate- » chumenorum accedat ad Sacerdotes, et inci- » piat versum, *Infunde unctionem tuam*, Clero » prosequente. Item Chorus cantet Sequen- » tiam, *Sancti Spiritus assit;* et ad quemlibet » versum ejusdem repetatur : *Infunde unctio-* » *nem.* Et si multitudo Ordinandorum requi- » rit, addatur Hymnus *Veni Creator;* et dum » hæc cantantur, transeat Episcopus, et de » oleo prædicto manus cujuslibet Sacerdotis de » plano disjunctas perungat, ita tamen, primo, » quod trahat a pollice dextro ad indicem sini- » strum transversaliter; et postea, a pollice sini- » stro ad indicem dextrum trahat, ad quemlibet » dicens singulatim : *Consecrare et sanctificare* » *digneris, Domine, manus istas per istam unc-* » *tionem et nostram benedictionem, ut quæcum-* » *que consecraverint, consecrentur et quæcumque* » *benedixerint benedicantur et sanctificentur,* » *in nomine Domini nostri Jesu Christi.* »

§ XII.

Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra, et depositis chirothecis, et annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium; et singuli Ordinandi successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas, in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dèxteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit : *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram bene✠dictionem.* ℟. *Amen.* Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat, et prosequitur : *Ut quæcumque benedixerint benedicantur, et quæcumque consecraverint consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et quilibet Ordinandus respondet : *Amen.* Tum Pontifex claudit seu jungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram, alligat, et mox unusquisque ad ordinem suum redit, et sic clausas et alligatas manus tenet.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quam sit antiquus in Ecclesia tum Latina, tum Græca, ritus ungendi sacro oleo manus, imo et alicubi etiam caput Presbyteri, fuse a nobis explicatum est in Commentario ad § I hujus tituli. Certe vetus Ordo Romanus non modo expresse memorat eam unctionem, verum etiam in modum crucis fieri ipsam debere præscribit : « Accipiens, inquit, oleum sanctum, fa» ciat crucem super ambas manus eorum, di» cens : Consecrare et sanctificare digneris, » Domine, etc. » In Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, ante annos nongentos scripto, antequam Episcopus ungat manus Presbyteri, hanc dicit orationem : « Benedic, » Domine, et sanctifica has manus Sacerdotis » tui Ill. ad consecrandas hostias quæ pro de» lictis atque negligentiis populi offeruntur, et » ad cætera benedicenda quæ ad usus populi ne» cessaria sunt; et præsta, quæsumus, ut quæ» cumque benedixerint benedicantur, et quæ» cumque sacraverint sacrentur, Salvator mun» di, qui vivis et regnas. » Tum jubetur « ut » faciens crucem sanctam de Chrismate in ma» nibus ejus, » dicat : « Consecrentur manus istæ, » quæsumus, Domine, et sanctificentur per is» tam sanctam unctionem, et nostram invoca» tionem, atque divinam benedictionem, ut » quodquod benedixerint sit benedictum, et » quodquod sanctificaverint sit sanctificatum. » Per. » Sequitur statim *consecratio*, seu inunctio *capitis*, in qua facienda ita inquit Episcopus : » Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti » benedictione in ordine Sacerdotali, in no» mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. » Pax tibi. Et cum spiritu tuo. » Habet hunc eumdem ritum Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis noningenta annorum, itemque Pontificale Caturcense annorum octingentorum. Plerique libri Rituales, inter quos Salisburgensis annorum sexcentorum, nullatenus capitis unctionem præscribunt, sed manuum tantum in modum crucis, cum ea verborum formula : *Consecrare et sanctificare, etc.* juxta antiqui Ordinis ac hodierni Pontificalis Romani præscriptum. In Pontificali Moguntino annorum quadringentorum, post memoratam manuum inunctionem, Episcopus hanc statim profert orationem : « Deus, et Pater Domini » nostri Jesu Christi, qui vos hodierna die ad » Sacerdotalem dignatus est eligere dignitatem, » quique vos mysticæ delibutionis liquore per» fudit, Spiritus sancti gratia, vos clementer » emundet, et spiritualis benedictionis ubertate » confirmet. Per eumdem Dominum nostrum » Jesum Christum. »

II. Rationem cur manus Sacerdotis in forma crucis ungantur, edicit S. Leo in Sermone VIII de Passione Domini, ubi ita inquit : « Nunc » etenim et ordo clarior Levitarum, et dignitas » amplior Seniorum, et sacratior est unctio Sa» cerdotum; quia Crux tua omnium fons bene» dictionum, omnium est causa gratiarum. » Aliam ejus ritus rationem assignat Stephanus Eduensis, qui floruit circa medium sæculum X, in lib. *De Sacramento Altaris*, cap. IX, his verbis : « Manus Sacerdotis, quæ in figura crucis » oleo sancto signantur, conformantur manibus » Christi; et illud insigne miraculum et saluti» ferum, quod inter manus Sacerdotis fieri cre» ditur, hoc manus Christi operantur, qui ait : » *Sine me nihil potestis facere*. Unde cum ipso, » et per ipsum, et in ipso totum agitur Sacri» ficium. » Fortasse fit ea unctionis cæremonia in modum crucis, dum canitur hymnus *Veni creator Spiritus*, quia Spiritus sanctus fons est benedictionum omnium, quas passione et morte sua in cruce Christus nobis promeruit.

III. Multæ vero rationes sunt propter quas Ecclesia hanc unctionem adhibuerit. Primo quidem, ut veteris Testamenti Sacerdotum unctionem imitaretur, nostrosque Sacerdotes non esse illis inferiores, sed longe excellentiores demonstraret, juxta laudatum S. Leonis testimonium : « Nunc etenim et ordo clarior Levi» tarum, et dignitas amplior Seniorum, et sa» cratior est unctio Sacerdotum. » Secundo, ad misericordiam et pietatem quam erga alios adhibere debeat, exprimendam; et, ut non solum activæ vitæ incumbant, sed etiam ut bonorum operum manum populis præmonstrent; uti fuse explicat S. Gregorius in I Regum cap. IV : « Habeat » Sacerdos « in unctione » sua oleum, habeat misericordiam abundan» tem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Ha-

Digitized by Google

« beat oleum, ut dum ardorem sancti Spiritus » in se nutrit, lucere vehementer aliis per ver- » bum possit. Habeat nihilominus oleum me- » dicinæ, ut sapienter disponat qualiter pecca- » torum fœtores tergat, et ægras mentes saluti » restituat, etc. » Tertio, ex eodem Gregorio, ut soli Christo deserviendi causa Sacerdotes principes se constitutos esse sciant, ideoque se Christos factos esse, Christo confirmatos, et Christi loco constitutos. Quarto, ut docet Amalarius Fortunatus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis,* cap. XIII : « Ut Sacerdotum manus mundæ » sint ad offerendum hostiam Deo, et largæ ad » cætera officia pietatis. » Aliæ pleræque ejusdem ritus significationes videri possunt apud Philibertum Marchinum in tractatu II *De sacramento Ordinis,* parte VIII, cap. VII; et apud Hallierium in opere *De sacris Ordinationibus,* pag. 1025 et seq., ubi fuse agit de sacra unctione Sacerdotum.

§ XIII.

Omnibus manibus unctis et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exhibet hanc formulam vetus Ordo Romanus, quamvis in Ritualibus antiquioribus ante annos circiter septingentos omnino desideretur, uti ostendit Morinus *De sacris Ordinationibus,* parte III, exercitatione VII, cap. I. Documentum hoc esse potestatis acceptæ, et pignus exercendæ, docet Hugo a S. Victore, libro II *De Sacramentis,* parte III, cap. XII. « Accipiunt, » inquit, et calicem cum vino, et patenam cum » hostiis de manu Episcopi; quatenus his in- » strumentis potestatem se accepisse agnoscant » placabiles Deo hostias offerendi. » Eodem modo loquitur Magister Sententiarum, lib. IV, distinctione XXIV : « Accipiunt etiam calicem » cum hostiis, ut per hoc sciant se accepisse » potestatem placabiles Deo hostias offerendi. » Similia habet Durandus, lib. II *Rationalis,* cap. X, num. XI : « Accipiunt quoque de manu Pontifi- » cis calicem cum vino, et patenam cum hostia, » quatenus his instrumentis potestatem se acce- » pisse cognoscant placabiles hostias, et Corpus » et Sanguinem Christi offerendi. Unde Episco- » pus hæc tribuens, dicit : Accipite potestatem » offerre, etc. » Sed videtur quidem sibi contradicere Durandus, cum paulo post, numero XIV, ita scribat : « Sane ei qui in Presbyterum ordi- » natur traduntur sub certis verbis stola et ca- » sula, calix cum patena, et etiam inungitur : » quæ res et verba sunt de ejusmodi Sacramenti » substantia; cætera vero præcedentia et se- » quentia de solemnitate sunt. » Nititur Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus,* capite VIII, articulo IX, num. XVI, excusare Durandum, dicens ipsum auctores diversos utroque in loco absque sufficienti examine descripsisse; adeo ut ex ejus verbis nihil possit inferri, quam quosdam auctores essentiam Presbyteratus Ordinis in traditione instrumentorum reposuisse, alios vero, cum ea peragitur jam collatum esse, opinatos fuisse.

II. At quis non videt gratis id asseri a Martenio, frustraque ab ipso excusari Durandum, quem non semel constat lapsum fuisse in similes errores et contradictiones? Totum Martenii studium est ut a substantia Presbyteratus traditionem instrumentorum excludat, eoque nititur fundamento, quod libri antiqui Rituales solam manuum impositionem memorant, ac Theologi etiam insignes, Hugo Victorinus, Magister Sententiarum et Durandus dicant traditionem instrumentorum signum esse duntaxat traditæ potestatis. Verum pace Martenii dixerim : An non est antiquus liber Ritualis vetus Ordo Romanus, ex quo desumpta est ea verborum for-

Digitized by Google

mula : *Accipe potestatem offerre, etc.?* An non est Theologorum omnium facile princeps Angelicus Ecclesiæ Doctor S. Thomas Aquinas? Audiat, quæso, quid ipse scribat in IV. distinctione XXIV, quæstione I, articulo III : « Per » manus, inquit, impositionem datur plenitudo, » per quam ad magna officia sunt idonei; et ita » solis Diaconibus et Sacerdotibus fit manus » impositio, quia eis competit dispensatio Sa- » cramentorum, quamvis uni ut principali, » alteri sicut ministro : sed unctione ad aliquod » Sacramentum tractandum consecrantur; et » ideo unctio solis Sacerdotibus fit, qui propriis » manibus corpus Christi tangunt. » Digna profecto lectu sunt quæ paulo post subjicit, his verbis : « Sed potestatis collatio fit per hoc quod » datur eis aliquid quod ad proprium actum » pertinet; et quia principalis actus Sacerdotis » est consecrare Corpus et Sanguinem Christi, » ideo in ipsa datione calicis sub forma verbo- » rum determinata character Sacerdotalis im- » primitur. » Angelico Doctori mirifice suffragatur Eugenius IV, Pontifex Maximus, qui, ut etiam alibi dictum fuit, in Decreto pro Armenis ita definit : « Sextum sacramentum est Ordinis, » cujus materia est illud per cujus traditionem » confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur » per calicis cum vino et patenæ cum pane » porrectionem. » Et paulo post : « Forma Sa- » cerdotii talis est : *Accipite potestatem offerendi* » *sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis.* » *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* » Et sic de aliorum formis, prout in Pontificali » Romano late continetur. »

III. Qualis autem requiratur, et quando adhiberi debeat contactus instrumentorum ad validitatem ordinationis Presbyterorum, dico requiri ut tunc fiat contactus cum verba proferuntur, quia materia debet conjungi cum forma. Quod tamen moraliter intelligendum est : parvum enim tempus quod effluereet inter contactum et prolationem verborum, pro nullo haberetur. Moraliter item intelligendus est ipse contactus; unde qui tangit continens tangere et contentum censetur; qui calicem tangit, tangit vinum; et qui patenam tangit, hostiam tangit. Certe, ubi hodiernum Pontificale Clementis VIII ac Urbani VIII auctoritate recognitum habet : *Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia; et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt,* in Pontificalibus ex editione Parisiensi anni 1520, et Lugdunensi anni 1542, legitur, *et ipsi illa accipiunt, etc.* Et quidem recte, inquit Hugo Menardus in notis et observationibus ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 298; nam hoc pronomen *illa* ad ea quæ tangenda sunt, seu mediate seu immediate refertur : quod si legas *illam,* ut in nostro recentiori et in aliis quibusdam, atque apud Castaldum in Cæremoniali Episcoporum legitur, non video horum verborum sensum, cum non possit ad solam hostiam referri. Sensus est enim ut omnia quæ offeruntur accipiantur; et postea modus acceptationis declaratur, nempe inter indices et medios digitos, ita ut cuppa calicis et patena simul tangantur. Quæ cum ita sint, merito censet laudatus auctor illos nequaquam esse audiendos qui dicunt hostiæ seu panis contactum esse de præcepto in Pontificali, cum nihil tale in illo appareat; et multo minus illos qui scribunt contactum panis esse de necessitate Sacramenti, ita ut qui panem non tetigerit sit rursum ordinandus. Nam, moraliter loquendo, ille acceptare dicitur qui instrumenta seu vasa in quibus sunt ea quæ offeruntur accipit seu tangit; ut ille vere oblata poma acceptat qui canistrum aut vas in quo sunt, accipit sine pomorum contactu; hancque sententiam multi graves auctores sequuntur, prætermissis illis qui instrumentorum seu vasorum contactum non esse de necessitate Sacramenti asserunt.

IV. Opportune hic quæri potest an sit de necessitate Sacramenti traditio calicis cum vino, et patenæ cum hostia simul; an sufficiat quod una vel altera ex his speciebus simul cum dictis instrumentis conferatur. Negant aliqui utramque speciem esse de necessitate Sacramenti, et sic vere manere ordinatum asserunt cui Episcopus unam solam speciem, ut vinum in calice vel hostiam in patena, porrigeret; proindeque, si in consumptione calicis Episcopus perciperet aquam pro vino sibi ministratum fuisse, non teneri ex necessitate Sacramenti Ordinationem repetere; teneri tamen ex præcepto ecclesiastico ad talem repetitionem, et peccare mortaliter tam ipsum si non repeteret, quam Ordinatum si ante repetitionem celebrarent, vel aliud mu-

Digitized by Google

nus proprium Sacerdotis exercerent. Ita Henriquez, Filiucius, Homobonus, Bonacina, Sanchez, Dicastillus et alii; probantque ex eo quod potestas ad utramque speciem conficiendam est indivisibilis, et una in alia quasi per concomitantiam, ut aiunt, continetur : unde, sicut in una specie Sacramentum verum Eucharistiæ reperitur, quia per concomitantiam est in ea, verbi gratia, in hostia Sanguis Christi; sic potestatem, inquiunt, quæ per traditionem unius speciei ad consecrandam illam tribuitur, includere per concomitantiam potestatem ad aliam consecrandam; ac proinde institui verum Sacerdotem ad totam Eucharistiam conficiendam, quamvis una duntaxat ei species in sua ordinatione porrigeretur.

V. Sed probabilior est aliorum sententia, quæ docet utriusque speciei traditionem esse de necessitate ordinationis Presbyteri; ac propterea non solum peccare mortaliter qui aliter ordinaret, vel scienter ordinaretur, vel non repeteret Ordinem, vel in Ordine suscepto absque tali repetione ministraret, verum etiam nec manere Sacerdotem, nec actus illius validos esse. Id quod inter alios tradidit Philibertus, *De sacramento Ordinis,* tractatu II, parte VIII, cap. V. Et ratio est, quia integrum sacramentum Eucharistiæ non salvatur in una tantum specie, uti passim Theologi docent, sed utraque essentialiter ad illud requiritur. Licet autem in qualibet specie partialiter sit vera ratio Sacramenti, sicut quælibet pars hominis est vera substantia, non tamen quælibet species est totum et integrum Sacramentum, sicut nec quælibet pars hominis est tota substantia hominis; unde per traditionem unius speciei non potest dari potestas integra ad totum Sacramentum, et cum alias talis potestas sit indivisibilis, ad nullam partem illius dabitur, si ad utramque non datur. Unde, licet valide possit aliquis uti potestate in ordine ad consecrationem unius partis tantum, quia ex parte effectus est divisibilis, non tamen potest valide unam recipere partem potestatis, cum ex parte illius indivisibilitas detur; sicut potest voluntas uti potestate quam habet ad amandum vel odio habendum, non vero recipere ad unam potestatem, et non ad aliud, propter eamdem rationem. Dixi, posse valide uti Sacerdotem potestate in ordine ad consecrandam unam speciem sine alia, non autem licite, neque ex dispensatione Summi Pontificis, eo quod de jure divino est integrum sacrificium offerre, quod de Corpore et Sanguine Christi significative effuso coalescit. Quamobrem, vel falsum est alicubi Papam dispensasse ut sub una tantum specie sacramentum Eucharistiæ conficerent, uti plurimi asserunt, vel id fecit accommodando se opinioni probabili asserenti quod dispensare poterat, ut alii tradunt. Cæterum, quid amplius afferri potest quam auctoritas nostri Romani Pontificalis, a quo ratio præscribitur, qua simul calix et patena tanguntur? Sed de his satis loquuntur passim Theologi.

§ XIV.

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis; et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad sedem suam vel ad faldistorium in cornu Epistolæ in plano sibi paratum, ubi sedet cum mitra. Et Chorus cantat ultimum versum Tractus vel Sequentiæ, sive *Alleluia.* Interim accedunt duo Capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum versum Tractus vel Sequentiæ, sive *Alleluia;* legit etiam secrete *Munda cor meum,* atque Evangelium. Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit : *Munda cor meum, etc.;* et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros hostiæ super altare pro numero Ordinatorum in Ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene

Digitized by Google

mundare, aque extergere mappulis illis quibus ligatæ erant; et aqua ablutionis hujusmodi projiciatur in sacrarium.

COMMENTARIUS.

I. Dictum jam alibi fuit solemnem Evangelii lectionem in Missa Ordinationis ad unum e Diaconis, qui tunc ordinati sunt, pertinere. De eo ritu ita legimus in manuscripto codice Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, n. 4744, ad finem tituli *De Ordinatione Diaconi* : « Tunc Dalmatica illius Diaconi qui ministravit in Missa » traditur alicui de novis Ordinatis, qui Evan- » gelium dicat. » In titulo etiam *De Ordinatione Presbyteri* sic ibidem legimus : « His peractis, » legitur Evangelium per unum de noviter Or- » dinatis, » nimirum Diaconis. Ritus in ea ab ipso Diacono servandos fuse explicuimus in opere nostro *De Codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. XV et seq. Quod spectat numerum hostiarum quæ parari debent pro communione sacris Ordinibus initiatorum, ita cautum est ex laudato Bibliothecæ Vaticanæ Pontificali : « Post hæc » (post lectionem scilicet Evangelii per unum e Diaconis noviter ordinatis factam) « parantur » hostiæ pro numero ipsorum Presbyterorum, » qui omnes communicare debent; licet, secun- » dum consuetudinem Romanæ Curiæ, sit de » honestate quod omnes communicent qui sa- » cros Ordines susceperunt. » Mox addit, more solito procedendum in Missa. Quoad manuum lotionem, quæ ex nostræ Rubricæ præscripto fieri a Presbyteris debet, *dum Offertorium cantatur, vel etiam prius;* ex memorato Pontificali ad finem Missæ faciendam præscribitur : « Ulti- » mo, inquit, intrant sacrarium, et ibi manus la- » vant, fricantes primo illas cum medulla panis. » Et aqua lotionis in fontibus seu piscina funda- » tur. » Ubi nota in multis pene ritibus consentire nostram Rubricam ipsi Vaticano Pontificali, etsi in non paucis etiam ab eodem dissentiat.

§ XV.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris; et ibi sedens accipit offertorium ab omnibus Ordinatis, qui omnes accedunt bini et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur ejus manum; primo Presbyteri, tum Diaconi sucessive, et alii suo ordine.

§ XVI.

Accepto singulorum offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

COMMENTARIUS.

I. Lecto Offertorio, sive brevi quadam Antiphona quæ statim post Symbolum sive post Evangelium canebatur, cum scilicet illud minime dictum fuisset in Missa, mos antiquissimus fuit vel a tempore Apostolorum inductus, ut Sacerdos a Clero pariter ac Populo offertorium acciperet, id est oblationes; quarum alia in usum Sacrificii, alia in sacrorum Ministrorum commodum offerebatur, ut scite ostendit Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, articulo VI; Stephanus Duranti, lib. II, capite XXVI, et alii complures, qui ordinem ac ritum oblationum mirifice explicant. Nobis sat erit hic id recensere quod legitur in manuscripto Pontificali sancti Cornelii Compendiensis, ante annos quadringentos scripto, ubi, post osculi traditionem, præscribitur ut « ipsi » Presbyteri offerant Episcopo oblationes, re- » cepturi ab eo consecratas. » Dignum et hic notatu est quod habetur in alio manuscripto

Digitized by Google

Pontificali insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, ubi agit de Ordinatione Presbyteri : « Omnes vero, inquit, qui ordinati sunt oblationes deferant ad manus Episcopi, et ab eo postmodum communicentur. Juxta morem vero Romanæ Ecclesiæ, Presbyteri et Diaconi cardinales, quisque duos cereos dextra lævaque tenere debent accensos, et duos panes in manutergio inter brachia sua positos, quos simul cum cereis post Evangelium offerre debent Pontifici. » Alludere videtur ad ea quæ in alio proposito habet vetus Ordo Romanus : « Interim Cantores cantant Offertorium cum versibus, et populus dat oblationes suas, id est panem et vinum, et offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminæ; novissime Sacerdotes et Diaconi offerunt, sed solum panem, et hoc ante altare. » Ergo Presbyteri et Diaconi panem præsentabant, laici panem et vinum cum candidis fanonibus, id est mundissimis linteaminibus. [Exstat responsum valde recens sacræ Rituum Congregationis de oblatione candelæ facta Episcopo a quolibet Ordinando, qua sequitur tolerari posse usum offerendi unicam tantum candelam, quæ a singulis Ordinatis vicissim Pontifici præsentetur. Hujusmodi parcimonia parum congrua esset, si in usum communem vergeret; possunt tamen exstare quædam rerum adjuncta in quibus ad praxim reducenda sit; ideo responsum illud ad Episcopum Marsorum, sub die 12 novembris 1831, omitti posse non censuimus.]

II. Tandem acceptis singulorum Ordinandorum oblationibus, lavat Pontifex manus, in signum puritatis animæ, uti ait auctor *Apostolicarum Constitutionum*, lib. II, cap. XI. S. Dionysius, c. III, *De Ecclesiastica Hierarchia*, non solum Pontificem, sed omnes etiam Presbyteros manus abluisse docet : « Cumque manus aqua abluerunt et Pontifex et Sacerdotes, Pontifex quidem in medio altaris collocatur, circumstant autem eum soli cum Sacerdotibus ministri selecti. » S. Dionysio adjungimus S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui initio *Catechesis* V *mystagogicæ* sic inquit : « Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti et illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.» Ejus consuetudinis causam moralem egregie iidem sancti Patres, Dionysius ac Cyrillus, exponunt : quibus addi potest S. Gregorius, parte II *Pastoralis*, cap. XX. Cæterum etsi communis sit omni nationi hic ritus abluendi manus post Offertorium, singulare tamen est profecto quod scribit in expositione Missæ Nicolaus de Plove, presbyter Posnoniensis, hanc nimirum manuum lotionem in Ecclesia sua dilatam usque ad finem Præfationis immediate ante Canonem; et alios quidem recitasse tunc Psalmum *Lavabo inter innocentes manus meas ;* ab aliis vero convenientius omissum, propter sequentis Canonis continuationem.

§ XVII.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros coram se, dicentes : *Suscipe, sancte Pater, etc.*, et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex : qui tamen bene advertat quod Secretas morose dicat et aliquantulum alte, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per Ordinatos quo dicuntur per Pontificem.

[Mirum est Pontificalis nostri Rubricam nihil explicitius proferre de modo quo gerere se debeant novi Presbyteri Episcopo concelebrantes, et cum eo cuncta Missæ verba proferentes, quando deventum est ad Præfationem quæ cantari debet a Pontifice solemniter celebrante! Numquid cum illo canere debeant, vel potius silere? Neutrum agi debere patet ex responsione sacræ Rituum Congregationis ad Episcopum Marsorum, 12 novembris 1831, qua asseritur dictam Præfationem pronuntiandam esse una cum Episcopo, sed sine cantu, a novis Presbyteris.]

Digitized by Google

Secreta pro Ordinatis, quæ dicitur cum Secreta Missæ diei sub uno *Per Dominum, etc.*

Tuis, quæsumus, Domine, operare mysteriis, ut hæc tibi munera dignis mentibus offeranus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Inter alios ritus quibus Ecclesia Latina in Ordinatione Presbyterorum, ac præsertim in Episcoporum Consecratione utitur, unus est cujus profecto ignoratio (uti scite observat Morinus, *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitatione VIII, *De Episcopis et Presbyteris multis simul sacrificantibus, etc.*, cap. I in fine) occasionem dedit nonnullis scriptoribus in ipsum debacchandi, aliis asserentibus omnino tollendum esse, aliis periculosum admodum, aliis negantibus aliquando ab Ecclesia usurpatum fuisse, et aliis demum torquentibus quæ supersunt illius vestigia. Ritus de quo nos in præsenti agimus, is est : Presbyteri et Episcopi recens ordinati simul cum Episcopo ordinante Missam celebrant, et consecrant, et sacrificatis participant; eo tamen discrimine, ut Presbyteri, secundum hanc Rubricam, Sacrificio adstent genuflexi, et ab altari dissiti; sicque dispositi, in Missali suo omnia legant, sicut Episcopus celebrans legit; Canonem quoque et verba Consecrationis solemnia una cum illo pronuntient; ac deinde laico more genuflexi, sub una specie Eucharistiam sumant. Episcopus autem, consecratione sua peracta, ut suo loco dicemus, altari conjunctus adstat non secus ac consecrans; atque, ut ipse, stans, omnia in altari peragit; unicam hostiam ambo consecrant, et de ea participant : sed consecrans quidem suis ipse manibus sibi Eucharistiam ministrat; cum alias Episcopus consecratus de manu Consecrantis communionem Corporis ac Sanguinis Christi Domini, non quidem genuflexus, sed reverenter inclinatus suscipiat. Sic Consecrans postquam sacri Sanguinis partem cum hostiæ particula intincta sumpsit, Sanguinis reliquum Consecrato similiter inclinato tradit. Atque his actis, quæ Missæ sunt perficiunt ut in Missali præscribitur.

II. Ritus hic, qui hactenus servatur a Græcis, et apud Latinos in solis Episcoporum et Presbyterorum Ordinationibus permansit, olim vel a primis sæculis fuit in usu. *Constitutiones Apostolicæ* toto fere libro VIII Episcopum sacris operantem cum Presbyteris simul offerentibus describunt; capite vero XIII, peracto Sacrificio, de communione ita inquiunt : « Postea commu- » nicet Episcopus, deinde Presbyteri, et Dia- » coni, et Hypodiaconi, et Lectores, etc. » Eumdem ritum supponunt Canon VIII, vulgo Apostolorum, adversus Presbyteros et Diaconos qui oblationis factæ participes non fuerint; Canon XVIII Concilii I Nicæni, adversus Diaconos qui ante Episcopos, utique celebrantes, Eucharistiam attingebant et Presbyteris ministrabant; Canon V Concilii Toletani I, præcipiens omnes Presbyteros et Diaconos quotidiano sacrificio adesse; canon XIV Concilii Arvernensis, jubens Presbyteros in præcipuis festivitatibus nullo loco divina celebrare mysteria, nisi cum Episcopo suo in civitate. His adde S. Athanasium in *Apologia II pro fuga sua*, Ischyræ calumniatori suo exprobrasse quod nunquam cum aliis Presbyteris synaxim fecerit. In Concilio Ephesino, capite XIII, nonnullis Episcopis a Synodo excommunicatis crimini vertitur quod, audita Synodi sententia, simul aggregati Missam celebrarint : « Ubi primum enim se a nobis exauctoratos » atque excommunicatos resciverunt, statim » una sacris operati sunt, et hactenus sacris » operari non desinunt. » In Concilio etiam Chalcedonensi Bassianus, ab episcopatu Ephesino depositus, de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens, ita inquit : « Stepha- » nus Presbyter meus fuit : quatuor annis Mis- » sas mecum celebrabat, mecum communicabat, » et communicabat mihi tanquam Episcopo. » Et ista die qua recluserunt me, simul com- » municavimus, etc. » Egregium hujus moris exemplum videre est in *Ecclesiastica* Evagrii *Historia*, ubi l. I, cap. XIII, narrat quod, cum Domnus, qui Antiochenæ civitatis episcopatum administrabat, ad Simeonem Stylitem venisset, et ejus vivendi rationem admiratus esset, « ambo

Digitized by Google

» simul convenerunt, et cum immaculatum Cor-
» pus sacrificassent, vivificam communionem sibi
» mutuo impertierunt. » Denique Joannes VIII, in fine octavæ Synodi ad Photium scribens, Epistola sua CCXXI, Apocrisiarios suos excusat quod cum ipso Photio minime consecrare voluerint.

III. At vero præter hunc locum, ac alium quem supra innuimus ex can. V Concilii Toletani I, multa sunt apud Latinos testimonia quibus laudatus ritus in Ecclesia Latina servatus comprobari possit. « Mos est Romanæ Ecclesiæ, » inquit Amalarius, lib. I, cap. XII, « ut in con-
» fectione immolationis Christi adsint Presby-
» teri, et simul cum Pontifice verbis et manu
» conficiant. » Ejusdem ritus testis est Jacobus a Vitriaco in *Historia Occidentali*, cap. XXXVIII : « Consueverunt Presbyteri cardinales Summo
» Pontifici in sacramento Altaris assistere, et
» cum eo pariter celebrare. » Quod et Innocentius III, Pontifex Maximus, lib. IV *De Mysteriis Missæ*, cap. XXV, diserte tradit, his plane verbis : « Consueverunt Presbyteri Cardinales Ro-
» manum circumstare Pontificem, et cum eo
» pariter celebrare; cumque consummatum est
» sacrificium, de manu ejus communionem re-
» cipere, significantes Apostolos, qui cum Do-
» mino pariter discumbentes sacram de manu
» ejus Eucharistiam acceperunt; et in eo quod
» ipsi concelebrant, ostendunt Apostolos tunc
» a Domino ritum hujus sacrificii didicisse. » Memorat eumdem morem non uno in loco Ordo Romanus, quem aiunt sæculo VIII exaratum, præsertim in eo titulo qui inscribitur, *Qualiter celebrandum sit officium Missæ*, ubi recenset Episcopos et Presbyteros, qui simul stantes ad altare cum Summo Pontifice, liturgiam cum ipso peragunt, ac tandem ex ejus manibus sacra communione donantur : « Accedunt primum
» Episcopi secundum ordinem de manu Ponti-
» ficis communicare; et post eos ascendunt
» Presbyteri omnes, ut communicent ad alta-
» re. » Hunc antiquum ritum non modo Romæ, sed in aliis etiam diœcesibus servatum fuisse, liquet ex eodem Romano Ordine, qui statim hæc habet : « Sicut enim in Romana
» Ecclesia Summo Pontifici ministrant Episco-
» pi, sic in cæteris Ecclesiis debent Episcopis
» facere Presbyteri. »

IV. Hinc quis non videt quam audacter ac temere Durandus hanc consuetudinem diu in Ecclesia Græca et Latina religiose servatam improbarit, Romanumque Pontificem Innocentium III redarguerit ? Sic enim scribit in IV distinctione XIII, quæstione III : « Quod autem di-
» citur de Innocentio, quod videtur approbasse
» illam consuetudinem, potest dici quod appro-
» bat ut Doctor, et non ut Papa; nec doctrina
» sua tenetur in omnibus : nec Ecclesia Ro-
» mana tenet illud, quod ipse dicit de Presby-
» teris Cardinalibus concelebrantibus cum Papa;
» et sic fiebat tempore suo, nunc tamen non fit,
» quia visum est periculum posse facile contin-
» gere in tali celebratione; imo vix fieret, quin
» periculum contingeret : et ideo illa consue-
» tudo abolita est, sicut nobis constat, qui in
» Curia Romana longo tempore stetimus, et
» adhuc ibidem sumus, et Missis Summorum
» Pontificum interfuimus, in quibus illa con-
» suetudo nunquam fuit observata; et si obser-
» varetur, non esset necessarium credere quod
» bene fieret, quia, secundum Hieronymum,
» non quod fit Romæ, sed quod fieri debet at-
» tendendum est. » Ex quibus verbis illud nobis plane significatur, veterem ritum, qui Innocentii tempore obsolescere incipiebat, Durandi tempore fuisse penitus obsoletum; præsertim cum ipse ritus, uti observat laudatus Morinus, amplissima fuerit Doctoribus Scholasticis innumerarum difficultatum seges; nonnullis asserentibus hoc fieri posse, aliis negantibus, aliis certos quosdam possibilitatis modos ac terminos excogitantibus; omnibus deinde, ut sese ab adversariorum telis tuerentur, novas et involutas reculas cudentibus et recudentibus.

V. Placet autem nobis egregia Joannis Bona Cardinalis sententia, qui lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XVIII, fatetur quidem desiisse illum morem, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit, uti arbitrari videtur Morinus, sed quia ritus et cæremoniæ non in æternum permanent, tollique possunt ac mutari sine fidei ac unitatis dispendio. Cur autem desierit, binas hasce affert memoratus Bona rationes : primo quidem, quod fundatis ordinibus Mendicantium, et longe lateque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideo necesse fuit singulos Sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare; deinde, quia charitas multorum refrixit, cessavit etiam frequens

Digitized by Google

accessus ad hoc Sacramentum, adeo ut hodie nec ipsi quidem ministri in plerisque Ecclesiis communicent, licet Sacrificio cooperentur. Olim vero hic ritus diebus festis et solemnioribus potissimum servabatur; quia sicut populus tunc sacro adesse et sacra Communione refici consueverat, ita viri Ecclesiastici Missæ solemni administrabant, et quisque sui Ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram synaxim peragebant, Christique Corpus et Sanguinem in fine percipiebant. Hæc autem vere et proprie communio Ecclesiastica dicebatur, a sanctis Patribus tantopere commendata, qua Clerici delinquentes diversimode pro criminum varietate privabantur, et cum quis ab ea totaliter abstentus erat, veluti redactus ad laicam conditionem, inter laicos in Ecclesia locum habebat. De qua re alibi fusius.

VI. Est autem ea celebris quæstio hoc loco discutienda : An Presbytero cum Episcopo concelebranti adscribi debeat consecratio, si ante Episcopum verba consecrationis protulerit ? Plerique ex Theologis, quales sunt Durandus, superius a nobis relatus; Cajetanus, in III partem S. Thomæ, quæstione LXXXII, articulo II; Gabriel, in Canonem Missæ, lectione VI, et alii, eum ritum vel in totum abolendum sentiunt, vel statuendum ut Presbyteri, cum ad verba consecrationis venerint, aut ipsa omittant, aut recitative et historico more, absque intentione consecrandi, ea recitent, ne consecrandi prærogativam Episcopo præripiant. Sed, omissa ipsorum sententia, cum ritus quem abrogari vellent multis abhinc sæculis non modo apud Orientales, sed etiam apud Occidentales obtineat, quando Presbyteri vel Episcopi consecrantur; respondent nonnulli ad propositam quæstionem, tunc Episcopum, non vero Presbyterum, consecrare, licet prius consecrationis verba proferat; quia scilicet, ut inquiunt, ipse Presbyter nec habet nec habere debet propositum consecrandi.

VII. Verum, pace istorum Theologorum dixerim ejusmodi responsum nullo prorsus fundamento niti. Nam primo, nusquam Ecclesia præcepit verborum prolationem, quin simul injungat Ministro ut ea reverenter proferat, ac proinde cum intentione id efficiendi quod significant. Secundo, Sacerdotes illi, ex Missalis libri Rubricis, morose, distincte, attente, consecrationis verba proferre jubentur, ergo et cum intentione quæ prolationem ejusmodi comitari debet. Placet aliis tandem Theologis, in eo casu de quo agitur, Episcopum nihil prorsus efficere; quod quidem incommodum ut vitetur, recte admodum vetat Rubrica nostri Pontificalis ne Presbyteri Episcopo concelebrantes, ante ipsum, sed una cum ipso, *eodem momento* consecrationis formam pronuntient. Æquius certe censere mihi videntur Innocentius III, lib. IV *De Mysteriis Missæ*, cap. XXV, et Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, III parte, quæstione LXXXII, articulo II, docentes multorum illorum Sacerdotum actionem, licet physice diversam, unicam tamen ex Ecclesiæ legibus moralem actionem efficere : unde concludunt, tunc tantum oblata consecrari cum tota ac integra moralis actio peracta est. Verba Innocentii III hæc sunt : « Sane dici et responderi » probabiliter potest, quod sive prius sive po- » sterius proferant Sacerdotes, referri debet eo- » rum intentio ad instar prolationis Episcopi » cui concelebrant. » Vide Marchinum *De Sacramento Ordinis*, Jueninum *De Sacramentis*, dissertatione V, quæstione IV, cap. III, et alios passim.

VIII. Denique, cum Presbyteri non ordinentur nisi post recitatum ultimum versum Tractus, vel, si sit infra octavam Pentecostes, post ultimum Sequentiæ versiculum, uti constat ex § II hujus tituli (licet, uti ibidem notavimus, ex Moguntino Pontificali Presbyterorum Ordinatio non modo post lectum Evangelium, sed etam post decantatum Symbolum celebraretur), abusum profecto esse censemus morem illum, qui alicubi hodieque servatur, ut ordinandi Presbyteri una cum Episcopo incipiant Missam ab ipso Introitu. Quis enim non videt rem esse plane absurdam, illum qui adhuc non est inauguratus Sacerdos, Missam incipere? Sed non opus est rationem excogitare ad ipsum abusum eliminandum, qui præscripto nostri Pontificalis penitus adversatur, uti liquido constat ex recitatis nostri hodierni Romani Pontificalis Rubricis.

Digitized by Google

§ XVIII.

Cum Pontifex dixerit Orationem *Domine Jesu Christe, qui, etc.*, osculatur altare, et dat primo ex singulis Ordinatis cujuslibet Ordinis sacri ad eum sucessive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens : *Pax tecum.* Cui ille respondet : *Et cum spiritu tuo.* Et quilibet illorum dat sequenti sui Ordinis secum ordinato, et ille alteri; et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem Ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

COMMENTARIUS.

I. Tres Orationes, quæ ante communionem ritu Romano in Missa præmitti solent, non a Summis Pontificibus, sed a religiosis viris fuisse institutas, auctor est Micrologus, in libro *De Ecclesiasticis observationibus*, cap. XVIII. Prima est : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Qua oratione Sacerdos pacem precatur Ecclesiæ; statimque sequitur osculum pacis, quo ipse ministros, tum illi se invicem salutant in signum unionis et mutuæ charitatis. Pacis osculum in Missa nonnulli Leoni II attribuunt, ut Berno abbas Augiensis, et Platina in Vita Leonis ; alii vero Innocentio I. Complures docent, ex Apostolorum traditione, consuevisse non solum Clericos, sed et Laicos omnes fideles osculo pacis in Missa se invicem salutare. Testatur id quidem auctor nomine Alcuini in libro *De Divinis Officiis*, cap. *De celebratione Missæ et ejus significatione*, his verbis : « Et hoc ex » traditione Apostolorum servat Ecclesia, cui » frequenter ab eis dicitur : *Salutate invicem* » *in osculo sancto*, id est pacifico, vero, columbino, non ficto, non subdolo, quali utuntur qui » loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus illorum. Illi ergo osculo » sancto salutant invicem, qui non diligunt » verbo, nec lingua, sed opere et veritate. » Certe hujus mystici pacis osculi, quod vel olim inter Missarum solemnia fieri consuevit, meminere passim Patres tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ pervetusti : « Quale sacrificium est, » inquit Tertullianus in lib. *De Oratione*, « a quo » sine pace receditur? » Et S. Justinus in *Apologia* II, circa finem sic ait : « Post precationem » nos salutamus osculo mutuo : deinde affertur » præcipuo fratri panis et calix aqua dilutus, » etc. » Alios Patres vide apud Stephanum Duranti lib. II *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. LIV.

II. Etsi vero Ritu Romano atque Ambrosiano, post memoratam orationem : *Domine Jesu Christe, etc.*, osculum pacis præstetur, Græci tamen ac Mozarabes ante Præfationem dant osculum pacis, diverso quidem ritu, sed eadem fide ac religione, ut ostendant se omnes in Christo unum esse ; eosque duntaxat divinorum munerum participatione dignos censeri, qui pacem fratribus verbo et opere impendunt. In Liturgia S. Jacobi, post Symboli recitationem, porrigitur osculum, prænonente Diacono : « Osculemur » nos in osculo sancto. » In Liturgia S. Chrysostomi, ante Symbolum ait Diaconus : « Diligamus nos invicem, ut in concordia diligamus Patrem, Filium et Spiritum sanctum. » Apud Maronitas Sacerdos ante Præfationem dat pacem altari et mysteriis, dicens : « Pax tecum, » Altare Dei, et pax mysteriis sanctis positis super te. » Et dat pacem ministro dicens : « Pax tibi, minister Spiritus sancti. » Minister dicit : « Veni in pace, Pater noster, Sacerdos » candide. » Et dant pacem in ecclesia. Refert hæc et alia complura de eo ritu notatu digna Joannes Cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XVI.

III. Datum etiam pacis osculum apud Græcos ante oblationem, satis colligitur ex canone XIX Concilii Laodiceni, quem cæteroqui difficilem admodum facit versio Isidori Mercatoris, secundum quam videntur non solum Presbyteri, sed et laici osculum Episcopo sacrificanti præbere : « Tres, inquit, orationes fiant.... Et tunc de-

Digitized by Google

» mum osculo pacem dari debere. Et postea» quam Presbyteri pacem Episcopo dederint, » tunc etiam laicos dare. Et sic oblatio offera» tur. » Verum attendenda est Dionysii Exigui versio, quæ omnem difficultatem eximit, dum ita inquit : « Et posteaquam dederit Episcopus » Presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tri» buent; et ita sancta celebrabitur oblatio. » Notandum est illud, *sibi ;* nam et addit Canon : « Solis autem ministerio sacro deditis, ad altare » ingredi, et communicare ibidem liceat. » Hucusque de ritu Græcorum : cæterum juxta Rubricam nostri Pontificalis ac Missalis Romani, Sacerdos, antequam det pacem Diacono, osculatur altare. Verum sciendum est, ex Missali S.-Remigii Remensis, edito anno 1556, præscribi Sacerdoti ut, pacem daturus, osculatus hostiam dicat : « Pax tua sit mihi, Christe : » deinde conversus ad Diaconum, et dato osculo, dicat : « Pax tibi, frater, et omnibus Sanguine » Christi redemptis. » Qui ritus etsi in pluribus aliis Missalibus reperiatur, teste Martenio, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, art. IX, num. VIII, prohibitus jam tamen vel ab initio sæculi decimitertii fuit a Richardo Sarum episcopo, qui in suis Constitutionibus, cap. XXXVII, statuit ut « in celebratione Missæ hostiam con» secratam, pacem daturus, Sacerdos ore suo » non adveniat, quia ante perceptionem ore suo » tangere non debet. »

§ XIX.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi : quibus ordinate dispositis et genuflexis, Pontifex, facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum dicunt submissa voce : *Confiteor Deo, etc.* Et si Officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.

COMMENTARIUS.

I. Agitur in hoc § de Communione Ordinandorum, de qua manuscriptum Pontificale Romanum Bibliothecæ Colbertinæ, a Martenio editum, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo XI, ordine XVII, ita inquit : « Post Communionem vero Pontificis, ante » perfusionem, Ordinati flexis genibus, facta » Confessione, et osculata dextera Pontificis, » sacram Communionem recipiunt de manu » Pontificis, recipiendo osculum pacis ab eo, » scilicet Presbyteri et Diaconi . Sanguinem » autem recipient de manu Diaconi qui canta» vit Evangelium, et redeunt ad loca sua circa » altare. Si alius a Papa Ordinationem faciat, » communicabunt omnes Sacerdotes primo, » Diaconi secundo, et Subdiaconi tertio de Cor» pore Domini tantum, et non de Sanguine, » prout plenius habes in Ordinario de Officio » Missæ. » In alio Pontificali Romano Bibliothecæ Regis Gallorum, et in Aquensi, ut idem scriptor testatur, cap. VIII, articulo IX, num. XIX, communio sub utraque specie a Sacerdotibus et Diaconis facienda absolute præscribitur, nulla facta distinctione celebrationis Ordinum a Pontifice Romano aut ab alio Episcopo. Quod vero hic dicitur de Confessione facienda a Presbyteris ante Communionem, hodiernæ praxi contrarium est et nostro Romano Pontificali, ut infra dicetur. Sane consuevisse antiquitus a primis Christianæ religionis temporibus Ordinatos in Missa Ordinationis communicare, jam fuse alibi nos demonstravimus. Demum, licet ad demonstrandam tam corporis quam animæ majorem reverentiam, antiqui, ut scribit S. Odo abbas Cluniacensis, lib. II *Collationum*, cap. XXVIII, « ad divinum Mysterium qui participare debe» bant, discalceatis pedibus accedebant ; » stantes tamen, non, ut fit hodie, genuflexos, communicasse, probant Isaacius Habertus in Notis ad *Pontificale Græcorum*, pag. 270; Henricus Valesius, in Notis ad Eusebium lib. VII, cap. IX; et Joannes Thiersius, in Gallica Dissertatione *De Altaribus* : idemque a Monachis olim actitatum esse, diserte demonstrat Martenius in *Commentario ad Regulam S. Benedicti*, c. XXXV.

II. Quod vero spectat Communionis ordinem,

Digitized by Google

is etiam vel antiquitus fuit, ut primum Episcopi, deinde Presbyteri, postea Diaconi communicarent, quemadmodum colligi potest ex Canone XVIII Concilii Nicæni, cujus verba hæc sunt : « Necnon et illud innotuit, quod quidam » Diaconi ante Episcopos sacra oblata contin» gant. Hæc igitur omnia resecentur; et in sua » Diaconi mensura permaneant, scientes quod » Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores » autem Presbyteris habentur. Per ordinem » ergo post Presbyteros gratiam sacræ Com» munionis accipiant, aut Episcopo eis aut Pre» sbytero porrigente. » Diaconis succedebant Subdiaconi, et alii inferiores Clerici, uti fuse ac erudite ostendit Joannes Cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, c. XVII, n. VIII. Ipsis Diaconis ac Subdiaconis tantum præscribit Rubrica, ut submissa voce illam Confessionis formulam, *Confiteor Deo omnipotenti, etc.*, recitent. Nam, ut inquit alia Pontificalis nostri Rubrica inferius in § XXI : *Presbyteri ante Communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici : propterea, si non sunt alii ordinati, Confessio et absolutio prædictæ omittuntur.* De origine et antiquitate memoratæ formulæ Confessionis varii varia dicunt. Nonnulli Pontiano, alii Damaso Papæ illam adscribunt. In veteri Missa ex Codice Ratoldi abbatis Corbeiensis quædam Confessionis formula habetur ; uti etiam in antiquissimo codice manuscripto Bibliothecæ Corbeiensis, qui inscribitur : *Ordo Orationum ;* necnon in codice Tiliano, et Missa ab Illyrico edita. In eadem Missa Illyrici, altera habetur in hunc modum : « Confiteor tibi peccata mea, æterne Pon» tifex, et Sanctorum minister, et veri Taber» naculi Sacerdos. » Cujus initium notandum, inquit Menardus, quia olim hujusmodi confessiones ab hoc verbo *Confiteor* ducebant exordium, et qui hoc vocabulum proferebant tundebant pectus, ut videre est apud S. Augustinum, Serm. VIII *De verbis Domini* secundum Matthæum; item apud eumdem, tractatu *De Disciplina christiana*, cap. XX.

III. Recte autem docet vir clarissimus Cajetanus Merati, Clericus Regularis, in Novis Observationibus et Additionibus ad Gavantum, pag. 387, formulam quidem generalis Confessionis ad Missæ initium faciendæ antiquiorem esse Pontiano ac Damaso Pontificibus Maximis, eam vero qua nunc utitur Romana Ecclesia, omnino esse recentiorem, editam post sæculum duodecimum; quia scilicet in multis manuscriptis ante annum 1300 eadem prorsus legitur Confessionis generalis formula, quæ nunc in Missali S. Pii V instituta est. Hinc Petrus Le Brun, tom. I, parte I, articulo IV, non immerito autumat Romanam Ecclesiam post initium sæculi XIII prædictam formulam adhibuisse. Certe in Concilio III Ravennæ habito anno 1314, sequens Canon, qui habetur in Rubrica XV, sancitus est. « Quoniam devotio et pulchritudo de» monstratur in uniformitate Ecclesiæ, quæ sub » specie unius columbæ describitur, et in Con» fessionibus quæ fiunt publice in introitu Mis» sæ, et alias varii perfunctorie et diversimode » confitentur ; statuimus, et de cætero observari » præcipimus, per totam provinciam Ravenna» tem, Confessiones hujusmodi fieri sub hac for» ma : *Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Ma» riæ Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato » Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et » Paulo, et omnibus Sanctis.* »

§ XX.

Et Pontifex stans capite detecto, versus ad eos dicit intelligibili voce, nisi officium fiat in cantu : *Misereatur vestrî omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.* ℟. *Amen.* Et manu dextera signum Crucis super eos communiter producit.

§ XXI.

Presbyteri ante Communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis ab-

Digitized by Google

solutio, quia concelebrant Pontifici : propterea, si non sunt alii ordinati, confessio et absolutio prædictæ omittuntur.

COMMENTARIUS.

I. Si veteres Ecclesiæ scriptores evolvamus, qui priscos nobis communicantium ritus tradiderunt, nihil certe apud ipsos inveniemus de generalis Confessionis atque absolutionis formula Communioni Eucharistiæ præmittenda. Docet nihilominus Bartholomæus Gavantus, in *Thesauro sacrorum Rituum*, parte II, tit. X, ad Rubricam VI, maxime eum ritum congruere desumptum ex confessione ante Missam, in qua, sicut uno tantum præsente dicitur, *Misereatur vestrî, etc.*, ita etiam uno tantum communicaturo dici debere ait, *Misereatur vestrî;* quia scilicet ea verba « cadunt super alios præsentes » Communione spirituali communicaturos. » Ex Rubrica in § XXI descripta, Presbyteri ante Communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici. [Cavendum igitur est ne dicatur *Confiteor* antequam novi Presbyteri Communionem sacram acceperint; verba Pontificalis adeo clara sunt, ut nullatenus serio ambigi possit; concelebraverunt enim Pontifici isti Sacerdotes, et ideo, absque ulla interruptione, de sacrificio suo participare debent. Aliquantulum superflua enim videtur in re tam evidenti sacræ Rituum Congregationis, diei 12 novembris 1831, ad Marsorum Præsulem sciscitanti : « Quando » Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione » dicere debeant *Confiteor*, ante vel postquam » communicati sunt Presbyteri? » Sic retulerunt Eminentissimi Judices : « Post communio» nem Presbyterorum. »] Verum ipsi olim Presbyteri, uti observat Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo IX, num. XIX, in sua ordinatione, Pontifici minime concelebrabant, licet alias, uti nos superius ostendimus, id persæpe facerent, juxta veterem Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ disciplinam. Addit laudatus auctor, non videri hunc usum in Ecclesia annis ad summum quadringentis antiquiorem, sed neque postea ubique passim obtinuisse. Nam reperitur solum in Pontificali Romano Bibliothecæ Colbertinæ et Gulielmi Durandi, quod usui fuit Joannis Sairebruche episcopi Catalaunensis, idque modo ab hodierno parum diverso. Sic enim prædictum Pontificale Romanum habet : « Oblatione facta, » Presbyteri veniunt ad altare ad standum a » dextra lævaque altaris cum Missalibus, et di» cunt totum submissa voce, sicut si celebra» rent. » Hodie quidem non stantes, sed genuflexi; neque ad altare, sed propriis in locis manentes immoti; nec submissa, sed alta prorsus voce omnia pronuntiant. Pontificale Moguntinum, annorum circiter quadringentorum, non modo præscribit ut « statuantur Sacerdotes Or» dinati per circuitum altaris, ut videant et fa» ciant signa conjunctis manibus, quæ Epi» scopus facit in Canone et ultra; » verum etiam ut, postquam communicavit Episcopus, « accedant Presbyteri Ordinati, et dicant *Con» fiteor Deo.* » Unde satis liquet, juxta hujus Pontificalis præscriptum, Presbyteros, etsi una cum Pontifice celebrarent, Confessionem fecisse. In aliis plerisque Sacramentorum libris, Pontificalibus, seu Ritualibus, nihil profecto hujusmodi reperitur, videturque ille usus, ut Presbyteri Pontifici concelebrarent, fuisse proprius Ecclesiæ Romanæ, a qua post Concilium Tridentinum, aut paulo ante, ad alias etiam transiit Ecclesias. Non enim exstat in Pontificali Rothomagensi annorum circiter ducentorum, cum alias habeatur in Parisiensi, cujus character tercentos circiter annos refert, uti ipse Martenius testatur.

§ XXII.

Tum accedunt Ordinati ad supremum gradum altaris, bini et bini. Pontifex vero ponit plures Hostias consecratas super patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens : *Corpus Domini nostri Jesu*

Digitized by Google

Christi custodiat te in vitam æternam. Quilibet respondet : *Amen.* Et priusquam communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.

COMMENTARIUS.

I. Est profecto mos Ecclesiæ vetustissimus, ut fideles, cum olim Eucharistiam de manu Sacerdotis acciperent, postquam ille tradendo dixerat, *Corpus Domini*, respondere soliti essent, *Amen*. Testatur id quidem antiquus auctor *Constitutionum Apostolicarum*, lib. VIII, c. XIII, ubi ita inquit : « Episcopus tribuat oblationem » dicens : Corpus Christi ; et accipiens dicat : » Amen. » Item Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. VI Historiæ, cap. XXXV, narrat de Novato schismatico quod, cum suis Eucharistiam porrigeret, ab eis pro illa dictione, *Amen*, per Sacramentum exigere solitus esset nunquam ipsos a se defecturos, neque ad partes Cornelii transituros : « Atque miser homo non ante degustavit Cor- » pus scilicet Domini, quam ita illi se devo- » visset. Et cum panem illum accipiens, dicere » debuisset, Amen, dicit : Non revertar dein- » ceps ad Cornelium. » Tertullianus, *De Spectaculis*, cap. XXV, eos reprehendit qui ex ore quo *Amen* in sancta protulerant, testimonium gladiatori reddebant. His adde S. Augustinum, qui in Sermone CCLXXII novæ editionis, de eodem ritu disertis hisce meminit verbis : « Audis, » Corpus Christi ; et respondes : Amen. »

II. Quid autem ea dictio *Amen* significet, egregie explicat S. Ambrosius, lib. IV *De Sacramentis*, cap. V : « Ergo non otiose cum ac- » cipis, tu dicis *Amen*, jam in spiritu confitens » quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi Sa- » cerdos : *Corpus Christi :* et tu dicis *Amen*, » id est, verum. » Hinc S. Hieronymus in Epistola LXII ad Theophilum Alexandrinum : « Qua » conscientia, inquit, ad Eucharistiam accedam, » et respondebo *Amen ;* cum de charitate dubi- » tem porrigentis ? » Et S. Leo, ut aliorum Patrum innumera pene testimonia omittam, in Sermone VI, *De jejunio septimi mensis*, ita scribit : « Sic sacræ mensæ communicare debetis, » ut nihil prorsus de veritate Corporis Christi » et Sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumi- » tur, quod fide creditur ; et frustra ab illis » *Amen* respondetur, a quibus contra id quod » accipitur disputatur. » Tempore S. Gregorii Magni, ut in ejus Vita scribit Joannes Diaconus, lib. II, Sacerdos in traditione Eucharistiæ hac formula utebatur : « Corpus Domini nostri Jesu » Christi conservet animam tuam. » Exinde consuetum fuit dicere : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.* Alcuinus hanc habet formulam : « Corpus Domini nostri Jesu Christi cu- » stodiat te in vitam æternam. » Qua quidem formula utuntur passim Fratres ordinis Prædicatorum, cum Eucharistiam præbent ; et nostrum Pontificale Romanum in communione Ordinandorum. Aliæ formulæ ac ritus in administranda Eucharistia servati videri possunt apud Joannem Cardinalem Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XVII, num. III ; apud Hugonem Menardum, in Notis et Observationibus ad lib. *Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 392 et seq., et apud Stephanum Duranti, lib. II, c. LV.

III. Præteriri certe nequeunt duo præsertim ritus in Eucharistiæ Communione servandi ex præscripto nostri Romani Pontificalis. Primus Episcopum Eucharistiam porrigentem, alter vero illam suscipientes spectat. Vult ergo Rubrica nostra, ut Episcopus communicans patenam ori cujuslibet communicandi supponat, *ne scilicet longius cogatur portare Sacramentum, cum periculo quod decidant fragmenta*, uti scite docet Cajetanus Merati in Gavantum, pag. 601. Ex præsenti demum Rubrica cautum est, ut Ordinati priusquam Communionem sumant, manum Episcopi Hostiam tenentem osculentur. Cujus ritus diserte meminit manuscriptum Pontificale Romanum Bibliothecæ Colbertinæ his plane verbis : « Post Communionem vero Pon- » tificis, ante perfusionem, Ordinati flexis ge- » nibus, facta Confessione, et osculata dextera » Pontificis, sacram Communionem recipiunt » de manu Pontificis, recipiendo osculum pacis » ab eo, scilicet Presbyteri et Diaconi. Sangui- » nem autem recipient de manu Diaconi qui » cantavit Evangelium, et redeunt ad loca sua » circa altare. Si alius a Papa ordinationem » faciat, communicabunt omnes, Sacerdotes » primo, Diaconi secundo, et Subdiaconi tertio

Digitized by Google

» de Corpore Domini tantum, et non de San-
» guine. » Ubi nota non modo ritum osculandi manum Pontificis ante Communionem, sed illius etiam sub utraque specie accipiendæ, cum Romanus Pontifex sacram Ordinationem celebrabat. Cæterum, teste viro clarissimo Edmundo Martenio, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, capite VIII, articulo IX, numero XIX, in alio Pontificali Romano Bibliothecæ Regis Gallorum, et in Aquensi, Communio sub utraque specie a Sacerdotibus et Diaconis facienda absolute præscribitur, nulla facta distinctione celebrationis Ordinum habitæ a Pontifice Romano, aut ab alio Episcopo.

IV. Quoad ritum osculandi manum Pontificis ante Communionem, præscriptum legimus in Liturgia S. Joannis Chrysostomi, ut eum ritum servet Diaconus sanctissimam Eucharistiam percepturus. « At Sacerdos, inquit, tenens san-
» ctum Panem porrigit Diacono, et exosculans
» Diaconus porrigentem sibi manum, accipit
» sanctum Panem. » Et ut Græcorum morem omittamus, hanc cæremoniam pariter adumbravit vetus Ordo Romanus, dum Missæ ab Episcopis celebratæ ritus descripsit, tit. II, versus finem, sic inquiens : « Presbyteri ergo et Dia-
» coni osculando Episcopum, Corpus Christi ab
» eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris
» communicaturi. Subdiaconi autem osculando
» manum Episcopi, ore accipiant Corpus Chri-
» sti ab eo. Postquam vero Diaconi in sinistro
» cornu altaris de Sanguine Christi communi-
» cent, venientes Subdiaconi ordinatim, acci-
» piant Sanguinem Christi ab Archidiacono,
» manus ejus osculantes. » Quibus in verbis ritus quosdam deprehendimus, qui hodie minime observantur, præsertim ritus accipiendæ in manibus Eucharistiæ, et sub utraque specie communicandi : placuit nihilominus illud testimonium attulisse, ut pateat ritum osculandi manum Pontificis Communionem ministrantis, rem fuisse jam olim usitatam. Æquum autem sapiens quisque æstimabit, ut eam manum veneremur a qua nobis tam ingentia beneficia proveniunt ; eo vel magis, quod docet S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* LX *ad populum Antiochenum*, seu LXXXIII in Matthæum, ut quoties Sacerdotem Eucharistiam porrigentem inspexerimus, Christi manum visibiliter extensam videre nobis videamur.

V. Sciendum est denique ex Gulielmo Durando, lib. II *Rationalis*, cap. X, quod ordinator Episcopus Ordinatum quidem in Sacerdotem communicans osculabatur, Diaconus vero vel Subdiaconus Communicantes manum Pontificis ordinatoris osculabatur. Ait id non vacare mysterio ; rationemque diversitatis eam esse docet, « Quia Pontifex osculando Sacerdotem denotat
» quod ille ad æqualitatem Ordinis recipitur,
» quantum ad Sacramentum Eucharistiæ con-
» secrandum, quod est Sacramentum amoris,
» quod per osculum significatur : Diaconus vero
» et Subdiaconus non recipiuntur ad talem
» æqualitatem, sed ad imitationem bonæ ope-
» rationis, quæ ex charitate procedit ; quod se-
» cundum Gregorium per manus osculum de-
» signatur. » Atque hinc addiscere licet, labente sæculo XIII, quo floruit Guilelmus, alium ritum invaluisse ab antiquo et a recentiori longe diversum : præscribit enim nostra Rubrica, ut omnes Presbyteri æque ac Diaconi et Subdiaconi, sine ullo prorsus discrimine, prius quam Communionem sumant, manum Pontificis Hostiam tenentem osculentur.

§ XXIII.

Unus ministrorum Pontificis stat juxta cornu Epistolæ altaris, calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli Communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.

COMMENTARIUS.

I. Vetus et illa est haud dubie in Ecclesia consuetudo, quæ etiam hodie alicubi religiose observatur, ut dum Sacerdos Eucharistiam præberet, minister dextera manu tenens vas cum vino vel aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem pergens, purificationem ac mappulam ad os abstergendum communicantibus exhiberet. Refert Palladius in

Digitized by Google

Vita S. Joannis Chrysostomi, solitum eum fuisse admonere omnes : « Ut post Communionem, » aquam aut pastillum degustarent, ne cum » saliva aut pituita aliquid e symbolo Sacra» menti præter voluntatem expuerent. » Scio hoc unum fuisse inter alia accusationum capita, quibus S. Præsul ab adversariis suis impetitus fuit; verum iniquissime se profecto gesserunt, eosque merito damnavit Ecclesiæ praxis, quæ post Communionem non nihil panis, aut vini, sive alterius liquoris gustare, vel olim permisit : etenim S. Benedictus in sua Regula, c. XXXVIII, lectori die Dominico mixtum sumere concedit, « propter Communionem sanctam ; » scilicet, uti exponit Smaragdus, « ne aliquid inde sum» ptum excreans projiciat in sputo. » Similiter et Regula Magistri, quæ ante annos mille scripta est, cap. XXIV : « Merum, inquit, propter sputum » Sacramenti accipiat. » Observat etiam Henricus Valesius in Notis ad Eusebium lib. VI, cap. XLIII, quod postquam Diaconi Eucharistiam præbere desierunt, concessum illis est ut vinum post Communionem præberent. Vide *Acta Ecclesiæ Mediolanensis*, in quibus S. Carolus varia scitu digna reliquit documenta de purificatione post Communionem ministranda : præcipitque inter alia, ne ipsa purificatio populo in calice præberetur; itemque ne vitrea vasa ad eam destinata, et in Sacristia asservanda, ad alium usum adhibeantur.

§ XXIV.

Omnibus purificatis, Pontifex abstergit patenam super calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

COMMENTARIUS.

I. Etsi manuum lotionis post Communionem mentio fiat in antiquo Romano Ordine, ac in aliis passim priscis Ritualibus libris, nihil tamen in eisdem legitur de ablutione, quæ nunc sumitur a Sacerdote ; monet duntaxat Ordo Romanus, titulo II *De officio Missæ*, « Diacono » nimis caute procurandum, ne quid in calice » aut patena, Sanguinis vel Corporis Christi » remaneat. » Ritus Missæ a Joanne episcopo Abrincacensi descriptus apud Menardum, post Communionem Sacerdotis et aliorum, ita inquit : « Particulam, quæ in calice remansit; » Sacerdos sumat, et post Diacono calicem ad » mundandum, et sumendum quod remansit, » porrigat, qui in sinistrum cornu altaris ca» licem cum patena deferat, ubi partem sibi » accipiat, et partem Subdiacono tribuat. Post » mundato utroque utrique participent. Acoly» thus vero alterum calicem Sacerdoti ad mun» dandos digitos deferat. » Quid fieret de ablutione non dicit : recte autem putat Joannes Cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, c. XX, num. I, projectam illam fuisse in sacrarium : nam in antiquis Ecclesiis, præsertim Monachorum, singula altaria a parte Epistolæ parvam habent piscinam in hunc usum paratam. Certe in libro *Usuum Ordinis Cisterciensis*, cap. LIII, hic modus ablutionis præscribitur : « Sed quid resi» duum fuerit de sanguine, bibat illud Diaconus » cum calice, postquam fistulam reddiderit » Subdiacono. Quam fistulam antequam red» dat, in quantum potuerit, ab utraque parte » sugendo, a Sanguine Domini evacuet. Sub» diaconus vero tenens fistulam contra faciem » suam in transverso, eat ad Sacerdotem per » retro altare ministrare vinum in calice. Qui, » recepto calice, respergat digitos suos in ipso, » quem ponens super altare eat ad piscinam » abluere in ipsa digitos aqua. Quibus tersis, » redeat ad altare sumere vinum quod dimisit » in calicem. Quo sumpto, iterum aspergat » calicem vino. Quo hausto, ponat illum non » reclinatum super altare juxta patenam. »

II. Eadem fere legi testatur laudatus Bona in aliis Ritualibus Monachorum, post annum millesimum scriptis. Sed et Gulielmus Durandus; episcopus Mimatensis, qui, teste Bellarmino *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, floruit circa annum 1280, perspicue tradit in suo *Rationali* lib. IV, cap. LV, ipsam ablutionem debere « in locum » mundum et honestum diffundi, ut altitudo » Sacramenti reverenter honoretur. » Cur autem Sacerdos digitos lavet, eam assignat rationem : « Ne quid forte incaute remaneat, seu adhæreat

Digitized by Google

» ex contactu Divini Sacramenti; non quod » quidquam immundum ex ipso contactu con» traxerit, sed ut potius suam commemoret » indignitatem, etc. » Addit et alia auctor, sed hæc retulisse sufficiat ad demonstrandum, non consuevisse ablutionem sæculo decimo tertio ubique saltem locorum sumi a Sacerdote, ut hodie fit, sed in Sacrarium projectam fuisse : dixi ubique saltem locorum, quia scilicet aliter in x Ordine Romano scripto circa annum 1200, num. XII, ita legitur : « Feria VI (Parasceves) » præsenti, et quando celebratur pro Defunctis » perfusionem facit in calice, et ipse sumit. » Et Innocentius III, in cap. *Ex parte*, Extra. *De celebratione Missarum*, anno 1212, hæc scribit : « Semper Sacerdos vinum perfundere debet. » Vide Brunum, tom. I *Expositionis Missæ* hoc loco, ac alios de eo ritu scribentes.

§ XXV.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita, stans in cornu Epistolæ altaris, versus ad illud inchoat in cantu, Schola prosequente, Responsorium VIII toni, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine *Alleluia*. ℟. *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia cognovistis quæ operatus sum in medio vestri, Alleluia.* * *Accipite Spiritum sanctum in vobis Paraclitum,* * *Ille est quem Pater mittet vobis, alleluia.* ℣. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* * *Accipite.* ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* * *Ille est quem.*

COMMENTARIUS.

I. Desumpta sunt hæc Episcopi verba ex sermone quem Unigenitus Dei ex hoc mundo migraturus ad Patrem, ad discipulos suos habuit, ut videre est in cap. XV Evangelii S. Joannis. Afferuntur ea quidem verba in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, et in aliis quibusdam Pontificalibus. Sane quanta sit Sacerdotum dignitas, abunde verba ipsa significant, dum Christus Dominus Apostolos suos, quos Sacerdotes ordinarat, non servos, sed amicos vocat. *Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Hinc SS. Ecclesiæ Patres frequenter docent, Sacerdotes longe dignitate ac potestate superare vel ipsos Imperatores, ut late ostendit Joannes Busæus in erudito opere *De statibus hominum*, ubi agit de statu Sacerdotum. Quamobrem nil mirum videri debet si S. Martinus, teste Severo Sulpitio in ejus Vita, precibus Maximi, qui Imperium adversus Gratianum invaserat, ad convivium accedere coactus, pateram regiam sibi oblatam jussu Imperatoris, ambientis eam ab illius manu sumere, ubi ebibisset, Presbytero suo tradidit, quod nullum existimaret digniorem qui post se biberet.

II. S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, quem monuit ut staret subjectus Pontifici suo, et quasi animæ parentem susciperet paulo post hæc scribit : « Sed Episcopi Sacer» dotes se esse noverint, honorent Clericos » quasi Clericos, ut et ipsis a Clericis quasi Epi» scopis honor deferatur. Scitum est illud Ora» toris Domitii : Cur ego te, inquit, habeam ut » Principem, cum tu me non habeas ut Sena» torem? » Quis nunc non accusaverit Episcoporum quorumdam superbiam, qui vilia Presbyteris suis ministeria committere non erubescunt, quique illos stare sinunt cum ipsi sedent, contra canonem XXXIV Concilii IV Carthaginensis, in quo statutum legimus : « Episcopus » in quolibet loco sedens, stare Presbyterum » non patiatur. » Est et in hoc a nobis summopere commendandus Venerabilis Dei servus Cardinalis Thomasius, qui Caudatarium, ut vocant, non Presbyterum, sed simplicem Clericum habere voluit. Porro fuerunt vel olim Episcopi qui Presbyteros hominesque Clero addictos floccipenderent; inter quos notatur Henricus archiepiscopus Moguntinus, quod Clericos militum ludibrium faceret, et in solemni epulo, cum Clerici ante milites consedissent, jusserit ut bini quique milites singulos Clericos sibi pro pulvinari subjicerent; cujus facti memoria sepulcro ejus inscripti hi versus referentur ab Alberto Argentinensi :

« Nudipes Antistes, non curat Clerus ubi stes,
» Dum non in cœlis, stes ubicumque velis. »

Digitized by Google

§ XXVI.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes, profitentur fidem, quam prædicaturi sunt, dicentes : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum Communionem; Remissionem peccatorum; Carnis resurrectionem; Vitam æternam. Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Neque in priscis, neque in recentioribus Pontificalibus libris, etiam post annum millesimum exaratis hunc ritum reperi, ut Presbyteri ordinati coram Pontifice stantes fidem profiterentur, Apostolorum Symbolum recitantes. Constat tamen ex Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ ab annis circiter sexcentis exarato, consuevisse Presbyteros ante suam ordinationem fidei Symbolum recitare, ob eam rationem, quod illud prædicare populo debent : « Ponat Archidiaconus pallium super humeros » Domni Archiepiscopi, et incipitur a novis » Presbyteris *Credo in unum Deum,* ut ibi in » publico proferant quod prædicaturi sunt, sci- » licet fidem sanctæ Trinitatis. Et sic finitur » Missa. » Atque hic nota, ex ipso Pontificali Bisuntino, non intra Missarum solemnia, sed iis finitis celebratas fuisse ordinationes, non modo Presbyterorum, sed et aliorum inferiorum Ordinum; post illa enim recitata verba, *et sic finitur Missa*, statim ordinationes sequuntur Psalmistæ, Ostiarii, Lectoris, et cæterorum. Cæterum ut ad rem nostram revertamur, Patres Concilii Toletani XI, can. X, non de Episcopis solum, sed et de Presbyteris videntur fuisse locuti, cum ita statuunt : « Ut unusquisque qui ad Ecclesiasti- » cos Ordines est accessurus, non ante honorem » consecrationis accipiat, quam placiti sui inno- » datione promittat, ut fidem catholicam sin- » cera cordis devotione custodiens, juste et pie » vivere debeat, et ut nullis operibus suis ca- » nonicis regulis contradicat. »

§ XXVII.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.*

COMMENTARIUS.

I. Dari tunc Sacerdoti potestatem absolvendi a peccatis, cum Episcopus super ejus caput manus imponens, dicit : *Accipe Spiritum sanctum, etc.*, jam alibi solide ac fuse explicatum est, rejecta Morini et aliorum opinione aientium, per primam manuum impositionem ab Episcopo et a Presbyteris initio Ordinationis factam, conferri omnimodam potestatem tam in Corpus Christi verum, quam in Corpus Christi mysticum. Enim vero Tridentini Patres diserte declarant, sessione XXIII, can. IV, tunc ordinari Presbyterum, et nunc dari illi gratiam Spiritus sancti, cum ei ab Episcopo dicitur : *Accipe Spiritum sanctum etc.* Idipsum luculentissime edicit Catechismus Concilii Tridentini *De Sacramento Ordinis*, § XLVIII, his verbis : « Ad

Digitized by Google

» extremum vero manibus iterum ejus capiti » impositis : *Accipe*, inquit, (*Episcopus*) *Spiri-* » *tum sanctum : quorum remiseritis peccata,* » *remittuntur eis, et quorum retinueritis, re-* » *tenta sunt :* eique cœlestem illam, quam Do- » minus Discipulis suis dedit, peccata retinendi » ac remittendi potestatem tribuit. » Ergo admonendum superest, quod quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Synodus Tridentina, sessione XXIII, cap. XV, nullum Sacerdotem, etiam Regularem, Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire posse, nisi parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopo fuerit approbatus. Sane ea Episcopi verba Sacerdotes inaugurantis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, potestatem Ordinis duntaxat, non vero jurisdictionis conferunt ; sine qua nequit Sacerdos absolvere a peccatis, nisi eum qui in articulo mortis constitutus fuerit, ut definit Concilium Tridentinum, sessione XIV, cap. VII, et docent passim Theologi de Ministro sacramenti Pœnitentiæ agentes.

§ XXVIII.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens : *Stola innocentiæ induat te Dominus.*

COMMENTARIUS.

I. Memorat hanc verborum formulam vetus Ordo Romanus, ac plerique prisci libri Pontificales ; primaque est quam una cum aliis, ex illius præscripto, dicit Episcopus, cum Presbyterum casula induit. Hic obiter adnotandum censeo, consuevisse olim stolas planetasque seu casulas ab Episcopo benedici, quando Diaconi vel Presbyteri ordinabantur ; eratque benedictio ex laudato Romano Ordine hunc in modum concepta : « Deus invictæ virtutis triumphator, » et omnium rerum creator et sanctificator, in- » tende propitius preces nostras, et has stolas » sive planetas Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ » ministris tuis fruendas, tuo proprio ore bene- » dicere, ac sanctificare, consecrareque digne- » ris, omnesque tuis ministeriis a nobis indignis » consecrandos, eis utentes, et tibi in eis devote » ac laudabiliter servientes, aptos tibi et gratos » effici concedas, et nunc et per infinita sæcula » sæculorum. ℟. Amen. » Vide sis quæ de casula et ejus antiquitate ac forma scripsimus in Prolegomenis nostris, in quibus etiam cætera indumenta Ecclesiastica explicuimus.

§ XXIX.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius : *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam ?* Et ille respondet : *Promitto.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi in antiquioribus Pontificalibus libris ritus ipse minime appareat, ut post Communionem proprio Episcopo ordinati Presbyteri promitterent obedientiam ; reperitur tamen in plerisque ab annis circiter septingentis scriptis, non quidem in fine Missæ, sed initio Ordinationis, Episcopo Ordinandum interrogante hoc modo : « Vis Episcopo tuo, ad cujus parochiam » ordinandus es, obediens et consentiens esse, » secundum justitiam et ministerium tuum? » Cui ille respondebat : *Volo.* Constat nihilominus ex can. X Concilii Toletani XI, quod anno 675 habitum est, constitutum fuisse, ut quicumque ad sacros Ordines accessuri essent, obedientiam in Ordinatione sua profiteri deberent. Alicubi non contenti Episcopi hac simplici Clericorum promissione, eos quos ipsi Ordinibus initiabant, ad jurandum etiam cogebant, fore ipsos canonicis regulis, sibi et Ecclesiæ fidos ac devinctissimos. Quod quidem multum

Digitized by Google

displicuit Concilio Cabilonensi II, anni 813, et omnino prohibendum censuit : « Dictum est, » inquit, de quibusdam fratribus, quod eos quos » ordinaturi sunt jurare cogant, quod digni sint » et contra Canones non sint facturi, et obe- » dientes sint Episcopo qui eos ordinat, et Ec- » clesiæ in qua ordinantur. Quod juramentum » quia periculosum est, omnes una inhiben- » dum statuimus. » Non his verbis, *Quod digni sint*, juramentum istiusmodi damnatum esse inquit Thomassinus, parte II *Disciplinæ*, lib. II, cap. XLIV, num. I : nec enim aliud significari ait, quam ab irregularitatum canonicarum labe quavis puros et expertes esse eos quos hoc testimonio ornassent. Addit hanc jurandi novitatem damnasse Synodum, quod juramenta omnia minus necessaria in Evangelio proscribantur.

II. Verum in quibusdam Ecclesiis non solum Presbyteros, verum et quosvis Clericos Episcopo obedientiam cum juramento promisisse, colligi potest ex Epistola decretali ad Præpositum et Capitulum Placentinum scripta, hodieque legitur in cap. *Cum Clerici* XIX, *De verborum significatione ;* ibi enim refertur solitos fuisse Placentinæ Ecclesiæ Clericos juramentum fidelitatis atque obedientiæ sub hac verborum formula præstare : « Ego talis ab hac hora » in antea fidelis ero et obediens Placentinæ » Ecclesiæ, et domino meo Episcopo Placen- » tino. » De qua juramenti forma consultus Innocentius III Pontifex, etsi nomine Ecclesiæ Placentinæ Capitulum intelligi possit, cum tamen qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tanquam capiti præsertim obligari respondet. Hinc Lysiardi archidiaconi Senonensis suum in Archiepiscopum conspiratione facta, insurgentis crimen exaggerans Fulbertus episcopus Carnotensis, qui initio sæculi XI floruit, obiitque anno 1028, teste Baronio, Fulbertus, inquam, in Epistola XXXIV ita scribit : « Quid » dicemus de juramento fidelitatis, quod ita » contaminat, ut Episcopo suo non corde, nec » verbo, nec opere fidelis existat ? » Fuit igitur in usu hoc juramentum etiam post Concilium Cabilonense, cum illius meminerint, in bonam profecto partem ipsum accipientes, non modo Fulbertus episcopus, sed et Innocentius III, qui maximum Pontificatum gerebat initio sæculi XIII.

III. Neque vero dissimulandus est ritus quo Presbyter ordinatus obedientiam Episcopo suo promittens, *genuflexus ponit manus suas junctas inter manus ipsius Episcopi.* Docet quippe noster eruditissimus scriptor Alexander ab Alexandro, *Genialium dierum* lib. II, cap. XIX, fuisse olim quoque in dextris religionem : « Eam, inquit, porrigimus, si quid data fide fu- » turum pollicemur : in ipsa enim fidem sacra- » tam Numa Pompilius voluit, sacrumque fidei » instituit, ad quod flamines curru arcuato manu » ad digitos involuta, solemni pompa vehi jussit, » magno argumento illam in dextris sanctam » sacratamque, et propterea minime violandam » ratus. » Apud Græcos pariter ac Romanos nemo nescit pervagatissimum fuisse, ut ineundis fœderibus dextras jungerent, atque ita fidem mutuo obligarent. Puto equidem obedientiam Presbyterorum inde manuum contactu firmari consuevisse, ad significandam cordium et animorum conjunctionem. Cum enim Normanniæ dux Robertus ditiones suas resignasset Willelmo filio, sacramento adstringi illi voluit proceres omnes suæ curiæ, eodem servato ritu mittendi manus suas inter manus Principis adolescentis : « Inter manus Willelmi adolescentis » manus suas mittentes Principes, conligavit illi » conjurationis sacramentum, » uti legere est apud scriptores Historiæ Normannorum apud Du Chesne, ubi notanda sunt quæ inferius leguntur : « Juramento sacræ fidei illi se colligaverunt, » manusque suas manibus illius vice cordis » dederunt. » Et quando dux Willelmus I Richardum filium loco suo eligi fecit, ita effatus est : « Ducem me superstite eligatis, et inten- » tione custodiendæ fidelitatis et militationis, » manus vestras manibus ejus detis. » Et infra, cum idem dixisset : « Manus vestras vice cordis » ejus concedatis manibus, » scribit auctor Historiæ, quod « datis manibus subdiderunt se » libenter illi, ut promiserant olim patri vi- » venti ; pignoribusque pretiosorum Sanctorum » delatis sanciunt illi tenorem integerrimæ fi- » delitatis et militationis, more christianæ con- » jurationis. » Tametsi militaris ritus militaris ea interpretatio sit, ad fidei tamen christianæ et Religionis tuitionem illud pertinebat, unde et ad sacras fiebat Reliquiarum thecas, ut observat Thomassinus, parte II *Disciplina,* lib. II, c. XLIX, num. I in fine.

Digitized by Google

§ XXX.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut præfertur, dicit singulis Presbyteris sæcularibus : *Promittis Ordinario tuo, etc.* Singulis vero Regularibus : *Promittis Prælato ordinario tuo, etc. Promittis Pontifici, vel Prælato ordinario tuo, pro tempore existenti reverentiam et obedientiam?* Et ille respondet : *Promitto.*

COMMENTARIUS.

I. Certe nusquam Episcopis licuit nec licet modo Clericos alienos a proprio Episcopo non dimissos ordinare. Enim vero sacri Canones passim Episcopo, qui prior manus imposuisset, ita Clericos vindicarunt, ut ab alio Episcopo nec ad ulteriores ordines promoveri, nec alteri Ecclesiæ, nisi de expressa Ordinatoris licentia, adscribi possent : « Nulli Episcopo, » inquit Concilium Sardicense, can. XVIII, ex interpretatione Dionysii Exigui, « liceat alterius Epi- » scopi civitatis ministrum Ecclesiasticum sol- » licitare, et in suis parochiis ordinare. » Et can. XIX : « Constituimus, ut quicumque ex alia » parochia voluerit alienum ministrum sine » consensu Episcopi ipsius et sine voluntate » ordinare, non sit rata ordinatio ejus. » Vide Commentarium in can. XVI Nicænum in nostro tomo I Conciliorum, ubi multi ea de re afferuntur Canones, quos ne iterum repetamus, satis est recensere Concilium Tridentinum, quod quidem tum sessione VII, cap. X *De reformatione*, tum sessione XIV, cap. II et III, districte prohibet ne quis absque proprii Episcopi litteris dimissoriis ordinetur.

II. Est autem non parum discriminis inter litteras dimissorias quæ nunc conceduntur, et eas quas nostri Majores antiquitus concedebant. Olim quidem Clerici dimissi ita proprii Episcopi jurisdictioni subtrahebantur, et alieno mancipabantur, ut ille omni suo in ipsos jure prorsus excideret. « Ut alienum Clericum, » inquit Concilium III Carthaginense, can. XXI, « nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat, » vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi » credita. » Eam Ecclesiarum legem supponit profecto S. Leo Papa in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem, ubi sic loquitur : « Ut alie- » num Clericum invito Episcopo ipsius nemo » suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito » charitatis id inter dantem accipientemque » conveniat. » Jam vero aliter res se habet; cum enim hodie juxta complurium sæculorum disciplinam, ordinatio Clericum Ordinatori non mancipet, non sic a proprio Episcopo ad ordinationem ab alieno recipiendam dimittitur, ut illius jurisdictioni ac potestati subtrahatur. Unde recte præscribit Rubrica nostri Pontificalis, ut si Pontifex ordinator non est proprius Ordinati Episcopus, obedientiam ab illo non sibi, sed proprio suo Episcopo ejusque successoribus spondere faciat.

III. Præter subjectionem et obedientiam, Clerici debent reverentiam Episcopo. In argumentum reverentiæ Episcopalis, in altari in quo Episcopus Missam celebravit, Presbytero non licet eodem die sacrum facere, ex Concilio Antissiodorensi, can. X : « Non licet super uno » altario in una die duas Missas dicere; nec » altario ubi Episcopus Missas dixerit, ut Pre- » sbyter in illa die Missas dicat. » Ex Concilio Laodiceno, can. LVI, nefas est Presbyteris ante Episcopum ingredi et sedere in sacrario, sed simul cum Episcopo hoc facere debent. « Quod » non oporteat Presbyteros ante processionem » Episcopi introire sacrarium et sedere, sed » cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis » sedere. » Episcopis etiam, tanquam præsidibus verbi Dei cum codicibus Evangeliorum a Presbyteris occurri, antiqui moris fuit, uti compertum habemus ex Ekkeardo juniore, *De Casibus monasterii Sancti-Galli*, cap. I : « Parat illico » basilicam, et aram parat tapetis et pallio » dorsili caminatam, Evangelio Episcopum, » aliquos qui aderant Presbyteros, recipere » jubet. » Tandem reverentiæ Episcopalis argumentum et illud est, quod nomen Episcoporum, tam superstitum quam defunctorum, referebatur olim in diptychis Ecclesiæ, et eorum memoria in precibus publicis celebrabatur. De quibus diptychis abunde locuti sumus in nostri

Digitized by Google

tomi I Conciliorum Prolegomenis, cap. XXXIV.

IV. Quod Monachos spectat, ipsos primis sæculis fuisse omnino sub Episcopi potestate, jam abunde probavimus in commentario canonis IV Concilii Chalcedonensis. Quamobrem nil profecto mirum videri debet, si cum S. Athanasius episcopus Alexandrinus exularet in monasteriis Ægypti, Monachi ei parerent ut legislatori, ejusque præcepta essent ipsis vice legum et tabularum Mosis, ut testatur S. Gregorius Nazianzenus, oratione XXI : non, inquam, mirum si S. Hieronymus e Presbytero Monachus, Episcoporum mandatis parere summo studio duxit ; quemadmodum ipse de se fidem facit in præfatione ad Chromatium et Heliodorum episcopos, his verbis : « Sed melius esse judicans » Pharisæorum displicere judicio, et Episcopo- » rum jussionibus deservire institi ut potui. » Episcopalem certe potestatem in Monachos vindicavit Theophilus Alexandrinus episcopus, cum ex iis quosdam ex eremo accivit, ut eis uteretur in administrationem Ecclesiæ ; et cum verbis suadere non posset, auctoritate Episcopali eos coegit, et Clericos ordinavit, teste Socrate, lib. VI *Historiæ*, cap. VII. Cæterum usum fuisse antiquissimum, ut Monachi obedientiam Episcopo promitterent, addiscere licet ex Epistola Gregorii IV, Pontificis Maximi, quam scripsit ad Episcopos Gallos de privilegiis Floriacensis monasterii, ubi inter alia Monachos ab ea obligatione eximit : « De Sacerdotibus vero aut Diaconibus » ordinandis, id observetur quod in Regula præ- » cipitur, ne saltem aliquis Episcopus subjectio- » nem ab eis requirat quos ordinavit, nec un- » quam officio dignos ordinare differat. » In Pontificali manuscripto Petri Judic archiepiscopi Narbonensis, anno 1350 exarato, de professione obedientiæ a Monachis aliisque Religiosis præstanda Episcopo ordinatori, sic legimus : « Potest Religiosus exemptus, si velit, addere » in obedientia : *Promitto, salvo ordine meo.* »

V. Hodie tanta sunt Regularium privilegia, ut plerisque in locis parum ipsos curent Episcopos. Dissidia et schismata inter utrosque, quod pene effari pudet, semper exstitere, exstabuntque perpetuo : quamobrem constituta jam diu Romæ est sacra complurium Cardinalium Congregatio negotiis Episcoporum et Regularium præposita. Quod vero nostræ est rei, etsi hodie Regulares in sua Ordinatione obedientiam Episcopo non promittant, sed suo Superiori ; potest tamen Episcopus religiosæ professionis ratihabitionem in scriptis ac juramento firmatam ab ipsis exigere, ex constitutione S. Pii V, anno 1568, pridie idus octobris edita, quam laudat confirmatque S. Carolus in Concilio provinciali Mediolanensi II, tit. I, decreto XXIII, cujus verba hæc sunt : « Ut quod » Summus Pontifex Pius V, in explicatione » Decreti Tridentini, quod est sessione vigesima » secunda, cap. secundo, constituit, executio- » nem habeat, Episcopus ne Clericum ullum Re- » gularem, neque Sæcularem qui Regularium » more in communi vitæ disciplina sit, bene- » ficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordini- » bus sacris adscribat, nisi a Superiore fidem » ille attulerit se Religionis cui adscriptus est » professionem confecisse, juratusque affirmet » scripto manu sua subsignato coram Episcopo, » se id sponte fecisse aut ratum habuisse. Illud » autem scriptum in archivio asservandum » Episcopus curet. » Eadem fere habent Concilium Aquense in Galliis habitum, et complures aliæ Synodi nostri regni Neapolitani. Decreti illius utilitas ea est, quod aditum quibusdam præcludat dicendi in posterum, extortam, vel ante ætatem factam, vel ante probationem annuam, vel aliis ejusmodi conditionibus destitutam fuisse suam religiosam professionem.

[Parum ut solito favet Regularibus Auctor noster, licet quid illum angat in hac rubrica fateri non audeat. Numquid illi displicet Regulares ad Sacerdotium promotos obedientiæ promissionem Superiori proprio inter Episcopi manus emittere ? Dicat et sensum suum evolvat. Nos vero credimus cum sancta Romana Ecclesia, cujus auctoritate Romanum Pontificale prodiit et servari debet, illi promissionem obedientiæ fieri debere cui debetur obedientia. Porro Regulares Superioribus suis subsunt tanquam propriis Ordinariis ab Ecclesia constitutis ; Superioribus istis submissionem profiteri igitur debent inter manus Episcopi, prout faciunt Presbyteri quos idem Episcopus pro diœcesi extranea consecravit. Displicet forsitan Catalano, et male dissimulat, Regulares esse ab Episcoporum jurisdictione exemptos, dum exempla affert locorum et temporum quibus talis exemptio non vigebat. Quid faciemus? Agitur non de re dubia, non de privilegio speciali et odioso,

Digitized by Google

bene vero de jure communi Ecclesiæ Catholicæ. Regulares sunt exempti, sic volunt Canones recentiorum sæculorum non minus a Spiritu Dei conditi quam Canones primævæ ætatis. Concedimus Romæ pro judicandis Episcoporum et Regularium controversiis Cardinalium Congregationem esse constitutam; sed contendimus in talibus causis nunquam in litem evocari ipsam exemptionem Regularium de qua nullus Episcopus dubitare potest, sed quæstionem moveri de privilegiis in specie, de interpretatione Litterarum Apostolicarum, de factis et gravaminibus quæ inter homines, ob naturæ nostræ debilitatem, accidere nemo est qui rationabiliter stupeat.]

§ XXXI.

Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens : *Pax Domini sit semper tecum.* Et ille respondet : *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. In utraque Ecclesia, Græca pariter et Latina, osculum Sacerdoti recens ordinato datum ab Episcopo olim fuisse, liquido constat tum ex S. Dionysio, tum etiam ex vetere Ordine Romano. Is siquidem in eo capite, *Qualiter in Romana Ecclesia Presbyteri, Diaconi vel Subdiaconi eligendi sunt*, post datam ab Episcopo benedictionem in consummatione Presbyterorum, ita præscribit : « Tunc osculetur singu» los, dicens : Pax Domini sit semper vobis» cum. » S. Dionysius vero *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. v, hunc in modum ejus ritus meminit : « Quæ circa finem in sacrorum Or» dinum consecratione adhibetur salutatio, » sacram significationem continet; nam et » omnes qui adsunt in Sacris constituti, et Pon» tifex consecrans, consecratum salutant. » Cujus ritus hanc ipse rationem subjicit : « Cum » enim sancta mens scientia, vique Pontificis, » et divina vocatione atque sanctimonia ad » Ecclesiastici Ordinis consecrationem hono» remque pervenit, tum charus est paribus » sanctissimisque Ordinibus, et ad pulchritudi» nem divinæ similem perductus, mentes simi» les amat, atque ab eis sancte redamatur. Hinc » consalutatio illa inter Ecclesiastici Ordinis » homines servatur et perficitur, quæ sanctam » parium similiumque mentium societatem in» dicat, lætitiamque mutuam, quæ amore digna » est; quippe quæ divinam pulchritudinem sal» vam et incolumem Ecclesiastici Ordinis for» mæ conservet. » Mira sagacitate sicut et cæteras Ecclesiæ suæ, ita et hanc cæremoniam persequitur Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, in libro *De Sacris Ordinationibus.*

§ XXXII.

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra et baculo, admonet eos dicens : *Quia res quam tractaturi estis satis periculosa est, Filii dilectissimi, moneo vos ut diligenter totius Missæ ordinem, atque Hostiæ consecrationem ac fractionem, et Communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandam Missam accedatis.*

COMMENTARIUS.

I. Legi potest et hæc Episcopi admonitio in Pontificali Moguntino annorum circiter quadringentorum, in quo tamen in nonnullis variat ab illa ex nostro Romano Pontificali descripta; ubi enim Pontificale Romanum habet : *Communionem, et priusquam ad celebrandam Missam accedatis,* Moguntinum dicit, « commu» nicationem, et antequam Missam cantare » præsumatis; » præscribitque faciendam esse hanc ab Episcopo admonitionem alta voce post

Digitized by Google

Ordinatorum Communionem, quibus etiam dici mandat, « ut aliquas Missas pro Episcopo » dicant. » De qua re juxta Rubricam Romani Pontificalis nos inferius disseremus. Sed ut hanc Rubricam plenius illustremus, mos jam olim fuit ut recens ordinati Sacerdotes in aliquem religiosum locum se conferrent, discendi gratia sacras Liturgiæ cæremonias, ac accepti Sacerdotii functiones. Liquet id exemplo S. Norberti, de quo ejus Vitæ auctor ita scribit : « Postquam vero Diaconus et Presbyter initia» tus est, pedem continuo retraxit, conferens » se ad celebre præclaræque famæ monaste» rium Sigenbergense ordinis D. Benedicti, ut » ibi inter religiosos ac devotos in omni san» ctitate Monachos, partim accepti Sacerdotii » functiones accuratissime addisceret, partim » animum suum recolligens, certis religiose » vivendi imbueretur documentis ; completis» que ibi quadraginta circiter diebus, patrium » solum repetens, ad Sanctensem Ecclesiam, » ubi in eum usque diem Canonicus perse» verabat, se contulit. » Varia ejus generis exempla passim occurrunt in Vitis Sanctorum, apud Surium et apud Bollandianos.

II. Cautum jam vero fuit in plerisque Conciliis, ut priusquam quis ad consecrationem Presbyteratus accederet, in Episcopio maneret, « discendi gratia officium suum. » Id quidem inter alias salubri institutione decrevit Synodus III Turonensis, can. XII. Hinc Benedictus XIII, Pontifex Maximus, in Concilio Romano anni 1725, tit. XXX, cap. II, statuit ut omnes sacris Ordinibus initiandi per semestre in Seminariis degerent, ibique « ultra spiritua» lium exercitiorum dies, sacrorum Rituum, » moralis Theologiæ, et Romani Catechismi » studio incumberent. » Quo decreto non contentus, in eodem Concilio, tit. XV, cap. IX, quod rubricæ ut plurimum ignorentur, et sacræ cæremoniæ usu ipso vilescant, et illud mandavit, ut nimirum Cleri Congregatio ab Episcopis tum in civitate, tum in diœcesibus instituatur, pro sacrorum Rituum et casuum conscientiæ disceptatione.

III. Omitti hic denique nequeunt decreta S. Caroli Borromæi, archiepiscopi Mediolanensis. In Concilio Mediolanensi I, Constitutionum parte II, tit. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, hæc habet : « Magister cære» moniarum cathedralis Ecclesiæ, eos quibus » prima Missa celebranda sit, et qui præterea » Sacerdotes minus perite celebrant, Missæ » ritibus ac cæremoniis instituat : qui si huic » muneri obeundo unus par esse non poterit, » aliis idoneis Sacerdotibus Episcopus eas officii » partes deleget. Neque cuiquam primam Mis» sam celebrare liceat, qui ab iis institutus non » sit. » In Concilio provinciali II, tit. II, decreto XII, jubet ut in unaquaque plebe Episcopus duos unumve saltem Sacerdotem Ecclesiasticorum rituum usu peritum constituere curet, qui alios Sacerdotes et Clericos cæremoniarum quæ in Missa et in divinis officiis rite obeundis requiruntur, disciplina instruant diligenter. In Concilio tandem provinciali III, tit. *De iis quæ pertinent ad Missæ Sacrificium*, illud amplius voluit, ut primam Missam celebraturus Sacerdos a cæremoniarum Magistro, ut jussum est primo provinciali Concilio, institutus sacrarum cæremoniarum disciplina, Missæ Sacrificium ante ne faciat, quam illum Episcopus, aut is cui ipse id curæ dederit, illis rite obeundis cæremoniis satis instructum noverit ac probarit.

§ XXXIII.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti : *Benedictio Dei omnipotentis, Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti descendat super vos; ut sitis benedicti in Ordine Sacerdotali, et offeratis placabiles Hostias pro peccatis populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc benedictionis formula totidem plane verbis tum in Sacramentario S. Gregorii, numero licet singulari concepta, tum etiam in Ordine antiquo Romano, ac in aliis passim Ri-

Digitized by Google

tualibus libris; cum eo tamen discrimine, quod Sacramentarium S. Gregorii habet illam immediate post casulæ traditionem, antequam Presbytero manus inungantur; Ordo autem Romanus post porrectionem instrumentorum, patenæ scilicet cum Hostia, et Calicis cum vino, antequam osculum tradat Episcopus Ordinatis dicens : *Pax Domini sit semper vobiscum.* Quibus prolatis, commendat se orationibus eorum, et ita demum absolvitur Ordinatio Presbyterorum. In vetustissimo Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi ante annos 900 scripto, post memoratam benedictionem numero singulari conceptam, alia statim legitur hunc in modum : « Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus » sancti descendat super te, et hac Sacerdotali » veste indutus, protectus atque munitus esse » valeas ab omnibus impugnationibus malignorum spirituum, et sis benedictus, et offeras » hostias placabiles pro peccatis atque offensionibus omnipotenti Deo, cui est honor et gloria. » Eamdem benedictionem legere est in manuscripto Pontificali Caturcensi annorum octingentorum. In Pontificali manuscripto Salisburgensi annorum sexcentorum, et in Cameracensi annorum quingentorum, præter benedictionem in nostri Pontificalis Rubrica descriptam, hæc alia legitur benedictionis formula : « Dignos vos faciat suo Sacerdotio, qui pro vobis » non pepercit Unigenito suo. Amen. Ut in » sancta conversatione perseverantes, ad illum » etiam convertatis errantes. Amen. Et pro stelilibus et incurvatis intercessores idonei fiatis. » Amen. Quod ipse præstare. »

II. Porro idcirco benedicitur Sacerdos, ut offerat *Hostias placabiles*, id est Eucharistiæ sacrificium, *pro peccatis populi omnipotenti Deo.* Etenim, ut verbis utar Apostoli in Epistola ad Hebræos, cap. v : *Omnis Pontifex* (vel Sacerdos) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Unde in Levitico, quoties Princeps, vel alius contra Legem divinam peccaverat, præscribitur quid facto opus sit, et additur cap. iv : *Rogabitque pro eo* (Sacerdos) *et pro peccato ejus, et dimittetur ei.* Idipsum docent sanctæ Ecclesiæ Patres, inter quos S. Hieronymus, exponens ea Ezechielis Prophetæ verba, cap. xlv, *Et tollet Sacerdos de sanguine*, ita inquit : « Pulchre » Sacerdotalis dignitas commonetur, cui subjecta sit officio, ut sciat se sacrificium, et libamina quæ offeruntur ex vino, pro populo » offerre debere in cunctis solemnitatibus, ut » faciat videlicet pro peccato ad expiandum pro » domo Israel, quæ est Ecclesia Dei viventis, » columna et firmamentum veritatis. » Cæterum notanda sunt illa memoratæ benedictionis verba, quibus dicitur offerri placabiles hostias Deo omnipotenti : quamvis enim Ecclesia in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit, unde nec Sacerdos dicere solet : Offero tibi Sacrificium, Petre, et Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, « ut ipsi pro » nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum » memoriam agimus in terris. » Ita Concilium Tridentinum, sessione xxii, cap. iii. Vide S. Augustinum, lib. xx *contra Faustum*, cap. xxi, et lib. xxii *De Civitate Dei*, cap. x, ubi ita ait : « Deo quippe, non ipsis sacrificat (Sacerdos), » quamvis in memoria sacrificet eorum, quia » Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum vero » sacrificium Corpus est Christi, quod non » offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. »

§ XXXIV.

Post hæc Pontifex, deposita mitra et amoto faldistorio, convertitur ad Altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio; et dicitur hæc Postcommunio pro Ordinatis sub uno *Per Dominum* cum Postcommunione Missæ diei.

Postcommunio. *Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuæ Redemptionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

Deinde dicitur : *Benedicamus Domino*, vel *Ite, Missa est*, prout tempus requirit, et per Pontificem : *Placeat tibi sancta, etc.* Quo dicto, Pontifex, accepta mitra et baculo pastorali, dat benedictionem solitam, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Nihil in hoc § continetur, quod passim non observetur in qualibet alia solemni Episcopi Missa. Peculiarem orationem pro Ordinatis post Communionem dicendam legere est in duobus Pontificalibus, Salisburgensi annorum sexcentorum, et Cameracensi annorum quingentorum. Quin et in priori Pontificali non modo eadem secreta oratio pro Ordinatis particularis legitur, quam habet nostrum Pontificale Romanum, sed etiam alia quæ dici solet initio Missæ, antequam Epistola recitetur, estque ipsa oratio hunc in modum concepta : « Exaudi, Domine, supplicum preces, et devoto » tibi pectore famulantes perpetua defensione » custodi, ut nullis perturbationibus impediti, » liberam servitutem tuis semper exhibeamus » officiis. Per. » In Cameracensi vero licet prima et secreta oratio desiderentur, habetur tamen oratio peculiaris pro Ordinatis infra actionem, ut aiunt, dicenda, estque hujusmodi : « Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus » pro famulis tuis N. quos ad Presbyterii (vel » Diaconatus) gradum promovere dignatus es, » quæsumus, Domine, placatus suscipias, et » quod eis divino contulisti, propitius tuo dono » custodi. »

§ XXXV.

Tum sedet, et alloquitur Ordinatos sub his verbis : *Filii dilectissimi, diligenter considerate Ordinem per vos susceptum, ac onus humeris vestris impositum : studete sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere, quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur. Singuli ad primam Tonsuram, vel ad quatuor Minores Ordines promoti, dicite semel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis et Orationibus. Ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, Nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum vero ordinati, post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet, unam de Spiritu sancto, aliam de Beata semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate.* Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.

COMMENTARIUS.

I. Quantum sit Sacerdotii pondus, fuse exponunt sancti Ecclesiæ Patres tum Latini, tum Græci, inter quos tenere primas videntur S. Gregorius Nazianzenus et S. Joannes Chrysostomus, ille in egregio suo *Apologetico*, hic in aureis *De Sacerdotio* libris, quos utinam Presbyteri æque ac Episcopi assidue manibus tererent ac lectitarent. Sunt enim plerique qui, ut inquit laudatus Nazianzenus, cum plebeiis hominibus nihilo meliores sint, atque utinam non etiam multo pejores, illotis, ut dici solet, manibus, profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad sacra propius accedant Sacrarium ipsum affectant, et circum sacrosanctam mensam premuntur ac protruduntur, tanquam non virtutis exemplum, sed vitæ adjumentum atque subsidium hunc Ordinem esse judicantes, ac non minus reddendæ rationi obnoxium, sed imperium liberum, ac referendarum rationum metu solutum. S. Joannes Chrysostomus, postquam in præsertim libro *De Sacerdotio*, Sacerdotum novæ Legis honorem pariter ac onus demonstravit, ita scribit : « Idcirco necesse est

Digitized by Google

» Sacerdotem sic esse purum, ut, si in cœlis » ipsis collocatus inter cœlestes illas Virtutes, » medius staret. » Recte itaque monet Episcopus Sacerdotes, ut studeant *sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere*. Nihil enim est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Ita Concilium Tridentinum, sessione XXII, cap. I *De reformatione;* statimque subjicit, ob eam causam, sic decere omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gesto, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. An hodie plerique Sacerdotes se gerant, idque observent quod præcipit Concilium Tridentinum, vide titulum, in libro Decretalium, *De vita et honestate Clericorum :* ea enim quæ ibi Clericis, ac præsertim Sacerdotibus prohibentur, Clerici passim, ac præsertim Sacerdotes agunt.

II. Quod spectat aliam Episcopi admonitionem, qua dicitur ut singuli ad primam Tonsuram, vel ad quatuor Minores Ordines promoti, dicant semel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis et Orationibus, videtur recens esse institutum; nihil enim tale habent veteres libri Pontificales. Ex præscripto quidem Senonensis Pontificalis annorum circiter tercentorum, post Acolythorum ordinationem ita eos alloquitur Archidiaconus : « Vos, Acolythi, » amodo sitis conversationis honestæ, et dicat » quilibet Psalterium pro Domino infra men» sem; et vos devestiatis, et finem Missæ exspe» ctetis. » septem profecto Psalmos Pœnitentiales tenentur non semel, sed quotidie recitare Clerici Inferioribus Ordinibus initiati, juxta præscriptum Pontificalis Moguntini annorum circiter quadringentorum; ibi enim post peractam ipsorum ordinationem, « vertens se ad Or» dinatos Episcopus sua admonitione reddit eos » ad divinum officium sedulos, et ut quotidie » septem Psalmos cum Litania dicant. » Ad Subdiaconatum atque ad Diaconatum promotis ex nostro Romano Pontificali mandat Episcopus, ut dicant Nocturnum talis diei. Verum ex Moguntino solum Subdiaconos Episcopus admonet : « Quod ex hinc adstricti sint ad dicen» dum septem Horas canonicas singulis diebus. » Ex Senonensi autem, non Episcopus, sed ipse Archidiaconus eisdem Subdiaconis dicere debet, ut non solum Horas canonicas quotidie, sed et unum etiam Psalterium infra mensem pro Domino recitent : « Vos, novi Subdiaconi, amodo » sitis conversationis honestæ, et Horas cano» nicas addiscatis, et de cætero quolibet die di» catis, et vos devestiatis, ac totam Missam ex» spectetis.

III. Denique monet in Romano Pontificali Presbyteros Episcopus, ut post primam Missam tres alias celebrent, unam de Spiritu sancto, aliam de Beata Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis ac pro ipso Episcopo Deum exorent. Quod plane consentaneum videtur cum Pontificali Senonensi, in quo tamen Archidiaconus Presbyteris jubet, ut post primam Missam tres pro Episcopo a quo sunt ordinati et ejus amicis celebrent, unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria, tertiam pro defunctis. In Pontificali Moguntino, postquam Episcopus admonuit Presbyteros ut diligenter totius Missæ ordinem, antequam illam cantare præsumant, a doctis Sacerdotibus addiscant, statim subdit, « dica» tur ipsis ut aliquas Missas pro Episcopo dicant. » Certe nihil de his Missis celebrandis habet vetus Ordo Romanus, nihil præscribunt antiqui libri Pontificales, in quorum tamen plerisque, sicuti et in laudato Romano Ordine, Episcopus, absoluta Presbyterorum Ordinatione, eorum orationibus se commendat. Vide infra Pontificale Vaticanum. [Responsio vero Ordinatorum ad allocutionem Episcopi non sane est intelligenda eo sensu quod Ordinati verbis annuentiam proferre debeant; sufficit ut respondeant capitis inclinatione se egregie adimpleturos quæcumque in hoc loco mandat eis Episcopus. Sic enim retulit ad episcopum Valentinum in Gallia, per litteras auctoritate plenas, Eminentissimus sacræ Rituum Congregationis Præfectus, anno 1847.]

Digitized by Google

§ XXXVI.

Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit submissa voce : *Dominus vobiscum. Initium S. Evangelii secundum Joannem. In principio, etc.* Signat altare et se; et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii Ordinati.

COMMENTARIUS.

I. Initium Evangelii S. Joannis, cum antea sine certa lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti, pro cujusque arbitrio, soleret, ut testatur Paris Crassus in Cæremoniali inedito Summi Pontificis, cap. LXV, primus omnium universæ Ecclesiæ in fine Missæ legendum præscripsit S. Pius V, Pontifex Maximus, ut docet Joannes Cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. V. [Dictum Evangelium proferre debent Presbyteri una cum Episcopo descendente ab altari et redeunte ad sedem suam, non vero sub silentio recitare : sic refert S. Congregationis responsum ad episcopum Marsorum, de qua jam plura allegavimus circa ritus sacræ Ordinationis.] Ipso Evangelio recitato, juxta nostrum Pontificale Romanum, tota absolvitur Ordinatio, deponuntque sacras vestes Presbyteri, et cum eis alii Ordinati. Verum ex præscripto Moguntini Pontificalis, completa Missa, Episcopus tenens baculum in manu convertit se ad Ordinatos et incipit : ℟. *Ite in Orbem.* Quo completo, super baptisterium, seu in alio reverenti et decenti loco, cum sale et aqua manus Sacerdotum abluuntur; sicque ad propria revertuntur. Præscribit præterea, ut « dum Episcopus hoc Responsorium incœpit, et Ordinati cantantes » prosecuti fuerint, moveat se Episcopus de » choro, et sacris vestibus exuantur. »

II. Denique, ut nihil omittamus de iis quæ ad ritum sacrarum Ordinationum attinent, sciendum est, completis olim Ordinationibus, Episcopum in sede sua residentem, omnibus Ordinatis ante eum genuflexis, antequam sacras vestes exuerent, unumquemque super Ordine suo suscepto admonuisse, incipiendo ab iis qui prima Tonsura donati fuerant usque ad Presbyteratu initiatos. Exstant hujusmodi sermones in variis editis ante Clementem VIII Pontificalibus, præsertim vero in uno Lugduni edito anno 1542. Alii sermones ad unumquemque gradum Ordinandorum ab Episcopo initio Ordinationis recitari soliti ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Rothomagensis, quod in bibliotheca Sorbonica asservatur, legi possunt apud virum clarissimum Edmundum Martenium, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo VIII.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua varii manuscripti Ordines nondum editi ad conferendos tum Minores, tum Sacros Ordines referuntur.

ORDO I.

Ex pervetusto manuscripto Codice qui Landolfi episcopi fuit nongentis circiter abhinc annis exaratus, variis ac curiosis figuris interseptus, servaturque hodie Romæ in celebri Casanatensi bibliotheca.

MONITUM.

Antequam Codicem memoratum describam, operæ pretium duco lectorem monere, quod initio Codicis adnotavit vir clarissimus sacræ theologiæ magister, Johannes Dominicus Agnani, ipsum Codicem, quemadmodum ex pluribus se conjecisse ait Joannes Ciampinus in opusculo *De perpetuo Azimorum usu*, pag. 185, spectare ad sæculum IX, ut ipsius voluminis character indicat, et Episcopi nomen quod ad calcem libri auratis litteris scriptum legitur hunc in modum : LANDOLFI EPISCOPI SUM. Censet Ciampinus hunc Landolfum fuisse postremum Landolfi senioris Capuæ comitis filium, electum Capuanæ Ecclesiæ episcopum circa annum Domini 851. Verum quum apud Ughellum *Italiæ sacræ* tomo VI primæ editionis legatur : « Landulphus, Landulphi senioris Capuæ comitis postremus filius, Landonis comitis fratris favore, teste Erchemperto, ordinatus est » Episcopus Capuæ veteris post decessum Paulini sanctitate clari, circa annum Domini » 851; » tum vero deinde : « Landulphus II, » Landonis Segnis VII Capuæ comitis filius, » demortuo Landulpho propatruo, admodum » adolescens in Capuanæ Ecclesiæ Sacerdotio » canonice successit anno 879 ; » incertum adhuc erit ad quem e duobus Codex ipse pertinuerit. Cæterum in eo videtur peccasse laudatus Ciampinus, quod diminute exscripserit quæ in Codice ipso habentur de consecratione Presbyterorum; diminute quoque legerit, *Landolfi sum*, cum dilucidissime aureis ac grandiusculis litteris legatur : LANDOLFI EPISCOPI SUM. Ne me autem culpent eruditi antiquitatis studiosi, quasi in hoc Opere nostro Codicis ipsius figuras exprimi parum curaverim, eosdem monitos velim, rogasse me non semel eruditissimum bibliothecæ Præfectum, ut ipsas huc inferri sineret, qui tamen benigne recusavit, eam adducens causam, brevi se illas easdem figuras una cum aliis editurum. Cui, ut par erat, ego acquiescens, describere saltem verbis curavi quidquid in ipsis figuris cernitur, solito Commentariorum charactere usus, cum alias quæ in laudato Pontificali habentur describi diverso charactere, quem vulgo vocant *Garamoncino*, opportune existimaverim. Admonendum et illud superest, ritum Ordinationis ab Ostiariis quidem incipere, injuriaque temporis priora verba Rubricæ desiderari. Sic ergo incipit :

Adducuntur curvi primi singuli a singulis Sacerdotibus indutis vestibus, imponentibus manus dextras super capita eorum, sinistras vero sub mentum eorum, et statuuntur ante Pontificem. Pontifex enim..... Archidiaconus tradendo eis claves Ecclesiæ dicens.

Hic statim repræsentatur ex una parte figura Episcopi stantis, ac præbentis claves Ordinando in Ostiarium, et ex altera parte duo Sacerdotes cernuntur, qui duos eodem Ostiariatus ordine initiandos ad Episcopum curvos adducunt, tenentes manus dextras super eorum capita, sinistras vero sub mento. Post sequuntur verba quæ dicit Episcopus hunc in modum :

« Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, » quæ istis clavibus recluduntur. »

His dictis prosternuntur ante Pontificem in terra : ammonentur a Presbyteris qui eos adduxerunt. Deinde Pontifex hanc dat super illos benedictionem in sono Lectionis.

Sequitur alia imago Episcopi manu dextera tribus prioribus extensis digitis Ostiarios ante ipsius pedes prostratos benedicentis, sinistram vero super volumen tenentis a Presbytero sustentatum, in quo scriptum legitur : *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deum Patrem omnipotentem suppliciter.* Tum sequitur Episcopi benedictio :

« Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprece- » mur, ut hos famulos suos benedicere dignetur, quos

Digitized by Google

» in officium ostiariorum eligere dignatus est, ut sit eis » fidelissima in omnibus cura diebus ac noctibus ad » distinctionem horarum certarum ad invocandum no- » men Domini. »

Item alia in sono Orationis. *Oremus.*

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » benedicere digneris hos famulos tuos Ostiarios, ut » inter janitores Ecclesiæ parent obsequia, et inter ele- » ctos tuos partem mereantur habere mercedis. Per. » Respondente Clero : « Amen. »

Si Lectores ordinandi erunt, et fuerint alii Ostiarii qui consecrati fuissent, adducendi sunt, sicut jam superius prænotatum est, a Sacerdotibus, et ante Pontificem statuendi, quibus mixtis tradidit eis insimul Episcopus Codicem, dicens.

Hic Episcopus stans cernitur habens manum dextram ante pectus, sinistra vero librum porrigens tangendum ordinandis Lectoribus, quorum unus cæteris minor ipsum librum toto erecto corpore attingere nititur, dicente interim Episcopo :

« Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si » fideliter et utiliter impleveritis officium, partem cum » his qui verbum Dei ministraverunt. Eligunt vos fratres » vestri, ut sitis Lectores in domo Domini Dei vestri, et » cognoscatis officium vestrum, et impleatis illud : po- » tens est enim Deus ut augeat vobis gratiam. »

Deinde prostratis in terram ante Pontificem, dat super eis benedictionem in sono Lectionis. *Oremus.*

Hoc loco repræsentatur Pontifex tribus primis manus dexteræ digitis prostratos Ordinandos benedicens, Diacono ambabus manibus sustinente sinistram ipsius Pontificis. Sequitur mox Oratio :

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » benedicere digneris famulos tuos in officium Lecto- » rum, ut assiduitate lectionum distincti atque ornati, » curis et modulis speciali devotione gratiam resonent » Ecclesiæ. Per. »

Iste ordo servandus est de singulis gradibus usque ad Diaconatus. Exorcistis vero tradit Episcopus libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicens eis.

Hic Episcopus stans exprimitur manu dextera benedicens, sinistra vero tradens volumen Ordinandis, illud inclinato parum capite, ac extensis manibus accipientibus ; tum sequitur :

« Accipite, et commendate memoriæ, et habetote » potestatem imponendi manus super inergumenum, » sive baptizatum, vel catechuminum. »

Item benedictio illorum in sono Lectionis.

« Deum Patrem omnipotentem supplices deprecemur, » ut hos famulos suos benedicere dignetur in officium » Exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad ab- » jiciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni » nequitia eorum multiformi. »

Item alia in sono Orationis. *Oremus.*

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » benedicere digneris famulos tuos in officium Exorci- » starum, ut per impositionem manuum et oris officium » eos eligere digneris, et imperium habeant spirituum » immundorum coercendorum, et probabiles sint medici » Ecclesiæ tuæ gratiæ curationum virtute confirmati. » Per. ℟. Amen. »

Acolitis tradit Episcopus ceroferarium cum cereo, et urceolo vacuo, dicens eis.

Conspicitur hic Episcopus manu dextera ceroferarium porrigens, sinistra vero urceolum quem unus ex Ordinandis ambabus manibus tangit, cæteris ad ipsum urceolum accipiendum manus extendentibus. Deinde sequitur :

« Accipite, et estote strenui et solliciti ad accendenda » Ecclesiæ luminaria, et ad suggerendum vinum in » Eucharistia Corporis Christi. »

Benedictio eorum in sono Orationis. *Oremus.*

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » benedicere digneris hos famulos tuos in officium Aco- » litorum, ut ad accendendum Ecclesiæ tuæ lumen cla- » ritatis, et ad suggerendum vinum et aquam ad confi- » ciendum sanctum sanguinis Filii tui mysterium in » offerendo Eucharistiam sanctis altaribus tuis fideliter » subministrent. Accende, Domine, eorum mentes et » corda ad amorem tuum cœlestem, et gratiæ misera- » tionis tuæ virtute confirma. Per. »

Subdiaconi accipiant de manu Episcopi patenam vacuam et calicem vacuum ; de manu Archidiaconi, urceolum cum aquamanile et manutergio.

Præphatio Subdiaconi in sono Lectionis.

Recentiori charactere scriptum hic immediate legitur :

Sicut qui invitatus, quæsitus refugit, sacris est admovendus altaribus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat ? Cur non perpendit, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, quia ad hoc ut fiat hæreticus promovetur ?

Deinde respicitur ex una parte Episcopus manu dextera calicem porrigens, sinistra patenam cruce signatam, quam utraque manu unus ex Ordinandis tangit, aliis ad ipsam tangendam accedentibus ; ex altera Archidiaconus urceolum et aquamanile Ordinandis ipsis tangenda tradit : mox sequuntur verba Episcopi :

« Oremus Deum ac Dominum nostrum, ut super ser- » vos suos, quos ad Subdiaconatus officium vocare di- » gnatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, » ut in conspectu suo fideliter servientes, prædestinata » Sanctis præmia consequantur. »

In sono Orationis. *Oremus.*

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » benedicere digneris hos famulos tuos, quos ad Subdia- » conatus officium eligere dignatus es, uti eos sacrario

Digitized by Google

» tuo sanctos, strenuos sollicitosque cælesti militiæ in-
» stituas, ut sanctis altaribus fideliter subministrent; et
» requiescat super eos Spiritus sapientiæ et intellectus,
» Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et
» pietatis, repleasque eos Spiritu timoris tui, et eos mi-
» nisterio divino confirmes, ut, obedientes factis atque
» dictis parentes, tuam gratiam consequantur. Per. »

A tergo paginæ post ordinationem Subdiaconorum charactere paulo recentiori ac minori ita scriptum invenio :

Videte cujus ministerium vobis traditur, et ideo si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Oblationes quæ veniunt in altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altare poni quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero quæ sunt in substratorio, in alio vase debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerunt, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari; ipsa aqua in baptisterio debet vergi. Ideo vos admoneo, ipsi vos tales exhibete, ut Domino placere possitis.

Hæc a tergo quidem; nunc repetamus ordinem Pontificalis, ubi notandum quod quæ sequuntur post superius descriptam Orationem, *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium, etc.*, spectare videntur ad Ordinationem Diaconorum, etsi nulla de iis initio habeatur mentio.

Præfatio dicetur in sono Lectionis.

« Oremus, dilectissimi, Dominum Patrem omnipo-
» tentem, ut super hos famulos suos, quos in sacro Or-
» dine dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam
» clementer effundat, eisque donum consecrationis in-
» dulgeat, per quod ad præmia æterna perducat. »

Alia in sono Orationis. *Oremus.*

« Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos fa-
» mulos tuos spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœ-
» lesti munere ditati, et tuæ gratiam possint majestatis
» acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere.
» Per. »

Tunc de terra elevati induantur dalmaticis, et Episcopus manu sua ponat oraria super sinistros humeros eorum. Deinde assistant inclinato capite ante Pontificem, et extendendo Sacerdotes manus suas super capita eorum, dicit super eos Episcopus consecrationem in sono Præfationis.

Charactere recentiori inter ipsam rubricam scriptum lego.

Quando ponit stolam dicat: Accipe stolam tuam, imple ministerium tuum; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam.

Tum Episcopus ex una parte designatur stolas imponens super Diaconi humeros; ex alia idem Episcopus manu dextera benedicens, et sinistram super Diaconi verticem tenens, dum unus e Presbyteris manum suam dexteram sinistra sustentatam alteri e Diaconis imponit. Deinde sequitur hæc Oratio :

« Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, honorum
» dator officiorumque dispositor, qui in te manens in-
» novas omnia, et cuncta disponens per verbum, virtu-
» tem sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium
» tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præ-
» paras, et in singulis quibusque temporibus aptanda
» dispensas. Cujus corpus Ecclesiam tuam, cœlestium
» gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam
» discretione membrorum per legem mirabilem totius
» compagis unitam in augmentum templi tui crescere,
» dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis
» gradibus ministrorum nomini tuo ministrare consti-
» tuens, electis ab initio Levitis, qui mysticis operatio-
» nibus domus tuæ, fidelibus excubiis permanentes
» hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetuam
» possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsu-
» mus, placatus intende, quos tuis sacris altaribus ser-
» vituros in officium Diaconatus suppliciter dedicamus.
» Et nos quidem tanquam homines divini sensus et
» summæ rationis ignari, horum vitam, quantum pos-
» sumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis
» sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu
» cognitor secretorum, tu scrutator es cordium. Tu eo-
» rum vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo
» semper prævales et ammissa purgare, et ea quæ sunt
» agenda concedere. Emitte in eos, quæsumus, Domine,
» Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter
» exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur.
» Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas mo-
» desta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiri-
» tualis observantiæ disciplina. In moribus eorum
» præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imi-
» tationem sancta plebs acquirat, et bonum conscientiæ
» testimonium proferentes, in Christo firmi et stabiles
» perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu
» per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per.
» Amen. »

Hactenus de ordinatione Diaconorum; mox agens de Presbyterorum ordinatione, sic inquit :

Illi vero qui ex Diaconatus ordine ad Sacerdotium promoventur, induantur Sacerdotalibus vestimentis absque planeta cum orario super humero, et sic deportentur ante Pontificem a Sacerdotibus, sicut superius prænotatum est, et dum in terra prostrati fuerint, dicatur præphatio hæc ab Episcopo in sono Lectionis.

Hic imago Episcopi cernitur pallio ornatus, inter indicem ac medium digitum dexteræ manus pallii fasciam tenens, sinistram vero super caput unius Diaconi, aliis ad ipsam manus impositionem sumendam accedentibus, aliis in terram prostratis, orarium super humerum si-

Digitized by Google

nistrum habentibus. Tum illa Episcopi verba sequuntur :

« Sit nobis, Fratres, communis oratio, ut hi qui in » adjutorium et utilitatem vestræ salutis eliguntur, » Presbyteratus benedictionem divinæ indulgentiæ mu» nere consequantur, ut sancti Spiritus Sacerdotalia » dona, privilegio virtutum, ne impares loco deprehen» dantur, obtineant. »

Alia in sono Lectionis :

« Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, » ut super famulos suos hos, quos ad Presbyteratus » munus eligit, cœlestia dona multiplicet. »

Benedictio in sonum Orationis. *Oremus.*

« Exaudi nos, Domine Deus noster, et super hos fa» mulos tuos benedictionem sancti Spiritus et gratiæ » Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis » affectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris » tui largitate prosequaris. Per. ℣. Amen. »

Deinde transducantur ab Episcopo oraria super colla eorum, dicatque super eos capitibus inclinatis consecrationem hanc in sono Præphationis.

Recentiori scriptura statim post rubricam recitatam subjiciuntur hæc verba :

Quando Presbytero mutat stolam, dicat : Accipe stolam tuam, imple ministerium tuum; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam.

Mox cernitur imago Episcopi, qui, eodem modo quo supra, dextera manu fasciam pallii tenet; sinistra vero uni e Sacerdotibus collo stolam accommodat, cæteris inter indicem ac medium manus sinistræ vel dextræ digitum stolas suas habentibus. Tum sequuntur hæc Episcopi verba :

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, » honorum auctor et distributor omnium dignitatum, » per quem proficiunt universa, per quem cuncta fir» mantur, amplificatis semper in melius naturæ ratio» nabilis incrementis, per ordinem congrua ratione » dispositum. Unde et Sacerdotales gradus, atque officia » Levitarum Sacramentis mysticis instituta creverunt. » Ut cum Pontifices Summos regendis populis præfe» cisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, » sequentis Ordinis viros et secundæ dignitatis eligeres. » Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium » mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adju» toribus usus in populo, innumeras multitudines facile » gubernavit. Sic in Eleazaro et Ithamar, filiis Aaron, » paternæ plenitudinis abundantiam transtulisti, ut ad » hostias salutares et frequentioris officii Sacramenta » sufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia, Do» mine, Apostolos Filii tui doctores fidei comites addi» disti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus » impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, » Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, quia » quanto magis fragiliores sumus, tanto his amplius in» digemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos » famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova in visce» ribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, » Deus, secundi meriti munus obtineant. Sint providi » cooperatores Ordinis nostri, et eluceat in eis totius » forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi » creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conse» quantur. Per. »

Qua finita, Episcopo porrigente planetas, induantur, super quos inclinatis capitibus dicatur benedictio hæc in sono hujus Orationis.

Statim post hanc rubricam alio recentiori charactere leguntur hæc verba :

« Accipe casulam Sacerdotalem, per quam charitas » intelligitur; potens est enim Deus ut augeat tibi cha» ritatem et opus perfectum; Qui vivit et regnat per » omnia sæcula sæculorum. »

Post imago Episcopi cernitur, qui ambabus manibus uni e Sacerdotibus planetam imponit illius quidem formæ quæ totum corpus circumtegit. Verba vero Episcopi in sono Orationis juxta præscriptum memoratæ rubricæ hæc sunt :

« Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti » descendat super vos, et sitis benedicti in ordine Sacer» dotali, et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque » offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor » et gloria in sæcula sæculorum. ℣. Amen. »

Deinde cum pollice dexteræ suæ faciens crucem de Chrismate Episcopus in plantis manuum dextrarum eorum, dicendo consecrationem hanc in sono Præphationis.

Repræsentatur hoc loco Pontifex, qui manu sinistra vas tenens, manus dexteræ pollice in palma dextera Sacerdotis Crucem imprimit, cæteris Sacerdotibus stolis ac planetis indutis, ac dexteram ad pectus habentibus. Episcopi verba hæc sunt :

« Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, per » istam unctionem et nostram benedictionem, ut quæ» cumque benedixerint benedicta sint, et quæcumque » sanctificaverint sanctificentur. Per. »

Iis expletis dat Orationem ad Missam : *Deus qui tribus pueris.* Sequitur Lectio Apostoli, et inde Tractus et Evangelium. Omnes enim qui consecrantur, eodem die et offerunt, et communicantur; et dantur singulis Presbyteris die eodem consecrationis singulæ oblatæ sanctificatæ ab Episcopo, ex quibus per totam sequentem hebdomadam mixtim cum sacrificio, quod illi sacrificaverint, communicentur, et per integram sequentem hebdomadam oraria Presbyteri semper appensa in collis suis deportent, excepto si jacuerint, aut ad secessum abierint.

NOTA.

Illud quidem notatu dignum in hoc Pontificali est, Episcopum in tota Ordinationis fun-

Digitized by Google

ctione semper stare, nunquam sedere vel genuflectere; ordinandos vero etiam Clericos non aliis quam oblongis indutos vestibus repræsentari raso vertice more Fratrum Minorum quos Capuccinos vocant; caput denique Episcopi nunquam mitra redimitum cerni, quia scilicet, ut plerique autumant, inter quos Hugo Menardus in *Sacramentarium* S. Gregorii pag. 352, vix ante annum Christi millesimum mitræ usus in Ecclesia fuit, ea ratione fulti quod de ea, et in Missa Illyrici, et apud creditum Alcuinum, Rabanum, Amalarium et alios altum silentium sit, ac sæculo solum XI mitræ mentio fiat a S. Petro Damiani, et deinceps sæculo XII ac sequentibus, ab Honorio Augustodunensi, Hugone Victorino et aliis. Sed de ea quæstione vide quæ diximus in Prolegomenis nostris. Cæterum quod dicitur in ultima rubrica hujus Pontificalis Capuani de Eucharistia data recens ordinatis Presbyteris, ut de ea mixtim cum sacrificio per integram hebdomadam communicent, alibi a nobis disputatum de eo ritu fuit. Quod autem alium ritum spectat in eadem rubrica præscriptum, ut ordinati scilicet Presbyteri per integram etiam hebdomadam oraria semper appensa in collis suis gestarent, nihil mihi profecto admirationis affert, cum sciam, olim etiam extra ecclesiam atque divina officia Presbyteros atque Diaconos, illos quidem perpetuo, hos primo Ordinationis anno, cum orario seu stola incedere debuisse. De Presbyteris ita cautum legimus in Moguntina Synodo, Leone III Pontifice Maximo, celebrata anno Christi 813, can. XXVIII : « Presbyteri sine in-
» termissione utantur orariis propter differen-
» tiam Sacerdotii dignitatis. » De Diaconis celebre est exemplum S. Mauri abbatis, qui labente VI Ecclesiæ sæculo florebat; testatur enim ipsius Vitæ auctor Faustus monachus, illum recepto sæculi sui more Diaconalem stolam primo Ordinationis suæ anno extra rem sacram detulisse. Verba Vitæ sunt ista apud clarissimos viros Lucam Dacherium, et Joannem Mabillonium in sæculi I *Actorum Sanctorum ordinis S. Benedicti*, pag. 281, num. XV, ubi de claudi et muti cujusdam sanatione legitur : « At Maurus, ut erat piissimus, lacrymis perfu-
» sus, atque in oratione prostratus, postquam
» diutissime oravit, stolam cum qua eodem
» anno, jubente beato Magistro suo, ordinatus
» ad ministerium fuerat Levitieum, et quam
» juxta morem, sanctitatis gratia, primo inde-
» sinenter ferebat anno, de collo suo protulit,
» et super caput infirmi signum Crucis faciens
» posuit, etc. » Vide quæ nos ea de re scripsimus in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario ritibus*, lib. II, cap. X.

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali quod asservatur in Bibliotheca Angelica S. Augustini Romæ sub littera X, 2, 24.

MONITUM.

Cum in eo loco hujus Pontificalis ubi agitur de Ordinatione Presbyteri, citetur caput finale tituli *Decretalium* de Sacramentis iterandis vel non; eamque compilationem non prius factam constet, quam circa medium sæculum decimum tertium, videtur mihi etiam ex charactere ipsum Pontificale esse annorum circiter quingentorum, et pertinuisse ad archiepiscopum Barensem et Canusinum, cum inter interrogationes fieri solitas Episcopo consecrando, tertio loco hujusmodi legatur interrogatio : « Vis san-
» ctæ Barensi et Canusinæ Ecclesiæ fidem et
» subjectionem per omnia exhibere ? » Metropoli Barensi accessit perpetua unione Canusina sedes anno 844, ab eoque anno qui præfuerunt Barensis et Canusini Episcopi titulo sese inscripsere, uti dictum est pag. 25.

« ORDO SEPTEM ECCLESIASTICORUM GRADUUM, ET IN GRADIBUS ORDINANDISQUE, ANTE OMNIA CLERICUM FACIENDI.

» Oremus, dilectissimi Fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum, pro hoc famulo suo *Ill.* qui ad deponendum comam capitis sui pro ejus amore festinat, ut donet ei spiritum scientiæ, qui habitum Religionis in eo perpetuum servet, et a mundi impedimento vel sæculari desiderio cor ejus defendat; ut sicut immutatur in vultu, ita dextera manus ejus virtutis ei tribuat incrementa, et ab omni cæcitate spirituali vel humana oculos ejus aperiat, et æternæ gratiæ lumen ei concedat. Qui vivit.

» *Hic induatur superpelliceum.*

» Induat te Dominus novum hominem qui

Digitized by Google

secundum Deum creatus est in justitia, et veritate, et sanctitate. *Oratio.* Oremus. Flectamus genua. Levate. *Oratio.* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum bene ✠ dicere dignare, cui in tuo nomine habitum Religionis imponimus, ut, te auxiliante, devotus in Ecclesia tua persistere et vitam percipere mereatur æternam. Per.

» *Dum tondes eum, dic Antiphonam.*

» Tu es, Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi : Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. » *Et repetatur :* Tu es, Domine. Gloria Patri. *Et repetatur :* Tu es, Domine. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psalm.* Domini est terra, *totus dicatur. Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute sæcularis habitus hunc famulum tuum *Ill.* emunda, ut dum ignominiam sæcularis habitus deponit, tua semper in ævum gratia perfruatur; et sicut similitudinem coronæ tuæ eum gestare facimus in capite, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereatur æternam in corde. Per Dominum nostrum Jesum.

» *Postquam tonsuratus est, dicitur :* Dominus vobiscum. *Oratio.* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hic famulus tuus *Ill.* cujus hodie comam capitis pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneat, et eum sine macula in sempiternum custodias. Per Dominum.

» *Ad barbam* (*a*) *tondendam Oratio.*

» Deus, cujus providentia omnis creatura crementis adulta congaudet, preces nostras super hunc famulum tuum *Ill.* juvenilis ætatis decore lætantem et primis auspiciis ad tondendum exaudi, ut in omnibus protectionis tuæ munitus, auxilio quoque largiori provectus, cœlestem bene ✠ dictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et futuræ. Per.

» *Psalmista et Cantor postquam ab Archidiacono instructus fuerit, potest absque Episcopi conscientia, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero :* Videte, ut quod cantatis ore, corde credatis, et quod corde creditis, opere comprobetis.

» DE OFFICIO HOSTIARII.

» *Hic dicat Episcopus sedendo cum mitra :*

» Hostiarium oportet percutere cymbalum, aperire ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui prædicat.

» *Hostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Domini conversari debeat, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves ecclesiæ de altari dicens :*

» *Oratio.* Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ iis clavibus recluduntur.

» *Et tradat ei Archidiaconus ostium ecclesiæ.*

» *Præphatio.*

» *Hic dicat Episcopus stans sine mitra :*

» Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est, ut sit eis fidelissima cura diebus ac noctibus ad distinctionem certarum horarum ad invocandum nomen Domini nostri Jesu Christi.

» Flectamus genua. Levate.

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos *Ill.* in officio Ostiariorum, ut inter janitores ecclesiæ tuæ pareant Ecclesiæ obsequio, et inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per.

» DE OFFICIO LECTORIS.

» *Hic dicat sedendo.* Lectorem oportet legere ea quæ prædicat, et lectiones cantare, et benedicere panem et omnes fructus novos.

» *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum ad plebem Episcopus, indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium. Post hoc, exspectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens :* Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et devote impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei ministraverunt ab initio.

a Placuit sequi Ordinem hujus manuscripti Pontificalis Bibliothecæ Angelicæ; nam alias de barba primo Clericis attondenda, et de officio Psalmistatus dicendum nobis erit in fine tertiæ partis nostri Romani Pontificalis.

Digitized by Google

» *Pronunciatio.*

» Diligunt vos fratres vestri ut sitis Lectores in domo Dei vestri, et agnoscatis officium vestrum, et impleatis illud; potens est enim Deus ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia.

» *Præphatio Lectoris.*

» *Hic dicat Episcopus stans sine mitra :*

» Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem ut super hos famulos suos *Ill.* quos in ordinem Lectorum dignatur assumere, bene ✠ dictionem clementer effundat, quatenus distincte legant quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Oremus. Flectamus genua. Levate.

» *Oratio.*

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officio Lectorum, ut assiduitate lectionum distincti sint atque ordinati, et agenda dicant et dicta opere compleant, ut in utroque sanctæ Ecclesiæ exemplo sanctitatis suæ consulant. Per.

» DE OFFICIO EXORCISTÆ.

» *Hic dicat sedendo :*

» Exorcistam oportet abjicere dæmones, et dicere populo quod qui non communicat, ut det locum, et aquam in ministerio fundere.

» *Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo :*

» Accipite, et commendate memoriæ, et habetote potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

» *Præphatio Exorcistæ.*

» *Hic dicat Episcopus stans sine mitra :*

» Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos *Ill.* bene ✠ dicere dignetur in officium Exorcistarum, ut sint spirituales imperatores ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi, per unigenitum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti. Per.

» *Oratio.* Flectamus genua. Levate.

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum, ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos cohercendi, ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati. Per.

DE OFFICIO ACOLITI.

» *Hic dicat Episcopus sedens cum mitra :*

» Acolitum oportet ceroferarium ferre, et luminaria accendere, et vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare.

» *Acolitus cum ordinatur, primum ab Episcopo doceatur qualiter in officio suo agere debeat, et accipere ab eo ceroferarium, dicente sibi :*

» Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria manci pari.

» *Accipiat urceolum vacuum, dicente Episcopo :*

» Accipite et urceolum ad fundendum vinum et aquam in Eucharistiam Corporis Christi.

» *Præphatio.*

» *Hic dicat Episcopus sine mitra :*

» Deum Patrem omnipotentem, Fratres charissimi, suppliciter deprecemur ut hos famulos suos *Ill.* bene ✠ dicere dignetur in ordinatione Acolitorum, quatenus lumen visibile manibus perferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant; adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et cum Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Per.

» *Oremus.* Flectamus genua. Levate.

» *Sequitur benedictio.*

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum, et Apostolos ejus in hunc mundum lumen charitatis misisti; quique, ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissime illum Crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute humani gene-

Digitized by Google

ris affluere voluisti, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos *Ill.* in officium Acolitorum, ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sacris altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad morem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per.

» *Sequitur alia Oratio.*

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron loquutus es, ut accendantur lucernæ in tabernaculo testimonii, bene ✠ dicere et sanctificare dignare hos famulos tuos *Ill.* ut sint Acoliti in Ecclesia tua. Per Dominum.

» *Oratio.*

» Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos *Ill.* quos in officium Acolitorum consecramus : poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes, et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur.

» DE OFFICIO SUBDYACONI.

» *Hic dicat Episcopus sedens cum mitra :*

» Subdyaconum oportet præparare aquam ad ministrationem altaris, et ministrare Diacono.

» *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi vacuam accipiat, similiter et calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili, et cum bacilibus ac manutergiis, dicente sibi Episcopo :*

» Videte cujus ministerium vobis traditur ; ideo si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui ; si usque nunc somnolenti, amodo vigiles ; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii ; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Oblationes quæ veniunt in altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altari poni quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero, quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem debet lavari. Ipsa aqua in baptisterium debet mergi ; ideo vos admoneo ut vos tales exhibeatis qui Deo placere possitis.

» *Sequitur Oratio.*

» *Hic dicat Episcopus stans sine mitra :*

» Oremus Deum Patrem ac Dominum nostrum, Fratres charissimi, ut super servos suos *Ill.* quos ad Subdyaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene ✠ dictionem suam et gratiam, ut in conspectu suo fideliter servientes, destinata Sanctis præmia consequantur : adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

» *Oremus.* Flectamus genua. Levate.

» *Benedictio :*

» Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdyaconatus officium eligere dignatus es, ut eos in sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque militiæ instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent ; et requiescat super eos spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis ; et repleas eos spiritu timoris tui, et eos ministerio diurno confirmes, ut obedientes Deo, atque officio parentes, tuam gratiam consequantur. Per... in unitate ejusdem.

» *Tunc datur eis manipulum dicendo :*

» Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

» *Postea osculatur eos, dicens unicuique :* Pax tibi, *et postea datur ei tunicam* (*a*) *dicendo :*

» Induat te Dominus vestimento salutis, et tunicam justitiæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen (*b*).

(*a*) Legi debet *tunica*, sed placuit *tunicam* describere, prout legitur in manuscripto.

(*b*) In margine, charactere quidem antiquo legitur : *Et inde tradat Epistolarium Episcopus Subdiacono dicens :*

Digitized by Google

» DE OFFICIO DYACONI.

» *Sedens cum mitra dicat :*

» Dyaconum oportet ministrare ad altare, et baptizare, et prædicare.

» *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Dyaconi et Presbyteri eligendi sunt mense primo, quarto, septimo, decimo, Sabbatorum die in duodecim lectionibus. Statio ad sanctum Petrum. Posteaquam antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione, et expletis omnibus ex more, ad* Alleluia *sive Tractum, veniat Archidiaconus, et offerat eum Pontifici, qui ordinandus est, ita dicendo :*

» Postulat mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdyaconos ad onus Dyaconi vel Presbyteri ordinatis.

» *Interrogat Episcopus :* Scis illum dignum esse ?

» *Respondet offerens :* Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.

» *Et tunc annunciat ante Evangelium Pontifex in populo, dicens ad omnes :*

» Auxiliante Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hunc in ordinem Dyaconi vel Presbyteri. Si quis autem habet aliquid contra illum, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat. Veruntamen memor sit conditionis suæ.

» *Hic dicatur Letania. Tunc prosternat se mitratus Pontifex cum Archidiacono ante altare super stramenta cum iis qui ordinandi sunt, et Schola imponat Letaniam. Qua finita, erigant se, et ascendant ipsi electi ad sedem Pontificis, et benedicat eos ad quod vocati sunt, et descendant, et stent in ordine suo. Benedictione accepta, Archidiaconus imponat Evangelium, et cætera ex more. Et omnes qui ordinati sunt oblationes deferant ad manus Episcopi, et ab eo consecratas accipiant.*

» ORDINATIO DYACONORUM.

» *Dyaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manus super caput ejus imponat. Sed hæc impositio fit quando dicitur infra in oratione* Emitte, etc., *quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Et alloquitur Pontifex stans populum his verbis :* Commune votum communis oratio prosequatur, ut ii totius Ecclesiæ prece qui in Dyaconatus (*in margine*, vel Presbyteratus) ministerio præparantur, Leviticæ benedictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione perfulgentes, gratia sanctificationis eluceant, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre.

» *Præphatio.*

» Oremus, Dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum *Ill.* quem ad officium Dyaconatus assumere dignatus est, bene ✠ dictionis suæ gratiam clementer effundat, et consecrationis indultæ propitius dona conservet ; et preces nostras clementer exaudiat, ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio ; et quo sacris mysteriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua propitius electione vel benedictione sanctificet.

» Oremus. *Et Diaconus :* Flectamus genua. Levate.

» *In modum præphationis.*

» Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, honorum dator, ordinumque distributor, ac officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis per verbum, et virtutem sapientiamque tuam, Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, sempiterna providentia præparans, et singulis quibuscumque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, celestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitute trinis gradibus ministrorum, nomini tuo militare ac ministrare constituens : electis ab initio Levi filiis, qui in misticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentem hæreditatem benedictionis æternæ, sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos *Ill.* quæsumus,

Accipe potestatem legendi Epistolam in Ecclesia, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Patris, et Filii, etc. Tunc sequitur : *Subdiaconus novus cantet Epistolam.*

Digitized by Google

Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Dyaconii supplicitér dedicamus. Et nos quidem, tanquam homines divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam quantam possumus æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt, tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium, tu eorum vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, et admissa purgare, et ea quæ sunt agenda concedere.

» *Hic imponat manus Episcopus in capud Ordinandi.*

» Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctæ plebes acquirant, et bonum conscientiæ testimonium præferentes, ut Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

» *Ad consummandum Dyaconi officium cum stola.*

» *Hic datur stola sigillatim unicuique, et dicat :*

» Accipe stolam candidam de manu Domini ab omnibus vitiorum sordibus purificatus in conspectu Divinæ majestatis, ut omnibus vita conversationis tuæ præbeatur exemplum, plebsque dicata Christi nomine possit imitando te imitationem acquirere justam.

» *Vel sic :* Accipe stolam, imple ministerium tuum ; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat cum Spiritu sancto in gloria.

» *Tunc stola leve eorum circumdata, det eis Episcopus Evangelium, dicens :*

» Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. Amen.

» *Benedictio post acceptam stolam.*

» Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos spiritum tuæ bene✠dictionis emitte, ut cœlesti munere ditati, et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum.

» *Cum vero consecrati fuerint, induantur Dalmatica, dicente sibi Episcopo :*

» Induat te Dominus vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdet te, in Christo Jesu Domino nostro. *Et dat ei Episcopus osculum.*

» ORDINATIO PRESBYTERORUM.

» *Sedendo cum mitra dicat :*

» Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare.

» *Post Lectionem autem et Tractum, atque Letaniam, parato electo qui Presbyter ordinandus est, Dyaconi solito more cum orario tantum, et præsentantibus eum atque ducentibus duobus Dyaconibus usque ad Presbyteros, et duo Presbyteri ducant eum usque ad sedem Pontificis, et dicat Dyaconus :*

» Postulat mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Dyaconem ad honus Presbyterii ordinetis.

» *Et ipse interroget se erigens, si dignus sit. Illis autem attestantibus eundem dignum et justum esse Dei gratia, tunc dicat Episcopus :* Auxiliante, etc., *ut supra in ordinatione Dyaconi, qua completa dicat Pontifex stans* (a).

» Commune votum, *ut supra usque ad* Oremus. *Eo inclinato, imponat manum super capud ejus, et omnes Presbyteri qui assistunt cum eo pariter, et ille dat orationes super eum tenens manus elevatas, sicut quando dicuntur orationes in Missa. Præphatio. Quando Episcopus incipit hanc orationem ad benedicendum Sacerdotem, Presbyteri qui primo tangebant capud, debent elevare manus, ita quod non tangant capud Ordinandi, scilicet teneant eas suspensas super capud ; ut legitur et notatur,* Extra. De sacr.. *it. vel non, cap. fin. in fine.*

» Oremus, Dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad

a In margine charactere nigro legitur: *Accipe potestatem.* Et statim in eadem margine, charactere rubri coloris : *Sequitur Letania.*

Digitized by Google

Presbyterii munus elegit, celestia dona multiplicet, et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio.

» Oremus. *Et Diaconus :* Flectamus genua. Levate.

» Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos *Ill.* bene✠dictionem sancti Spiritus, et gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequantur. Per Dominum.

» *Hic elevet Episcopus vocem in modum Præphationis :*

» Per omnia secula seculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

» *Præphatio.*

» Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator et distributor omnium dignitatum, per quem perficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus atque officia Levitarum Sacramentis mysticis instituta creverunt, etc. (ut in Pontificali Romano). Per eundem, in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus.

» *Hic reflectat orarium super humerum dextrum, dicens ad eum :*

» Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

» *Hic vestit cum casula, dicit :*

» Stola innocentiæ induat te Dominus.

» Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus ut augeat tibi charitatem et opus perfectum.

» *Hic debet dici Hymnus* Veni, creator Spiritus. *Deinde* Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. ℣. Salvos fac servos tuos, et ancillas tuas. ℟. Deus meus. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non noceat nobis. ℣ Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum.

» *Sequitur benedictio, et quidam eam legunt, et quidam eam dicunt in modum Præphationis.*

» Deus, sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio plenaque benedictio est, etc. (ut in Pontificali Romano).

» *Expleta autem Oratione, accipiens tunc Episcopus de oleo Catechumenorum ungat singulorum manus a pollice dextro usque ad indicem sinistrum, et a pollice sinistro usque ad indicem dextrum in cruce ; et totaliter palmas inungat manu, dicens :*

» Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram bene✠dictionem, ut quæcumque consecraverint consecrentur, et quæcumque benedixerint benedicantur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

» *Hoc facto, accipiat patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et det eis dicendo :*

» Accipite potestatem offerre Sacrificium Deo, Missamque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.

» *Tunc imponit manum super capita eorum, dicens :*

» Accipite Spiritum sanctum : quibus remiseritis peccata, remissa erunt; et quibus retinueritis, retenta erunt.

» *Tunc benedicat eos hoc modo :*

» Benedictio Dei Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spirus✠sancti descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine Sacerdotali, et offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo, cui est honor et gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

» *Tunc osculetur eos Pontifex, dicens :* Pax Domini semper tecum. *Et commendet se eorum orationibus. Tunc coaptet casulam, dicens :* Veste nuptiali induat te Dominus. Stola innocentiæ induat te Dominus.

ORDO III.

Ex Pontificali manuscripto codice Bibliothecæ Vaticanæ, N. 4744.

De modo servando in Ordinationibus generalibus.

Quando Episcopus Ordinationes generales facere disponit, debet præcipere Archidiacono ut examinet Ordinandos, vel in ejus absentia alicui alteri de latere suo; vel ipsemet hoc faciat

Digitized by Google

etiam post examinationem ab eis factam, quia non subest eis, sed superest.

Porro discutiendi sunt Ordinandi sigillatim de patria, de natalibus, de conditione personæ, de ætate, quia non est ordinandus quis in Presbyterum ante vigesimum quintum annum; nec in Dyaconum, ante vigesimum; nec in Subdyaconum, ante decimumoctavum; nec ad Minores Ordines, ante septimum.

Sunt etiam discutiendi de integritate membrorum, ne sit in eis deformitas vel impotentia palpata, considerata eorum facie, vel oculis, auribus et naribus, item et in aliis membris singulis, vel manibus et digitis eorum, ac pedibus; et si opus sit discalceentur, ne forte sint lignei : item et toto corpore, ne sit Ordinandus gibbosus, tortus, vel nimis claudus.

Examinari etiam debet de integritate carnis, ne sint bigami, aut viduarum mariti, de moribus et vita, de fide, de litteratura in legendo, construendo et cantando : de Ordine in quo sunt constituti, et a quo et quando illum receperunt : ostensis formatis, ne forte initientur, et ad titulum ad quem sunt promovendi.

Deinde exponat Episcopus quales esse debent Ordinandi per XIV capitula Apostolicæ regulæ. Quæ vult ut Ordinandus sit irreprehensibilis, non plurium uxorum vir, sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, doctor, non violentus, non percussor, sed modestus, non litigiosus, non cupidus, suæ domui bene dispositus, non neophitus.

Exponat insuper quot sunt crimina, irregularitates et defectus, quorum quædam impediunt promovendos, quædam non impediunt jam promotos, quæ ipsi tenentur ante ordinationem suam prodere, maxime autem illa quæ etiam post peractam pœnitentiam Ordinis executionem impediunt; ut sunt excommunicatio, suspensio, homicidium, symonia, bigamia, illegitimitas, et quælibet irregularitas, et omne crimen enorme in quodlibet notorium; alioquin deponendi essent sic ordinati.

Et moneat eos, ut non damnabiliter, sed digne accedant, hoc est, vero corde, munda conscientia, sine omni culpa et sine omni infamia, ut possint non solum præesse, sed etiam prodesse. Cum enim ad hoc eliguntur ut cæteris prosint, sicut præordinantur dignitate, sic præhemínere debent sanctitate.

Conscientia ergo sua unumquemque conveniat, scientes quod tutius est inferiori ministerio deservire, quam læsa vel etiam scrupulosa conscientia ad superiores ascendere, maxime quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei.

Demum in Ecclesia omnibus præsentibus primum ad cautelam absolvat eos quos digne inventos ordinare voluerit, ab omni excommunicationis vinculo, et cum eis super irregularitate dispenset, quantum videlicet et in quibus potest, secundum Deum et Canones. Item debet palam interdicere ne aliquis ad susceptionem Ordinis se furtive ingerere præsumat, sicque in nomine Domini ad Ordinationem eorum secundum Ordinarium suum faciendam procedat, confirmatis prius in fronte Ordinandis qui confirmati non essent.

RUBRICA IN ORDINATIONIBUS CLERICORUM.

Hæc habeant ad Ordinationes præparata : pro Hostiariis, claves Ecclesiæ; pro Lectoribus, Lectionarius Prophetarum, sive Prophetiarum; pro Exorcistis, liber Exorcismorum, hoc est, Pontificale; pro Acolitis, candelabrum cum cereo accenso et urceolo vacuo; pro Subdiaconibus, manipulus, patena vacua et calix vacuus, urceolus plenus vino, et bacilia cum manutergio; pro Diaconibus, stola, Evangelium, cum dalmatica; pro Presbyteris, casula, oleum Catechumenorum, patena cum oblatis, et calix cum vino. Et nota quod Episcopus non potest celebrare Ordines extra suam diœcesim sine licentia illius Dyocesani, vel domini proprii, et nullus debet recipere Ordines sine licentia sui Dyocesani, et habeat in scriptis formatam. Prima enim Tonsura potest dari omni tempore, sive in Missa, sive extra Missam, sive in mane, sive sero, dummodo Episcopus habeat stolam, et Ordinatus superpelliceum. Minores Ordines Episcopi conferunt, unum vel plures, Dominicis diebus, et aliis festis solemnibus. Sacros Ordines conferunt in Sabbato Quatuor-Temporum, et in Sabbato quo cantatur officium *Sitientes*, et in Sabbato sancto. Et nota, cum Episcopus Ordinationes celebrat, debet habere ornamenta violacei coloris; et qui ordinantur, albi si fieri potest; et stent per hunc modum. Qui recipiunt Subdiaconatum, sint induti alba, amictu et cin-

Digitized by Google

gulo, et teneant manipulum plicatum in manu. Qui autem recipiunt Dyaconatum, sint induti alba, amictu et cingulo, et manipulo in sinistro brachio, et tenent stolam in manu. Illi vero qui fieri debent Presbyteri, sint induti amictu, alba et cingulo, stola et manipulo per modum Dyaconi; et tenent casulam plicatam in brachio cum cereo, et sic stant in choro, donec vocentur. Et nota, quod locis infra scriptis Ordines conferuntur. Nam Minores Ordines debent dari post *Kyrie eleison*, et ante Collectam. Et post Collectam, antequam cantetur Epistola, ordinentur Subdyaconi; ita quod unus ex noviter ordinatis cantet Epistolam. Post versum vero, antequam cantetur ultimum *Alleluia*, vel ultimus versus Tractus, ordinentur Dyaconi; ita quod unus ex noviter ordinatis cantet Evangelium. Secundum enim Ordinem Romanum, postquam Dyaconi sunt vocati, statim vocitantur Sacerdotes, ut super utrosque cantentur Lethaniæ; et Presbyteri stant ad unam partem, donec expediantur Dyaconi : quibus expeditis, expediuntur et ipsi Presbyteri, et stant circa altare, et sacrum Canonem cum Episcopo dicant.

Alia rubrica super simili.

De septem Ordinibus Ecclesiasticis dicturi, præmittimus quod non sacri et minores Ordines sunt quatuor, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolitatus. Et notandum quod omnes Ordines dari debent et distribui coram altari. Item Ordinandi debent prius peccata sua confiteri quam Ordinem recipiant. In collatione autem cujuslibet Ordinis, Pontifex Ordinandis in ejus præsentia constitutis debet, propter simplices, quem Ordinem suscepturi sunt declarare. Item debet palam interdicere ne quisque ad susceptionem illius Ordinis se furtive aut per saltum, vel excommunicatus, vel interdictus se ingerere præsumat, prout jam dicetur. Item dato quolibet Ordine, debet Ordinator monere, et etiam instruere qualiter debeant vivere, et Domino in suscepto Ordine ministrare, et quid ad ipsum officium noscatur pertinere. Item omnes Ordinandi debent se devote in Tonsura et habitu convenientibus, cum candelis accensis, et cum paramentis Ordini quem suscepturi sunt congruentibus coram Ordinatore se præsentare. Ordinati autem non debent ad statim recedere, sed expectare benedictionem Episcopalem solemnem, quæ communis est omnibus Ordinatis, et finem Missæ. Item in collatione tam primæ Tonsuræ quam cujuslibet Ordinis, debet Ordinans dicere orationes et præfationes junctis manibus ante pectus. Illud quoque notandum est, quod si Ordinationes fiant in Sabbato, quando cantatur *Sitientes*, etc., quia tunc unica tantum dicitur Lectio, primæ Tonsuræ debent fieri immediate post Introitum, et omnes Minores Ordines post *Kyrie eleyson* successive dari. Subdyaconi vero fiunt immediate post Collectam, Dyaconi post Epistolam, et Presbyteri post Tractum. Aliis autem temporibus, quando fiunt Ordinationes generales, Clerici fiunt sive primæ Tonsuræ dantur post *Kyrie eleison;* vel Sabbato post Pentecosten, post *Gloria in excelsis Deo*, antequam prima Collecta dicatur : cæteri Ordines distribui debent prout sequitur seriatim.

De Clerico faciendo, seu tondendo.

Prænotandum est, quando fiunt Ordinationes generales, fiunt Clerici post *Kyrie eleyson*, prout superiori titulo de septem Ordinibus dictum est. Et vocentur omnes Tonsurandi nominatim et sigillatim, quibus ante altare coram Pontifice genua flectentibus, ille ad eos versus, interdicit sub anathematis pœna, ne quis se ad recipiendam primam Tonsuram ingerat, qui non fuit examinatus et approbatus. Quo facto, dicat : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc, et usque in sæculum.* Deinde, illis genua flectentibus, incipit absolute : *Oremus, dilectissimi Fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis qui ad deponendas comas capitum suorum, etc.* Post hæc aliquis inchoat, Schola prosequente, Antiph. *Tu es, Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Psalmus : *Conserva me, Domine.* Et dicit tantum usque ad versum *Dominus pars hæreditatis meæ.* Et repetitur Antiphona : *Tu es, Domine.* Et mox tondet eos successive. Et quilibet tondendus dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei; Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Quibus tonsis, dicit Episcopus : *Oremus. Præ-*

Digitized by Google

sta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum, etc. Quo dicto, aliquis inchoat, Schola prosequente, Antiphonam : *Hi accipient benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo; quoniam hæc est generatio quærentium Dominum.* Psalmus : *Domini est terra;* et dicitur totus cum *Gloria Patri;* et deinde repetitur Antiphona : *Hi accipient.* Deinde Pontifex, ad altare conversus, dicit. *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Et mox ad illos flectentes genua versus, dicit : *Adesto supplicationibus nostris, et hos famulos tuos, etc.* Tunc tenens manu superpelliceum, dicit unicuique sigillatim : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* ℟. *Amen.* Et post mox imponit illud seriatim cuilibet, immittens usque ad scapulas, et immediate retrahens, sicque fiat usque ad ultimum, qui sic totaliter induatur. Quo expedito, dicit : *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, propitiare, etc.* Ultimo annuntiet illis qualiter facti sunt de foro Ecclesiæ, et privilegia Clericalia sortiti sunt, quodque caveant ne per culpas suas illa perdant; et quod habitu honesto bonisque moribus ac operibus Deo placere studeant.

De barba tondenda.

Statutum est in Concilio Carthaginensi ne Clerici nutriant barbas, ideoque quando primo tonduntur, illis dici debet hæc Antiphona : *Sicut ros Hermon, quod descendit in montem Syon, sic descendat super te benedictio Dei.* Psalmus : *Ecce quam bonum*, et totus dicatur cum *Gloria Patri;* et repetatur Antiphona : *Sicut ros Hermon.* Deinde dicitur. *Oremus. Deus cujus providentia, etc.*

DE ORDINATIONE HOSTIARII.

Actis igitur Tonsuris, quæ sunt immediate post *Kyrie eleison*, Pontifice, prima Collecta primaque Lectione dictis, coram altari stante, vocantur Hostiarii per Archidiaconum sic : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Hostiariorum.* Et mox quilibet eorum sigillatim et nominatim vocentur, ut Petrus de tali loco ad titulum patrimonii sui : talis, ad titulum talis, etc.; talis religiosus, ad titulum paupertatis. Et quilibet respondet, *Adsum.* Quibus coram Ordinatore constitutis, interdicit primum sub anathemate, ne quis ad susceptionem Ordinis illius se ingerere præsumat, qui non fuit canonice examinatus et approbatus, et ne uno ordine suscepto alium sine licentia sui superioris recipere præsumat, ut secundum Deum est. Deinde sedens instruit et admonet illos, dicens. Admonitio : *Suscepturi, Filii carissimi, officium Hostiariorum, videte, etc.* Et mox cuilibet eorum ad se accedenti et manu recipienti, tradit seriatim claves ipsas. Post hæc Archidiaconus ducens ipsos ad ostium ecclesiæ, facit illos claudere et aperire. Tradit etiam eis funes campanarum, faciens eos pulsare campanas. Eis igitur reversis et ante Episcopum genua flectentibus, Episcopus dicit, in modum capituli hanc præfationem : *Deum Patrem omnipotentem, Fratres carissimis, etc.* Tunc convertit Episcopus se ad altare, dicens : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Et mox ad illos versus, eis genua flectentibus dicit, quasi legendo, hanc benedictionem : *Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, bene✠dicere, etc.* Post hoc Ordinati, suggerente Archidiacono, redeant ad sedes suas.

DE ORDINATIONE LECTORIS.

Hostiariis ordinatis, Pontifex accedat ad sedem suam, et interim cantatur primum Responsorium, vel *Alleluia* si sit inter octavas Pentecostes, et dicatur secunda Collecta et secunda Lectio. Quibus dictis, Lectores vocantur per Archidiaconum hoc modo : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectoratus.* Et mox sigillatim et nominatim vocentur. Tunc Pontifex coram altare accedit. Eis ergo coram eo cum candelis accensis in manibus constitutis, ipse ponit seu repetit interdictum, ut supra. Deinde sedens cum mitra, admonet eos et instruit, dicens. Admonitio : *Diligunt vos fratres vestri, ut sitis Lectores, etc. Lectorem siquidem oportet, etc.* Deinde tenens in manibus et eis ostendens Codicem, sive Lectionarium de quo lecturi sunt, dicit : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, etc.* Et mox successive, cuilibet ad eum accedenti, et manu dextera accipienti, tradit librum ipsum. Omnibus autem expeditis, et illis genua flectentibus, Episcopus stans dicit in mo-

Digitized by Google

dum capituli hanc præfationem : *Oremus, Dilectissimi, Deum Patrem, etc.* Tunc Pontifex, convertens se ad altare, dicit : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Deinde versus ad Ordinandos genua flectentes, dicit, legendo tamen, hanc benedictionem : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere, etc.* Postea, suggerente Archidiacono, redeant ad sedes suas.

DE ORDINATIONE EXORCISTÆ.

Lectoribus ordinatis, Præsul accedit ad sedem suam, et cantatur secundum Responsorium, et *Alleluia* si est inter octavas Pentecostes, et dicatur tertia Collecta et tertia Lectio : quibus dictis, Exorcistæ vocantur per Archidiaconum sic : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum.* Et mox sigillatim et nominatim vocentur. Quibus coram se cum candelis accensis in manibus constitutis, Ordinator ponit primum interdictum, ut supra. Deinde sedens admonet et instruit eos, dicens. Admonitio : *Ordinandi, fratres, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam enim oportet abjicere dæmones, et dicere populo ut qui non communicat det locum, et aquam in ministerio fundere. Accipite itaque potestatem imponendi manus super Energumenos, ut per impositionem vestrarum manuum, gratia Spiritus sancti, et verbis Exorcismi, pellantur spiritus immundi a corporibus obsessis. Videte igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis, ne illis suasionibus succumbatis quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum, etc.* Post hæc tenens in manibus libellum in quo Exorcismi scripti sunt, et eis ostendens, dicit : *Accipite, et mandate memoriæ, et habetote, etc.* Et mox cuilibet appropinquanti sibi, manu dextera recipienti, tradit successive librum ipsum. Postea vero devote omnibus genua simul flectentibus, Episcopus dicit in modum capituli hanc orationem : *Deum Patrem omnipotentem etc.* Tunc conversus Episcopus ad altare, dicit Episcopus : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Et mox Episcopus conversus ad Ordinandos genua flectentes dicit, legendo tamen, hanc benedictionem : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum; ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coercendi; ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum virtuteque cœlesti confirmati. Per Dominum.* Post hæc, suggerente Archidiacono, redeant ad sedes suas.

DE ORDINATONE ACOLITI.

Exorcistis ordinatis, Præsul accedit ad sedem suam, et cantatur quartum Responsorium, vel *Alleluia* si sit inter octavas Pentecostes; et dicuntur quarta Collecta et quarta Lectio. Quibus dictis, Acoliti vocantur per Archidiaconum sic : *Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolitorum.* Et mox sigillatim et nominatim vocantur. Quibus coram se, cum candelis accensis in manibus, constitutis, Ordinator ponit interdictum, ut supra. Deinde sedens, admonet et instruit eos, dicens. Admonitio : *Susceptuti, Fratres carissimi, Acolitorum officium, pensate quod suscipitis. Acolitum etenim oportet ceroferarium ferre; luminaria ecclesiæ accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam seu ad ministerium sanguinis Christi ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si, lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed, sicut Veritas dicit :* Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *Et sicut Apostolus Paulus ait :* In medio nationis pravæ atque perversæ positi, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sint *ergo* lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis; fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate. *Quæ sit vero ista lux quæ tantopere eluceat, Apostolus ipse demonstrat, subdens :* Fructus enim lucis est in omni bonitate, justitia et veritate, *ut vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.* Post hoc tra-

Digitized by Google

dat cuilibet ceroferarium cum candela extincta, et mox successive omnes cum manu dextera accipient, Episcopo dicente communiter : *Accipite ceroferarium, etc.* Postea eis genua flectentibus, stans sine mitra dicit in modum capituli hanc præfationem : *Deum Patrem omnipotentem, Fratres carissimi, etc.* Tunc Episcopus se ad altare convertens, dicit : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Et dicit hanc benedictionem legendo : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, etc.* Alia benedictio : *Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, qui ad Moysen et Auron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii, bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare dignare hos famulos tuos, ut sint Acoliti in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen. Oremus : Omnipotens, sempiterne Deus, fons lucis, etc.* Post hæc, suggerente Archidiacono, redeant ad sedes suas.

NOTA.

Sequitur *De Ordinatione Subdiaconi*, verum in margine titulus præmittitur, *De Ordinibus Sacris,* cui hæc Rubrica subjicitur : « Sacri et » majores Ordines sunt Subdiaconatus, Diaco- » natus et Presbyteratus ; Episcopalis autem » Ordo sub appellatione Sacrorum Ordinum » simpliciter non intelligitur, quoniam ille, » summitas Sacerdotii, culmen et apex, atque » tronus dicitur dignitatis. Et nota quod in Ec- » clesia, qui ad sacros Ordines promoventur, » debent de honestate, non de necessitate com- » municari. Unde ibi prædici debet eis ut se ad » hoc digne præparent ; et pro eorum numero » debet Acolitus consecrandas hostias præpa- » rare. Cum ergo Pontifex circa finem Missæ » sanguinem sumpserit, post primam oris » ablutionem, priusquam digitos lavit, accedunt » qui communicari debent, primo Presbyteri, » secundo Diaconi, et tertio Subdiaconi ; et qui- » libet, priusquam communicet, flexis genibus, » manum Pontificis hostiam tenentis osculatur, » et mox ipse porrigit singulis sacram commu- » nionem, dicens cuilibet : *Corpus Domini nostri » Jesu Christi custodiat te, et perducat in vitam » æternam.* Et si Presbyter vel Diaconus est qui » communicat, Pontifex, data hostia immediate, » eum ad osculum pacis recipit. Apud nos ta- » men solummodo Presbyteri communicant, » nec ad osculum recipiuntur. Decet autem » Ordinatorem et Ordinandos ipsa die et præ- » cedenti jejunare. » Atque hæc in margine quidem habentur, in medio autem libri sequens titulus inscribitur :

DE ORDINATIONE SUBDIACONI.

Acolitis ordinatis, Pontifex ad sedem suam accedat, et a Choro cantatur quintum Responsorium, vel *Alleluia* si sit intra octavas Pentecostes. Dicatur etiam quinta Collecta et quinta Lectio, scilicet, *Angelus Domini.* Quibus dictis, vocentur Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri similiter per Archidiaconum hoc modo : *Accedant qui ordinandi sunt Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri.* Veniant ergo omnes, quilibet cum veste ordini suo congruente, prout infra dicetur, candelas accensas in manibus portantes. Primo quidem veniant Subdiaconi ordinandi, ponentes se in Presbyterio in parte aquilonari ; secundo Diaconi, ponentes se in Presbyterio in parte australi ; tertio Presbyteri, ponentes se in medio Presbyterii opposito altari. Tunc Pontifex mitram in capite tenens, accumbit super faldistorium in superiori gradu altaris paratum, et Ministri ac omnes Ordinandi hinc inde super tappeta ad terram, et Schola inchoat Letaniam.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,	Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus,	Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,	Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus,	Miserere nobis.
Sancta Maria,	Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,	Ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum,	Ora.
Sancte Michael,	Ora.
Sancte Gabriel,	Ora.
Sancte Raphael,	Ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli,	Orate.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,	Orate.
Sancte Joannes Baptista,	Ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ,	Orate.
Sancte Petre,	Ora.

Digitized by Google

Sancte Paule, Ora.
Sancte Andrea, Ora.
Sancte Joannes Evangelista, Ora.
Sancte Jacobe, Ora.
Sancte Bartholomæe, Ora.
Sancte Matthæe, Ora.
Sancte Philippe, Ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, Orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, Orate.
Omnes sancti Innocentes, Orate.
Sancte Stephane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Sancte Vincenti, Ora.
Omnes sancti Martyres, Orate.
Sancte Silvester, Ora.
Sancte Gregori, Ora.
Sancte Augustine, Ora.
Sancte Jeronime, Ora.
Sancte Ambrosi, Ora.
Sancte Nicolae, Ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, Orate.
Sancte Benedicte, Ora.
Sancte Dominice, Ora.
Sancte Francisce, Ora.
Sancte Bernarde, Ora.
Omnes sancti Monaci et Eremitæ, Orate.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ, Orate.
Sancta Maria Magdalena, Ora.
Sancta Agatha, Ora.
Sancta Agnes, Ora.
Sancta Cecilia, Ora.
Sancta Catherina, Ora.
Sancta Anastasia, Ora.
Sancta Margarita, Ora.
Sancta Ursula, Ora.
Sancta Christina, Ora.
Sancta Lucia, Ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, Orate.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, Orate.
Propitius esto. Libera nos, Domine.
Propitius esto. Exaudi nos, Domine.
Ab omni peccato Libera nos, Domine.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, Libera nos, Domine.
Ab insidiis diaboli Libera nos, Domine.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis Libera nos, Domine.
A fulgure et tempestate Libera nos, Domine.
Ab omni malo Libera nos, Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, Libera nos, Domine,
(*In margine*, Per adventum tuum, Libera nos, Domine.)
Per sanctam nativitatem tuam, Libera nos, Domine.
Per Baptismum et sanctum jejunium tuum, Libera nos, Domine.
Per passionem et crucem tuam, Libera nos, Domine.
Per mortem et sepulturam tuam, Libera nos, Domine.
Per gloriosam resurrectionem tuam, Libera nos, Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera nos, Domine.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti, Libera nos, Domine.
In hora mortis succurre nobis, Domine.
In die Judicii, Libera nos, Domine.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus, audi nos.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rogamus, audi nos.
Ut omnibus fidelibus vivis et defunctis vitam et requiem æternam concedas, Te rogamus, audi nos.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus, audi nos.
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut cunctum populum Christianum tuo pretioso sanguine redemptum conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut Dompnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus, audi nos.
Ut obsequium servitutis nostræ tibi rationabile facias, Te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos.
Fili Dei, Te rogamus, audi nos.
Redemptor mundi, Te rogamus, audi nos.
Salvator mundi, Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe, audi nos, Christe, exaudi nos.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Postquam autem Schola dixerit Letaniam usque ad, *Ut obsequium servitutis nostræ*, sibique a Choro responsum fuerit, tunc Episcopus ab accubitu surgens, et se ad Ordinandos volvens, baculum pastoralem in sinistra tenens, dicit primo : *Ut hos electos tuos bene ✠ dicere digneris, Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hos electos tuos bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris, Te rogamus, audi nos.* Tertio vero dicit : *Ut hos electos tuos bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare et conse ✠ crare digneris, Te rogamus, audi nos,* producens ter signum Crucis super illos. Quo facto, iterum super faldistorium accumbit, Schola resumente et prosequente Letaniam. Qua finita, Ordinator ab accubitu surgens stat ante medium altaris, vel sedeat ibi super faldistorium : et tunc Archidiaconus dicat alta voce : *Recedant in partem, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.* Quibus ad aliquem idoneum locum, unde Episcopum celebrantem videre possint, transeuntibus, ad Ordinationem Subdiaconorum, qui in Presbyterio remanserunt, proceditur hoc modo. Archidiaconus enim unumquemque illorum sigillatim et nominatim ad eorum titulum vocet, ut supra. Et quilibet vocatus accedens respondeat : *Assum, Domine.* Omnibus ergo in Presbyterio in modum coronæ coram Pontifice dispositis, ille ponit interdictum, ut supra dictum est in titulo de Ordinatione Hostiarii. Deinde sedens (*In margine*, cum mitra) eos instruit et ammonet, dicens : *Accepturi, Fratres carissimi, officium Subdiaconatus, sedule attendite quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim opportet aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare, etc. Si usque nunc inhonesti, amodo casti.* Deinde Pontifex tradit cuilibet successive calicem vacuum cum patena superposita, et mox accipient de manu Archidiaconi urceolum cum manutergio, et bacili. Quo facto, dicit Pontifex : *Videte cujus ministerium vobis traditur, etc.* Postea, eis genua flectentibus, stans Episcopus concepta voce dicit hanc præfationem in modum capituli : *Oremus Deum ac Dominum, etc.* Et Episcopus conversus ad altare dicit : *Oremus.* Et Diaconus, *Flectamus genua. Levate.* Et mox Episcopus conversus ad illos genua flectentes dicit, quidem legendo, hanc benedictionem : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, etc.* Tunc Episcopus imponat cuilibet amictum successive, dicens : *Accipe amictum, etc.* Deinde ponat in sinistro brachio cuilibet manipulum, dicens : *Accipe manipulum, etc.* Post hæc induat tunicella quemlibet; sed si una tantum sit tunicella, immittat illam cuilibet solum usque ad scapulas, retrahens semper illam; sed posteriori totaliter illam mittat, cuilibet dicens : *Induat te Dominus vestimento salutis et tunica justitiæ, in nomine Pa ✠ tris, etc.* Postea tradit cuilibet librum successive Epistolarum, dicens : *Accipe librum Epistolarum, et habeto potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei. In nomine Pa ✠ tris, etc.* His omnibus expeditis, redeant, suggerente Archidiacono, ad sedes suas. Unus tamen de noviter ordinatis recipiens tunicam illius Subdiaconi qui in Missa ministravit, dicat suo loco Epistolam.

DE ORDINATIONE DYACONI.

Subdiaconis ordinatis, accedat Pontifex ad sedem, et cantatur Tractus : *Benedictus es, etc.*, vel *Alleluia, Veni sancte Spiritus*, si sit infra octavas Pentecostes; et dicatur Collecta Missæ diei sub uno Per Dominum. (*In margine :* Dicatur et sequens Collecta pro Ordinatis et Ordinandis, quæ dicitur cum Collecta Missæ diei sub uno Per Dominum. Oratio : *Exaudi, quæsumus, Domine, etc.*) Quibus dictis, Ordinandi in Dyacones per Archidiaconum vocantur sic : *Accedant qui ordinandi sunt Dyaconi.* Et mox sigillatim et nominatim vocantur, prout dictum est in titulo præcedenti, nulla tamen facta de titulis mentione. Eis igitur, cum candelis accensis in manibus, in modum coronæ in Presbyterio coram Pontifice dispositis, Archidiaconus offerens illos, dicit alta voce in sono Lectionis : *Postulat sancta mater Ecclesia Catholica ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Dyaconii ordinetis.* Et Pontifex interrogat, dicens : *Scis illos dignos esse?* Tunc Archidiaconus respondet : *Quantum*

Digitized by Google

humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujusmodi onus officii. (*In margine :* Et mox ponitur interdictum, ut supra.) Quo facto, ad eorum ordinationem procedit hoc modo : Primo enim sedens annuntiat Pontifex, quasi legendo, Clero et populo, dicens : *Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro, etc.* Admonitio : *Provehendi, dilectissimi, ad Leviticum ordinem, etc.* Post hæc Ordinator aliquantulum altius alloquitur populum his verbis dicens : *Commune votum communis oratio prosequatur, etc.* Deinde, eis genua flectentibus, versus eos stans Episcopus, qui legendo dicit hanc præfationem : *Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos etc.* Deinde dicit Episcopus mediocri voce, junctis manibus ante pectus, hanc præfationem : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen. Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, etc.* Post hæc omnibus stolas in manibus tenentibus Ordinator dicit : *Accipe stolam candidam de manu Domini ab omnibus vitiorum sordibus purificatus in conspectu divinæ Majestatis, ut omnibus vita conversationis tuæ præbeatur exemplum, plebsque dicata Christi nomine possit imitando te imitationem acquirere justam. Amen.* (*In margine ita legitur :* Alibi : *Accipite stolas candidas de manu Domini, et adimplete ministerium vestrum ; potens est enim Deus ut augeat vobis gratiam suam. Qui vivit, etc.*). Et mox cuilibet coram se genua flectenti imponit successive stolam super lævum seu sinistrum humerum, producens super quemlibet signum Crucis ✠. Et ministri reflectent illius capita, et alligant sub ascella dextera. Post hæc tenens in manu dalmaticam, induit eam quemlibet successive usque ad ultimum, quem totaliter induit, et hoc si sit una dalmatica tantum ; si vero quilibet habet suam, tunc totaliter induit quemlibet suam, dicens cuilibet : *Induat te Dominus vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdet te semper, in nomine Domini. Amen.* Postremo tenens in manibus librum Evangeliorum, et illis ostendens, prædicit communiter omnibus : *Accipite potestatem legendi Evangelium, etc.* Et mox tradit illum successive cuilibet coram eo genua flectenti, manu dextera recipienti. Tunc ad altare conversus Episcopus dicit : *Oremus.* Et dicatur : *Flectamus genua. Levate.* Benedictio quæ dicitur legendo tantum : *Exaudi, Domine, preces nostras super hos, etc.* Alia Oratio, quam quidam dicunt : *Domine sancte, spei, fidei, gratiæ et profectuum, etc.* Et tunc dalmatica illius Dyaconi qui ministravit in Missa, traditur alicui de novis Ordinatis, qui Evangelium dicat. Ordinati autem statim, vel in aliis ecclesiis, lecto Evangelio, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE PRESBYTERI. RUBRICA.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum accedat, et cantetur Tractus, vel *Alleluia* si sit infra octavam Pentecostes. Deinde Pontifex procedit ad ordinationem Presbyterorum priusquam Evangelium dicatur. In quibusdam tamen Ecclesiis post lectum Evangelium mox Presbyteri ordinantur, priusquam *Credo in unum Deum* incipiatur. In ordinatione itaque Presbyteri proceditur hoc modo : Dyaconis enim ad sedes suas reversis, Archidiaconus clamet alta voce, dicens : *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyterii.* Et mox sigillatim et nominatim eos vocat, ut supra dictum est. Tunc illi more Dyaconorum, parati scilicet amictu, alba, cinctorio, manipulo et stola, tenentes planetas super brachia complicatas, et candelas accensas in manibus, bini et bini coram Ordinatore accedant, et coram eo se in modum coronæ disponant. Omnibus ergo coram eo dispositis hoc ordine, ponitur interdictum ut supra. Tunc Archidiaconus dicit alta voce in sono lectionis : *Postulat sancta mater Ecclesia Catholica, etc.* Et Pontifex interrogat dicens : *Scis illos dignos esse ?* Respondet Archidiaconus : *Quantum humana fragilitas, etc.* Tunc Pontifex sedens, simpliciter legendo annuntiat Clero et populo, juxta statutum Carthaginensis Concilii, ita dicens : *Quoniam, dilectissimi Fratres, rectori navis, etc.* Post hæc Pontifex sedens instruit et admonet Ordinandos, dicens : *Consecrandi Fratres mei in Presbyteratus officium, etc.* Post hæc Ordinator, nulla oratione nulloque cantu præmissis, imponit utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi, singulis successive coram se genuflectentibus. Idem faciant post eum tres aut plures Sacerdotes ibidem præsentes, cappis seu pluvialibus, seu etiam planetis

Digitized by Google

albis induti. Quo facto, tam Episcopus quam Presbyteri tenent manus dextras super illos suspensas. Et Episcopus dicit super eos hanc Orationem : *Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, etc.* Tunc convertens se ad altare, dicit : *Oremus.* Et Diaconus : *Flectamus genua. Levate.* Et mox versus ad Ordinandos genuflectentes, dicit legendo tantum hanc Orationem. Oratio : *Exaudi nos, quæsumus, Domine, etc.* Deinde dicit mediocri voce, junctis manibus ante pectus : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen. Dominus vobiscum.* ℣. *Et cum spiritu tuo. Sursum corda, etc.* Hic reflectat orarium, sive stolam ab humero sinistro super dextrum cujuslibet successive, dicens cuilibet : *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve. Stola innocentiæ induat te Dominus.* Et paretur stola cuilibet ante pectus in modum crucis, prout est moris fieri. Postea Pontifex imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, aperte anteriori deorsum dependentem, dicens cuilibet : *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Dominus augere tibi charitatem et opus perfectum.* Respondetur : *Deo gratias.* Benedictio quæ dicitur quasi legendo omnibus genua flectentibus : *Deus sanctificationum auctor, cujus vera consecratio etc.* (ubi tamen in fine sic legitur : *conscientia, pura, fide plena, Spiritu sancto pleni, persolvant. Per eumdem, etc.*) Tunc Episcopus ad altare conversus flexis genibus incipiat ante medium altaris alta voce : *Alleluia, Veni sancte Spiritus;* vel si cadit intra octavam Pentecostes, incipiat Ynnus : *Veni Creator Spiritus, etc.* Et dicto primo versu surgens, lotis manibus et resumpto annulo, dum præmissa cantantur, omnes Ordinandi successive coram eo genua flectunt, et tunc non cum Chrismate, sed oleo Catechumenorum simul ambas manus et polices singulorum in modum crucis producendo, videlicet cum police suo destro inuncto duas lineas unctionis, primam a police destro cujuslibet usque ad indicem sinistrum, et secundam a police sinistro usque ad indicem dextrum, et ungendo mox totaliter palmas, dicit ad quemlibet : *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per ipsam unctionem et nostram benedictionem, ut quæcumque consecraverint consecrentur, et quæcumque benedixerint benedicantur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et quilibet Ordinandus respondet : *Amen.* Tunc Episcopus claudat seu jungat manus cujuslibet successive. Et mox unusquisque ad ordinem suum redit; et sic clausas dextram super sinistram usque ad finem Missæ tenent. In quibusdam tamen Ecclesiis statim lecto Evangelio manus lavant; et si propter Ordinandorum multitudinem necesse fuerit, cantetur Sequentia : *Veni sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium, etc.* Omnibus taliter expeditis, Pontifex manus lavat et tergit : quo facto, tradit cuilibet succesive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia; et ipsi illa accipiant inter indices et medios digitos utriusque manus, ita quod tangat cuppam calicis et patenam simul, aut primo pedem calicis et postea oram patenæ, dicens cuilibet : *Accipe potestatem offerre Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* ℟. *Amen.* Et quando dominus Papa ordinat Presbyterum Cardinalem, dat ei annulum, dicens : *Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, et Apostolorum ejus Petri et Pauli, committimus tibi Ecclesiam illam cum Clero et Populo suo.*

His peractis, legitur Evangelium per unum de noviter ordinatis. Post hæc parantur hostiæ pro numero ipsorum Presbyterorum, qui omnes communicare debent; licet secundum consuetudinem Romanæ Curiæ sit de honestate quod omnes communicent qui sacros Ordines susceperunt. Deinde proceditur in Missa ordine solito; et Ordinati, si velint, habeant libros Missales coram se, dicentes tacite Canonem et quæcumque de Missa dixerit Ordinator. Secreta pro Ordinatis, quæ dicitur cum uno *Per Dominum*, cum Secreta Missæ diei : *Tuis, quæsumus, Domine, etc.* Deinde ante *Agnus Dei* dicatur solemnis benedictio Episcopalis : *Omnipotens Deus, sua vos benedicat clementia, etc.* Cum autem Pontifex circa finem Missæ sanguinem Christi sumpserit, et os semel duntaxat laverit, prius tamen quam digitos lavet, accedant ad eum qui communicare debent, ordinate : primo Presbyteri, secundo Dyaconi, tertio Subdyaconi. Quibus genua flectentibus, Pontifex singulis singulam det hostiam sacram, cuique dicens : *Corpus*

Digitized by Google

Domini nostri Jesu Christi custodiat, et perducat te ad vitam æternam. Prius tamen quam communicandi hostiam sumant, singuli manum Pontificis obsculantur. Quo facto, Ordinator inchoat, Schola prosequente, *Jam non dicam vos servos, etc.* Sed dum cantatur Responsorium, ipsi Ordinati ante altare coram Episcopo stantes profitentur Fidem quam prædicaturi sunt, dicentes : *Credo in unum Deum, etc.* Quo dicto Episcopus imponit successive ambas manus super capita singulorum parum inclinata, dicens cuilibet: *Accipite Spiritum sanctum, etc.* Deinde trahens et explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illam quemlibet successive, ita tamen quod manus cujuslibet semper junctæ permaneant, dicens cuilibet : *Stola innocentiæ induat te Dominus.* ℟. *Amen.* Et mox iterum unusquisque ad Episcopum sigillatim accedit ponens manus suas junctas inter manus Episcopi dicentis cuilibet : *Promittis mihi et successoribus meis obedientiam et reverentiam ?* Et ille respondet : *Promitto.* Et hoc nisi alteri sit subjectus. Item Pontifex tenens manus illius sic interclusas, obsculatur mox unumquemque, dicens : *Pax Domini sit semper vobiscum,* vel *tecum.* Et ille respondet : *Amen.* His expletis, et omnibus ad ordinem suum reversis, dicit ad eos. Instructio : *Quia res quam tractaturi estis, etc.* Post hæc Pontifex convertitur ad altare, et cantatur Communio, et dicitur pro Ordinatis hæc Postcommunio sub uno *Per Dominum,* cum Postcommunione Missæ : *Quos tuis, Domine, etc.*

Deinde dicatur : *Benedicamus Domino,* vel *Ite Missa est,* si tempus requirat. Quo facto, vertit se ad Ordinatos cum mitra et baculo, et hortatur eos communiter ad bene vivendum, quodque diligenter considerent qualem Ordinem susceperunt, et quod orent pro eo et pro aliis quos volunt, injungens eis Missas et alia quæ viderit expedire. Quod illi devote suscipiant, et respondeant se facturos. Postremo benedicat eis genua flectentibus, dicens : *Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti descendat super vos, etc.* Ultimo intrant sacrarium, et ibi manus lavant, fricantes primo illas cum medulla panis, et aqua lotionis in fontibus vel piscina fundatur.

TITULUS XIII.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM.

I. Pervenimus jam ad Episcopatus apicem, quem aiunt passim sacri Scriptores esse consummationem Sacerdotii, sive summum perfectumque Sacerdotium. An sit Ordo a Presbyteratu distinctus, theologi et canonici jurisconsulti acriter disputant. Affirmanti sententiæ favere videtur Apostolus in Epistola I ad Timotheum, quem monet ut gratiam in Episcopatus inauguratione acceptam non negligat, sed resuscitet. Patres quoque sententiam illam confirmant, eorumque hic loca referre supervacaneum puto. S. Epiphanius, Hæresi LXXV, ut alibi etiam diximus, Aerium hæresiarcham refellit, quod temere assereret unum esse Ordinem Episcopi et Presbyteri; quanquam non id eodem sensu theologi asserant, ac impius Aerius asserebat. Illi enim Episcopos jure divino Presbyteris superiores esse propugnant, et credunt quod fides docet; Aerius vero nullum esse discrimen inter Episcopum et Presbyterum impie ac pertinaciter contendebat, sed in omnibus æquales esse, et ordine, et honore, et dignitate, et potestate pares. Hic porro, teste S. Augustino, in libro quem *De Hæresibus* inscripsit, cap. LIII, cum esset Presbyter, ægre ferens non posse se Episcopi dignitatem, quam modis omnibus ambiebat, assequi, in Arianorum ea de causa lapsus hæresim, propria quoque dogmata illi addidisse dicitur. Quorum unum fuit Presbyterum ab Episcopo nullo discrimine debere discerni, sed utrumque gradu et auctoritate æqualem esse.

II. Sed omisso hoc errore quem theologi lato calamo confutarunt, antequam ulterius

Digitized by Google

progrediatur oratio, operæ pretium ducimus nonnulla explicare quæ ad Episcoporum electionem spectant. Martinus Lutherus, insignis Ecclesiæ perduellis, in libro quem scripsit *De Potestate Papæ*, temere censuit electionem Episcoporum ac aliorum ministrorum Ecclesiæ ad Clerum et populum jure divino spectare, ita ut sine populi suffragio irrita sit cujuscumque ministri electio. « Hunc ritum, inquit, per » multas epistolas Cyprianus commemorat, » semper suffragium populi et judicium pro» pinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc » ex Deo Ordinationem esse cum fiducia pro» nuntiet. » A Lutheri delirio alienus profecto nequaquam fuit Joannes Calvinus, qui lib. IV *Institutionum*, cap. III, non minus temere hunc in modum scripsit : « Habemus esse hanc legi» timam ex verbo Dei ministri vocationem, ubi » ex populi consensu et approbatione creantur, » qui visi fuerint idonei. » Idem habent alii sectarii, quos una omnes condemnat Concilium Tridentinum, ubi sessione XXIII, cap. IV, Catholicæ Ecclesiæ fidem verbis hisce proposuit : « Docet sacrosancta Synodus, in Ordinatione » Episcoporum, Sacerdotum et cæterorum Or» dinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis » potestatis et magistratus consensum, sive vo» cationem, sive auctoritatem ita requiri ut » sine ea irrita sit Ordinatio. » Et in eadem sessione, can. VII, eosdem hæreticos excommunicatione percellens, ita inquit : « Si quis » dixerit.... Ordines ab ipsis (Episcopis) colla» tos sine populi, vel potestatis sæcularis consen» su aut vocatione irritos esse... anathema sit. » Vide eruditissimum Estium in libri quarti distinctione XXIV, § XXXI, ubi Ordinationem legitimam non dependere ab electione laica, variis sacræ Scripturæ ac sanctorum Patrum locis demonstrat : § vero XXXII ad ea respondet quæ objiciunt adversarii.

III. Verum fateri cogimur diu in Ecclesia laicos ac præsertim principes viros, seu vi, sive conniventibus Pontificibus Maximis, in electionibus Episcoporum plurimum potuisse. Tradit Van Espen in *Jus Ecclesiasticum*, parte I, tit. XIII, cap. II, sæculo Christi XII, cœpisse electiones Episcoporum transire ad Capitula Cathedralia, propter laicorum scilicet tumultuosas factiones, ex quibus extrema vis, ipsæ etiam cædes eruperunt, uti ostendit Jueninus in opere *De Sacramentis*, dissertatione IX, *De Ordinibus in specie*, quæstione I *De Episcopatu*, articulo VI. Primus omnium, referente Raynaldo, tomo XV, in Appendice, Joannes XXII, anno 1322, reservavit sibi Episcopalium sediummonium electiones in provinciis Aquileiæ, Mediolani, Pavennæ, Genuæ, Pisarum et Neapolis, ob dissensiones in ipsis electionibus oriri solitas, dum Pontifices Avenione sederent, et per eorum absentiam intestinis dissidiis laceraretur Italia. Sane id facile obtinuisse videtur Joannes, quod temporarias eas esse reservationes diceret, donec bella sedarentur : « Donec, favente Domino su» blata procella temporis impacati, eisdem Ec» clesiis plena in eligendo securitas ministre» tur. »

IV. Verum cum sequioris ævi Pontifices plena in conferendis Episcopatibus libertate gauderent, eligerentque nonnunquam viros principibus suspectos atque invisos, res eo devenit, ut, variis tandem Pontifices ipsos inter et reges concordatis, variæ acciderent in Episcoporum electione mutationes. Anno 1448 inita sunt concordata inter Nicolaum Papam V et Fridericum III, imperatorem, seu nationem Germanicam. In iis præcipuum caput est ut Germani quidem liberis et canonicis electionibus fruantur, sed ea tamen lege ut electio celebretur in omnibus Ecclesiis episcopalibus vel abbatialibus, et Electi per bullas Pontificias confirmentur. Concordata quæ Leo X Bononiæ in Italia iniit cum Francisco I, Gallorum rege, anno 1516, confirmata fuerunt in Concilio Lateranensi V, statutumque in iis potissimum fuit ut cessarent electiones in omnibus Ecclesiis metropolitanis cathedralibusque regni, et Delphinatus comitatusque Diensis et Valentini; sed ubi posthac illæ Ecclesiæ vacarent, nominaretur a rege Doctor vel Licentiatus in theologia, vel jure, annos natus viginti et septem, sex saltem mensibus postquam Ecclesia vacare cœpisset, a Pontifice vero Maximo bullæ et provisiones darentur. Per concordata Carolum V inter et Adrianum VI conventum est ut penes Hispaniæ reges esset nominatio ad Episcopatus et Abbatias, teste Mariana, lib. XXVI, cap. V, his verbis : « Adrianus VI, in gratiam Caroli alumni, cui » debebat Pontificatum, ei et successoribus » concessit lege perpetua jus præsentandi Epi» scopos Hispaniæ, qui ante ad eorum suppli-

Digitized by Google

» cationem precario a Pontificibus Romanis » instituebantur. » In nostro Neapolitano regno viginti quatuor Episcopatuum nominationem eidem Carolo V concessit Clemens VII, ut alias omittam concessiones a Summis Pontificibus factas plerisque principibus Occidentalibus. Vide eruditissimum Thomassinum, qui de ipsis indultis et concordatis in sua *veteri ac nova Ecclesiæ Disciplina* fuse pertractat, parte II, lib. II, cap. XXXV et seq.

V. Quanquam vero primitus et per tredecim fere sæcula confirmatio Episcoporum ad Metropolitanum spectaret, cœperitque per reservationes Pontificias, sæculo XIV, ad Sedem Apostolicam jus eligendi ac confirmandi in aliquibus saltem locis devolvi, constat nihilominus, etiam post ipsas reservationes sublatas, jus confirmandi mansisse penes Pontificem; etenim præter concordata Germaniæ ac Galliæ, quæ illud jus, ut superius dictum est, Sedi Apostolicæ deferunt, indulta quoque et privilegia quibus Romani Pontifices regibus Hispaniæ et Belgii principibus jus nominandi ad cathedrales Ecclesias concesserunt, confirmationem sive provisionem Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ reservarunt, nec alteri quam ipsi Apostolicæ Sedi personam a rege præsentari volunt, teste laudato Van Espen, tit. XIV, cap. I in fine.

§ I.

Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra Curiam; sive per commissionem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit cardinalis.

COMMENTARIUS.

I. Neminem puto eruditorum latere, per duodecim et amplius sæcula, penes Metropolitanum fuisse præcipuam tum in confirmatione, tum in consecratione Episcoporum auctoritatem; adeo ut si quis, ignorante Metropolitano vel invito, factus esset Episcopus, hunc Synodus Nicæna, can. VI, definierit Episcopum esse non oportere. Hinc Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epistola ad Victricium episcopum Rotomagensem ita scribit apud Gratianum, distinctione LXIV : « Extra conscientiam Metro- » politani nullus audeat ordinare Episcopum.... » Hoc enim et Synodus Nicæna constituit atque » definivit. » Hinc etiam Gelasius Papa, in Epistola ad universos Dardaniæ Episcopos, dolens privilegia quæ metropolitanis vel provincialibus Episcopis decrevit antiquitas, temeraria præsumptione pervadi, pluribus inculcat ut Episcopi, *sicut vetus consuetudo deposcit*, a suo Metropolitano, et ipse ab eisdem consecraretur. Refert et hoc Gelasii Papæ constitutum in suo decreto idem Gratianus in can. *Quia per ambitiones*, distinctione LXIV.

II. Quam religiosi autem fuerint sequioris ævi Romani Pontifices in conservanda ipsa Metropolitanorum auctoritate, ex eo patet quod, ut ex Frodoardo in *Historia Remensi* narrat Baronius ad annum 885, Stephanus VI, ne illam auctoritatem perturbaret, Lingonensem a populo et Clero rite electum Episcopum, et Romam pro consecratione cum decreto electionis missum, consecrare bis renuit repulitque; ad Lugdunensem Metropolitanum consecrare recusantem scribens atque rescribens, ut ipse suo munere in illius consecratione fungeretur. Sed cum memoratus Lugdunensis in sua pertinacia persisteret, interpellatus tertio Pontifex, tunc demum ipsum Lingonensem pro sua in universam Ecclesiam potestate Episcopum consecravit. Similiter S. Gregorius VII, licet ipse Robertum Carnotensem Episcopatu privasset, non tamen propterea sibi alterius suffectionem aut ordinationem reservavit, sed ad Ordinarios tam electores quam consecratores illum rejecit, Senonensi Metropolitano ejusque Suffraganeis ita scribens, libro IV, Epistola XV : « Ecclesiam » illam (Carnotensem) canonicam electionem in » aliquam idoneam personam facere admo-

Digitized by Google

» nuimus ; admonemus et vos ut eidem electioni » eam quam oportet, aut per vos, aut per ido- » neos nuntios vestros diligentiam adhibentes, » quem electum canonice cognoveritis, et » manus imponere, et in Episcopum consecrare, » nulla occasione recusetis. »

III. Hodierna quoad ipsum Episcopum consecratorem nonnihil a pristina dissona est disciplina : nam juxta disciplinam sacris Canonibus et Decretalibus Gregorii IX expressam, ordinarius Consecrator est quidem Metropolitanus respectu suorum Suffraganeorum. Hodie vero sicuti Episcoporum confirmatio, ita et consecratio ad Romanum Pontificem devoluta est. Unde non mirum si in Pontificali Romano, initio tituli *De consecratione electi in Episcopum*, hoc monitum præmittitur : *Nemo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas si sit extra Curiam ; sive per commissionem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit cardinalis.* In vetustioribus Romanis Pontificalibus recitata verba cum hoc addito leguntur : *Alioquin ei non debet credi.* Est quippe et hoc unum de præcipuis Cardinalium privilegiis, ut, quemadmodum passim jurisconsulti docent, illis aliquid asserentibus omnino fides adhibenda sit, quamvis Bartholus in lege I Cod. *De superindicto*, lib. X, velit nulli ac ne Cardinali quidem esse credendum, si sibi aliquid speciale demandatum esse asseruerit, nisi litteras Apostolicas ostendat. De variis Cardinalium indultis ac privilegiis vide Germonium in calce operis *De Sacrorum immunitatibus.*

§ II.

Statuta die consecrationis, quæ debet esse Dominica vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit, et tam Consecrator quam Electus conveniens est ut præcedenti die jejunent.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis alii inferiores Ordines nonnisi certis anni temporibus ex præscripto sacrorum Canonum ac Summorum Pontificum conferri debeant, Episcopos tamen jam vel olim Ecclesia Latina consecrare Dominicis cunctis diebus consuevit. Certe in III Carthaginensi Synodo, habita anno 397, can. XXXIX, ita locutum fuisse legimus Aurelium Carthaginensem archiepiscopum : « In hac Ecclesia, ad quam dignata » est vestra sanctitas convenire, crebro ac pene » per diem Dominicam ordinandos habemus » Episcopos. » Vastissima quippe erat Africana diœcesis, et omnes ejus Episcopos, etsi non deberet, poterat tamen Primas Carthaginensis consecrare. Item adversus Hilarium Arelatensem archiepiscopum, quod aliarum provinciarum Episcopos ordinare præsumeret, inter alia, et hæc ad Viennensis provinciæ Antistites scripsit S. Leo Magnus : « Non passim sed die legitimo » Ordinatio celebretur; nec sibi constare status » sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati, » vespere, quod lucescit in prima Sabbati, vel » ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum » enim majores nostri resurrectionis Dominicæ » diem hoc honore dignum judicaverunt, ut » Sacerdotes qui sumuntur hoc die potissimum » tribuantur. » Dilucide inquit, ex majorum consuetudine ac disciplina, Episcopos in quavis Dominica consecrari debere. Id quod etiam et alii passim sequioris ævi scriptores tradidere, inter quos Hugo de S. Victore in *Theologica de Sacramentis eruditione*, lib. II, parte II, cap. XX, ita scribit : « Presbyteri et Diaconi Sabbato » consecrandi Episcopo præsentantur; benedi- » ctiones vero Pontificum diebus tantum Domi- » nicis celebrandas esse sacri Canones sanxe- » runt. » Quod ut aliquo exemplo comprobem ex innumeris quæ in Historia Ecclesiastica passim occurrunt, de S. Gothardo Hildesemensi episcopo, qui obiit circa annum Domini 1035, scribit illius vitæ ductor apud Surium, tom. VII, ad diem 4 maii, cap. XV, « proxima Adventus » Domini die Dominica ab Aribione Moguntinensi archiepiscopo digne Deo consecratum » fuisse Episcopum. »

II. Sed et Alcuinus Flaccus, aut quicumque

Digitized by Google

alius *De Divinis Officiis* libri auctor, qui nono sæculo floruit, in eo capite, quod inscripsit : *Sabbatum in* XII *lectionibus*, ejusdem disciplinæ ordinandorum Episcoporum die Dominica hanc rationem assignat : « Episcopi consecratio, qui » est Vicarius Apostolorum, imo et Christi, fit » in Dominica, quia eodem die per donum » Spiritus sancti Dominus dignatus est illustrare » corda Apostolorum. » Hinc puto factum esse ut Episcopi ordinari possint in Natalitiis Apostolorum, quod nempe eorum Vicarii sint et successores. Quæ extensio quando incœperit, etsi non ausim definire, compertum tamen habemus, ex antiquo Romano Ordine, ipsas Ordinationes Episcoporum fieri etiam consuevisse *aliquoties in Natalitiis Apostolorum*. Cujus rei testis quidem luculentissimus est Anastasius bibliothecarius in Vita Pelagii II, quem ait die S. Andreæ Apostolo sacra in Romanum Præsulem consecratum fuisse, anno 578, ut testatur Baronius. Additi demum videntur dies festivi, quibus populi conventus commode fieri posset, quem ad Episcoporum consecrationem convenire congruum est. Quæ consuetudo nequaquam recens judicari debet, cum S. Udalricum Augustanum episcopum die festo SS. Innocentium ordinatum in ejus Vita legamus apud Surium, die 4 julii. Verum tenenda est regula nostri Pontificalis, quæ docet, tunc quidem fieri posse die festivo Episcopi ordinationem, *si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit*.

III. Etsi vero hodie regulariter Episcoporum Ordinationes mane diei Dominicæ celebrentur, constat tamen eas olim nocte Sabbati aut Dominica summo mane, perseverante adhuc jejunio, celebratas fuisse post secundum scilicet Matutinarum Nocturnum, uti addiscimus ex antiquo Romano Ordine, in quo hæc leguntur : « Episcopi autem omni tempore benedicuntur; » secunda namque incisione, id est lectione » sexta, egreditur Pontifex de ecclesia Sancti » Petri, et ascendit in monasterium Sancti » Martini, quod sub signis ipsius ecclesiæ si- » tum est; et subsequitur ipse Electus qui be- » nedicendus est, simpliciter cum reliquo Clero » incedens, et stat foras ostium Oratorii. Schola » vero Cantorum incipit Introitum postea dicit » Pontifex : *Gloria in excelsis Deo.* » Certe S. Cornelius Papa apud Eusebium, lib. VI *Historiæ*, cap. XLIII, enarrans irregularem Novati Ordinationem, eum *hora decima* consecratum fuisse asserit. Tradunt autem nonnulli, inter quos Gratianus, distinctione LXXV, et Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ*, libro I, cap. CLXXXIX, hora tertia juxta Anacleti Papæ constitutum Episcopos consecrari; *eadem* nempe, *qua Apostoli Spiritu sancto sunt oleo invisibili consecrati*. Varias rationes cur Episcopus hora tertia consecrari solitus fuerit, exponit Glossa Juris canonici in can. *Ordinationes*, verbo *hora tertia*, distinctione LXXV. Hodie Episcopi consecratio fieri solet horis matutinis, parumque referre censetur qua potissimum hora perficiatur. Verum fateri cogimur magnam ea de re esse apud veteres scriptores varietatem, ac præsertim in priscis libris Pontificalibus, qui etiam minime consentiunt quanam olim Missæ parte peragretur Episcoporum Ordinatio. Omnes fere tamen, uti observat Martenius, eam ante Evangelium faciendam præscribunt : tres recentiores, Noviomensis, Antissiodorensis et Rothomagensis, ante Orationem secretam; duo alii, Bisuntinus ad usum Ecclesiæ Turonensis accommodatus, et Rhemensis, monasterii Sancti Remigii annorum circiter quingentorum, ad Præfationem, ita ut alia nulla in toto sacræ Liturgiæ decursu Præfatio cantetur præter prolixam Orationem quæ ad modum Præfationis a Metropolitano pronuntiatur.

IV. Utrum autem is qui in die Sabbati Ordinationis generalis, Presbyteratus ordine insignitus fuit, possit sequenti Dominica mane in Episcopum consecrari, plerique affirmant, plerique etiam negant. Priores quidem in eo fundantur quod nullibi id vetitum inveniatur : neque enim sacri Canones, qui temporum interstitia requirunt inter Ordines sacros eidem conferendos, de Episcopatu loquuntur, sed de iis tantum Ordinibus qui in generali solemni Ordinatione conferri solent : Episcoporum autem consecrationi Dominicum quemlibet diem jam vel olim fuisse præscriptum, abunde superius demonstratum est. Aiunt præterea ii auctores pro sua sententia affirmativa, eumdem esse characterem Episcopi et Sacerdotis, et ex utroque unum fieri Ordinem, characteremque impressum per Ordinem Presbyteratus, perfectione quadam addita in Episcopatu extendi. Verum hæc ratio omnino corruit, saltem juxta illorum opinionem aientium Episcopatum esse

Digitized by Google

Ordinem a Presbyteratu penitus distinctum. Quidquid autem de ea quæstione sit, illud ego verissimum censeo, ex dispensatione Romani Pontificis ad Presbyteratum die Dominico promotum, non utique posse eodem die consecrari Episcopum, uti post alios docet Augustinus Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. IX, num. XLIII.

V. Quod tandem jejunium spectat, quod ex Rubrica nostri Pontificalis, die qui consecrationem præcedit, tam ab Episcopo consecrando quam a Consecratore celebrari debet, videtur profecto esse juxta veterem disciplinam a nascente christiana Religione servatam in ordinatione Apostolorum Pauli et Barnabæ, uti videre est in Actis Apostolorum, cap. XIII, cujus verba alibi recitata, germano etiam sensu adversus hæreticos explicuimus. Eo itaque omisso testimonio, juberi ab Anacleto Papa Ordinationem Antistitis ab Episcopis fieri, qui jejunium cum omnibus celebrent, liquet ex ejus Epistola apud Gratianum in canone *Ordinationes*, distinctione LXXV. Eo etiam spectat canon Barcinonensis Concilii tertius, eum Pontificem consecrandum decernens, quem ex duobus aut tribus quos ante consensus Cleri et plebis elegerit, et Metropolitani judicio ejusque Coepiscopis præsentavit, *sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit.* Possem hic varia exempla coacervare, quibus jejunium consecrationi Episcoporum præmitti solitum fuse probaremus; possem varios Pontificales libros hic recensere, inter quos unum Ecclesiæ Lugdunensis, ubi jejunium ordinando Episcopo indicitur. Sed audiendus est Guilelmus Major, Andegavensis episcopus, Ordinationis suæ seriem referens *Spicilegii* Dacheriani tomo X. Docet enim, juxta morem prædecessorum electum se Episcopum, Sabbatum ante suam consecrationem in divinis transegisse, et quidem jejunum, ac permanentem, pernoctantemque in monasterio, precibus et orationi vacantem : « Die Sabbati post Ascensionem » Domini, videlicet in vigilia consecrationis » nostræ.... ad monasterium Sancti Sergii præ» dicti, more prædecessorum nostrorum acces» simus.... dictis autem per nos Vesperis et Com» pletorio, dicta die recepimus nos in camera » nostra, quæ in monasterio prædicto dicitur » camera Abbatis, ibidemque rasa barba et co» rona, ablutoque capite ibidem dicta die fuimus » balneati. Quo facto, nocte sequente, circa » ignitegium intravimus majorem ecclesiam » ipsius monasterii, et ibidem ante altare Beatæ » Mariæ totum Psalterium perlegimus singu» lariter et submisse. Quo perlecto, Matutinas » incœpimus et complevimus, sociis et Capella» nis nostris nos juvantibus. Quibus actis, circa » mediam noctem ad nostram cameram red» euntes, lectum intravimus, et ibidem requie» vimus usque mane. » Ita ille. Cæterum in duobus Romanis Pontificalibus, quorum alterum Lugduni 1542, alterum vero Venetiis anno 1572 editum est, præter jejunium præcedenti die consecrationem Episcopalem ab electo Episcopo et ab ejus Consecratore observandum, illud quoque præscriptum legimus, ut *tam Consecrator quam Electus confiteantur.* Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis tercentorum circiter annorum, ritum Ecclesiæ Romanæ innuens, ait : « Præce» denti die indicitur Consecrando jejunium, et » ei aliquis Cardinalis deputatur confessor. »

VI. Sane ignitegium, teste Carolo Dufresne in suo Glossario mediæ et infimæ latinitatis, hora est qua oppidorum incolæ intra ædes suas se recipere, et ignem suum tegere cogebantur; occurrit ea vox passim apud scriptores profanos et Ecclesiasticos. Concilium Senonense anni 1347, cap. XIII, hæc habet : « Præcipimus » quod observetur inviolabiliter Ordinatio per » S. M. Joannem PP. XXII, de dicendo ter *Ave* » *Maria* tempore seu hora ignitegii. » Fuit hæc potius confirmatio ritus quam institutio; legitur enim in Officio S. Bonaventuræ, quod exstat in Breviario Minorum, ipsum S. Doctorem in Capitulo generali Pisis anno 1263 celebrato, instituisse, ut Fratres populum hortarentur ad salutandam Beatissimam Virginem signo campanæ, quod post Completorium datur vergente in noctem die, quod creditum sit eamdem ea hora ab Angelo salutatam. Hunc pium usum ab Ecclesia Zantonensi susceptum Joannes Pontifex anno 1318 confirmavit, concessa decem dierum indulgentia iis qui pie salutationem Angelicam ter flexis genibus funderent, si vere eos criminum pœniteret. Epistola data est Avenione 3 idus octobris, anno tertio Pontificatus, in eaque amplissima Deiparæ elogia exaravit. Hic pius mos postea ab omnibus aliis Ecclesiis sensim susceptus est; ipsemet enim Joannes, anno sui

Digitized by Google

Pontificatus decimo, ad omnes ad pietatem et preces pro Ecclesiæ necessitatibus fundendas excitandos, Vicario Urbis mandavit ut ad pulsationem campanæ in quolibet noctis crepusculo juberet Beatam Virginem recitata salutatione Angelica venerari, concessa decem dierum indulgentia. Ita Pagius in *Breviario gestorum Pontificum Romanorum*, ubi agit de Joanne XXII. Atque hæc obiter dicta sint occasione explicandæ vocis *Ignitegium*.

§ III.

Consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

COMMENTARIUS.

I. Concilium Tridentinum, quod fere totum antiquorum Canonum ac veteris Ecclesiæ disciplinæ summa est atque compendium, habet hanc eamdem sententiam quam nostra Rubrica præscribit; fuit certe mos in Ecclesia pervetustus, ut Episcopus in sua ipsius Ecclesia, præsente populo, consecraretur; id quod luculenter indicat S. Cyprianus, cum in Epistola LXVIII ad Clerum et plebes in Hispania consistentes, ita scribit : « Diligenter de traditione divina et apo» stolica observatione servandum est et tenen» dum, quod apud nos quoque et fere per provin» cias universas tenetur, ut ad Ordinationes rite » celebrandas ad eam plebem, cui præpositus » (*alibi*, Episcopus) ordinatur, Episcopi ejusdem » provinciæ proximi quique conveniant, et Epi» scopus deligatur plebe præsente, etc. » Qui mos ita in universa Ecclesia obtinuit, ut S. Julius Papa in Epistola ad Orientales apud S. Athanasium in *Apologia* II contra Georgium Alexandrinum, qui ab Eusebianorum factione in locum Athanasii obtrusus erat, objiceret, quod Antiochiæ Episcopus nominatus, et Alexandriam missus esset manu militari stipatus, cum tamen secundum Ecclesiasticum Canonem in ipsa Ecclesia Alexandrina ab Episcopis provinciæ illius, Episcopum constitui oportuerit : « Ubi est, inquit. » istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istius» modi traditio apostolica, ut in pace agente » Ecclesia, et Episcopis concordibus cum Epi» scopo Alexandriæ Athanasio, immittere Geor» gium peregrinum et externum hominem, » neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi » cognitum, neque postulatum a Presbyteris, » eumque Antiochiæ creare Episcopum, atque » inde deducere Alexandriam, non cum Pres» byteris aut Diaconis civitatis, sed cum Epi» scopis Ægypti, sed cum militibus? » Et statim ad propositum nostrum addit : « Si enim post » Synodum in culpa deprehensus fuisset Atha» nasius, non tamen oportuit creationem novi » Episcopi ita illegaliter et præter Canonem Ec» clesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, etc. »

II. Canon hic Ecclesiasticus, cujus meminit Julius, quam diligenter in Africæ Ecclesiis observaretur, ex eo liquet quod Primas ad eam soleret se conferre Ecclesiam, in qua novus Episcopus constituendus esset, ibique eum consecraret. Cujus consuetudinis testis profecto locupletissimus est Augustinus, qui cum, diœcesi sua divisa novoque Fussalæ Episcopatu erecto, Episcopum elegisset, ad Primatem longo itineris intervallo disjunctum ac senio confectum litteras misit ut ad locum istum veniret, ibique eum ordinaret. Augustini verba in Epistola CCLXI hæc sunt : « Propter quem ordinandum sanctum » senem, qui tunc Primatem Numidiæ gerebat, » de longinquo ut veniret rogans litteris impe» travi. » Cæterum etsi alia non desint exempla pro hac disciplina firmanda, compluresque Canones clament, ac districte inculcent debere Episcopum in ea civitate et Ecclesia cui præficitur consecrari; in Hispania tamen ex can. XVIII Concilii Toletani IV statutum est, ut in Metropolitana quidem civitate sua ordinaretur Metropolitanus, Episcopi vero ipsi, ubi eorum Metropolitanus eligeret : « Episcopus ibi consecrandus » est ubi Metropolitanus elegerit, Metropolita» nus tamen non nisi in civitate Metropoli. » Sunt et apud Thomassinum, parte II *Disciplinæ*, lib. II, alia monumenta ex quibus addiscere licet non fuisse perpetuam, vel in omnibus diœcesibus receptam disciplinam, ut consecratio in Ecclesia cui quis præficitur, celebraretur.

Digitized by Google

§ IV.

In Ecclesia ubi fiet consecratio, ornentur duæ Capellæ, major pro Consecrante, et minor pro Electo. Et in majori quidem super altari parato, ut est moris, erit crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata, super quibus procumbit Electus, sed Consecrator et alii genuflectent. Paratur etiam in loco propinquo et congruo credentia pro Consecratore, super quam erit mappa munda; duo candelabra; vasa ad abluendum manus cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta et aspersorio; thuribulum cum navicella, cochleari et incenso, si officium fit in cantu, alias non; ampullæ cum vino et aqua pro sacrificio; calix, hostiaria cum hostiis; medulla panis pro abstergendis manibus; sanctum Chrisma. Item paramenta omnia Pontificalia coloris tempori et officio Missæ convenientis, videlicet, sandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus pontificalis, baculus pastoralis, manipulus et gremiale. Item paratur faldistorium ornatum pro Consecratore, et tres sedes pro Electo et duobus Episcopis assistentibus; Missale et Pontificale. Consecrator habeat tres Capellanos ad minus cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam.

COMMENTARIUS.

I. Cum nonnulla quæ in hisce Rubricis continentur explicata in Prolegomenis fuerint, pleraque alia inferius in hoc eodem titulo explicanda sint, paucis idcirco hic me expediam, unum hoc adnotans, nihil in priscis recentibusque Pontificalibus libris inveniri quidem de amplissimo binarum capellarum ac variæ supellectilis apparatu, quem ad Episcopi consecrationem faciendum Rubrica nostri Romani Pontificalis præscribit. Constat nihilominus ex iis quæ nos infra suo loco dicemus, omnia fere quæ ex hac Rubrica præparari debent, adhibita jam olim fuisse ad istam Episcopi inaugurationem religiose ac rite peragendam. In hoc itaque summopere commendandum est nostrum hoc Pontificale Romanum, quod, ut *omnia honeste et secundum ordinem fiant*, ut verbis utar Apostoli in Epistola I ad Corinthios, cap. XIV, quæ usui sacris futura sunt, prius paranda præscribit. Sane videmus in dies non sine animi sensu, ob oscitantiam Magistri cæremoniarum, dum sacra solemniter in altari peraguntur, aliquid semper desiderari.

II. Ergo, antequam Episcopi Ordinatio inchoetur, parari inter alia, juxta Rubricam, faldistorium debet, et quidem ornatum pro Episcopo consecratore; tres vero sedes pro Electo et duobus Episcopis assistentibus. « Posita sella » Metropolitani ante altare, cæteræ Episcopales » sellæ ordinentur e contra, respicientes sedem » Ordinatoris, et Ordinandi cathedra collocatur » in medio cæterarum. » Verba sunt Pontificalis Salisburgensis annorum sexcentorum, cui plane consonans Bisuntinum ejusdem ætatis, ita inquit : « Ponantur sedes ita. Dominus Archipræ- » sul sedebit verso dorso ad altare; sedilia vero » cæterorum Episcoporum ponantur ante oculos » ipsius; sedes autem ipsius Electi ponatur in » medio, non tamen ad majus altare. » Ipsissima verba legere est in Pontificali Beccensi ac in aliis plurimis, quæ consulto nos præterimus, ne ipsorum recitatione jacturam chartæ ac temporis facere videamur. Verum nefas est hic præterire locum insignem Simeonis Thessalonicensis, qui in libro *De sacris Ordinationibus*, cap. VII, de memoratis sedibus ante Ordinationem locandis ita inquit : « Antequam inchoetur » Missa, anabathra ponitur; et super eam thro- » nus, in quo sedet magnus Episcopus, infra » vero ex utraque parte positi sint alii throni, » in quibus sedent Episcopi. » Anabathra tabulatum est ex asseribus et tabulis constructum.

Digitized by Google

quo qui in illud insidet, circumstantibus spectabilis redditur; tabulato autem thronus seu sedes imponitur, in qua sedet qui cæteris est spectabilior; hanc sedem occupat Archiepiscopus, inferiores vero sedes cæteri Episcopi. Dicitur autem Anabathra, ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν *ab ascendendo*, quia per aliquot gradus ad illius planitiem, in qua thronus est, ascenditur; unde quidam alibi scalam interpretantur : teste Morino in adnotatione ad laudatum Thessalonicensis locum.

§ V.

In Capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, paratur altare cum cruce et duobus candelabris, et super illud Missale et Pontificale, ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Consecratore numerata sunt, et ultra illa, pluviale album, et prope altare credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus, et medulla panis ad abstergendum manus et caput. Ponuntur etiam octo mappulæ ex duabus cannis panni linei subtilis per medium scissis in longitudinem, quarum duæ sint longitudinis sex palmorum quælibet, aliæ vero sex æqualis sint quantitatis. Et candelæ saltem octo unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Consecrantis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus et Electo tradendus, pecten eburneus, et pro offertorio intorticia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni et duo barilia vini; panes et barilia ornentur, duo videlicet videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Consecratoris et Electi habentia cum capello, vel cruce, vel mitra, pro cujusque gradu et dignitate. Adsint duo ad minus Episcopi adsistentes, qui induuntur rocheto, et, si sint Regulares, superpelliceo, amictu, stola, pluviali, quæ cum reliquis paramentis sint coloris tempori et officio Missæ congruentis, et mitra simplici alba, et quisque habeat suum Pontificale.

COMMENTARIUS.

I. Recens videtur esse institutum ut pro novi Episcopi consecratione duæ in Ecclesia capellæ ornentur, quarum altera usui consecratoris Pontificis, altera Electi usui inserviat. Cujus ritus etiam manuscriptum Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ meminit. Exstant nihilominus id præcipientes Rubricæ in omnibus editis Romanis Pontificalibus, in quibus multa haud dubie præscribuntur, quæ veneranda antiquitas ignorabat, ut exempli gratia, cum panes et barilia vini, quæ cæteroqui juxta priscum Ecclesiæ morem, ut infra dicemus, consecratori Pontifici a novo Antistite offerri debent, ornari utriusque insigniis jubent. Id quod in nullo vel recentissimo manuscripto Pontificali præscriptum vidi. Sane etsi docent viri docti gentilitiorum insignium usum suam ducere originem ab anno circiter Christi millesimo, probatque Pompeius Sarnelius episcopus Vigiliensis, tomo IV *Epistolarum Ecclesiasticarum*, Epistola LVII, ex Fulberto Carnotensi episcopo, primum Summorum Pontificum, qui insignia gentilitia adhibuerint, fuisse Clementem II, anno 1047, deinde Damasum II, et postea S. Leonem IX qui pro insigni suo usus est leone atri coloris in campo octo liliis ornato : liquido nihilominus constat sæculo nostræ salutis XIII, ac præsertim XIV, tantum fuisse hominum fastum, qui, ut suæ pietatis ac munificentiæ recordationem posteris ingererent, gentilitia stemmata sacræ supellectili ipsisque ecclesiis apponere passim soliti erant. Hunc in abusum acerrime invehitur egregius pietatis magister Joannes Thaulerus, Ordinis Prædicatorum, in Sermone I in Dominica VIII post festum Trinitatis, sic inquiens : « Vis apertius videre ut suas » plerique eleemosynas sibi approprient, et

Digitized by Google

» omnibus cupiant esse manifestas? Adspice ut » fenestras, altaria, vestes sacras, ad Templo» rum usum conferant, iisdemque sua apponant » insignia, ut scilicet omnibus ipsorum munifi» centia innotescat. Sed hoc ipso receperunt » utique mercedem suam. » Inanem porro eorum excusationem esse tum docet, qui id unum se quærere profitentur, ut pro illis oretur; quod eorum insignia monent. Claruit Thaulerus circa annum Christi 1350, teste Cardinale Bellarmino in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*.

II. Ut ut sit de eo fastu et abusu, quem in Concilio diœcesano XI S. Carolus damnavit, reprobantque aureæ Constitutiones Clericorum Regularium, quos Teatinos vocant, parte I, cap. III, scio Pontifices Maximos, ac præsertim Innocentium III, Pontificalibus ornamentis cæteræque supellectili Ecclesiasticæ domus suæ insignia apponere consuevisse, ut liquet ex quibusdam ornamentis quæ idem Pontifex dono dedit insigni ecclesiæ Anagninæ in qua hodie servantur, quemadmodum mihi contestatus est vir clarissimus Joannes Marangonus, qui in ipsa Anagnina ecclesia diu canonicus fuit. Certe Clementem VI, quod contra morem suorum prædecessorum Papali plumbo, in quo antea duo capita Apostolorum Petri et Pauli impressa fuerunt, quinque ipse rosas, quæ sua erant gentilitia arma, inseruerit, merito notat Albertus Argentinensis; additque Lupus in S. Gregorii VII Pontificis septimum Romanum Concilium, neminem successorum fuisse ipsum Pontificem imitatum, si excipias Paulum II, de quo in Citicensis Ecclesiæ Chronico scribit Paulus Langius anno 1464 : « Hic Papale » plumbum contra morem mutavit. » Verum tradit de Sixto IV ejus proximo successore historica incogniti auctoris apud eumdem Lupum compilatio ad annum 1471, quod « statim re» sumpsit sigillum antiquum Papæ, scilicet duo » capita Apostolorum Petri et Pauli, quod suus » prædecessor Paulus mutaverat. » Porro non audemus nos hodiernum Maximorum Pontificum, vel cæterorum Episcoporum morem improbare, qui ubique profanis sacrisque rebus gentilitia stemmata sua apponunt; etsi de S. Carolo auctor ejus Vitæ scribat, quod non modo Borromæum nomen dimisit et Cardinalis S. Praxedis a suo titulo appellari voluit, verum etiam loco gentilitiorum stemmatum sanctos Ecclesiæ Mediolanensis Patronos apposuerit.

III. De pectine insuper eburneo, quem præparari mandat Rubrica, etsi nullam faciant mentionem prisci libri Pontificales, ubi agunt de Episcopi consecratione, constat nihilominus eo usos fuisse aliquando Antistites in ministerio Ecclesiastico, uti videre est apud Guilelmum Durandum in suo *Rationali*, lib. IV, c. III, et apud Carolum Dufresne, verbo *Pecten*, ubi inter alia affert particulam testamenti Riculsi episcopi Helenensis anno 915 : « Pectinem eburneam » unam, etc. » Vide quæ infra suo loco dicemus de pectine, ac de iis omnibus quæ in recitata Rubrica parari præcipiuntur ad consecrationem novi Episcopi peragendam.

§ VI.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, assistentes Episcopi, et alii qui Consecrationi interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt; et Consecrator, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in Capella sua, juxta cornu Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Electus vero cum assistentibus Episcopis vadit ad Capellam suam, et ibi capit paramenta opportuna, videlicet, si Missa cantatur, amictum, albam, cingulum, stolam in modum Sacerdotis, et pluviale. Si vero officium legitur, poterit, antequam dicta paramenta accipiat, capere sandalia, et legere Psalmum, *Quam dilecta, etc.* Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta prædicta capiunt. Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit, et ibi in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari. Electus vero cum suo bireto ducitur sic paratus medius inter assistentes sibi Episcopos paratos et mitratos, et cum ante Consecratorem

Digitized by Google

pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit; assistentes vero Episcopi eidem cum mitra caput aliquantulum inclinant.

COMMENTARIUS.

I. Pontificem sacris operaturum non communi et quotidiano habitu, sed alio peculiari et augustiore uti oportere notissimum est; ostenditque id luculentissime ex innumeris pene antiquorum scriptorum locis inter alios Joannes Bona cardinalis eminentissimus libro I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV: fuit tamen antiquus mos, ut Episcopus sacra facturus in sacrario, non in altari, uti hodie fit, sacras vestes indueret. Sacrarium vel ab ipso Ulpiano in libro I *Digestorum*, tit. VIII, sic definitur : *Est locus in quo sacra reponuntur*. A latinis scriptoribus Ecclesiasticis etiam *Vestiarium*, *Secretarium*, et barbara voce *Sacristia* nuncupatur. De vestiario hæc habentur in restitutione Ebbonis Remensis archiepiscopi apud Menardum in notis et observationibus ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 395 : « Ductus est etiam sæpe dictus » Ebbo episcopus in vestiarium, et indutus Epi- » scopalibus vestimentis, similiter et alii Epi- » scopi cum eo ad celebrationem Missæ. » Locus profecto insignis ad demonstrandum consuevisse olim tam Antistites Ordinationem Episcoporum celebraturos, quam electos in Episcopos consecrandos, in sacrario se induere, habetur quidem in antiquo Romano Ordine, in eo capite quod inscribitur : *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Episcopus ordinetur;* sic enim inquit : « Episcopus cum ordinatur, primo progrediatur » Dominus Metropolitanus cum Electo, et cun- » cto Clero et populo ad Ecclesiam ubi ipsam » fieri vult Ordinationem. Et ingressus sacra- » rium, induat se vestimenta Pontificalia. Post » pusillum procedat e sacrario cum Diaconibus » et reliquis ministris, sicut in Dominicis diebus » mos est procedendi ; et Electus sacris vestibus » indutus procedat una cum Archiepiscopo et » cæteris Episcopis e sacrario ante altare. »

II. Idipsum docent plerique alii libri Pontificales, inter quos Bisuntinus annorum circiter sexcentorum. Episcopi consecratoris, Electi consecrandi, et aliorum assistentium ac ministrorum ad altare accessum ita describit : « Manis- » sime pulsetur et cantetur Prima, post quam » eant ad Capitulum; ibique a Decano, Archidia- » cono, Cantore et Cancellario ordinentur qui » debent procedere ministri, sicut in majoribus » mos est festivitatibus, hoc est duo Acolythi » cum thuribulis, duo Subdiaconi cum crucibus, » septem Acolythi cum candelabris et cereis, » septemque Subdiaconi cum Evangeliorum » libris, et septem Diaconi cum suis reliquiis, » duodecim Presbyteri induti planetis, Acoly- » thus indutus podere cum vasculo aureo chri- » smatis. Tertia pulsetur temporanee, et interim » præparet se ad Missam Archiepiscopus, hoc » est sandaliis, et cætera omnia usque ad Dal- » maticam. Tunc induitur cappa, et tenens ba- » culum Pastoralem in manu, procedit e sacra- » rio. Similiter omnes Episcopi exeant induti. » Ipse autem Electus necdum induatur san- » daliis, sed tantum alba, stola et cappa, nec » ferat baculum, sed ponatur super altare cum » annulo usque dum sacratus accipiat de manu » Archiepiscopi. » Ergo tam Electus quam Episcopus consecrator, ejusque assistentes ac ministri, sacris induti vestibus, e sacrario ad altare procedebant. Id quod etiam ex Pontificali Moguntino deduci potest, præsertim vero ex Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis ante tercentos et amplius annos exarato, cujus verba, quoniam cum nostro Romano Pontificali pene consonant, lubet idcirco hoc loco describere : « Dominica » itaque die sequenti, contra mediam Tertiam » Metropolitanus, intrans Ecclesiam in qua » debet consecrari Electus, ingrediatur vestibu- » lum sive sacrarium indutus Pontificalibus » indumentis, sicut Missam celebraturus. Deinde » egrediatur e sacrario cum Episcopis præsen- » tibus indutis amictibus, albis vel superpelli- » ceis, stolis et cappis seu pluvialibus, cum » mitris et cambucis, et cum Diaconis, et Sub- » diaconis, et reliquis ministris, prout est mos » procedendi solemniter in Dominicis diebus ad » Missam. Et Electus paratus amictu, alba, vel » superpelliceo, stola, cinctorio et pluviali tan- » tum, deductus a duobus Episcopis, hinc et inde » post eos, sicque usque ad altare procedant. »

Digitized by Google

[Notandum hic paramenta Electi consecrandi albi coloris esse debere, qualiscumque missa celebretur; dum e contra Episcopum consecratorem et Assistentes colorem Missæ et tempori congruum induere per totam functionem necesse est. Ita respondit sacra Rituum Congregatio, die 16 junii 1663.]

III. Ubi ad altare perventum est, ex Rubrica nostri Pontificalis, Consecrator in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari, sive, ut alii libri Pontificales inquiunt, *verso dorso ad ipsum altare*. Electus vero cum suo bireto sacris, ut dixi, ornatus vestibus, medius inter assistentes sibi Episcopos, cum ante Consecratorem pervenerit, *nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit*. Eumdem hunc ritum apud Græcos servari solitum diserte memorat, egregieque exponit Simeon archiepiscopus Thessalonicensis in opere *De sacris Ordinationibus*, cap. VII, ubi ita inquit: « Postea capite ipsius a Chartophylace nudato, per quod » gratiam accepturus est, testans Christum, et » Archiepiscopum suum, a quo ordinatur, sibi » caput esse, illud inclinat, inclinatione subjectionem demonstrans, et Christi gratiæ cum » humilitate acceptionem. » Chartophylacem eumdem esse qui quondam in Ecclesia Romana Bibliothecarius vocabatur, docet Goartius in Notis ad ordinem solitum observari in Episcopi consecratione, num. III. At quod ad nostrum spectat institutum, nullus in Ecclesiasticum conventum apud Græcos cooptatur, vel ad præsulatus aut monasterii curam, vel ad Ordinis gradum quemcumque provehi potest, qui non a Chartophylace commendetur et præsentetur.

IV. Sane ex laudati Thessalonicensis testimonio, « ascendit Electus, et sedente Archiepiscopo, » illius osculatur genu, sese velut coram Deo in» clinans, tam propter servitutem indicandam, » quam propter dexteram ejus quæ divini operis » est adjutrix, quæque ipsum ordinavit. Genam » quoque osculatur, ut Ordinatoris sui, propter » charitatem in Christo et unionem. » Quoniam vero Græcum ritum describimus, notandum et illud est, quod idem auctor scribit de tribus fluviis quos Electus pertransit, et de urbe in qua subsistit, antequam ad Consecratorem accedat: « Cum vero Electus tres fluvios pertransiit, in » solo per gypsum figuratos, qui doctrinæ do» num ad quod vocatus est, significant, subsistit » super urbem ob oculos descriptam, quæ ipsius » Episcopatum indicat; in cujus summitate » aquila similiter describitur, puritatem, re» ctitudinem et altitudinem theologiæ subindi» cans, quod de filio tonitrui Theologo, disci» pulo virgine, qui in Christi sinu requiescere » solebat, vulgo scribunt. » Ex quibus verbis plane addiscimus in Ordinatione Episcopi solitos fuisse Græcos describere in solo sanctuarii tres fluvios, supra fluvios urbem, supra urbem aquilam. Vide in hunc locum Notas viri clarissimi Joannis Morini.

§ VII.

Tum sedent in sedibus suis ante Consecratorem hoc modo : Electus contra faciem Consecratoris, ita ut inter eos sit competens distantia; antiquior Episcopus assistens ad dexteram Electi, junior ad sinistram, ita tamen quod ipsi assistentes ad alterutrum facies vertant. Cum sic locati fuerint et aliquantulum quieverint, surgunt, Electus sine bireto, et assistentes Episcopi sine mitris, et senior Assistentium versus ad Consecratorem dicit : *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis*. Consecrator dicit : *Habetis mandatum Apostolicum?* Respondet Episcopus senior Assistentium : *Habemus*. Consecrator dicit : *Legatur*. Tum Notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi assistentis legit a principio ad finem. Interim sedent omnes tectis capitibus. Mandato per Notarium perlecto, Consecrator dicit : *Deo gratias*.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Locatis in sedibus suis tam Episcopo consecratore quam ejus assistentibus et Electo qui in Episcopum consecrandus est, mos est Ecclesiæ antiquus, ut senior assistentium, qui Electum Consecratori offerunt, ipsum Consecratorem alloquatur his verbis : *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.* In multis, quos vidi, Pontificalibus libris, legi equidem :« Reverende » Pater : » verum constat ex actis Concilii Chalcedonensis, passim Episcopos, quin et ipsum Nestorium hæresiarcham, vocari Reverendissimos. Patres etiam a junioribus Episcopis appellari Episcopos antiquiores, fuse probat vir clarissimus Joannes Filesacus in libro *De sacra Episcoporum auctoritate*, cap. x, § iv. Certe ad calcem Concilii i Toletani in professionibus Fidei Dutinius episcopus dixit : « Sequor sen» tentiam Domini mei, et Patris mei, et geni» toris, et doctoris mei Symphosii episcopi. » Et S. Augustinus in Epistola cx Coepiscoporum suorum Africanorum, qui duobus conciliis Numidiæ et Carthaginis interfuerant, alios Fratres, alios Patres appellavit, ea scilicet mente quod alii juniores, alii vero antiquiores se essent. Eodem, ni fallor, pacto S. Paulinus, Epistola xxiv, Delphydium episcopum Patrem vocat. Quanquam vero, uti notat Joseph Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. ii, c. ii, § viii, nonnulli Episcopi singularium meritorum intuitu, alii autem propter Sedis eorum eminentiam, *Patres patrum* appellati fuerint; quædam etiam causa fuit adhuc generalior cur eo nomine omnes Episcopi vocarentur, ut ex S. Epiphanio colligi potest, qui *Hæresi* lxxv, quæ est Arianorum, ita scribit : « Episcoporum » Ordo ad gignendos Patres (Ecclesiæ) præ» cipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ec» clesia propagatio. » Hoc est Episcopi Episcopos ordinant, cum e contrario Presbyteri filios tantum per baptizandi potestatem qua pollebant, possint producere. Idcirco, etiamsi nonnunquam Presbyteros Patres dictos esse legamus, non inveniemus tamen quempiam istius Ordinis *Patrem patrum* appellari.

II. Ea verba, *postulat sancta Mater Ecclesia Catholica*, jam explicata a nobis fuerunt in Commentario ad § secundum tituli xi *De Ordinatione Diaconi*, ubi inter alia notavimus, ad solos Ordines hierarchicos Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, præsentationem istam nomine Ecclesiæ fieri; quia scilicet de his ordinandis sollicitior non solum ex recenti ritu Ecclesia hodie sit, sed etiam ex pervetusto. Puto autem iis verbis tum Episcopum consecratorem, tum Electum Episcopatu inaugurandum admoneri; primum quidem, ut discat neminem ex humana gratia, vel ex qualibet privata prece ad onus Angelicis humeris formidandum recipere ; alterum vero, ne se ultro ingerat, sed nec postulanti suam operam Ecclesiæ desit. Enim vero quantum crimen sit ipsum Episcopatum expetere, docent passim S. Ecclesiæ Patres, quos legere est apud Thomassinum, parte ii *Disciplinæ*, lib. ii, cap. lxv, ubi fuse ac erudite eam quæstionem agitat : « An concupiscere quis » possit, an abnuere Episcopatum et cæteros » majores Ordines. » Sane quemadmodum nefas est Episcopatum expetere juxta communem sanctorum Patrum sententiam, qui etiam locum Pauli aientis : *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, egregie explicant adversus homines quosdam ventosos, qui iis superbiam suam Pauli verbis exaggerant, quibus illa validissime retunditur : « Apostolum, inquit Isi» dorus Pelusiota lib. ii, epistola cxxv, qui exi» tialem eorum morbum profligare studuit, » tanquam morbo suo patrocinantem testem » citant. » Quemadmodum, inquam, nefas est Episcopatum expetere juxta sanctorum Patrum sententiam, ita etiam secundum traditam ab eisdem regulam, ubi repugnatum est aliquandiu, acquiescendum tandem est imperio Superiorum, nisi, si cujus est apertissima et notoria indignitas, et habilitas prorsus nulla ad sacras functiones. Vide laudatum Thomassinum, cap. lxvi et lxvii, de ea re copiosissime disserentem.

III. Rogat insuper is qui Electum Consecratori offert, *ut præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevet :* quo discamus Episcopatui necessario præmittendum esse Presbyteratum. Licet enim Ordo superior valide sine infe-

Digitized by Google

riori suscipi possit, nec in illo iterum gradu ordinari necessarium sit, sed solum inferiorem deficientem supplere, docent nihilominus passim Theologi haud posse aliquem ordinari Episcopum, quin prius habuerit Ordinem Presbyteratus, et, si secus fecerit, non esse valide ordinatum. Unde qui ante Sacerdotium ad Episcopatum assumeretur, deberet prius ordinari Sacerdos, et postmodum in Episcopum consecrari. Ea quidem fuit perpetua Ecclesiæ consuetudo tum Latinæ, tum Græcæ, etsi Photius, pseudoepiscopus Constantinopolitanus, hanc calumniam Latinis impegere ausus sit, quod apud nostros ex Diaconis, prætermisso Presbyteratu, Episcopi ordinarentur, uti legere est in Epistola LXX Nicolai I, Pontificis Maximi. Verum eam calumniam a se depulerunt Latini; ait enim Ratramnus monachus contra opposita Græcorum : « In cæteris sibi demunt auctori- » tatem fidei, quandoquidem in istis tam evi- » denter mentiuntur. » Ergo erravit quoque Æneas Parisiensis episcopus, qui, uti habetur tomo VII *Spicilegii* Dacheriani, pag. 114, scribit Diaconos non suscepto Presbyteratu Romæ sua ætate plerumque consecratos fuisse Episcopos ; turpior autem error fuisse videtur, cum usum illum, quem ipse Æneas certum putat, a Græcorum dicteriis vindicare contendit ex eo quod in Episcopatu Presbyteratus eminenter contineatur. Vide Jueninum, dissertatione VIII *De Sacramento Ordinis in communi*, quæstione VIII, cap. IV.

IV. Ex iis denique verbis, quibus qui Electum præsentat Ordinatori ait, *ut ad onus Episcopatus* eum sublevet, manifestissime apparet id quod docet S. Augustinus lib. XIX *De civitate Dei*, cap. XIX, Episcopatum nomen esse operis, non honoris ; Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens : ἐπὶ quippe *super*, σκόπος vero *intentio* est ; ergo ἐπισκοπεῖν, si velimus, latine *superintendere* possumus dicere; ut intelligat non esse se Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Hinc S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum ea Apostoli verba, *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, explicans, « Opus, inquit, non dignitatem ; la- » borem, non delicias; opus per quod humi- » litate decrescat, non intumescat fastigio. » Concilium Tridentinum diserte inquit Episcopatum onus esse Angelicis humeris formidabile; nam non tantum pro sua, sed et pro omnium sibi subditorum animabus ab Episcopo rationem exiget Deus. Quis itaque, nisi temerarius, hoc munus et onus ambiat? Quis de hoc onere potius quam honore adipiscendo contendet? præsertim cum sancti viri et Ecclesiæ Doctores ac Patres tantopere Episcopatum fugerunt, quemadmodum de se ipsis testantur S. Gregorius Nazianzenus in *Apologia de fuga sua*, S. Joannes Chrysostomus in sex aureis libris *De Sacerdotio*, S. Augustinus et alii pene innumeri. Recte ergo statuit Leo imperator sub annum 469 in Lege XXXI, Codice *De Episcopis et Clericis*, sic inquiens : « Tantum ab ambitu debet esse sepo- » situs, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, » invitatus effugiat, sola illi suffragetur neces- » sitas excusandi. Profecto enim indignus est » Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. » Vide S. Thomam II, II, quæstione CLXXXV, articulo I.

V. Prolata ab Episcopo seniore Assistentium ea verborum formula, *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis*, interrogabat olim Episcopos assistentes consecrator Antistes, an scirent illum quem præsentabant esse dignum? Cui illis statim respondentibus : « Scimus et credimus illum esse » dignum, quantum humana fragilitas nosse si- » nit, » omnes simul clamabant : « Deo gratias. » Quem ritum, uti ego narravi, ita plane describit inter alios liber Pontificalis Bisuntinus annorum sexcentorum, Moguntinus annorum quadringentorum, et Lugdunensis ante annos tercentos scriptus, fuitque usui Ecclesiæ Tarentasiensi. Hodie haudquaquam rogatur primus vel alter assistentium Episcoporum, qui consecrandum Antistitem præcipuo Consecratori præsentat, dignusne ipsi videatur qui ad Episcopatus apicem sublimetur ; approbatio enim Sedis Apostolicæ, qua consecrandus in Episcopum jam muniri debet, omnem scrupulum tollit. Inconveniens quippe videtur et omnino absurdum, ut quæ a Summo Pontifice ac sacro Senatu statuta, approbata atque examinata sunt, a minoribus tribunalibus iterum examinentur. Hinc omisso scrutinio, quod serotinum appellatur, et examinatione, quæ, ut legitur in antiquis

Digitized by Google

Pontificalibus, die Sabbati hora vespertina ante Dominicam Ordinationi præfixam fieri consueverat, nihil aliud hodiernum Pontificale præscribit quam ut Ordinator, post illa verba quibus nomine Ecclesiæ rogatur ut Electum ad Episcopatus apicem evehat, ab Episcopis assistentibus et Electum ipsum præsentantibus petat an habeant mandatum Apostolicum; quibus illud habere se respondentibus, eoque per Notarium perlecto, dicit Consecrator tantum: « Deo gratias, » et ad consecrationem procedit.

§ VIII.

Si consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti per Electum præstandi receptio Consecratori committitur, litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat, Electus de sede sua veniens, coram Consecratore genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta tenorem commissionis prædictæ præstandum, in hunc modum videlicet :

FORMA JURAMENTI.

Ego N. electus Ecclesiæ N., ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. Papæ N., suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum; seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ et successorum prædictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et, quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus prædictis, pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo, et Domino nostro ac successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, et de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar. Quod si legitimo impedimento

Digitized by Google

detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut, his mihi deficientibus, per diœcesanum Sacerdotem, et, Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum sæcularem vel regularem spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Proponentem in Congregatione sacri Concilii, per supradictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice, et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

§ IX.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo, dicente : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Consecrator : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Prisci esse instituti, ut is qui in Episcopum consecrandus est, confessioni fidei, et promissioni generali servandorum Canonum, expressam etiam adjungeret professionem obediendi Prælatis atque Superioribus, perspicue apparet ex canone x Concilii Toletani xi anni 675. « Placuit, inquiunt Patres, huic sancto Con» cilio, ut unusquisque, qui ad Ecclesiasti» cos gradus est accessurus, non ante hono» rem consecrationis accipiat, quam placiti sui » innodatione promittat, ut Fidem Catho» licam sincera cordis devotione custodiens, et » juste, et pie vivere debeat, et ut in nullis ope» ribus suis Canonicis regulis contradicat, atque » ut debitum per omnia honorem atque obsequii » reverentiam præeminenti sibi unusquisque » dependat. » Ad hoc extremum caput constituendum scite autumant viri eruditi hunc potissimum conditum fuisse Canonem. Additur enim ea gravissima ratio, quod, « juxta illud beati » Papæ Leonis edictum, qui scit se quibusdam » esse præpositum, non moleste ferat aliquem » sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam » exigit, eam ipse dependat. » In Hispania ergo, uti docet Thomassinus, parte II *Disciplinæ*, lib. II, cap. XLIV, num. VI, prima se explicuere documenta expressæ seu promissionis, seu professionis obedientiæ, qua fungi necesse est suis Episcopis Clericos, Episcopos vero Metropolitanis in ipsa sui ordinatione. Ex hoc eodem Canone, ut idem auctor observat, illud etiam erui posset, ut, cum Metropolitanis superior non imminent nisi Papa, hinc illi eamdem profiterentur obedientiam. Sed cum ea de re in Conciliis Hispaniæ nullum fiat verbum, nec nos temere quicquam affirmabimus; cum multo probabilius sit viguisse Canonem IV Concilii Emeritensis anno 666, ut eam professionem ederet Metropolitanus in Synodo omnium comprovincialium Episcoporum, a qua et ipse ordinabatur.

II. Extra Hispaniam ea sacramenta, vel promissiones obedientiæ et fidei, quæ vel Episcopi Metropolitano, vel Metropolitani Papæ præstant, docent plerique scriptores non ante fuisse usurpata quam S. Bonifacius, Germaniæ apostolus, solemne juramentum Gregorio II, Pontifici Maximo, tempore Ordinationis suæ præstitit his

Digitized by Google

plane verbis : « Promitto ego Bonifacius Dei » gratia Episcopus tibi, beate Petre, Apostolo- » rum princeps, vicarioque tuo B. Gregorio » Papæ, et successoribus ejus, me omnem fi- » dem et puritatem sanctæ Fidei Catholicæ exhi- » bere, et in unitate ejusdem Fidei persistere... » fidem et puritatem prædicto Vicario atque » successoribus ejus per omnia exhibere ; sed etsi » cognovero Antistites contra instituta sancto- » rum Patrum conversari, cum illis nullam ha- » bere communionem aut conjunctionem, sed » magis, si prohibere valuero, prohibeam ; sin » minus, fideliter statim Domino meo Aposto- » lico renuntiabo..... Hunc indiculum sacra- » menti ego Bonifacius scripsi ponens supra cor- » pus sanctissimum sancti Petri, etc. » Narrat idem ipse Bonifacius in Epistola cv ad Cutbertum Episcopum data, eam se professionem elicuisse ab omnibus Episcopis Concilii a se coacti, inconcussæ stabilitatis et constantiæ in fide, in unitate et obedientia Sedis Apostolicæ et Papæ, observantiaque ejus decretorum. Addit et pleraque alia quæ apud laudatum Thomassinum videri possunt in eadem parte II, lib. II, cap. XLIV. Verum etsi frequentes essent hujusmodi promissiones sequioribus sæculis ab Episcopis factæ Romano Pontifici, observat tamen cum ipso Thomassino Van Espennius, parte I *Juris Ecclesiastici*, tit. XV, cap. II, circa sæculum Christi undecimum, professioni obedientiæ cœpisse adjungi juramentum, primumque omnium Gregorium VII a Patriarcha Aquileiensi in Concilio Romano anni 1079 expressisse non obedientiæ tantum canonicæ professionem, sed etiam juramentum fidelitatis non absimile illi quod dominis suis directis vassalli præstabant, ne quid unquam scilicet in eorum vitam, honorem et libertatem machinarentur : « Non ero in » consilio, neque in facto, ut vitam, aut mem- » bra, aut Papatum perdant, aut capti sint mala » captione. »

III. Si quis autem quærat : Ecquid causæ fuerit ob quam Gregorius peculiarem fidelitatis formulam juramento munitam ab Episcopis exigeret ? Ratio in promptu est : quia scilicet Germaniæ et Italiæ principes atque Episcopi longe plurimi, publice et manifeste simoniaci atque concubinarii, diro confixi anathemate, et Episcopali solio a Gregorio jure exturbati, in ipsum insurrexerant, Apostolicæque Sedis Legatos ludibrio affecerant, ac Pontificias excommunicationes floccipenderant. Ne itaque novos Episcopos qui creabantur, experiretur Gregorius rebelles, sibique ac Sedi Apostolicæ adversarios, necessarium esse duxit, ad muniendam Ecclesiæ unitatem et religiosam Canonum observantiam, eo uti remedio, exigendæ nimirum fidelitatis promissionis juramento munitæ. Hinc cum quidam de hujusmodi sacramento quererentur, dicerentque omne jusjurandum a Christo Domino in Evangelio esse prohibitum, nec ab Apostolis, nec in Conciliis inveniri posse statutum, respondit Paschalis Papa II, in cap. *Significasti* IV, *De electione et Electi potestate*, necessitate adactum se illud « juramentum pro » fide, pro obedientia, pro unitate requirere ; » paulo ante jam hæc præmiserat : « Nonne ma- » lum est ab Ecclesiæ unitate, et a Sedis Apo- » stolicæ obedientia resilire, et contra Canonum » statuta prorumpere ? quod multi etiam post » sacramentum præstitum præsumpserunt. »

IV. Quanquam vero sæculo XIII juramentum fidelitatis juxta formulam a Gregorio VII præscriptam, Romani Pontifices non modo in concessione Pallii a nonnullis saltem Metropolitanis, et ab Episcopis passim sibi immediate subjectis exigerent, sed ab Episcopis etiam suffraganeis suis Metropolitani ipsi requirere possent, uti liquet ex cap. *Dilecti* XIII, *De majoritate et obedientia;* hodie tamen, postquam omnium Episcoporum provisio ad Sedem Apostolicam, exclusis Metropolitanis et Episcopis comprovincialibus, translata fuit, atque solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari et consecrari cœperunt, etiam ab omnibus, tanquam ordinationi Apostolicæ Sedis immediate subjectis, juramentum ipsum Romano Pontifici hodie præstatur, et quidem juxta formulam recenti Pontificali Romano insertam, et supra a nobis descriptam. Sane formula juramenti, quæ refertur in cap. IV *De jurejurando*, etsi a quibusdam, ac præsertim a Fagnano, S. Gregorio Magno, ab Hallierio, saltem ex parte Gregorio II, ab aliis Gregorio III et a Petro Molineo perperam Gregorio IX tribuatur, rectius tamen a Jacobo Cujacio, a Francisco Florente, et ab omnibus pene eruditis viris Gregorio VII adscribitur, non vero I, II aut III, ut vulgo notant, cum eorum tempore nondum tale jusjurandum ab Episcopis exigeretur, quale proponitur in memorato c. IV

Digitized by Google

De ju ejurando, uti docet Albertus Krantzius, *Metropoleos* lib. VII, cap. III. Hallucinari autem misere Molineum, ejus juramenti originem a Gregorio IX repetentem, in libro *De Monarchia temporali Romani Pontificis*, vel ex eo deduci potest, quod ipsius Gregorii IX Constitutiones in Decretalium volumine, cujus ipse auctor est, contentæ, non primum, sed ultimum cujusque tituli locum occupant, uti post laudatum Cujacium observat Gonzalez in cap. IV *De jurejurando*, ubi fuse Molineum refellit, qui temere ac petulanter eam juramenti formam impugnabat.

V. Longum esset demonstrare quot novis aucta articulis clausulisque, et quam diversa sit nostri hodierni Pontificalis formula juramenti ab illa, quam primitus Gregorius VII in Concilio Romano VI anno 1076, ac deinde sequioris ævi Pontifices Maximi præscripsere. Videri potest de ea re laudatus Van Espennius in memorato titulo XV, cap. II, num. XI et seqq. Nos, ea qua possumus brevitate, non modo additiones aliquas, sed et quosdam hodiernæ formulæ articulos seu clausulas operæ pretium duximus explicare. *Fidelis*, inquit, *et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam.* Observat Franciscus Florens ad titulum VIII libri I Decretalium, *De auctoritate et usu Pallii*, priores tres hosce articulos fuisse desumptos ex titulo V et VI, *Feudorum* lib. II, nihil autem eosdem continere, quod ab aliquo unquam suggillari possit, ex recitatis verbis liquido apparet; præsertim si observemus Gregorium VII occasione schismatis, quod in ipsum Henricus imperator excitaverat, ab omnibus Episcopis a schismate redeuntibus hoc juramentum fidelitatis, quo honori et securitati Apostolicæ Sedis cavetur, exegisse.

VI. Occasione memoratæ dissensionis imperii et Ecclesiæ, schismatisque exinde oborti, privilegia Sanctæ Sedis expressius jurari voluit in sua formula Gregorius Pontifex VII. Regaliorumque sancti Petri meminit. *Papatum Romanum et Regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum, et defendendum, salvo meo ordine.* Non dubitamus veterem esse lectionem, *Regulas sanctorum Patrum*, quam lectionem hodieque legere est in laudato cap. IV *De jurejurando*, et apud omnes fere priscos capitis ejus expositores, in errorem fortasse inductos, quia notis scripta ea verba legerant hunc in modum, R. S. P. id est, *Regalia sancti Petri*, juxta veram eorum verborum significationem. Regalia autem S. Petri idem sunt ac patrimonium Ecclesiæ Romanæ, quod quidem contra omnem hominem tueri debent Episcopi, *salvo ordine*, nimirum quatenus ipsos Episcopos decet, « non cum armis, » ut ex Ambrosio explicat Glossa juris canonici. Ob ea quidem verba, *salvo ordine*, tradit Matthæus Parisius in Henrico II, et Joannes Saresberiensis, Epistola CLXXXVI, impium Angliæ regem Henricum II valde commotum fuisse adversus S. Thomam Cantuariensem, qui in juramentis, et tractatibus cum ipso rege, ea verba solebat addere, « salvo honore, » vel, « salvo honore Ecclesiæ, » quasi conditionaliter, non autem absolute concordiam iniret. Victum tandem Henricum admisisse Richardi successoris Thomæ juramentum fidelitatis cum hac clausula, « salvo ordine suo, » nulla prorsus mentione facta de observandis prioribus consuetudinibus regni, nempe Clarendoniæ habitis in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, testatur idem Matthæus Parisius ad annum 1173 in Henrico II.

VII. Sane Regalia S. Petri patrimonium S. Petri significare, confirmari potest Innocentii III formula, quæ in Gestis ejus, pagina 64, habetur, in qua ita explicantur ipsa Regalia : « Honores, dignitates et rationes Apostolicæ » Sedis defendam pro posse, salvo ordine » meo; » ideoque dici etiam potest, quod nonnulli tradunt, sub nomine scilicet Regalium, eorumque defensionis in formula Gregorii VII, omnia esse comprehensa, quæ latius in Pontificali nostro hodierno Romano, ex præscripto Clementis VIII, iis verbis exprimuntur : *Jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, et successorum prædictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum*

Digitized by Google

Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et, quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Quod attinet ad eum articulum honorifice excipiendi, tractandi adjuvandique Apostolicæ Sedis Legati, ubi nos in nostro Pontificali Romano legimus, *Legatum Apostolicæ Sedis*, Gregorii formula addit, « quem certum esse cognovero, etc., » ut in nostro Pontificali. Frequentissimæ quippe fuere post annum Christi millesimum Legationes Romanorum Pontificum, eo quod simonia et incontinentia per totum fere Clerum Occidentis ea tempestate grassaretur. Accidit autem non semel, ut ob quorumdam Legatorum avaritiam, violentiam cupiditatemque fœdissimam, quererentur passim de ipsis tum populi, tum reges, tum Ecclesiarum Pastores apud Apostolicam Sedem; ipsique tandem id privilegii obtinuerint principes, ut nullus ad suas deinceps ditiones Legatus, nisi ipso rege petente, mitteretur. Sed de hoc alibi.

VIII. Sequitur mox in nostro Romano Pontificali, in recitata formula juramenti fidelitatis, alius articulus qui profecto in laudata formula a Gregorio VII præscripta desideratur; hæc enim habet : *Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari.* Qui sane articulus latissime patet, eumque constat in plerisque minime admitti in compluribus regnis, præsertim ubi viget jus illud quod vocant : « Regium exequatur. » Additilia quoque sunt ea alterius articuli verba : *Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus prædictis, pro posse persequar et impugnabo* : non enim in antiquis formulis inveniuntur, sicut illa quæ statim sequuntur : *Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione;* quæ quidem in antiqua Gregorii VII formula ita exprimuntur : « Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per » se, vel per suos Nuntios, vel per suas litteras, » veniam, et canonice obediam, aut si non » potero, Legatos meos mittam. » Certe vocandi sunt Episcopi ad Concilium generale vel provinciale, et venire tenentur, nisi legitime impediti reperiantur; eoque casu debent excusationis causam coram Patribus proponere per litteras, aut per nuntium, ut fuse probat Jacobatius *De Concilio*, et passim canonici juris consulti docent. Videri etiam ea in re potest eruditus Commentarius dilectissimi nostri Bonaventuræ Sculco Patritii Crotoniatis in Canonem XIX Chalcedonensem, nostro primo tomo *Conciliorum*.

IX. In eo articulo qui visitationem liminum Apostolorum spectat, ait quidem Gregorii formula : « Apostolorum limina singulis annis, aut » per me, aut per certum nuntium visitabo, nisi » eorum absolvar licentia ; » verum longe aliter in nostro Pontificali habetur ; præscribit enim singulis trienniis personaliter per semetipsum debere illa Episcopum visitare, Romanoque Pontifici rationem reddere de toto suo Pastorali officio, ac de rebus omnibus ad suæ Ecclesiæ statum, ad Cleri et populi disciplinam, ad animarum denique, quæ suæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, ut legere est in nostri Pontificalis Romani formula superius recitata. Hujus articuli originem, quo limina Apostolorum Episcopi in ordinatione sua se invisuros promittunt, ex triplici fonte derivare rectissime autumat Hallierius *De sacris Ordinationibus*, sectione VI, § II, pag. 236 et seqq. Primo, inquit, cum Summus Pontifex in obscurioribus Fidei vel Ecclesiasticæ disciplinæ negotiis totius suæ provinciæ, cui non solum ut Archiepiscopus, verum etiam ut Primas præsidet, Episcopos olim ad Concilium convocare soleret, in majoribus quoque et intricatioribus causis, totius sui Patriarchatus Episcopos rarius convocaret, hinc Episcopis quidem Italiæ ac Siciliæ, qui Romano Pontifici ut Primati subjiciuntur, Romam ad Concilium proficisci debebant frequentius : cujus rei argumentum esse potest Epistola LXII S. Leonis I, Summi Pontificis, ad Episcopos Siciliæ, qua nempe eis præscribit, cap. IV : « Ut quia saluberrime a sanctis Patri» bus constitutum est, binos in annis singulis » Episcoporum debere esse conventus, ternis » semper ex ipsis ad diem tertium kal. octobris, » Romam fraterno Concilio sociandi occur» rant : » itemque Epistola S. Gregorii Magni, qua Cypriano diacono scribens, Episcopis Si-

Digitized by Google

culis, qui ex antiquo more Romam singulis trienniis conveniebant, eorum labori consulens, indulget ut semel quolibet quinquennio Romam venirent, uti videre est apud ipsum Gregorium lib. VI, Epistola XIX, et apud Joannem diaconum, lib. III Vitæ S. Gregorii, numero XXV. Manifestum itaque est obligationem veniendi Romam, a S. Leone elici ex obligatione accedendi ad Synodos provinciales, ut scite etiam admonet Van Espennius, parte I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XV, cap. II, num. XVII.

X. Secundo, ex Ordinationum jure, quod Conciliorum convocationi solebat esse connexum, eadem Romam petendi necessitas orta fuit; quæ primum Italos, Siculosque, aliosque Dalmatiæ vicinos comprehendebat, quos nonnisi a Summis Pontificibus vel ex eorum licentia ordinatos fuisse, colligitur ex variis S. Gregorii Magni Epistolis, libro III, epistola XV, lib. V, epistola XIII, et alibi, cum tamen eodem tempore in Gallia, Hispania, Germania et aliis regionibus, singuli in suis provinciis a Metropolitanis suis, vel Primatibus, ordinari solerent Antistites; hinc qui Summo Pontifici ut Primati obediebant, Romam evocari consueverant, vel ut ordinarentur, vel ut, si per alium consecrari eis liceret, Summum tamen Pontificem salutarent, statim atque per tempus et vires ipsis liceret, conformiter nempe Tarraconensis Concilii statuto, anno 516 habiti, quo nempe præcipitur can. V : « Ut si quis in Metropolitana » civitate non fuerit Episcopus ordinatus, pos- » teaquam suscepta benedictione per Metropo- » litani litteras honorem fuerit Episcopi adeptus, » et statuto tempore, id est, impletis duobus » mensibus, se in Metropolitani sui præsentet » aspectibus, ut ab illo monitis Ecclesiasticis » instructus, plenius quid observare debeat, » recognoscat. Quod si forte hoc implere ne- » glexerit, in Synodo increpatus, a fratribus » corrigatur. Et, si infirmitate aliqua, ne hoc » impleat, fuerit præpeditus, hoc suis litteris » Metropolitano indicare procuret. » Quare cum sequentibus temporibus, uti recte observat memoratus Hallierius, Electionem et Ordinationum jura Summus Pontifex ad se traxerit, nihil mirum si eodem jure præceperit ut Episcopi ordinati quamprimum Romam accederent, monita jussaque ad recte suam diœcesim administrandam ab eo audituri.

XI. Tertio, cum vetitum esset Ecclesiasticis legibus, ut infra titulo sequenti fuse ostendemus, ne Archiepiscopi quidquam Pontificalis muneris sine Pallio attentarent, Pallium autem, uti docet sanctus Gregorius lib. VII, indictione I, Epistola V ad Brunichildem Francorum reginam, nonnisi fortiter postulantibus obnixeque petentibus dari debeat; iisque tantum qui duntaxat in urbe præsentes essent, juxta servatam aliquando in Ecclesia disciplinam, de qua infra dicemus; nec mirum profecto videri debet, si, ob eam rationem petendi Pallium, Romani Pontifices Archiepiscopis legem fecerint ut ad sacra Apostolorum limina se conferrent. Atque hinc facile intelligi potest, quare hæc obligatio visitandi limina Apostolorum, citius Metropolitanis quam Episcopis cæteris imposita sit, uti colligitur ex Epistola VI Paschalis II, quia scilicet Metropolitanorum ordinatio citius quam Episcoporum ad Sedem Apostolicam translata est, atque etiam quia Metropolitani ab eadem Apostolica Sede Pallium, et cum eo plenitudinem Sacerdotii accipere consueverant. Quod quidem intelligens antiqua juris canonici Glossa in c. IV *De jurejurando*, ad verbum *singulis annis*, notavit obligationem visitandi limina Apostolorum, de qua in citato cap. IV intelligendam esse *de Archiepiscopis et Episcopis qui subsunt Domino Papæ, nullo medio*. Additur in margine ex Joanne Andrea : « Idem servatur in aliis, si » confirmationem, consecrationem, vel Pallium » a Papa recipiunt. »

XII. Translata ergo non tantum Metropolitanorum, sed et Episcoporum confirmatione et consecratione ad Apostolicam Sedem, una ipsa, uti observat Van Espennius, obligatio visitandi limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apostolicam, extensa fuit. Quod quidem consentaneum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, juxta quam prisci Christi fideles de longinquo pergebant, ut Apostolorum limina inviserent, ut videre est apud cardinalem Baronium tomo I *Annalium*. Porro per limina Apostolorum in formula juramenti relata in cap. IV *De jurejurando*, non intelligi Ecclesias sanctorum Petri et Pauli, nec sacra eorum sepulcra, aperte nonnulli auctores deducunt ex verbis ipsis quæ in ea Decretali subjiciuntur : « Nisi eorum absol- » var licentia; » quæ necessario ita debent exponi, nisi absolvar per Papam, qui illis limini-

Digitized by Google

bus præest, et illorum Apostolorum vice fungitur, uti post alios notat Fagnanus in laudato cap. IV, num. LXII, ubi etiam docet eam obligationem visitandi memoratorum Apostolorum basilicas, deduci non tam ex juramento quam ex consuetudine, ac Summorum Pontificum constitutis; ut propterea non bene Anastasius Germonius, cæteroqui vir doctus, ubi agit de indulto Cardinalium, ad finem, a visitatione sacrorum liminum excludat hunc actum venerationis basilicarum; etsi constet non teneri Episcopos actum ipsum probare juramento, aut testibus, aut fide Sacristæ; sed statur eorum assertioni.

XIII. Præcipuus visitationis istius scopus, uti colligitur ex Constitutione Sixti V Pontificis Maximi, edita Romæ 13 kal. januarii 1585 incipitque, *Romanus Pontifex;* et ex hodierno Romanæ Curiæ stylo, est quidem, ut Episcopi Sedem Apostolicam de statu Ecclesiæ suæ plene informent, eumque sacræ Congregationi Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini (quæ ad hoc specialiter deputata est) referant; quod et hodierna juramenti formula in verbis supra relatis exprimit. Est autem hic status duplex, nimirum materialis et formalis. Materialis, ut ibidem inquit Fagnanus, num. LXXIII, versatur circa loca urbana, suburbana, ruralia, silvestria: item circa Cathedralem, Collegiatas, Parochiales, et alias Ecclesias et Oratoria: item circa Monasteria tam virorum quam mulierum, Hospitalia, Montem pietatis, Collegia, Confraternitates, et alia pia loca tam civitatis quam diœcesis, et circa eamdem Ecclesiarum et locorum situm, fabricam, ornatum, bona, redditus, sacram supellectilem, personarum ac ministrorum numerum et ordinem, et alia his similia. Et quoad hunc statum materialem praxis est, ut unusquisque Episcopus in prima ejus visitatione plenam exhibeat relationem; in sequentibus autem visitationibus super hoc statu materiali simpliciter se referat ad relationem primo exhibitam, et tantum adjiciat, si quid additum, imminutum, immutatum fuerit, quod Sacram Congregationem scire expediat.

XIV. Status spiritualis, sive formalis, ut eum vocat laudatus Fagnanus, in quo præcipue niti debent Episcopi, versatur circa Pastorale officium, ac circa omnia quæ ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum regimen et animarum salutem pertinent, de quibus sacra Congregatio juxta præscriptum Sixti V peculiariter vult edoceri, videlicet: « Quæ in Ecclesiis eorum curæ » ac fidei commissis, Cleri populique morum » disciplina sit; quæ Concilii Tridentini decre- » torum tum in omnibus, tum præsertim in re- » sidentiæ munere exsecutio; quæ item piæ » consuetudines, et qui omnium denique in via » Domini sint progressus. » Id quod in suo juramento ad præscriptum nostri Pontificalis ita exprimit quidem Episcopus: *Rationem reddam de toto meo Pastorali officio, de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exsequar.* Atque hæc quidem generalia sunt, super quibus sacra Congregatio informari debet; quæ etiam pro accuratiore informatione ad specialia descendere solet, Fagnano id testante, qui et articulos illos ibidem annotat: de quibus si pro rei veritate, et sincere, non autem perfunctorie Congregatio ipsa informetur, non dubium quin aperte cognosceret quantus sit in pluribus Ecclesiis super articulis hisce defectus, cui per Apostolicam Sedem opportunis remediis occurri merito debeat.

XV. Illud et hic adnotari debet, juxta hodiernam juramenti formulam, Episcopum nonnisi legitimo impedimento detentum per specialem nuntium huic obligationi satisfacere posse. Impedimentum legitimum, uti docent passim in cap. IV *De jurejurando*, canonici juris interpretes, est quidem munus et reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, veluti cum Episcopi electores occupantur in electione imperatoris, item ætas gravis, hostilitas quoque et timor hostium, incursus latronum, pestis et alia id genus, quorum tamen quædam impedimenta Antistites profecto excusant a visitatione personali tantum, non vero ab illa quæ per certum nuntium fieri solet, veluti ægritudo, decrepitas, munus Episcopatui adjunctum, et similia quæ personam respiciunt ipsius Episcopi. Sunt autem quædam alia impedimenta quæ etiam a mittendo Romam certum nuntium Episcopos excusant, ut exempli gratia, pestis, viarum obsessio, hostilitas, modo tales sint quæ impediant accessum diœcesanorum ad urbem. Sane, si Epi-

Digitized by Google

scopus non careat Clero, cæteri Sacerdotes profecto non admittuntur ad limina visitanda pro non suo Episcopo; quia nimirum in Constitutione Sixti V et in formula nostri Romani Pontificalis diserte sancitur, ut Episcopi visitare debeant per certum nuntium ex gremio suorum Capitulorum, aut in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias Personatum habentem; in eorumque defectum, per Sacerdotem diœcesanum; at vero si Clero Episcopi careant, omnino per aliquem alium Presbyterum sæcularem vel regularem spectatæ probitatis et religionis de statu Ecclesiæ plene instructum.

XVI. Præterea præscribit mox nostra formula, ut limina non visitantium impedimenta probanda sint ab Episcopis non juramento, sed legitimis probationibus ad S. R. E. Cardinalem Proponentem in Congregatione sacri Concilii, per supradictum nuntium transmittendis. Quæ nomine legitimarum probationum veniant, fuse utriusque juris scriptores explicant; recte autem docet Fagnanus, num. XIV ibidem, probationem per juramentum nequaquam sufficere, ubi Constitutio legitimam probationem requirit, itemque nec quando fieri potest per testes. Quod quidem ex ea ratione confirmari potest : nam cum Episcopi vinculo juramenti adstringantur ex nostra Romani Pontificalis formula ad visitanda Apostolorum limina in certis annorum curriculis per se ipsos, nisi essent legitime impediti; frustra eorumdem juramento staretur de ipso legitimo impedimento. Enim vero qui sciens sine impedimento legitimo, nuntium transmittendo, in perjurium incidere non veretur, utique nec timebit pejerare se legitime esse impeditum. Unde ne dicamus eam particulam memoratæ formulæ, *Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo*, serio appositam, otiosam esse, fateri cum plerisque canonici juris consultis cogimur, ejus qui ipsam formulam condidit, certe fuisse mentem ut de impedimento aliter docere Episcopum oporteat quam per juramentum.

XVII. Postremus denique articulus, qui et ipse additicius est, promissionem continet indemnitatis rerum Ecclesiæ, sacramentoque adstringit Episcopum ne alienet bona Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice : *Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice; et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.* Hanc promissionem juramento firmatam ab iis tantum olim exigi solitam fuisse, de quibus suspicio probabilis oriri posset, quod bona Ecclesiæ alienaturi essent, colligi potest ex Epistola Pelagii Papæ Cethego Patricio missa, qua hujusmodi juramentum se exegisse testatur ab electo Episcopo Syracusanæ urbis, quod uxorem et liberos haberet : « Summo studio ab eodem » Syracusanæ urbis Episcopo, priusquam a » nobis in Episcopum contingeret ordinari hu» jusmodi exegimus cautionem, per quam, » et suam fateretur, quantula esset præsentis » temporis, habita rerum descriptione, substan» tiam; et nihil unquam per se, aut per filios, » et uxorem, sive quamlibet propinquam, aut » domesticam, vel extraneam forte personam de » rebus audeat usurpare Ecclesiæ, et universa » sui Episcopatus quæsita tempore, Ecclesiæ » suæ dominio sociaret; nihil ultra id quod » modo descriptum est, filiis suis vel hæredibus » relicturus. » Relata est hæc Epistola Pelagii, sive Gelasii, ut aliis lubet, in can. *De Syracusanæ*, distinctione XXVIII. Ex ejus verbis scite colligit laudatus Hallierius, *De sacris Ordinationibus*, sectione VI, § V, indemnitatis rerum Ecclesiasticarum in ordinatione cautionem juratoriam ab eo exactam qui liberos et uxorem habens, facile credi posset inducendus cupiditate carnis et sanguinis ad alienanda vel dilapidanda Ecclesiæ bona; usitatum vero minime fuisse ut a reliquis Episcopis consecrandis idem juramentum exigeretur; secus enim non videretur tanquam specialis cautio in eo casu adhibita.

XVIII. Sciendum quoque hic illud est, hujus articuli de non alienandis rebus Ecclesiæ nullam in formula Gregorii VII, prout vel in Concilio Romano, vel in Decretalibus exhibetur, fieri mentionem : unde post tempora Gregorii VII insertam fuisse recte observat Franciscus Florens ad titulum *De auctoritate, et usu Pallii;* quemadmodum plura alia successu temporis addita fuisse, ex dictis facile intelligi potest. Constat autem ex cap. II *De feudis*, et ex cap. VIII *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, Innocentii III et

Digitized by Google

Cælestini III Pontificum tempore morem receptum fuisse, ut Episcopi juramento se adstringerent Romano Pontifici, non alienandi vel infeudandi Ecclesiæ bona. Sunt infiniti pene Canones qui eam alienationem prohibent, præsertim vero Constitutio Pauli II quæ incipit, *Ambitiosæ*, quæque varias pœnas vendenti ementique bona Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, comminatur. Ad eamque Constitutionem puto alludere nostri Romani Pontificalis formulam, ubi ait : *Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo.* Quæ verba vel in edito Pontificali Venetiis anno 1072 desiderantur. Certe ut manuscripta omittam, liquido constat etiam Pontificalia edita in ipsa juramenti formula aliquantum variare. Cæterum in eam Constitutionem Pauli II vide sis Eminentissimum Petram, tom. v *Commentariorum ad Constitutiones Apostolicas*, et alios passim theologos æque ac canonici juris consultos.

XIX. Explicata utcumque juramenti formula, omitti et ille nequit ritus qui in § IX descriptus est. Nimirum, solemni ritu Episcopus ordinandus, ubi memoratam formulam recitavit, ambas manus super Evangelii textum apponit, genuflexusque dicit : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia* : respondet vero Pontifex Consecrator : *Deo gratias.* Edita olim juramenta super sacrum Evangelii librum abunde ostendimus in opere nostro, *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. III, cap. XIII. Usitatum vero eum jurandi ritum per illa verba, *Sic me Deus adjuvet, etc.*, ab Episcopo præsertim ordinando post recitatam formulam variæ promissionis factæ Romano Pontifici, addiscere licet ex cap. IV *De jurejurando.* Quam inepte autem garriat Molineus juramentum eo inter alia fundamento impugnans, quod in ipso nulla sit de Deo mentio, vel ex memorato jurandi ritu demonstrat eruditus Gonzalez in laudato capite IV : «Quoniam, » inquit, ut Dei obtestatione firmatur jusjurandum, ita ad Dei gloriam exhibetur. »

§ X.

Ad hoc tempus singulorum trienniorum tenentur omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi atque Episcopi, Itali videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest; velut Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, atque etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione ipsis Italiæ et Siciliæ oris sunt. Ad tempus singulorum quadrienniorum, Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et cæteri omnes qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, atque omnium insularum maris Mediterranei. Ad tempus singulorum quinquenniorum, qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, atque etiam Africani littoribus nostris adversis, atque insularum maris Oceani septentrionalis et occidentalis Europæ, atque Africæ, citra continentem novi Orbis, tam qui nunc sunt quam qui ad Catholicam Fidem per misericordiam Dei aliquando redierint. Ad tempus singulorum decenniorum Asiatici, et qui extra Asiam, et qui in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus existentes.

COMMENTARIUS.

I. Cautum est Constitutione Sixti V Pontificis Maximi, cujus in commentario superiori mentionem fecimus, Episcopos et alios majores Antistites Italos, et in Italicis insulis et provinciis adjacentibus, teneri sacra Apostolorum limina invisere tertio quoque anno; Germanos vero, Gallos et Hispanos, et cæteros qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, quarto

Digitized by Google

anno; remotiores, qui intra fines Europæ consistunt, et Africanos, quinto anno; Asiaticos tandem, et qui extra Asiam degunt, ex omnibus mundi partibus, decimo quoque anno, uti fusius in eadem Constitutione exprimitur. Docet autem Prosper Fagnanus, doctissimus canonici juris interpres, in cap. IV *De jurejurando*, numero LXXIII, recitata annorum spatia, tam Episcopis Italiæ quam cæteris omnibus, æqualiter currere a die publicationis ejusdem constitutionis, hoc est a die vigesima decembris anni 1585. Quod quidem quoad Episcopos et Archiepiscopos, qui tempore præfatæ publicationis consecrati jam erant, vel Pallium susceperant, aut ad aliam Ecclesiam jam fuerant translati, manifestum profecto est, quia scilicet sic expresse cavetur in ipsa Constitutione, § *Hi vero ex supradictis*. Quoad alios autem, quamvis Constitutio, in § *Hæc autem annorum spatia*, edixerit ut spatia hujusmodi, tempore suscepti muneris, consecrationis, vel Pallii traditionis, aut translationis ad aliam Ecclesiam incipiant; tamen hæc verba non ita esse accipienda docent cum Fagnano doctores, ut initium computationis triennii, vel quadriennii, etc., sumi debeat a die consecrationis, susceptionis, vel translationis hujusmodi, sed hunc quidem habere sensum, ut eo ipso quo quis est consecratus, etc., incipiat illi currere obligatio visitandi limina, non autem ut spatia supradicta ab eo tempore computari debeant; atque hanc interpretationem semper habuisse ea verba in sacra Congregatione Concilii, diserte Fagnanus testatur.

II. Monendi autem hoc loco de eo Episcopi sunt, non debere ipsos intra tempora superius expressa quandocumque sacra limina visitare, sed tantum ultimo anno temporis eisdem præfixi; idque satis aperte indicant verba tum Constitutionis Sixtinæ, cum nostri Romani Pontificalis, quæ non præcipiunt simpliciter liminum visitationem infra illa annorum curricula, sed jubent ut Episcopi Italiæ tertio, Germaniæ quarto, Africæ quinto, Asiæ decimo quoque anno iter suscipiant, et visitationem perficiant; licet cum Episcopis ultra montes, ac præsertim Indiarum, ob ingentem locorum distantiam agi benignius consueverit. Certe, si fas esset infra dicta temporum spatia limina invisere, inter alia absurda et illud gravissimum inconveniens sequeretur; quia, si Episcopus, exempli gratia, Italiæ, visitaret die prima decembris, qui forte esset ultimus sui triennii annus, posset deinde die vigesima secunda ejusdem mensis, ex qua incipit novum triennium, iterum suum munus obire; quod quidem aperte est contra mentem nostri Pontificalis et Constitutionis Sixti V, quibus præscriptum scimus ut tertio quoque anno visitatio peragatur; ut de statu suæ Ecclesiæ, ac de iis quæ trium annorum intervallo occurrunt, plene Apostolicam Sedem informent, quo opportunis remediis necessitati status materialis spiritualisve, ut aiunt, ipsius Ecclesiæ occurri possit.

III. Alia certe olim ratio fuit ob quam Episcopi, juxta formulam juramenti præstiti, certis temporibus Apostolica limina invisere tenebantur, in obsequium scilicet Apostolicæ Sedis, quod ab omnibus eidem debetur, ut pote quæ mater existit Ecclesiarum omnium et magistra. Quamobrem Alexander IV, Pontifex Maximus, anno Christi 1257, Pontificatus III, saluberrima Constitutione dignitati ac venerationi Romanæ Ecclesiæ, ne sensim deflorescceret, consulens, concessa omnia privilegia, quæ alii importunitate sua extorserant, alii precibus eblanditi erant, ut Apostolicæ Sedis adeundæ onere exsolverentur, penitus abrogavit, uti videre est apud Raynaldum ad ipsum annum 1257, num. L, ubi integra legitur Constitutio hunc in modum: « Importuna multorum instantia, quam nequit » interdum repulsa repellere, felicis recordationis Innocentium papam prædecessorem » nostrum, et nos aliquando coarctavit, ut cum » votis eorum benignitas Sedis Apostolicæ quodammodo tracta concurreret, non ex voto. » Sane nonnulli Ecclesiarum Prælati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importune » concedi, ut non teneantur Sedem eamdem » usque ad certa tempora visitare contra formam præstiti juramenti; ex quo illud evenit » inconveniens, quod Apostolicæ Sedis dignitas » rarius visitatur in derogationem reverentiæ, » quæ ab omnibus debetur eidem, ut pote quæ » mater existit Ecclesiarum omnium et magistra. Nos igitur volentes super hoc salubri » remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, » quæ super omnes alias ordinariæ potestatis » obtinet principatum, congruis honoribus frequentari; præsertim quod non sit facile recedendum ab eo quod a prædecessoribus

Digitized by Google

» nostris super hoc diu excogitatum exstitit, et » obtentum : de fratrum nostrorum consilio in- » dulgentias et concessiones hujusmodi Patriar- » chis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et » aliis Ecclesiarum Prælatis concessas, auctori- » tate præsentium revocamus. Datum Viterbii 3 » non. aug. anno 3. »

§ XI.

Deinde Electo et Assistentibus in locis suis, ut dictum est, sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit sequentem examinationem, quæ legi debet semper, sicut jacet, in singulari, etiamsi plures simul examinentur : Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt quæcumque dixerit Consecrator, et omnes debent tunc mitras tenere, et sedere.

EXAMEN.

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et præcipit, ut is qui ad Episcopatus ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur cum omni charitate de Fide sanctæ Trinitatis, et interrogetur de diversis causis et moribus quæ huic regimini congruunt, ac necessaria sunt retineri, secundum Apostoli dictum : Manus nemini cito imposueris. *Et ut etiam is qui ordinandus est, erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei; et ut irreprehensibiles sint, qui ei manus ordinationis imponunt. Eadem itaque auctoritate et præcepto interrogamus te, dilectissime Frater, charitate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinæ Scripturæ sensibus accommodare volueris.* Tum Electus aliquantulum assurgens, detecto capite, respondet : *Ita ex toto corde volo in omnibus consentire et obedire.* Et hoc servabit ad omnes alias responsiones sequentes; et si plures Electi fuerint, successive quisque sic respondet.

Interrogat Consecrator.

Vis ea quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, et verbis docere, et exemplis? ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac Decretales sanctæ et Apostolicæ Sedis Constitutiones veneranter suscipere, docere et servare?* ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi; ejusque Vicario Domino nostro, Domino N. Papæ N., suisque successoribus Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem et obedientiam, secundum Canonicam auctoritatem, per omnia exhibere?* ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare?* ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis castitatem et sobrietatem cum Dei auxilio custodire et docere?* ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis semper in divinis esse negotiis mancipatus, et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas consenserit posse?* ℟. *Volo.*

Digitized by Google

Interrogatio. *Vis humilitatem et patientiam in teipso custodire, et alios similiter docere?* ℟. *Volo.*

Interrogatio. *Vis pauperibus, et peregrinis, omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis et misericors?* ℟. *Volo.*

Tunc dicit ei Consecrator : *Hæc omnia et cætera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te atque corroboret in omni bonitate.* Et respondeant omnes : *Amen.*

Interrogatio. *Credis secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui, sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem) totamque in sancta Trinitate Deitatem coessentialem, consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, quæ sunt in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia?* ℟. *Assentio, et ita credo.*

Interrogatio. *Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam unum Deum, verum, plenum et perfectum?* ℟. *Credo.*

Interrogatio. *Credis ipsum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasmaticum, sed unicum et unum Filium Dei in duabus, et ex duabus naturis, sed in unius personæ singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, et sepultum, ac tertia die resurgentem a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad cœlum et sedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala?* ℟. *Assentio, et ita per omnia credo.*

Interrogatio. *Credis etiam Spiritum sanctum plenum et perfectum, verumque Deum a Patre et Filio procedentem, coæqualem et coessentialem, coomnipotentem, et coæternum per omnia Patri et Filio?* ℟. *Credo.*

Interrogatio. *Credis hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem et incommutabilem?* ℟. *Credo.*

Interrogatio. *Credis sanctam Catholicam et Apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur verum baptisma, et vera omnium remissio peccatorum?* ℟. *Credo.*

Interrogatio. *Anathematizas etiam omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam catholicam?* ℟. *Anathematizo.*

Interrogatio. *Credis etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestas, et vitam æternam?* ℟. *Credo.*

Interrogatio. *Credis etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, et Prophetarum, et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem?* ℟. *Credo.*

Postea Consecrator dicit : *Hæc tibi Fides augeatur a Domino ad veram et*

Digitized by Google

æternam beatitudinem, dilectissime Frater in Christo. Et respondent omnes : *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Postquam juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, cum Episcopi consecratio ad Metropolitanum spectaret, exhibitum sibi electionis decretum, an canonica esset electio, ante consecrationem examinaverat ipse Metropolitanus, idem deinde ipsius Electi mores discutiebat, et Fidem juxta illud Apostoli monitum in Epistola I ad Timotheum, cap. III : *Probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Quod licet de Diaconis dictum sit, multo magis tamen in Episcopis locum habet. Sane Edmundus Martenius libro I *De antiquis Ecclesiæ ritibus,* capite VIII, art. X, n. VIII : « Istud examen tametsi » ab aliis Ecclesiis usurpatum fuerit, atque in » primis a Concilio Nicæno II, can. II, præscri- » ptum, Gallicanæ nihilominus proprium exsti- » tisse » asserit. Verum pace tanti viri, antiquius, quam ipse putat, est istiusmodi examinis institutum, uti addiscere licet ex Concilio IV Carthaginensi, can. I, quem etsi longiusculum, libet tamen totum fere integrumque hoc loco describere. Sic autem inquit : « Qui Episcopus » ordinandus est, antea examinetur si natura sit » prudens, si docibilis, si moribus temperatus, » si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis » vacans, si humilis, si affabilis, si misericors, » si litteratus, si in lege Domini instructus, si in » Scripturarum sensibus cautus, si in dogma- » tibus Ecclesiasticis exercitatus; et ante omnia, » si Fidei documenta verbis simplicibus asserat, » id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, » unum Deum esse confirmans, totamque Tri- » nitatis Deitatem coessentialem, et consubstan- » tialem, et coæternalem, et coomnipotentem » prædicans; si singularem quamque in Tri- » nitate personam plenum Deum; si Incarna- » tionem divinam non in Patre, neque in Spiritu » sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut » qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse » fieret in homine hominis Matris Filius, Deus » verus ex Patre, homo verus ex Matre, carnem » ex Matris visceribus habens, et animam hu- » manam rationalem, simul in eo ambæ naturæ, » id est Deus et Homo, una persona, unus Fi- » lius, unus Christus, unus Dominus creator » omnium quæ sunt, et auctor, et dominus, et » rector, cum Patre et Spiritu sancto, omnium » creaturarum; qui passus sit vera carnis pas- » sione, mortuus vera corporis sui morte, re- » surrexit vera carnis suæ resurrectione, et vera » animæ resumptione, in qua veniet judicare » vivos et mortuos. »

II. Pergit laudatus Canon, et ait : « Quæren- » dum etiam ab eo, si Novi et Veteris Testamenti, » id est Legis, et Prophetarum, et Apostolorum » unum eumdemque credat auctorem, et Deum; » si diabolus non per conditionem, sed per ar- » bitrium factus sit malus. Quærendum etiam » ab eo si credat hujus quam gestamus, et non » alterius, carnis resurrectionem ; si credat ju- » dicium futurum, et recepturos singulos pro » his quæ in carne gesserunt, vel pœnas, vel » gloriam; si nuptias non improbet, si secunda » matrimonia non damnet, si carnium percep- » tionem non culpet, si pœnitentibus reconci- » liatis communicet; si in baptismo omnia » peccata, id est, tam illud originale contractum » quam illa quæ voluntarie admissa sunt, dimit- » tantur; si extra Ecclesiam Catholicam nullus » salvetur. Cum in his omnibus examinatus in- » ventus fuerit plene instructus, cum consensu » Clericorum et laicorum, et conventu totius » provinciæ Episcoporum, maximeque Metro- » politani, vel auctoritate, vel præsentia, ordi- » netur Episcopus, etc. »

III. Ergo antiquissimum est Episcopi examen, non solum in descriptis a nostro Pontificali interrogationibus, desumptis pene ad verbum ex antiquo Romano Ordine et priscis Pontificalibus libris, sed et in multis aliis capitibus quæ ex laudato Canone I Concilii Carthaginensis quarti recensuimus. Non ergo secunda Nicæna Synodus examen istud primo præscripsit, sed quarta Carthaginensis ; cujus constitutioni, qua Episcopi recens ordinandi prævio examine fidem profiteri jubentur, Manichæorum, Origenistarum, Novatianorum, Priscillianistarum, Pelagianorum, aliorumque hæreticorum, novæ, aut saltem resuscitatæ hæreses causam profecto dederunt; quia scilicet, qui ad alios docendos deli-

Digitized by Google

guntur, probatæ spectatæque scientiæ esse deberent. Hinc Justinianus imperator in tractatu adversus errores Origenis, exstatque tomo v *Conciliorum*, cavit « ne in posterum aliter or- » dinentur Episcopi, aut monasteriorum Præ- » fecti, nisi prius cum aliis omnibus hæreticis, » qui de more in editis libellis anathematizan- » tur, id est Sabellio, Ario, Apollinario, Nes- » torio, Eutyche, Dioscoro, Timotheo Eluro, et » Petro Moggo, et Anthimo Trapezuntis, Theo- » dosio Alexandriæ, Petro qui fuit Antiochiæ, et » Petro qui Apameæ, et Severo olim Antiochiæ, » prædictum etiam Origenem, qui Paganorum » Arianorumque insania laboravit, una cum ex- » secrabilibus impiisque ejus dogmatibus anathe- » matizentur. » Hinc etiam est, ut recte ibidem observat Martenius, quod post Berengarium in quibusdam Galliarum Ecclesiis interrogabantur ordinandi Episcopi, an realem in Eucharistia Christi præsentiam, veramque panis ac vini in corpus et sanguinem ejus transsubstantiationem crederent; id quod in duobus manuscriptis Pontificalibus advertimus, uno Lugdunensi Ecclesiæ, quod etiam usui fuit Tarentasiensi; altero Rothomagensi. Hinc et Antonius Silæi Episcopus cultum sanctarum imaginum præsertim professus est, « quando ordinatus est, » ut discimus ex actis Concilii Constantinopolitani sub Nicephoro patriarcha anno 814 celebrati.

IV. Hinc tandem Nicæna II Synodus, quod imperator Leo Isaurus, ac ejus successor et filius Constantinus Copronymus Episcopales Cathedras implevissent hominibus vanis, imperitis, adulatoribus, irreligiosis, Ecclesiam ac quævis Episcopalia munia fastidientibus, can. II statuit neminem Episcopatui admovendum, nisi qui Psalterium nosceret, et sciret legere « scru- » tabiliter, et non transitorie, tam sacros Ca- » nones et sanctum Evangelium quam divini » Apostoli librum, et omnem divinam Scrip- » turam; » additque hanc rationem : « Sub- » stantia enim Sacerdotii nostri sunt eloquia » divinitus tradita, id est, vera Scripturarum » divinarum disciplina, quemadmodum magnus » perhibet Dionysius. » Unde satis liquet eos potius Episcopatui admovendos, qui vere theologi sunt, quam illi qui praxi forensi nec satis imbuti, vicarios Episcoporum aliquando egerunt. Sane veterem Canonem Carthaginensem a Clemente VIII Pontifice Maximo in Ecclesia restitutum esse, eosque qui ordinandi sunt Episcopi, una cum aliquot delectis ad hoc Cardinalibus, adhibitis simul qui in urbe sunt doctissimis theologis et canonici juris consultissimis, diligenti atque improviso examine probari, atque ita nunc nonnisi bene diserto ad Episcopatum aditum patere, scribit cardinalis Baronius anno 398, num. LXIX.

V. Unum adhuc superest hic non omittendum, apud Gallos præsertim fuisse in usu, ut in Episcopos consecrandi polliceri cogerentur religiosam observationem Pastoralis libri S. Gregorii Magni. Ea de re Hincmarus ita scribit ad nepotem suum Episcopum Laudunensem : « Quando tibi librum sacrorum Canonum, et » regulam Pastoralem beati Gregorii, coram » altare in præsentia omnium qui adfuerant, in » manum misi, obtestans, ut ita, quantum tibi » Deus scire et posse daret, servares in vivendo, » et docendo, et judicando, et ipsos libros sub » testimonio divino et prædictæ fidelium Eccle- » siæ susceptos, te ita observaturum consensione » tua confirmasti. » Ubi nota quam accurate et religiose adigeretur novus Episcopus ad sanctum altare, et, astante Ecclesia Christi, profiteri non modo religiosam Canonum observantiam, sed et libri Pastoralis S. Gregorii præceptionum omnium, tum in moribus, tum in doctrina judiciisque. Certe semper magni fecere Galli librum Pastoralem laudati Summi Pontificis, ut non modo voluerint Episcopos ediscere ipsum librum ex constituto Concilii Turonensis sub Carolo, cap. III, verum etiam ut ipsis Conciliis Gallicanis, ubi de restauranda collapsa disciplina Ecclesiastica agebatur, liber idem prælegeretur, quemadmodum apparet ex Præfatione Concilii Moguntini, et ex capite X Concilii Rhemensis sub eodem imperatore. Atque hinc factum videtur, ut Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio plura capita sententiis memorati operis S. Gregorii referta sint.

VI. Nefas denique et illud est silentio præterire, quod observat vir clarissimus Joannes Mabillonius *Musæi Italici* tomo I, Episcopos olim, qui erant ex ordinatione Sedis Apostolicæ, in cautione sua, qualis in libri diurni capite III, tit. VII, habetur, spondere se consuevisse divina officia Romano more persoluturos. Est profecto rationi consona disciplina ut omnes Ecclesiæ Romanæ se conformarent. « Quis nesciat, inquit

Digitized by Google

» S. Innocentius I, Pontifex Maximus, in Epi-
» stola ad Decentium, aut non advertat id quod
» a Principe Apostolorum Petro Romanæ Eccle-
» siæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab
» omnibus debere servari, nec superinduci aut
» introduci aliquid quod aut auctoritatem non
» habeat, aut aliunde accipere videatur exem-
» plum ? Præsertim cum sit manifestum in om-
» nem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam
» atque Siciliam, Insulasque interjacentes,
» nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos ve-
» nerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores
» constituerint Sacerdotes. Aut legant, si in his
» provinciis alius Apostolorum invenitur, aut
» legitur docuisse. Quod si non legunt, quia
» nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi
» quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos
» principium accepisse non dubium est : ne dum
» peregrinis assertionibus student, caput in-
» stitutionum videantur omittere. » Omnes Latinas Ecclesias asserit a sancti Petri aut successorum Pontificum discipulis fundatas, edoctas eumdem ritum, ideoque ab ista unitatem non posse citra prævaricationem deviare. Addit laudatarum Ecclesiarum Episcopos et Clericos, dum Romam veniunt, consuevisse cum Pontifice ad Missarum solemnia procedere, ut nempe ex Romano ritu discant suum retinere aut reformare. Vide aliam ejusdem Pontificis ad Victricium Rhotomagensem episcopum Epistolam, qua juxta hujus postulata mandat etiam reliquas Galliæ Ecclesias ad Romanum ritum deduci. Vide plura apud eruditissimum Lupum in scholio ad Decretum quartum primi Romani Concilii a S. Gregorio VII celebrati.

VII. Jam præsertim pro auctoritate Breviarii Romani plura possent afferri testimonia, quibus abunde ostendi posset quanta fuerit nuper quorumdam Episcoporum insignis audacia atque insolentia, dum illud inconsulto Romano Pontifice non modo immutarunt, sed et fœdarunt, hæreticisque ansam dederunt constabiliendi suas pravas sententias. Sed cum nostrum non sit hic institutum apologiam pro Romano Breviario adornare, eaque in ipso contenta defendere, satis me facturum puto lectorem monere, in plerisque Gallorum Episcoporum Synodis provincialibus post Tridentinam habitis, cautum districte fuisse, ne quis alio quam Romano Breviario uti auderet in Horis Canonicis recitandis. Dolet sane Dadinus Altaserra, lib. II *De Ecclesiastica jurisdictione*, cap. XXI, eo insanire Feuretium, ut inter alia sua opinionum portenta obstinate contenderet lib. III *De abusu*, cap. III, nefas esse Episcopo admittere Breviarium Romanum, non exspectato consensu Metropolitani, et principis etiam sæcularis ; quia scilicet in ritu psallendi divina officia, ex can. *De his*, et can. *Placuit*, distinctione XI, itemque ex can. *Altaria*, de consecratione, distinctione I, can. *Institutio*, distinctione II ibidem, suffraganeæ Ecclesiæ debent sequi consuetudinem Metropolitanæ.

VIII. Verum futile hoc argumentum est, nam, ut dixi, Ecclesia Romana mater et caput omnium Ecclesiarum est, a cujus regulis nullatenus licet deviare, can. *Non decet*, et can. *Præcepta*, distinctione X. At quis non irrideat eam propositionem, nefas esse Episcopis divinis in officiis Romanæ Ecclesiæ ritum admittere inconsulto principe ? Turpe est profecto Ecclesiæ Præsulibus, in his quæ sunt sui muneris et officii, principis nomen objicere ad invidiam ; estque de hac re S. Ambrosii justissima expostulatio in Epistola de Basilicis in Auxentium : « Semper ne de Cæsare servulis Dei invidia
» commovetur, et hoc ad calumniam sibi ar-
» cessit impietas, ut imperiale nomen obten-
» dat. » Vide sis quæ de Breviario Romano fuse disserit eruditus Grancolas, et vir clarissimus Emmanuel Cajetanus Sousa Lusitanus, clericus Regularis, in recentissimo suo opere inscripto : *Expeditio Hispanica Apostoli S. Jacobi Majoris asserta*, tom. II, appendice II. Cæterum testatur laudatus Altaserra, etiam auctoritate christianissimi principis Henrici III Gallorum regis, receptum fuisse in Gallia Romanum Breviarium. Atque hæc dicta sint occasione explicandi moris superius memorati, juxta quem Episcopi ordinandi, teste Mabillonio, spondebant se divina officia Romano more persoluturos. Quod mirum videri non debet, nam, sicut Romana Ecclesia cæteras omnes ordine, dignitate, nobilitate atque loco antecellit ; ita et ejus Ecclesiæ Breviarium principem locum obtinet inter cæterarum Ecclesiarum Officia, seu Breviaria.

[Nemo est qui animo reputans Ecclesiæ Romanæ jura in rebus liturgicis Occidentalium, mirari possit auctoris nostri vigorem acerrimum in quosdam Galliæ Episcopos qui tritæ et san-

Digitized by Google

ctæ semitæ immemores, textibus liturgicis ab Apostolica Sede acceptis manum temerariam admoverunt, et causa fuerunt lugendo suo exemplo cur tot harum partium Ecclesiæ veras cultus divini traditiones amiserint, perpetuaque habeatur nunc discordia rituum et precum ubi prius decora et pia concordia in iisdem viguerat. Sed nunc, favente Deo, res in dies meliorantur, pluresque Galliarum Ecclesiæ, ducibus earumdem Prælatis, ad veteres consuetudines redeunt, ad quas imitandas aliæ, ut fertur, se accingunt. Sic delebitur macula quam Gallis impresserat infausta et imprudens hæc facilitas qua libros Altaris et Chori a perfidis hæreticorum manibus recipere consenserant. Durus admodum sermo auctoris nostri quosdam Præsules increpantis, et tam durus ut *Institutionum liturgicarum* scriptor Benedictinus, tomo II, pag. 447, latina verba Catalani referens, non ausus sit præ verecundia eadem in vernaculum sermonem vertere. Quam viri tam dire et injuste a multis exagitati moderationem animadvertimus et lectori proponimus, ut ab uno illo discatur quantum in recenti controversia Gallicanarum Liturgiarum fautores præjudiciis suis indulserint.]

§ XII.

Expleto itaque examine, præfati assistentes Episcopi ducunt Electum ad Consecratorem, coram quo genuflexus, ejus manum reverenter osculatur. Tunc Consecrator, deposita mitra, cum ministris ad altare conversis, facit solito more confessionem, Electo a sinistris ejus manente, et omnes Episcopi ante sedes suas stantes faciunt similiter confessionem cum Capellanis suis. Facta itaque confessione, Consecrator ascendit ad altare et osculatur illud et Evangelium in Missa dicendum, et incensat altare more solito. Deinde vadit ad sedem suam, vel faldistorium, et procedit in Missa usque ad *Alleluia*, sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Si vero Missa legitur, osculato altari et Evangelio, omissa incensatione, omnia prædicta legit in altari, et illis dictis, sive Missa legatur, sive cantetur, redit cum mitra ad sedendum in faldistorio, quod ante medium altaris sibi reponitur.

COMMENTARIUS.

I. Finito examine, ducitur Electus ab assistentibus Episcopis ad Pontificem consecratorem, coram quo genuflexus, manum ejus reverenter exosculatur, juxta ritum in omnibus Romanis editis Pontificalibus expressum; quem etiam legere est in Pontificali manuscripto Lugdunensi tercentum et amplius annorum, ubi diserte cautum est, « ut duo Episcopi..... ducant » eum ad Consecratorem, et ipse Electus oscu- » letur reverenter manus illius. » Ambas osculari manus jubet, cum alias nostrum Romanum Pontificale, manum numero singulari dicat. Monet præterea Pontificale Romanum Bibliothecæ Colbertinæ, si Consecrator sit Papa, debere consecrandum, qui expleto examine ad ipsum deductus est, osculari ei pedem et os; si vero alius, non pedem, sed manum et os. Mox addit confessionem ab Episcopo consecratore ad altare accedente una cum duobus Episcopis assistentibus et aliis ministris, nec non una cum ipso quoque Electo faciendam : qui ritus quidem in eo a præscripto nostri Romani Pontificalis ac Lugdunensis variat, quod ipsa quidem diserte mandant ut Consecrator cum ministris ad altare conversis faciat solito more confessionem, Electo a sinistris ejus manente, sive, ut Lugdunense inquit, « a dextris ejus manente. »

Digitized by Google

§ XIII.

Episcopi vero assistentes ducunt Electum ad Capellam suam, et ibi deposito pluviali, Acolythi induunt illum sandalia, ipso Psalmos et Orationes consuetas legente, si prius illa non accepit. Tum accipit crucem pectoralem, et stola ei aptatur, ut ab humeris dependeat. Deinde tunicella, dalmatica, casula et manipulo induitur; quibus indutus accedit ad suum altare, ubi stans in medio, medius inter Episcopos assistentes, detecto capite, legit totum officium Missæ, usque ad *Alleluia*, sive ad ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive; nec vertit se ad populum, cum dicit, *Dominus vobiscum*, ut in aliis Missis fieri solet.

COMMENTARIUS.

I. Usus quorumdam Psalmorum, quos hodie ante Missam recitare solemus, antiquus profecto est. Testem ejus ritus habemus Innocentium III, Pontificem Maximum, quippe qui lib. I *Mysteriorum Missæ*, cap. XLVII, ita scribit : « Celebraturus Episcopus Missarum solemnia, » quosdam Psalmos et Orationes præmittit secundum exhortationem Psalmistæ dicentis : » *Præoccupemus faciem ejus in confessione, et* » *in Psalmis jubilemus ei*. Dicit autem hos quin- » que Psalmos : *Quam dilecta, Benedixisti, In-* » *clina, Credidi, De profundis*. Ut quidquid im- » mundum quinque sensuum transgressione » commisit, quinque Psalmorum oratione de- » tergat. » Enarrat subinde laudatus Pontifex qua ratione quædam in Psalmis contenta, ad altaris mysterium et Eucharistiæ sacramentum pertineant. Idipsum præstat Guillelmus Durandus in suo *Rationali*, libro IV, cap. II. Ait celebraturum Pontificem Missarum solemnia, quosdam Psalmos et Orationes præmittere, ex institutione Cælestini I, eosque dum recitat, caligis atque sandaliis ornari. Recte autem consecrandus Episcopus Psalmos hosce præmittit, concelebraturus enim est in sua ordinatione Pontifici consecratori, ut infra dicemus.

II. Hinc non mirum si vetus Missa ab Illyrico edita, antequam Episcopus sacris vestibus induatur, dici mandat, si tempus permiserit, flexis genibus coram altari septem Psalmos pœnitentiales, cum Litania et aliis prolixis precibus, et deinde alios septem Psalmos, nempe : *Quam dilecta*, *Benedixisti*, *Inclina Domine*, *Fundamenta ejus*, *Domine Deus salutis meæ*, *Credidi propter quod*, *Memento Domine David*. Sane preces præparatorias, easque prolixas ante Missæ celebrationem semper in usu fuisse, crebris sanctorum exemplis, qui tamdiu in oratione perseverabant, donec gratia Spiritus sancti mirabiliter imbuti, ejus virtute et impulsu ad celebrandum excitarentur, ostendit Joannes cardinalis Bona lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. I, num. II. Videri etiam potest de recitatis Psalmis ad præparationem faciendam vir clarissimus Dominicus Georgius, *De Liturgia Romani Pontificis*, tomo I, lib. I, num. IV; præsertim vero cardinalis Thomasius, vir doctrina et sanctimonia vitæ conspicuus, qui ad initium Psalterii ex duplici editione, quam Romanam dicunt, et Gallicam, antiquum ritum, hujusmodi Psalmos recitandi ante Missam, ex vetustissimis Codicibus uberius explicavit.

§ XIV.

Propter Ordinationes Episcoporum nunquam mutatur officium diei; dicitur tamen post Collectam diei, pro officio Consecrationis, Collecta pro Electo sub uno *Per Dominum nostrum, etc.*

ORATIO.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostræ

Digitized by Google

gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Vel ab Apostolorum temporibus celebratas fuisse intra Missarum solemnia Sacerdotum Ordinationes, jam alio loco demonstravimus ex celebri *Actuum Apostolorum* testimonio, cap. XIII. *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Inde profectum esse inquit inter alios Stanislaus Socolovius in sermone *De Consecratione Episcopi*, in comitiis Varsoviensibus habito, pag. 23, ut nulli Ordines sacri, ex iis qui majores dicuntur, sine altari, ipsaque sacrorum Mysteriorum communicatione et oblatione conferantur. Certe S. Dionysius Areopagita, *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. III, nullum licere ait Sacramentum perfici hierarchici muneris absque divina Eucharistia. Hoc etenim Sacramentum, uti recte docet memoratus Socolovius, omnium bonorum fons est et origo; per hoc tanquam per mundissimum canale omnes perferuntur gratiæ, ut sint in fontem aquæ salientis in nobis in vitam æternam. Hujus Sacramenti rite conficiendi causa omnes sacri Ordines instituuntur et per hoc firmantur. Hoc mysterium est omnium divinorum operum ac mysteriorum arrhabo et obsignatio.

II. Difficile profecto est divinare quæ olim Missa in Ordinatione Episcopi diceretur. Ex Pontificali S. Cornelii Compendiensis ad usum Ecclesiæ Suessionensis, ante annos sexcentos exarato, Antiphona ad Introitum, ut aiunt, Missæ, ea est : *Elegit te Dominus, etc.* Psalmus vero, *Exaudiat te Dominus.* Item alia Antiphona, *Sicut fui cum Moyse, etc.* Psalmus, *Exaudiat.* Alia rursus Antiphona, *Benedixit te hodie, etc.* Psalmus autem, *Deus deorum Dominus.* Cum Introitus absolutus fuerit, præscribit memoratum Pontificale ut non dicatur tunc *Kyrie eleison,* sed ut Consecrator Metropolitanus dicat *Gloria in excelsis Deo, etc.* Deinde vero, *Pax vobis.* Et postea Orationem, *Adesto supplicationibus nostris*, ut supra in Rubrica habetur, imo in Ordine antiquo Romano et in priscis pene omnibus Pontificalibus libris. Sane videtur Pontificale Compendiense exscripsisse Ordinem antiquum Romanum, ubi Missa in ordinatione Episcopi a laudati Ordinis prisci Romani auctore ita describitur : Ad Introitum Antiphona. *Elegit te Dominus sibi in Sacerdotem magnum, et aperiens thesaurum suum optimum abundare te faciet omnibus bonis.* Psalmus. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.* Alia Antiphona. *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum; neque timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te est, et non te derelinquit.* Psalmus. *Exaudiat te Dominus, etc.* Demum alia Antiphona ita inquit : *Benedixit te hodie Deus.* Psalmus. *Deus deorum Dominus.* Finito Introitu, monet Ordo ipse Romanus ne dicatur *Kyrie eleison*, sed ut Consecrator hymnum recitet *Gloria in excelsis Deo.* Deinde, *Pax vobiscum*, et istiusmodi orationem : « Quæsumus, omnipotens Deus, ut huic viro » ad utilitatem Ecclesiæ provehendo benigni- » tas gratiæ tuæ tribuat largitatem. Per. » Eam orationem in præsenti hoc nostro § descriptam, *Adesto supplicationibus nostris, etc.* habet quidem vetus Ordo Romanus ; verum tunc a Consecratore dicendam præscribit, cum sacer Evangelii codex capiti Episcopi ordinandi imponitur.

III. Juxta eumdem Romanum Ordinem, et antiquum Pontificalem codicem Compendiensem, et alios complures, Epistola in ipsa Missa Ordinationis Episcoporum est lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Timotheum : *Charissime, fidelis sermo : Si quis Episcopatum desiderat, etc.*, usque ad ea verba : *Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut doctrinam Dei nostri ornet in omnibus.* Sequitur deinde Graduale, *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Versus, *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia.* Item Graduale, *Memor sit omnis sacrificii.* Versus, *Mittat tibi auxilium de Sancto. Alleluia. Qui posuit fines ejus. Alleluia. Diffusa est gratia in labiis*

Digitized by Google

tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Tractus, *Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Versus, *Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis.* Versus, *Posuisti super caput ejus coronam de lapide pretioso.* Sequitur post hæc Evangelium secundum Marcum, *In illo tempore; circuibat Jesus in circuitu docens, et convocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos, etc.*, usque ad illa verba : *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabantur.* Offertorium, *Inveni David*, *Alleluia. Gloria et honore, etc.* Secreta Oratio ita habet : « Suscipe, Domine, munera quæ tibi » offerimus pro famulo tuo, ut propitius in eo- » dem tua dona custodias. Per. »

IV. Eadem pene habent plerique libri Pontificales. Verum in Pontificali Moguntino annorum circiter quadringentorum Introitus Missæ non incipitur nisi post eam Consecratoris admonitionem : « Episcopum oportet judicare, inter- » pretari, consecrare, confirmare, ordinare, » offerre et baptizare. » Quibus dictis, incipit Missa, *Spiritus Domini.* Collecta, *Deus cui omne cor patet, et omnis voluntas, etc.* Item Collecta sub eodem *Per Dominum. Adesto supplicationibus nostris*, uti habetur in nostro Romano Pontificali. Epistola, *Unicuique datur manifestatio.* Graduale, *Bona gens. Alleluia. ℣. Veni, sancte Spiritus.* Sequentia, *Veni, sancte Spiritus.* Ante penultimum versum Sequentiæ, vel ante ultimum versum Tractus, si fuerit tempus Quadragesimale, silet Chorus juxta præscriptum laudati Pontificalis Moguntini; et ipsi duo Episcopi assistentes ipsum Consecrandum, dum hæc cantabuntur, ad armarium deducunt, dalmatica, subtili, sandaliis, cambagis, et desuper pluviali indutum, ad chorum coram ipso Consecratore iterum reducunt, et surgens Consecrator conversus ad populum dicit : *Oremus, dilectissimi nobis, ut huic viro utilitati Ecclesiæ providens benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per.* Post Litanias, post sacram inunctionem et alia de quibus nos suo loco dicemus, resumitur ultimus versus Sequentiæ, *Da tuis fidelibus*, vel ultimus versus Tractus, Quadragesimæ tempore. Legitur deinde Evangelium : *Si diligitis me, mandata mea, etc.* Cantatur *Credo in unum.* Et dicitur Offertorium, *Confirma hoc, etc.* Ex quibus omnibus perspicue apparet, præscribi in memorato Moguntino Pontificali, in Ordinatione Episcopi celebrandam Missam de Spiritu sancto.

V. Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, ante annos tercentos scriptum, aliam Missam dicendam præscribit, illam scilicet quam habet vetus Ordo Romanus, quamque nos superius recitavimus; monet tamen id quod nostra præsens Rubrica præcipit, propter Ordinationes Episcoporum nunquam mutari officium diei : « Illud » autem notandum est, inquit, quod Ecclesia » Romana propter Ordinationes Episcoporum » nunquam mutat officium diei. Dicunt tamen » pro Officio Consecrationis Collectam, *Adesto* » *supplicationibus nostris*, et Secretam, et Post- » communionem infrascriptas. Aliæ vero Ec- » clesiæ plures dicunt Missam de Spiritu sancto. » Et aliæ dicunt Missam sequentem : » illam nimirum ex Ordine Romano et Pontificali Compendiensi recitatam. Idipsum præscribit manuscriptum Pontificale Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, uti in Appendice videre est. Quid autem de ea re mandet manuscriptum Pontificale Bibliothecæ Angelicæ, in eadem Appendice ostendetur, ubi ex ipso Pontificali Ordinem de Consecratione Electi in Episcopum describemus.

§ XV.

Finito Graduali, si *Alleluia* dicitur, alioquin dicto Tractu, vel Sequentia, usque ad ultimum versum exclusive, Consecrator accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra. Assistentes vero Episcopi iterum ducunt Electum ad Consecratorem, cui Electus, deposito bireto, caput profunde inclinans, humilem reverentiam facit; Assistentes vero cum mitris se aliquantulum inclinantes, etiam Consecratorem venerantur. Tum sedent omnes, ut prius; et Consecrator sedens cum mitra, versus ad illum, dicit : *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Nunc explicanda sunt nobis Episcoporum officia et functiones : *Episcopum*, inquit Consecrator ex præscripto Ordinis antiqui Romani, ac omnium tum priscorum, tum recentiorum Pontificalium, *oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare.* Qua in re duplex præcipue discrimen Episcopos inter et Presbyteros, quod ad ipsa officia Ecclesiastica attinet, observandum nobis est. Nam primo, in communibus officiis quæ Presbyteris concredebantur, veluti verbi divini prædicatio, Baptismi administratio, Eucharistiæ oblatio, et alia hujusmodi, profecto hæc obvia erat differentia, ut Episcopus quidem tanquam liber minister nec a quopiam dependens, omnia pro absoluta sua, qua pollebat, auctoritate ageret; Presbyter vero ex ipsius mandato et directione, nec quidquam contra ejus voluntatem, sive ex suo arbitrio facere posset. Hoc, quod cæteroqui in Commentariis ad titulum *De Ordinatione Presbyteri* explicuimus, manifestum est ex multis S. Ignatii, Cypriani, et antiquorum Conciliorum canonum locis, qui omnes in hoc consentiunt, nihil debere fieri sine Episcopo, hoc est, ipso inscio, nec consentiente, aut approbante, uti post Thomassinum observat Joseph Binghamus *Originum Ecclesiasticarum* lib. II, cap. III, § I et seqq. Certe S. Ignatius in Epistola ad Smyrnenses ita scribit : « Sine Episcopo » nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam pertinent. » Id quod Laodicena Synodus canone LVII confirmat his plane verbis : « Presbyteros nihil agere sine mente Episcopi » oportet. » Concilia Arelatense I, can. XIX, et Toletanum I, canon. XX, dicunt, « sine conscientia Episcopi. » Quorum omnium Canon vulgo Apostolicus XXXIX hanc rationem assignat : « Nam Domini populus ipsi commissus est, et » pro animabus eorum hic redditurus est rationem. »

II. Alterum discrimen inter Episcopum et Presbyterum in eo versatur, quod etsi quædam functiones, quæ hodie ad Episcopum spectant, quales sunt publica pœnitentium reconciliatio, neophytorum confirmatio, sacrarum ædium, Virginum, Viduarum, et id genus aliorum consecratio, summa nonnisi urgente necessitate, Presbyteris olim rarissime committebantur, de quibus suo loco dicemus, nunquam tamen ipsis delata fuit potestas Episcopos, Presbyteros vel Diaconos ordinandi. Luculentissimum certe de ea re est sancti Hieronymi testimonium in Epistola ad Evagrium, ubi ita scribit : « Quid » enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus, » quod Presbyter non faciat ? » S. Joannes Chrysostomus quoque, Homilia XI in Epistolam Pauli primam ad Timotheum, Presbyterorum potestatem maxime extollens, iisdem ferme utitur verbis : « Inter Episcopum, inquit, et Presbyterum interest ferme nihil. Quippe et » Presbyteris munus docendi et Ecclesiæ cura » permissa est, et quæ de Episcopis dixit Paulus, » ea etiam Presbyteris congruunt, sola quippe » Ordinatione superiores illi sunt; atque hoc » tantum plusquam Presbyteri habere videntur. » Possem et his alios Patres multosque Conciliorum canones adjungere, qui Episcopis Ordinationem, non autem Presbyteris, adjudicant; sed satis est demonstrare ipsam Ordinationem per Presbyteros celebratam semper fuisse irritam, nulliusque valoris ab Ecclesia judicatam. Enim vero testatur S. Athanasius in *Apologia* sua, Ischyram a Synodo Alexandrina ideo munere suo exactum, quod Colluthus, qui ipsum ordinarat, Presbyter tantum esset, licet falso Episcopi nomine gloriaretur. Atque ut alia omittam, Concilium Hispalense II, can. V, eo progressum est ut Presbyterum unum et duos Diaconos officio suo abdicaret, quod Episcopus, oculorum alias dolore detentus, manus tantum, Presbytero precationes benedictionis seu consecrationis super eos pronuntiante, ipsis imposuerat. Vide Jueninum, dissertatione VIII *De Ordinibus*, quæstione IV, capite I, et Dissertatione IX *De Ordinibus in specie*, quæstione III, cap. IV, ubi solide probat nullum Presbyterum, qui Episcopus non sit, posse conferre Presbyteratum etiam ex delegatione Summi Pontificis.

III. Illud certe minime nos inficiamur quin possint Presbyteri cum facultate Summi Pontificis minores Ordines, imo etiam Subdiaconatum, conferre. Id enim Chorepiscopis, quorum plerique non erant Episcopi, aliquando

Digitized by Google

concessum est. Subdiaconorum procul dubio Ordinatio illis permissa videtur ex Concilii Antiocheni canone x, et Hispalensis can. iv. Solos Presbyteros et Diaconos ab eis ordinari prohibuit Leo III Pontifex Maximus. Ordines quidem Ecclesiasticos, qui per manus impositionem tribuuntur, Presbyteratum scilicet et Diaconatum, ab ipsis conferri vetat Concilium Meldense can. xliv. Subdiaconorum tamen Ordinationes ipsis prohibitas jam olim fuisse constat ex lib. vii Capitularium regum Francorum, capite cccxxxviii et cccxxxix. Cardinalibus S. R. E. Presbyteris et Abbatibus, modo Presbyteri sint et Episcopali benedictione insigniti, concessum est privilegium conferendi Clericalem Tonsuram et quatuor Ordines quos vocant Minores : Cardinalium privilegium niti aiunt consuetudine a Summo Pontifice approbata; Abbatum vero expressum esse in canone xiv Concilii secundi Nicæni. « Lectoris autem, inquit, manus im» positionem licentia est unicuique Abbati in » proprio monasterio solummodo faciendi, si » duntaxat Abbati manus impositio facta nos» catur ab Episcopo secundum morem præfi» ciendorum Abbatum, dum constet illum esse » Presbyterum. » Hanc potestatem hactenus conservarunt plurimi Abbates, non solum vigore hujus Canonis, sed etiam privilegiorum a Sede Apostolica obtentorum, quibus Tonsuram minoresque Ordines conferendi facultas eis facta est. Quæ quidem privilegia integra et inviolata permanere sanxit Concilium Tridentinum, inhibuitque duntaxat sessione xxiii *De Reformatione*, cap. x, « ne cuiquam, qui re» gularis subditus non sit, Tonsuram vel mi» nores Ordines conferant. »

IV. Hanc minores Ordines, non autem majores conferendi potestatem simplici Sacerdoti a Summo Pontifice demandari posse, non autem ei qui Sacerdotio initiatus non est, docet S. Thomas in iv *Sententiarum*, distinctione xxv, quæstione i, articulo i ad tertium, his verbis : « Papa, qui habet plenitudinem potestatis » Pontificalis, potest committere non Episcopo » ea quæ ad dignitatem Episcopalem perti» nent, dummodo illa non habeant immedia» tam relationem ad verum corpus Christi ; et » ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos » simplex potest conferre minores Ordines, et » confirmare, non autem aliquis non Sacer» dos : nec iterum Sacerdos majores Ordines, » qui habent immediatam relationem ad cor» pus Christi, supra quod consecrandum Papa » non habet majorem potestatem quam sim» plex Sacerdos. » Hactenus Doctor Angelicus, qui etiam in responsione ad quintum argumentum, ita inquit : « Quia Sacerdos non » habet completam potestatem in hierarchicis » officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur » quod possit Diaconos efficere, quamvis ille » Ordo sit sibi propinquus. »

V. Scio plerosque Theologos, ac novissime Martenium lib. i *De Ritibus*, cap. viii, artic. v, numero i, ad sidera usque extollere nescio quod privilegium Cisterciensibus Abbatibus ab Innocentio VIII Pontifice Maximo, anno 1489 datum, ut Subdiaconatus et Diaconatus Ordines conferre Monachis suis possent, ne extra claustrum discurrere cogerentur. Scio plerosque testari se illud legisse; verum Navarrus lib. v *Consiliorum*, cum de privilegiis agit, consilio xiv, exorbitans illud privilegium vocat, rejicitque tanquam non legitimum. Illud etiam in dubium revocat Silvius in iii partem S. Thomæ, quæst. xxviii, articulo i, licet illud se legisse Vasquesius disputatione cxliii in iii partem S. Thomæ testetur, et in Collegio Complutensi asservari, et verba privilegii exscribat. Bensonius, lib. ii *De anno jubilæi*, capite xxiii, ubi diplomatis istius meminit, asserit Innocentii VIII privilegium in eo solum positum esse, ut Cistercienses Abbates litteras dimissorias Monachis suis dare possent, quibus cuilibet Catholico Antistiti rite promoto potestas fieret Monachos Cistercienses ordinandi, non habita diœcesum et provinciarum ratione; et ita non solum Romæ declaratum fuisse a sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete, anno 1592, verum etiam explicatum fuisse a Clemente VIII, Pontifice Maximo, in bulla Cisterciensibus data. Hallierius tandem diserte inquit istud privilegium, saltem quoad Diaconatum, incertæ esse auctoritatis, probabilius vero censendum esse fictitium suppositumque.

VI. His ita explicatis, videndum est de eo Episcopi munere, quod consecrando Episcopo consecrator Episcopus significat, dicens : *Episcopum oportet judicare*. Et quidem, si priscam Ecclesiæ consuetudinem inspiciamus, summa

Digitized by Google

fuit olim Episcoporum potestas in audiendis et decidendis causis non modo spiritualibus et suorum Clericorum, sed etiam sæcularibus totius suæ diœcesis. Videtur Apostolus ipse in Epistola I ad Corinthios, cap. VI, id oneris Episcopis imposuisse, ut fidelium lites nascentes dirimeret. *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam Angelos judicabimus? Quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Huc sane spectat quod scribit auctor *Apostolicarum Constitutionum* lib. II, cap. XLIX, L et LI, ac præsertim in Epistola I ad Jacobum fratrem Domini, sic inquiens : « Si qui fratres negotia habent inter » se, apud cognitores sæculi ne judicentur, sed » apud Presbyteros Ecclesiæ quicquid est illud » dirimatur, et omni modo obediant statutis » eorum. »

VII. Apostoli jussui obsecuti fuere jam olim Episcopi zelosiores doctioresque, inter quos S. Augustinus, tum alibi, tum in libro *De opere Monachorum*, cap. XXIX, ubi ingenue fatetur Apostolum, imo Christum ipsum Apostoli ore et verbis loquentem, eam Episcopis sarcinam injecisse : « Dominum Jesum testem » invoco in animam meam, quoniam, quan- » tum attinet ad meum commodum, multo » mallem per singulos dies certis horis, quan- » tum in bene moderatis monasteriis constitu- » tum est, aliquid manibus operari, et cæteras » horas habere ad legendum, et orandum, aut » aliquid de divinis Litteris agendum liberas, » quam tumultuosissimas perplexitates causa- » rum alienarum de negotiis sæcularibus ju- » dicando dirimendis, vel interveniendo præ- » cidendis; quibus nos molestiis idem afflixit » Apostolus, non utique suo, sed ejus qui in » eo loquebatur, arbitrio. » Alia Episcoporum exempla ac testimonia legi possunt apud Thomassinum, parte II *Disciplinæ*, lib. II, cap. CI et CII, et apud Cornelium a Lapide in Epistola I ad Corinthios, cap. VI.

VIII. Frustra itaque sunt qui autumant ab Apostolo non legem perpetuam datam, sed tempori consultum, ne Christiani, nondum adulta fide, Gentilium contagio coinquinarentur. Frustra, inquam, sunt qui ita censent, satisque refelli possunt ex memorato S. Augustini testimonio, et aliis compluribus ejusdem sancti Patris locis, qui licet scribat post datam Ecclesiæ pacem, ait tamen Apostolum, sive potius Christum qui per illius os loquebatur, non vero aliquem imperatorem, constituisse Episcopos sæcularium causarum cognitores ac judices. Sic enim in Psalm. CXVIII, Sermone XXIV, inquit : « Constituit talibus » causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, » in foro prohibens jurgare Christianos. » Ex quibus verbis illud notandum summopere est, parum curasse Augustinum placita imperatorum christianorum qui eam Episcoporum potestatem confirmarunt, sed aperte fateri ea se a Christo donatum facultate judicandi causas sæculares. Non me latet quantis artibus machinisque Episcopalem jurisdictionem oppugnare conati sint homines quidem politici, et inter ipsos Carolus Fevretius in libris *De Abusu*, quos tamen egregie confutavit vir clarissimus Antonius Dadinus Altaserra in opere celebri quod inscripsit : *Ecclesiasticæ jurisdictionis Vindiciæ*. Cæterum, quod fidei dogma est, Episcopi habent prætoriam auctoritatem in sacris Conciliis controversias ad religionem et ad fidem spectantes judicandi; ut jam nos ostendimus in Prolegomenis nostris, et Commentariis ad Concilia œcumenica, cap. XXV. De aliis Episcoporum muneribus supervacaneum est disputare : videri enim possunt ii qui peculiariter pertractarunt, qualis inter alios est Augustinus Barbosa in libris *De Officio et Potestate Episcopi;* et novissime vir clarissimus Thomas Maria Alfani, *De Vita et Officiis Episcopi.*

§ XVI.

Deinde, omnibus surgentibus, Consecrator stans cum mitra dicit ad circumstantes : *Oremus, Fratres charissimi, ut huic Electo, utilitati Ecclesiæ providens,*

Digitized by Google

benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Et mox Consecrator ante faldistorium suum, et assistentes Episcopi ante sedes suas cum mitris procumbunt; Electus vero prosternit se a sinistris Consecratoris, ministri etiam atque alii omnes genuflectunt. Tum Cantor, vel, si officium fit legendo, Consecrator incipit Litanias, dicens *Kyrie eleison, etc.*, prosequendo totas, prout supra in Ordinatione Subdiaconi dictum est. Postquam autem dictum fuerit : *Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos,* Consecrator ab accubitu surgens, ad Electum conversus, baculum pastoralem cum sinistra tenens, dicit sub voce Litaniarum : Primo, *Ut hunc præsentem Electum bene✠dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hunc præsentem Electum bene✠dicere et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tertio dicit : *Ut hunc præsentem Electum bene✠dicere, et sancti✠ficare, et conse✠crare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Producendo semper signum crucis super illum, idemque faciunt et dicunt assistentes Episcopi, genuflexi tamen permanentes. Deinde iterum procumbit Consecrator, et Cantor, seu ipse qui prius dixit, eas prosequitur usque ad finem : *Ut nos exaudire digneris, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Descripta est in primis Oratio, quam in hoc § descripsimus, in omnibus priscis recentibusque Pontificalibus, quinimo in antiquo Romano Ordine, ubi tamen non ante, sed post Litanias legitur. In *Sacramentario* sancti Gregorii nulla habetur de Litaniis mentio, exstat tamen ea Oratio hunc in modum descripta : « Oremus, dilectissimi nobis, ut his viris ad utilitatem Ecclesiæ providendam electis, benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Dominum nostrum.» De Litaniis in Ordinatione Episcoporum dicendis hæc habet Ordo Romanus : « Incipiat chorus *Kyrie eleison* cum Litania, et prosternat se Ordinator, » Electi simul cum Electo, et cæteris Episcopis » ante altare super stramenta, usque dum » dicat Schola *Agnus Dei.* » De eodem Litaniarum ritu sic inquit Pontificale Moguntinum annorum circiter quadringentorum : « Post hæc » Consecrator, Episcopi et ipse Consecrandus » flexis genibus procumbant super sedes suas, » et dicatur Litania, in qua loco suo erigens » se Consecrator, et conversus ad populum » dicat : *Ut Electum istum, et confirmatum* » *in Episcopum per ministerium nostrum bene* » ✠ *dicere, sanctifi* ✠ *care et conse* ✠ *crare* » *digneris.* Clerus : *Te rogamus, audi nos.* » Quo per Episcopum ter dicto, et per Clerum toties repetito, Consecrator reponat se, » et resumatur Litania. »

II. Tandem Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis ante annos tercentos scriptum ita ipsum ritum exponit : « Et mox tam Consecrator quam Epi» scopi et Electus accumbant super faldistoria » parata coram altari; ita quod Electus ma» neat a sinistris Consecratoris, ministri etiam » et alii super stragmenta prosternant. Et Can» tor incipiat Litaniam, dicens : *Kyrie eleison,* » et prosequendo totam. Postquam autem » dixerint versum illum : *Ut obsequium servi*» *tutis*, sibique a Choro responsum fuerit, » tunc Consecrator ab accubitu suo surgens et » ad Consecrandum se volvens, baculum pa» storalem cum sinistra tenens, dicat primo : » *Ut hunc præsentem Fratrem nostrum N.* » *electum Pontificem in vera religione conser*» *vare et bene* ✠ *dicere digneris.* Secundo, di» cat : *Ut hunc præsentem Fratrem nostrum* » *N. electum Pontificem in vera religione con*» *servare, bene* ✠ *dicere et sancti* ✠ *ficare* » *digneris. Te rogamus, audi nos.* Tertio dicat : » *Ut hunc præsentem Fratrem nostrum N.* » *electum Pontificem in vera religione conser*» *vare, bene* ✠ *dicere, sancti* ✠ *ficare et con*» *se* ✠ *crare digneris*, prosequendo semper » signum crucis super illum. Idem faciant

Digitized by Google

» et dicant cæteri Episcopi, prostrati tamen » semper manentes, Choro etiam hæc eadem » respondente. Deinde iterum accumbat, Can- » tore resumente Litaniam, et prosequente » usque in finem. » Vide in Appendice Ordinem ex manuscripto codice Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ.

§ XVII.

Quibus finitis, surgunt omnes, et Consecratore ante faldistorium suum cum mitra stante, Electus coram eo genuflectit. Tum Consecrator, accepto libro Evangeliorum, adjuvantibus Episcopis assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem et scapulas Electi, ita quod inferior pars libri cervicem capitis Electi tangat, littera ex parte inferiori manente, quem unus ex Capellanis Electi post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continuo sustinet.

COMMENTARIUS.

I. Recitatis Litaniis, liber Evangeliorum ex veteri Ecclesiæ instituto capiti in Episcopum consecrandi imponitur. Mirum videri debet id quod scribit Amalarius Fortunatus lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XIV, ubi carpens Ordinem antiquum Romanum, alienum ait esse ab Apostolica traditione et Canonica auctoritate hunc ritum ponendi Evangelium super caput Episcopi consecrandi. Ejus verba hæc sunt : « Dicit libellus, secundum cujus ordinem cele- » bratur Ordinatio apud quosdam, ut duo Epi- » scopi teneant Evangelium super caput ejus, » quod neque vetus auctoritas intimat, neque » Apostolica traditio, neque Canonica auctori- » tas. » Verum hallucinari Amalarium perspicue constat non modo ex veteribus omnibus Pontificalibus, et priscis scriptoribus tum Latinis, tum Græcis, sed ex Sacramentario S. Gregorii, ac præsertim ex Concilio Carthaginensi IV, can. II, ubi modus ritusque ordinandi Episcopum ita strictim descriptus legitur : « Episco- » pus cum ordinatur, duo Episcopi ponant et » teneant Evangeliorum codicem super caput, » et verticem ejus; et uno super eum fundente » benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui » adsunt, manibus suis caput ejus tangant. » Plura in hujus ritus comprobationem vide sis inferius, et in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario ritibus*, lib. III, cap. XV. Quamobrem admitti nequaquam potest id quod ait Joannes Morinus parte III *De sacris Ordinationibus*, exercitatione I, cap. II, memoratum ritum in pluribus olim Ecclesiis prætermissum fuisse; nam etsi indicare id videatur Amalarius et creditus Alcuinus, his tamen, ut dixi, omnes antiqui auctores et libri Pontificales refragantur. Sane meminit ejus praxis Palladius in Vita S. Joannis Chrysostomi, ubi agens de Ordinatione eunuchi Victoris tribuni in Ephesinum Episcopum facta a Theophili sectatoribus, ita « scribit : Non horruerunt Evangelium scelesto » capiti imponere. »

II. Est autem summopere hic admonendum, triplicem varietatem apud antiquos scriptores reperiri circa hunc ritum imponendi codicis Evangelii supra caput Episcopi consecrandi, uti recte observat laudatus Joannes Morinus. Prima varietas respicit ipsum Evangelium. Etenim pervetustus auctor *Apostolicarum Constitutionum* libro VIII, cap. IV, Simeon Thessalonicensis *De sacris Ordinationibus*, cap. VII, et Rituales omnes Græci, uno excepto, qui variare videtur, diserte docent apertum imponi. Ita quoque Maronitarum et Jacobitarum Rituales. Latini vero omnes nihil definiunt, nam simpliciter dicunt Evangelium imponendum; exceptis duobus antiquis, Constantini scilicet Cajetani et Ordinis Romani editi, in quibus diserte exprimitur clausum esse imponendum. Pontificale quidem hodiernum Romanum, cui præter Græcos et Syros Codices, suffragatur Moguntinum Pontificale annorum circiter quadringentorum, et unus Victorianus Codex antiquus, ac præterea

Digitized by Google

testimonium Matthæi Parisii ad annum 1903, apertum esse imponendum præscribit. Codex quidam Arelatensis, cujus mentionem facit Martenius libro I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, art. X, num. XV, clausum vel apertum imponere permittit, sed ita tamen, ut si aperiatur, littera seu pars interior Evangelici codicis caput Electi tangat; operculum vero seu pars exterior respiciat consecrantes : id quod etiam in quibusdam aliis animadvertitur.

III. Altera varietas locum respicit cui Evangelium imponitur. Græci Rituales et Simeon Thessalonicensis dicunt imponi « super caput » et cervicem Ordinandi, » hoc est, occiput, et inferius; Nestoriani, super dorsum. Auctor *Apostolicarum Constitutionum* sub nomine S. Clementis, et S. Dionysius minutiora hæc haudquaquam definiunt. Unus codex, sed recentior, videtur hoc de sincipite accipere; sed improbabile est. Latini variant; alii quidem et antiquissimi dicunt generaliter super caput ejus; alii scapulis imponendum esse, alii distinctius, super verticem ejus et inter scapulas. « Duo » Episcopi, » inquit vetus Ordo Romanus, « po- » nant et teneant Evangeliorum codicem super » cervicem ejus, et inter scapulas clausum. » Atque id quidem legere est in plurimis libris Pontificalibus pervetustis.

IV. Tertia tandem varietas Evangelium tenentes spectat. Memoratus *Constitutionum Apostolicarum* auctor lib. VIII, cap. IV, hoc officium Diaconis videtur tribuere. Sic enim scribit : « Et silentio facto, unus ex primis Episcopis » una cum duobus aliis stans prope altare, reli- » quis Episcopis et Presbyteris tacite precatio- » nem facientibus, et Diaconis aperta Evange- » lia super caput ejus qui ordinatur, tenen- » tibus, in hunc modum precetur, etc. » Synodus IV Carthaginensis, can. II, *Sacramentarium* S. Gregorii, Ordo Romanus et Rituales Latini pene omnes ipsum munus tribuunt Episcopis assistentibus; cæteri vero Episcopi, qui adsunt, manus imponunt. A qua cæremonia non dissentiunt Maronitæ et Nestoriani, uti videre est in ipsorum Ordinationibus apud laudatum Morinum, parte II. Juxta ritum Syrorum, Jacobitarum et Eutychianorum, « Evangelium super » caput ejus apertum tenent Episcopi quotquot » sunt; Patriarcha autem ponit manus suas » super caput ejus subter Evangelium : eas » autem movet, dum Episcopi attollunt Evan- » gelium desuper manus Patriarchæ, et depri- » munt illud, quoties movet; oculi ejus interim » cum timore suspiciunt in altum. Ter sic facit. » Post tertiam autem motionem, imponit Pa- » triarcha dexteram suam super caput illius qui » ordinatur; sinistram mutans in modum orbis, » seu circuli super caput illius qui ordinatur. » Interea cum quiete et silentio tenent Episcopi » Evangelium super caput illius, etc. » Sane juxta Rubricam nostri Romani Pontificalis, Evangeliorum librum Episcopus consecrans ejusque Assistentes Ordinandi capiti imponunt, non vero unus ex Capellanis, ut minus caute asseruit Hugo Menardus in *Sacramentarium* S. Gregorii. Profecto ex eadem Rubrica, « unus » ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, » quousque liber ipse eidem Electo in manus » tradendus sit, continue sustinet. » Labitur itaque vir clarissimus, cum ait Evangeliorum librum « in Pontificali Romano ab uno ex Ca- » pellanis imponi. »

V. Mystica enarrati ritus interpretatio multipliciter a sanctis Patribus edocetur. S. Joannes Chrysostomus in Homilia quadam de laude Evangelii apud Isaacium Habertum in *Observationibus ad Pontificale Græcorum*, pag. 79, Evangelium ait imponi, « ut discat Ordinatus » veram se accipere Evangelii tiaram; discat » etiam, tametsi omnium sit caput, se tamen » esse sub legibus, et, cum omnibus dominetur, » legis imperio subjici, cumque omnibus legem » ponat, a legibus gubernari. » Aliam causam attexit S. Dionysius in Theoria capitis V *De Ecclesiastica Hierarchia*, Evangelii nimirum intelligentiam, meditationem et promulgationem. Unde non immerito, ex præscripto nostri Romani Pontificalis aliorumque complurium, simul cum Evangelii impositione, Consecrator et assistentes Episcopi, uti mox infra dicemus, ambabus manibus caput Consecrandi tangentes, ea verba pronuntiant : *Accipe Spiritum sanctum*. Et postea, dum Evangelium ipsum in manus ei traditur, Consecrator inquit : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam*. Amalarius Fortunatus lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIV, quamvis ejusmodi impositionem libri Evangeliorum minime probet, perperamque asserat alienam esse

Digitized by Google

ab Apostolica traditione veterique auctoritate Canonica, hanc tamen illius mysticam interpretationem statim subjungit : « Potest tamen » Evangelii positio super caput monere tenen- » tes, ut quo Dominus idem Evangelium firmet » in corde ejus deprecentur; aut, ut moneant » eum qui consecratur, recordari se amplius » esse sub jugo Evangelii, quam foret. » S. Petrus Damiani in Sermone I de Dedicatione, eam rationem tradit : « Ponitur et Evangelica pagina » super caput illius recumbentis, ut verbo vitæ » sentiat excedere rationem, et oculi ejus defi- » ciant in eloquium Domini. » Tandem, ut ea omittam quæ scribit Durandus in suo *Rationali* lib. II, cap. XI, Simeon Thessalonicensis *De sacris Ordinationibus*, cap. VII, ea inquit actione significari eum qui in Episcopum consecratur, « Christum habere pro capite, qui factus est » Ecclesiæ caput, et omnia quæ Christi sunt » illum cognoscere, omnemque illius cognitio- » nem, quantum licet, habere, cum constituatur » in ea quæ principatum ejus spectant; omnem » præterea mentem, et rationem, et sensus se- » cundum Christum efformare et accommodare, » eumque cervicem levi Christi jugo submittere, » nihilque agere præter ipsius sententiam, quo- » niam Ecclesiam ipsius super caput et cervicem » per Evangelium suscepit. » Sic ille.

VI. Est autem celebris quæstio an Evangelii super caput Consecrandi impositio sit materia Episcopatus. Affirmant plerique auctores, quos tamen refellit Morinus, *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitat. II, cap. I, et Jueninus in Dissertatione *De Ordinibus in specie*, quæstione I *De Episcopatu*, cap. III. Primo quidem quia sancti Patres, cum Episcopatus causam et rationem allegant, ad manus impositionem confugiunt, aiuntque semper per manus impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum; se huic manus imposuisse; vel noluisse ab eo ut pote schismatico, aut hæretico manus impositionem accipere, ut innumeris pene exemplis ostendit laudatus Morinus. Secundo, quia antiquissima hæc cæremonia non fuit universaliter ab omnibus Ecclesiis accepta. Franciscus Hallierius in opere suo præclarissimo *De sacris Ordinationibus*, pag. 443, probabile esse contendit non solam manuum impositionem, verum etiam traditionem libri Evangeliorum in manus Episcopi consecrandi cum iis verbis : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo, etc.*, esse alteram materiam partialem Episcopalis Ordinis, pluribusque id ostendere conatur argumentis; præsertim quia Pontificale Romanum, Episcopum cui manus impositæ fuerunt, vocat adhuc *Electum;* nondum autem consecratum eum appellat, nisi postquam liber Evangeliorum, hac prolata verborum, quæ ibidem, ut infra ostendemus, recitantur, forma, ipsi in manus traditus fuerit. Addit et hanc aliam rationem, quia principale officium Episcopi, puta prædicandi munus, Evangeliorum libro et prædictis verbis egregie innotescit. Satis itaque sit hic adnotasse, neque juxta Hallierii opinionem, impositionem libri Evangeliorum super caput ordinandi Episcopi ad Episcopatus materiam pertinere, sed potius ipsius libri traditionem cum ea verborum formula : *Accipe Evangelium, etc.*, de qua nos infra dicemus.

VII. Reliquum est ut in præsenti illud notemus, consuevisse olim, cum Evangelii codex super caput ordinandi Episcopi imponeretur, ex occurrenti in prima pagina sacri textus sententia faustum infaustumque omen de futura Episcopi administratione prænosci. Certe in Ordinatione Athanasii, patriarchæ Constantinopolitani, tradit Pachimera lib. II, cap. XV, verba illa occurrisse : *Qui paratus est diabolo, et Angelis ejus.* Quod improbis ejusdem Patriarchæ actis comprobatum est, eamque ob causam sede illa depulsus. Contra, in consecratione Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi apparuerunt verba : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Qui Præsul in largiendo eleemosynas valde fuit insignis. Alia id generis exempla multa ecclesiastici scriptores produnt; ex quibus perperam quidam arbitrati sunt, ad inquirendas sortes Evangelium in Ordinatione Episcoporum adhiberi consuevisse; quos tamen merito perstringit Bruno Signiensis episcopus sic inquiens : « Non ad sortes inqui- » rendas, ut stulti opinantur, Evangeliorum » liber ejus qui consecratur, humeris impo- » nitur, sed ut per hoc intelligat cui labori et » oneri subjiciatur, et onus Evangelicæ præ- » dicationis eum circumquaque ferre non pi- » geat. » Vide opus nostrum, *De Codice S. Evangelii*, etc., lib. II, cap. XXIII, ex quo hæc desumpsimus.

Digitized by Google

§ XVIII.

Deinde Consecrator et assistentes Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt, dicentes : *Accipe Spiritum sanctum.*

COMMENTARIUS.

I. Ritum hunc, quantum ad manuum impositionem attinet, a Judæis ac Synagoga in Ecclesiam traductum, atque ab Apostolis observatum, et per eorum successores ad nos transmissum fuisse, ostendit inter alios Guilelmus Beveregius ad *Canonem* primum *Apostolorum;* notatque Morinus in laudata exercitatione II, cap. I, tam Græcos quam Latinos libros Rituales veteres et recentiores in consecratione Episcopi præscribere manuum Episcoporum impositionem; imo et sanctos Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque asserere per manuum impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum. Certe ea usum fuisse Paulum in Ordinatione Timothei, testantur ambæ illius ad eum scriptæ Epistolæ. Constat etiam ipsi manuum impositioni adscriptam fuisse ab eodem Apostolo, et a sacris passim scriptoribus, productionem gratiæ Spiritus sancti : *Admoneo te*, inquit Apostolus in Epistola II ad Timotheum, capite I, *ut resuscites gratiam Dei, quæ data est in te per impositionem manuum mearum.* Vide in hunc locum S. Joannem Chrysostomum et alios sacros interpretes.

II. Sunt autem plura exempla, ex quibus non sine stupore addiscimus ordinatos aliquando Episcopos sine ulla manuum impositione. De S. Ignatio, tertio post S. Petrum Antiochenæ Ecclesiæ episcopo, scribit in marginalibus ad octavam Synodum scholiis Anastasius Bibliothecarius, traditionem esse Græcorum, parvulum, quem Dominus advocatum statuit in medio, dicens : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut hic parvulus*, esse ipsum Ignatium, eique Apostolos, cum ad Ecclesiæ Præsulatum promoveretur, minime ausos fuisse amplius manus imponere : « Nimirum quem ore Dei laudatum, » et ipsius tactu sanctificatum cognoverant. » Testatur etiam Nicephorus Callixtus sanctum Amphilochium, Iconiensem episcopum, Lycaoniæ metropolitam, fuisse non per Episcopos, sed a sanctis Angelis consecratum. Item refert sanctus Gregorius Nyssenus in elogio sancti Gregorii Thaumaturgi, ipsi, quod corpore coram non adesset, loco manus impositionis, S. Phædimum Amasenum episcopum, totius Ponti tunc metropolitam, sermonem adhibuisse, eumque Episcopum Neocæsariensem consecrasse. Adduci possent et alia exempla quæ tamen nulla ratione verti possunt in regulam, ideoque admiranda plurimum, nullatenus imitanda, ut sapienter docet eruditus Lupus tomo VII, in *Scholiis ad variorum Patrum Epistolas*, cap. XLV.

III. Quoad illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*, quæ Consecrator et Episcopi assistentes in ipsa manuum impositione pronuntiant, recens est cæremonia, solisque Latinis (si Morino, Martenio et Juenino credimus) nota. Omnes tamen prope Scholastici, qui de materia et forma Episcopatus disputant, illius formam in his verbis constituunt, *Accipe Spiritum sanctum*, quæ a Consecratore et assistentibus Episcopis, posito Evangelii codice super Ordinandi caput, et illud tangentibus, statim proferuntur, juxta præscriptum nostri Romani Pontificalis. Vix est reperire doctorem qui ab hac opinione dissentiat; cum apud omnes fere ratum sit ac fixum Ordinum formas necessario esse imperativas. Imo Nugnez, in additione ad tertiam partem, quæstione XXXIV, articulo IV, hoc ad fidem pertinere asserit, oppositumque esse hæresim manifestam. Nihil est autem in toto ritu Latino Consecrationis Episcopalis, præter hæc verba modo imperativo, vel etiam indicativo pronuntiatum, quod verisimiliter formæ rationem possit induere, nisi velit quis formam Episcopatus in verbis quæ in baculi, vel annuli, vel mitræ, vel chirothecarum, vel Evangelii traditione pronuntiantur, reponere. Quod hactenus, ut opinor, præter Michaelem Medinam, qui in his omnibus Episcopatus materiam assignat, et Isambertum, qui disputatione III de sacramento Ordinis, articulo V, baculi pastoralis et annuli traditionem materiæ partem

Digitized by Google

constituit, Theologorum nullus dixit, excepto Guilelmo Durando, qui in suo *Rationali*, lib. II, cap. IX, num. XI, Isamberto et Medinæ præivit in ea sententia, sic inquiens : « Dantur etiam » baculus et annulus.... singula autem cum » propriis verbis traduntur, et fiunt. Quæ ver- » ba, et capitis et manuum unctio, et pol- » licum confirmatio, baculi et annuli atque » Evangelii traditio sunt ejus substantia Sacra- » menti; cætera solemnitatis sunt. » Sane præcedenti sententiæ, quæ dicit formam Episcopatus esse illa verba, *Accipe Spiritum sanctum*, favere videtur Concilium Tridentinum, sessione XXIII, can. IV, anathema in eum jaculans qui dixerit, « per sacram Ordinationem non dari Spiritum » sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, » *Accipe Spiritum sanctum.* » Hallierius in opere *De sacris Ordinationibus*, pag. 461, sicut duas in Ordinatione Episcoporum materias constituit, impositionem manuum et Evangelii traditionem, ita etiam et duas formas, primam scilicet : *Accipe Spiritum sanctum;* secundam vero : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso, etc.*

IV. Plerique recentiores cum Morino contendunt Orationes per quas invocatur Spiritus sanctus esse formam Episcopatus, tum quia semper eæ usurpatæ fuerunt, et nunc ubique usurpantur Orationes super eum qui in Episcopum consecratur; tum etiam, quia illæ Orationes exprimunt effectum Ordinis Episcopalis, scilicet collationem Spiritus sancti, seu gratiæ necessariæ Episcopo, ut digne imposito sibi onere perfungatur; tum denique, quia illi Spiritus sancti invocationi sancti Patres adscribunt effectum Episcopatus. Hæc enim ait S. Augustinus lib. V *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XX : « Si » ergo ad hoc valeat, quod dictum est in Evan- » gelio, *Deus peccatorem non audit*, ut per pec- » catorem Sacramenta non celebrentur, quo- » modo exaudit homicidam deprecantem, vel » super aquam Baptismi, vel super oleum, vel » super Eucharistiam, vel super capita eorum » quibus manus imponitur? » Sic etiam idem S. Doctor in Sermone de gestis cum Emerito inquit : « Invocatio nominis Dei super caput » ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invo- » catio illa Dei est, non Donati. »

V. Iis locis probat Augustinus contra Donatistas effectum Ordinationis, et quidem Episcopalis, cujus expresse meminit, non pendere a sanctitate Ministri, sed a divini nominis invocatione, seu a precibus, quibus in ordinandum divina potentia a Ministro ordinante advocatur, uti scite observat Jueninus, Dissertatione IX *De Ordinibus in specie*, quæstione I, cap. III. Cæterum ex dictis colligi potest, ambigi sane in quibus verbis consistat forma essentialis Episcopatus. Quanquam autem cum Morino Jueninus et alii contendant eam consistere in sola Oratione, quam infra nos suo loco mox referemus, quia priora scilicet verba, *Accipe Spiritum sanctum,* sunt recens invecta apud Latinos, et nullatenus in usu apud Græcos; hæc tamen ratio minime convincit, quia, ut alibi jam notavimus, docetque vir clarissimus Ludovicus Habert, *Theologiæ Dogmaticæ et Moralis* tomo VII, parte I, *De sacramento Ordinis* cap. VII in fine: « Christus non determinavit in specie formas » plurium Sacramentorum, sed eas reliquit Ec- » clesiæ determinandas. Unde cum priora illa » verba, *Accipe Spiritum sanctum*, perfecte » exprimant effectum Ordinationis Episcopalis, » assumi possunt ab Ecclesia, ut forma ejus es- » sentialis. » Vide eumdem auctorem in tractatu *De Sacramentis in genere*, cap. VII.

VI. Illa hoc loco, variis doctorum virorum disputationibus nobilitata, occurrit examinanda quæstio an tres Episcopi, Consecrator nempe et duo Assistentes, omnino ad Episcopum consecrandum requirantur? Sane constat ex veteri Ecclesiæ disciplina, consuevisse olim Metropolitanum circulares litteras dare, quibus omnes suæ provinciæ Episcopos ad eam urbem, cui Episcopus ordinandus erat, invitabat ut ejus Ordinationi adsisterent. « Apud nos quoque, » inquit S. Cyprianus in Epistola XLVII, « et fere » per provincias universas tenetur, ut ad Ordi- » nationes rite celebrandas, ad eam plebem cui » Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem pro- » vinciæ proximi quique conveniant, et Episco- » pus deligatur plebe præsente, etc. » Eorum omnium Episcoporum præsentia necessaria profecto erat, si commode haberi poterat; sin minus, consensum suum per litteras declarare oportebat, eoque casu tres Episcopi, adsistente vel consentiente Metropolitano, sufficere ad peragendum consecrationis ritum credebantur. « Episcopum, inquit canon IV Concilii Nicæni I, » convenit maxime quidem ab omnibus, qui

Digitized by Google

» sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si au-
» tem hoc difficile fuerit, aut propter instantem
» necessitatem, aut propter itineris longitudi-
» nem, tribus tamen omnimodis in idipsum
» convenientibus, et absentibus quoque pari
» modo decernentibus, et per scripta consen-
» tientibus, tunc Ordinatio celebretur. Firmitas
» autem eorum quæ geruntur per unamquam-
» que provinciam metropolitano tribuatur Epi-
» scopo. » Vide sis Commentarium in hunc Canonem, nostro I tomo quem nuper in Concilia edidimus.

VII. Canoni IV Nicæno et veteri Ecclesiæ disciplinæ mirifice suffragatur Apostoli auctoritas, in Epistola I ad Timotheum, cap. IV. Ait illum ordinatum Episcopum per impositionem manuum Presbyterii, id est cœtus Episcoporum, ut explicat S. Chrysostomus, et omnes fere interpretes. Suffragantur præterea innumeri Canones, qui non solum trium saltem Episcoporum numerum in Episcoporum Ordinatione adhibendum esse inculcant, ut canon XX Concilii I Arelatensis, et V Concilii Arelatensis II, et alii sexcenti, verum etiam, si aliter facta fuerit Ordinatio, tam Ordinantes quam Ordinatum ab officio removeri jubent, ut constat ex Concilio I Arausicano anni 441, can. XXI, et ex Regensi Synodo anno 439 habita, quæ Armentarium eamdem ob causam munere Episcopali exuit, quod non a tribus Episcopis ordinatus fuerat. Porro autem, etsi non omnes Ecclesiæ in istiusmodi Ordinationes tam severe animadverterent, ubique tamen illegitimæ habebantur, uti observat Joseph Binghamus *Originum Ecclesiasticarum* lib. II, cap. XI. Cum Paulinus ordinaret Evagrium Episcopum Antiochiæ, Theodoretus libro V *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXIII, id contra Canones Ecclesiasticos factum esse ait, quod ab uno tantum et sine Episcoporum provincialium consensu ordinatus fuerat. Idem tradit Synesius in Epistola LXVII de Siderii episcopi Palæbiscæ Ordinatione, quod nequaquam legitima fuerit, quoniam neque Episcopi Alexandrini consensum habuerit, neque a tribus Episcopis peracta sit. Constat Novatianum hæresiarcham, hoc ut evitaret obstaculum, cum Romæ se Episcopum contra Cornelium obtruderet, tres ex extremis Italiæ angulis ad sui Ordinationem advocasse Episcopos, a quibus temulentis fictitiam accepit manuum impositionem, fictusque factus fuit Episcopus. Rem ita narrat ipse Cornelius in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. VI *Historiæ*, cap. XLIII: « Cum Episcopatum sibi a Deo minime con-
» cessum rapere ac vindicare conaretur, duos
» deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit
» ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ par-
» tem mitteret, atque illinc accitos tres Epi-
» scopos homines plane rudes et simplices,
» fraudulenta quadam molitione deciperet.....
» inclusos hora decima temulentos et crapula
» oppressos, adumbrata quadam et inani ma-
» nuum impositione, Episcopatum sibi tradere
» per vim coegit. »

VIII. Est vero hic omnino adnotandum, quod, quamvis hæc esset communis Ecclesiæ regula et praxis, ab hæreticis etiam ipsis servata, ut tres Episcopi in Ordinatione Episcoporum adhiberentur, non tamen numerus ille ternarius ad consecrationis Episcopalis substantiam pertinere mihi videtur, etsi aliter plerique sentiant, ut Cardinales, Cajetanus, III parte, quæstione LXVII, articulo VI; Bellarminus *De notis Ecclesiæ* cap. VIII; Vasquesius in III parte, disputatione CCXLIII, cap. VI, et alii, qui facile his argumentis refelli possunt. Primo quidem, non est verisimile Apostolos, qui tam multos Episcopos ordinarunt, semper cum duobus aliis ordinasse; cum enim, nascente Ecclesia, paucissimi essent Ministri, difficili negotio in unum locum convenire plures poterant. Secundo, tam *Canon* I, vulgo *Apostolorum*, quam auctor *Apostolicarum Constitutionum* lib. VIII, cap. XXVII, et alii nonnulli Canones, cum eo utuntur disjunctivo loquendi modo, « A duobus, aut tribus ordinetur Episcopus, » innuere videntur numerum illum Episcoporum requiri ad majorem solemnitatem, et in testimonium ejusmodi Ordinationem peractam esse plurium judicio et consensione, et, ut loquitur Innocentius I Pontifex Maximus in Epistola ad Victricium Rotomagensem episcopum, « ne fur-
» tivum beneficium præstitum videatur; » ob eamque rationem Canones passim præscribunt ut, si fieri possit, omnes provinciæ Antistites ad Ordinationem Episcopi conveniant. Tertio, tum nostrum Romanum Pontificale, tum vetus Ordo Romanus ex tribus Episcopis, quos ad Episcopi unius consecrationem requirunt, unum vocant « Consecratorem, » reliquos vero « Assistentes. » Quarto demum, narrant historiæ S. Gregorium

Digitized by Google

Magnum Augustino episcopo, quem in Angliam misit prædicare, facultatem dedisse ut recens Episcopi ordinarentur, solum si non adesset alius, vel a se et ab alio, si forte adfuisset, ob penuriam in eo regno Episcoporum. Adde, testari Henriquez in *Summa*, et alios complures scriptores idipsum affirmare, Gregorium XIII Pontificem Maximum Patriarchæ Æthiopiæ concessisse, ut in casu necessitatis solus sine Assistentibus Episcopos consecraret. Hodie etiam a Sede Apostolica solent ad Sinas, et alias Indiæ partes, mitti Episcopi cum potestate consecrandi in illis regionibus novos Episcopos sine assistentia duorum Antistitum, ob defectum scilicet Episcoporum.

IX. Cardinalis Bellarminus et alii quibus placet oppositam tueri sententiam, aiunt hic Ordinationem Episcopi ab uno solo peractam valere quidem ex dispensatione Summi Pontificis, secus vero esse plane irritam etiam quoad characterem. Verum constat, absque hujusmodi dispensatione fuisse aliquando ab uno solo Antistite consecratos Episcopos, eorumque Ordinationem validam fuisse judicatam. Certe narrat Synesius, in superius laudata Epistola LXVII, Siderium ordinatum fuisse Episcopum Palæbiscæ a solo Philone Cyrenensi : S. Athanasius tamen ipsius Ordinationem non modo approbavit confirmavitque, sed etiam cognoscens quod vir utilis esset, ad sedem Episcopi Metropolitani Ptolemaidis postea eum promovit, teste eodem Synesio in ipsa Epistola LXVII. Paulinus quoque Episcopus Antiochiæ, etsi Evagrium sine ullo alio Episcopo adsistente successorem sibi consecravit, factumque id contra Canones diceretur, adfirmat nihilominus Theodoretus libro V *Historiæ*, cap. XXIII, Episcopos Romanum et Antiochenum pro vero Episcopo Evagrium agnovisse, et nunquam de Ordinationis ejus valore addubitasse. Et quamvis postea hortante Theodosio imperatore, schismatis finiendi gratia, Flavianum agnoscerent, Innocentius I Pontifex Maximus ea conditione dissensionem composuit, ut sacræ Ordinationes ab Evagrio celebratæ etiam validæ haberentur, ordinatique ab ipso cum honoribus et ordinibus reciperentur : « Ecclesia » Antiochena ita pacem postulavit, ut Evagria- » nos suis Ordinibus ac locis intemerata Ordina- » tione, quam acceperant a memorato (Evagrio) » susciperet. » Verba sunt laudati Innocentii I in Epistola XIV ad Bonifacium. Quid quod Baronius narrat ad annum 1080, moris tunc fuisse in Hibernia ut Episcopus ab uno consecraretur, quod quidem reprehendit Lanfrancus episcopus Cantuariensis, de Ordinatione tamen iteranda Episcoporum Presbyterorumque, qui initiabantur, nihil præscripsit. Cæterum, etsi Canones nonnulli declarant, præsertim secundus Concilii Regensis, non solum illicitam, sed irritam et vacuam Ordinationem Episcopi ab uno peractam, intelligi sane debent, non quidem quoad characterem, sed quoad honores et exercitium. Vide Lupum in Appendice ad Canonem IV Nicænum, ubi scite ostendit Regensem, seu, ut alii appellant, Reiensem Synodum de Armentarii Ordinationis validitate minime dubitasse.

X. Præterire demum ad calcem hujus Commentarii haud possum zelum eximium Benedicti XIII Pontificis Maximi, quem scimus nullatenus adduci potuisse a quodam Episcopo, ut ei facultatem concederet qua ab uno tantum Antistite ordinari posset. Vidimus nos oculis nostris, manusque nostræ contrectaverunt eruditissimum ipsius scriptum, gravissimis rationum momentis, variis sacrorum Canonum, Maximorum Pontificum atque sanctorum Patrum testimoniis roboratum, quo id se facturum pernegabat, ne citra necessitatem a religiosa Ecclesiæ disciplina vel latum unguem discederet, et ne, ut unius voluntati conniveret, sanctissima prædecessorum constituta violaret. Erat etenim semper ejus cordi fixum, quod olim scripsit Felici episcopo Magnus Gregorius Pontifex Maximus, relatus in can. IV, causa XXV, quæstione II, sic inquiens : « Si ea destruerem, quæ » antecessores nostri statuerunt, non constru- » ctor, sed eversor esse juste comprobarer, te- » stante veritatis voce, quæ ait : Omne regnum » in seipso divisum non stabit; et omnis scien- » tia, et lex adversum se divisa destruetur. »

§ XIX.

Quo facto, Consecrator stans, deposita mitra dicit : *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis,*

Digitized by Google

bene✠dictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Ante hanc Orationem, quæ cæteroqui exstat in *Sacramentario* sancti Gregorii, et in antiquo Romano Ordine, ac in plerisque Pontificalibus libris, hæc alia in eisdem legitur, quæ in nostro Romano Pontificali desideratur, præ se fertque in ipso Sacramentario hunc titulum : « Benedictio Episcoporum. » Deinde sequitur : « Adesto supplicationibus nostris, omnipotens » Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum » est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. » Per. » Ita etiam legere est in codicibus Rodradi et Ratoldi, itemque in variis priscis Pontificalibus, Anglicano annorum nongentorum, Bisuntino annorum sexcentorum, et Salisburgensi ejusdem ætatis. In codice Remensi, et in antiquis Sacramentorum libris, Noviomensi et Gellonensi, annorum nongentorum, alia est Oratio, sed sub eodem sensu : « Exaudi, Do» mine, supplicum preces, ut quod nostro ge» rendum est ministerio, tua potius virtute fir» metur. Per Dominum. » Vide in Appendice Ordines manuscriptos Bibliothecæ Angelicæ et Vaticanæ.

§ XX.

Deinde extensis manibus ante pectus dicit : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere : Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati. Cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est; et Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant, intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris; ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, et in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti rore sanctifica.*

COMMENTARIUS.

I. Expleta Oratione, *Propitiare, Domine, etc.*, de qua superius dictum est, recitat Consecrator Præfationem, quæ quidem in antiquo Romano Ordine eisdem versiculis ac responsionibus, uti in nostro Pontificali, exstat. Verum in sancti Gregorii *Sacramentario*, atque in Pontificalibus

Digitized by Google

Eboracensi, Anglicano, Noviomensi et Gellonensi annorum nongentorum, et in plerisque aliis sequioris ævi, Præfatio, seu Consecratio absque ullis additamentis, ab illis verbis incipit, « Deus honorum omnium, Deus omnium digni- » tatum, quæ gloriæ tuæ, etc. » In ipso S. Gregorii *Sacramentario* post illa verba, *Hoc in ejus moribus actibusque clarescat*, quæ leguntur circa finem § nostri, statim additur : « Hic accipit » Chrisma.» De quo ritu nos infra dicemus juxta præscriptam nostri Romani Pontificalis regulam. In Pontificali manuscripto Bisuntino annorum sexcentorum post illa verba, *moribus actibusque clarescat*, monetur Consecrator ut « ponat Evangelium apertum super verticem » ejus et inter scapulas. » Sane in ea Præfatione Consecrator Deum exorat ut dignetur Episcopo consecrando dare virtutes, quas vestes Summi Sacerdotis veteris Testamenti figurabant. « Illius » namque, ait, Sacerdotii anterioris habitus » nostræ mentis ornatus est, et Pontificalem » gloriam non jam nobis honor commendat » vestium, sed splendor animarum; quia et illa » quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, » ea potius, quæ in ipsis erant, intelligenda » poscebant; » id est populus ille carnalis plus vestium fulgore delectabatur, quam mysteriis quæ hoc splendore significabantur, uti scite explicat Hugo Menardus in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii*, pag. 306.

II. Quidquid sit de populo illo carnali, passim sacræ inculcant Synodi, ut Episcopi præsertim non luxu vestium, sed animi virtute, dignitatis suæ decorem quærant : « Episcopus, » inquit Concilium Carthaginense IV, can. XV, « vilem supellectilem, et mensam ac victum » pauperem habeat, et dignitatis suæ auctori- » tatem fide et vitæ meritis quærat. » Id sane præstitit S. Germanus Parisiensis episcopus, de quo Fortunatus lib. II, Epigrammate X, ita cecinit :

In medio Germanus adest antistes honore,
Qui regit hinc juvenes, subrigit inde senes.
Levitæ præeunt, sequitur gravis ordo canentum,
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ille tamen sensim incedit, velut alter Aaron,
Non de veste nitens, sed pietate placens.
Non lapides, coccus, clarum aurum, purpura, byssus,
Exornant humeros, sed micat alma fides.

Claruisse præterea in memorati S. Antistitis moribus actibusque quidquid illa olim veteris Summi Sacerdotis velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, testatur in supra citato carmine idem Fortunatus his versibus :

Iste satis melior veteri quam lege Sacerdos;
Hic quia vere colit, quod prius umbra fuit.

III. Sunt hodie nonnulli profecto Ecclesiastici, qui splendorem suæ dignitatis non aliter servari posse autumant, quam exteriori ornatu vestium et superbissimæ supellectilis. Verum hanc excusationem egregie depellit S. Bernardus lib. IV *De Consideratione*, cap. II, sic inquiens : « Vides omnem Ecclesiasticum zelum » fervere sola pro dignitate tuenda. Honori to- » tum datur, sanctitati nihil, aut parum. Si » causa requirente paulo submissius agere, ac » socialius te habere tentaveris : *Absit*, inquiunt, » *non decet, tempori non congruit, majestati* » *non convenit, quam geras personam atten-* » *dito*. De placito Dei ultima mentio est; pro » jactura salutis nulla cunctatio, nisi quod su- » blime est, hoc salutare ducamus; et quod » gloriam redolet, id justum. » Vide sis ejusdem S. Abbatis Epistolam, seu tractatum ad Henricum Senonensem archiepiscopum, *De Moribus et Officio Episcoporum*, præsertim capite II, ubi scitissime ostendit honorem et decus dignitatis ecclesiasticæ non consistere in externo splendore, sed in morum et virtutum decore. Utinam Ecclesiastici quidam nostri ævi, luxui ac voluptatibus dediti, præ manibus eam epistolam seu tractatum haberent! Utinam saltem legerent caput I Concilii Tridentini, sessione XXIV *De Reformatione*, ubi inter alia ita inquiunt Patres : « Optandum est ut ii qui Epi- » scopale ministerium suscipiunt, quæ suæ » sint partes agnoscant, ac se non ad propria » commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad » labores et sollicitudines pro Dei gloria voca- » tos esse intelligant, etc.! »

Digitized by Google

§ XXI.

Si in Romana Curia fit consecratio, Subdiaconus Apostolicus, vel unus ex Capellanis Pontificiis ligat caput Electi cum una ex longioribus mappulis de octo superius dictis; et Consecrator flexis genibus versus ad altare incipit, cæteris prosequentibus, Hymnum *Veni, creator Spiritus, etc.* Et dicitur usque ad finem, prout habetur supra in Ordinatione Presbyteri.

COMMENTARIUS.

I. Monet Pontificale Moguntinum ut absoluta priori parte Præfationis ab Episcopo consecratore, ut nimirum postquam ipse dixit ea Præfationis verba superius descripta, *Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti rore sanctifica,* erigat se Consecrandus, et circumvolvatur caput suum albo panno lineo et mundo, ita quod corona sua detecta remaneat. Haud dicit a quonam id fieri debeat. Romani tamen antiqui libri Pontificales ante ducentos annos typis excusi, diserte aiunt, si in Romana Curia fit consecratio, Subdiaconum Apostolicum, si vero extra ipsam Curiam Romanam celebratur, unum ex Capellanis Pontificiis ligare caput Electi cum una ex longioribus mappulis de octo superius dictis. Idipsum præscribunt Romanum Pontificale Lugduni editum anno 1542, et aliud Venetiis impressum anno 1572. Hodiernum Clementis VIII Pontificale in eo quidem ab antiquis differt, quod si Romæ Episcopus consecretur, possit « Subdiaconus Apostolicus, vel unus ex Capellanis Pontificiis caput Electi cum una ex memoratis mappulis ligare; ne scilicet unguentum defluat in capillos, » ut ait Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis ante annos tercentos scriptum. Plura de Subdiacono Apostolico habet Justinianus Chiapponi, Apostolicarum cæremoniarum præfectus, in Actis canonizationis Sanctorum Pii V, Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio et Catharinæ a Bononia, habitæ a Clemente XI Pontifice Maximo. Multo plura de eodem Apostolico Subdiacono disserit in libris *Rituum Ecclesiasticarum cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ* Augustinus Patritius, qui anno 1483 ex Magistro cæremoniarum Innocentii VIII renuntiatus fuit Episcopus Pientinus.

II. Quantum vero ad Hymnum *Veni, creator Spiritus,* neque in *Sacramentario* S. Gregorii, neque in antiquo Romano Ordine, neque in priscis Pontificalibus de eo ulla mentio habetur. Constat tamen, ex laudato Pontificali Lugdunensi, consuevisse olim in aliquibus Ecclesiis in Ordinatione Episcopi dici Missam de Spiritu sancto; imo non modo in Romanis editis, sed et in aliarum Ecclesiarum manuscriptis Pontificalibus antiquioribus præscribi, ut ipse Hymnus diceretur per quem invocatur Spiritus sanctus. Et quidem recte; ipsa enim sancti Spiritus invocatione Ordinationem Episcoporum perfici, docent non semel sancti Ecclesiæ Patres tam Latini quam Græci; docetque Pontificale Romanum consecrationi Episcopali tribui Spiritum sanctum; juxta illius enim præscriptum Consecrator et assistentes Episcopi, ut supra dictum est, caput Consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum sanctum.* Item juxta quoddam Allatiani Euchologii exemplar, post recitatam ab Ordinando in Episcopum Fidei professionem, statim Pontifex consecrator crucis signo ipsum benedicens, ait: « Gratia sancti » Spiritus tecum sit, illuminans, confirmans, » et intellectum tribuens omnibus diebus vitæ » tuæ. »

§ XXII.

Finito primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio ante medium altaris; capit mitram, deponit annulum et chirothecas; resumit annulum, et imponitur

Digitized by Google

ei gremiale a ministris; tum pollicem suum dexterum intingit in sanctum Chrisma, et caput Electi coram se genuflexi inungit, formans primo signum crucis per totam coronam, deinde reliquum coronæ liniendo, interim dicens : *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali.* Et producens manu dextera tertio signum crucis super caput Electi, dicit : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.* ℣. *Pax tibi.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Et si plures sint consecrandi, hoc in persona cujuslibet singulariter repetit.

COMMENTARIUS.

I. Celebris in Ordinatione Episcoporum est cæremonia sacræ unctionis, de qua jam disseruimus, ubi egimus de Ordinatione Presbyterorum. Ex antiquo Romano Ordine apud virum clarissimum Melchiorem Hitorpium, ubi Consecrator ea verba protulerit, *Comple in Sacerdote tuo mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti flore sanctifica*, admonetur idem Pontifex consecrator ut mittat Chrisma in caput Episcopi, in modum crucis, cum iis scilicet verbis : *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine Pontificali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Responderi autem jubetur, *Amen;* quemadmodum ad ea verba, *Pax tibi*, respondetur : *Et cum spiritu tuo.* In *Sacramentario* S. Gregorii etsi mentio fiat de Chrismate fundendo in caput Episcopi consecrandi, desideratur tamen ea verborum formula, *Ungatur et consecretur caput tuum, etc.*, quam alias in omnibus pene priscis pariter ac recentioribus Pontificalibus libris legere est. Tradit Menardus in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii,* pag. 310, in quodam Pontificali, quod Anglicanum esse creditur, duplicem esse unctionem capitis, priorem cum oleo et Chrismate, secundam post manuum unctionem cum oleo tantum. In Pontificali Caturcensi annorum octingentorum, una quidem tantum est capitis unctio, fit tamen post manuum inunctionem. Eumdem ritum præscribit Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, annorum nongentorum, itemque duo Pontificalia Beccensis monasterii ante annos quingentos scripta.

II. Mysticas rationes, cur Episcopus sacro Chrismate in capite ungatur, exponit Amalarius Fortunatus lib. III *De Ecclesiasticis Officiis,* cap. XIV, ubi tamen non satis accurate fideliterque sancti Augustini et Gregorii auctoritatem citat. Sic autem inquit : « Augustinus » in Tractatu Psalmorum : Quis erat Sacerdos, » nisi unus Sacerdos qui intravit in Sancta » Sanctorum ? Quis est Sacerdos, nisi qui fuit, » et victima, et Sacerdos; nisi ille qui, cum » in mundo non inveniret quod offerret, se» ipsum obtulit ? Vicarius Christi Pontifex effi» citur; ideo in capite ungitur. Caput nostrum » Christus. Caput nostrum unctum est oleo in» visibili. Episcopus, quia Vicarius Christi est, » in capite ungitur; ab illo enim signifi» catur se accipere hanc unctionis gratiam, » qui caput est totius corporis. Imitando illum » qui caput est totius Ecclesiæ, per unctionis » gratiam fit et ipse caput Ecclesiæ sibi com» missæ. Christus pro universa Ecclesia inter» pellat, Episcopus pro sibi commissa.... et ali» ter : dicit Gregorius in Moralibus : Oleum in » capite, charitas in mente. Quia Vicarius Chri» sti est, dilectionem quam Christus nobis » monstravit et docuit, in eo debemus inveni» re; atque ab eo ad cumulum nostri profectus » trahere. » Tradit Hallierius in opere *De sacris Ordinationibus,* ubi agit de sacra Unctione, pag. 1024, hujus Amalarii discursus nec verba, nec sensus reperiri apud Augustinum ab eo laudatum. Stylus certe abhorret ab Augustini sermonis venustate. Apud Gregorium, sententiæ quidem quæ ipsi tribuitur, sensus reperitur, non verba, uti videre est lib. IV, cap. V in libros Regum. Cujuscumque autem auctoris sit allata ista ab Amalario explicatio, eo tendit, ut Episcopum duplici de causa capite unctum esse demonstret. Primo, quia caput Ecclesiæ constituitur; sicque Christo assimilari debet, qui secundum etymologiam unctus est, et ideo ad significandam in Christo gratiam capitis, capite quoque Pontifex ungitur. Secundo, quia præ

Digitized by Google

cæteris obstringit se ad præstantissimum charitatis actum, ad dandam scilicet animam pro ovibus suis, juxta illud Christi Domini : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.*

III. Possem hic referre plerasque alias illius ritus explicationes, sed ne in longum nostra oratio abiret, satis erit hic recensere locum egregium Innocentii III, qui Episcopalis unctionis integrum ritum nobis explicat in cap. I *De sacra Unctione*, lib. I Decretalium, tit. XV. Totius enim istius ritus, ut cum laudato Hallierio observant in Commentario ad laudatum textum eruditi scriptores, ab altiori principio explicationem exorsus, materiæ primum Chrismatis, quo Episcopi inunguntur, significationem profert, tum rationes, ob quas tam manus quam caput Episcoporum isto unguento illiniantur, adducit. Cum autem de unctione manuum infra opportuniori loco disserendum a nobis sit, justum putamus verba hic referre memorati Pontificis, quæ solam unctionem capitis spectant. Sic ergo inquit : « Caput autem » ungitur balsamo charitatis, ut Episcopus di- » ligat Deum ex toto corde et ex tota mente sua, » et proximum suum sicut seipsum. Caput in- » ungitur propter auctoritatem et dignitatem... » Caput enim ungitur, ut ostendatur illius re- » præsentare personam, de quo dicitur per » Prophetam : *Sicut unguentum in capite ejus* » *quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Ca- » put enim viri Christus, caput Christi Deus, » qui de se dicit : *Spiritus Domini super me,* » *eo quod unxit me, evangelizare pauperibus* » *misit me.* » Cæterum cur Episcopi Chrismate, Presbyteri solum oleo; his solæ manus, illis caput etiam ungatur, et de differentiis unctionis Sacerdotalis et Regis, vide laudatum Hallierium *De sacris Ordinationibus*, cap. X, *De sacra Unctione*, articulo IV, § IV, et articulo V, § III, ubi fuse pariter et erudite de his quæstionibus disputat. Augustinus Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. IX, num. LVIII, ideo reges non jam in capite, sed in humero inungi inquit. Primum, ut is proprius honor sit illius quem Deus constituit excelsum super omnes reges terræ, et quem oleo lætitiæ excellentius et augustius unxit præ consortibus suis. Deinde, ut ostendatur quod primo, ante omnes reges et principes, persona capitis Pontificali officio repræsentetur.

§ XXIII.

Expleta unctione, Pontifex pollicem cum medulla panis paululum abstergit; et finito Hymno prædicto, deposita mitra surgit, et in pristina voce prosequitur dicens : *Hoc, Domine, copiose in caput ejus influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat; ut tui Spiritus virtus, et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo ejus et prædicatio, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves Regni cœlorum, ut utatur, non gloriatur potestate quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in cœlis; et quodcumque solverit super terram, sit solutum et in cœlis. Quorum retinuerit peccata, retenta sint; et quorum remiserit, tu remittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus; et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur. Sit fidelis servus et prudens, quem constituas, tu, Domine, super familiam tuam; ut det illis cibum in tempore opportuno, et exhibeat omnem hominem perfectum. Sit sollicitudine impiger; sit spiritu fervens; oderit superbiam; humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat, aut laudibus aut timore superatus.*

Digitized by Google

Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Domine, cathedram Episcopalem ad regendum Ecclesiam tuam et plebem sibi commissam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum bene✠dictionem et gratiam tuam; ut ad exorandum semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, et tua gratia possit esse devotus.

Deinde submissa voce dicit legendo, ita quod a circumstantibus audiri possit. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta capitis unctione, Consecrator reassumit Præfationem, precaturque ut Deus virtutum et gratiarum abundantiam, per hanc materialem unctionem designatam, electo Episcopo infundere dignetur. In Sacramentario S. Gregorii post ea verba, *Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis*, usque ad illa, *Tribuas ei, Damine, cathedram Episcopalem, etc.*, nihil aliud penitus legitur, cum cæteroqui, et in Romano antiquo Ordine, et in omnibus libris Pontificalibus multa interponantur, uti videre est in altera Præfationis parte, quam ex nostro Romano hodierno Pontificali descripsimus in præsenti § XXIII. Eorum sane verborum, *Tribuas ei, Domine, cathedram Episcopalem,* meminit libro II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIV, Amalarius Fortunatus, memoratam capitis unctionem explicans : « Imitando, inquit, illum qui caput est totius Ecclesiæ, per unctionem capitis fit et ipse caput Ecclesiæ sibi commissæ. Christus pro universa Ecclesia interpellat; Episcopus pro sibi commissa. Vice Christi regit Ecclesiam sibi commissam, sicut Christus totam Ecclesiam. Hoc sonant verba consecrationis ejus : *Tribuas ei cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem universam.* »

§ XXIV.

Post hæc Consecrator inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni II. *Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus : mandavit Dominus benedictionem in sæculum.* Psalmus CXXXII, *Ecce quam bonum, etc.* Deinde repetitur Antiphona, *Unguentum in capite, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Antequam hunc ritum expendere aggrediamur, sciendum est, in plerisque Pontificalibus, veluti in Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum nongentorum, post recitatam Præfationem et factam capitis unctionem, sive, ut in duobus Pontificalibus monasterii Beccensis ante annos quingentos scriptis habetur, post recitatam quidem Præfationem, sed ante unctionem manuum et capitis Episcopi consecrandi, prolixa quædam exstat Oratio, quæ non solum in nostro Pontificali et in multis aliis desideratur, verum etiam deest tam in Sacramentario S. Gregorii quam in antiquo Romano Ordine. Ea Oratio, quæ incipit, « Pater sancte, omnipotens Deus, » videri potest apud Martenium lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo XI, in quo varii ad conferendos Ordines sacros antiqui libri Pontificales referuntur, et in iis Anglicanus et duo Beccenses, qui eam Orationem habent, aliamque quæ inscribitur, *Benedictio de septiformi Spiritu;* estque hujusmodi : « Omnipotens sanctus Septiformis

Digitized by Google

» veniat super te, et virtus Altissimi sine peccato » custodiat te, et omnis benedictio, quæ in » Scripturis sanctis scripta est, super te veniat. » Confirmet te Deus Pater, et Filius, et Spiritus » sanctus, ut habeas vitam æternam, et vivas » in sæcula sæculorum. Amen. » In nostro Pontificali Romano, et in aliis compluribus, itemque in antiquo Romano Ordine, et in *Sacramentario* S. Gregorii isthæc etiam benedictio desideratur.

II. Quod vero spectat eam Antiphonam, *Unguentum in capite, etc.*, una cum Psalmo CXXXII recitandam post memoratam capitis unctionem, nihil sane de eo ritu habet, vel *Sacramentarium* S. Gregorii, vel Ordo antiquus Romanus, seu vetera Ecclesiarum Pontificalia. Exstant nihilominus in Pontificali Bisuntino annorum sexcentorum, ex cujus præscripto dicitur ipsa Antiphona tempore communionis, itemque Psalmus *Ecce quam bonum, etc.*, per Clerum cantatur, qui eam per unumquemque versum Psalmi repetit. Juxta præscriptum Moguntini Pontificalis annorum quadringentorum, cum Consecrator caput inungit, Chorus cantat hanc Antiphonam, *Unxit te Dominus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Cantat præterea et Psalmum XLIV, *Eructavit cor meum verbum bonum, etc.*, et ad quemlibet versum prædicti Psalmi, ipsam Antiphonam, *Unxit te Dominus*, repetit, donec caput, manus et pollex dexter sufficienter fuerint peruncti. Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, ante annos tercentos exaratum, habet Antiphonam *Unguentum in capite*, et Psalmum *Ecce quam bonum, etc.*, ut in nostro Romano Pontificali. Eam Antiphonam plane tangit Amalarius Fortunatus lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XIV, ubi agit de Episcopi consecratione, ac potissimum de capitis ejus inunctione, sic inquiens : « Mystice dicit Psalmista : *Sicut unguentum in » capite, quod descendit in barbam, barbam » Aaron.* »

III. Est quidem hic notatu dignum quod scribit Optatus Milevitanus lib. II adversus Parmenianum; agens enim de schismaticis, qui Catholicos Episcopos impie degradarunt et ad pœnitentiam dejecerunt, una cum veteri cæremonia ungendi caput in Ordinatione Episcopi, memorat, inter alia, ipsum Psalmum CXXXII, quem hodie ex nostri Pontificalis Romani præscripto recitamus in ea sacra capitis inunctione. Sic autem ille schismaticos ipsos suggillans inquit : « Vocem Dei auribus non admittitis » vestris, qui in CIV Psalmo sic ait : *Ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos » manum miseritis*. Unctos autem esse reges et » Sacerdotes, et libri Regnorum indicant. Et » David in Psalmo CXXXII sic ait : *Sicut unguentum, quod descendit in barbam Aaron*. Et tamen vos contra iisdem viribus conati estis » præcepta contemnere, quibus qui Dominum » timent, mandata conantur implere. Docete » ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla » proposita fieri non debere. Saul, antequam » peccaret, ungi meruit; post unctionem non » leviter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum » proponere, pœnitentiam suam professus est. » Sic enim legitur dixisse Dominum : *Pœnitet » me unxisse Saulem in regem*. Et utique potuit » Deus oleum, quod dederat, auferre; sed cum » voluit docere non debere contingi oleum etiam » in peccatore, ipse qui dederat, pœnitentiam » gessit. Igitur Deus, si, ut te doceret, quod » dedit, auferre non potuit per quod noluit; tu » quis es, qui auferas quod non dedisti? Et qui » parare debebas aures ad audiendum, parasti » novaculam ad delinquendum. »

IV. Conqueritur sane in ea oratione S. Optatus, quod schismatici adeo sacrilegas manus capitibus Episcoporum immiserant, ut sacrum ab eis Oleum seu Chrisma auderent auferre, id est degradare, ac de honore Episcopali dejicere, radendo capita eorum. Opponit autem illis Optatus exemplum Dei, qui a Saule rege impio oleum, quod ei dederat, non abstulit. Rasura vero de qua hic ipse auctor loquitur, non est ad pœnitentiam, sed ad degradationem significandam; siquidem, etsi demissi fuerint Catholici Episcopi per schismaticos ad pœnitentiam, constat tamen ipsos Episcopos degradatos etiam fuisse, et honore dejectos. Scripsit enim superius : « Honore nominis sui spoliati sunt Sacerdotes. » Et infra : « Ergo linguas vestras » acuistis in gladios, quas movistis in mortes » non corporum, sed honorum. Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos; fecistis laicos. »

V. Innocentius III, qui ritum hunc sacræ Unctionis in Ordinatione Episcopi in ejus capite et manibus peragendæ, egregie nobis enarrat

Digitized by Google

in cap. I *De sacra Unctione,* caput inquit Episcopi inungi, « ut ostendatur illius repræsen- » tare personam, de quo dicitur per Prophetam » (in Psalmo scilicet CXXXII) : *Sicut unguentum » in capite ejus, quod descendit in barbam, bar- » bam Aaron.* » Sunt qui Psalmum hunc de Sacerdotibus atque Levitis de captivitate reversis, in templo congregatis, ac iterum muneri suo obeundo vacantibus, egregie ac docte interpretantur. Sacerdotum quippe ac Levitarum unio æque dulcis est, æque jucunda, æque suaviter olens, ac unguentum quo Aaron in consecratione sua fuit delibutus, quodque Moyses tanta in copia effudit super caput ipsius Summi Sacerdotis, ut non solum comæ et barba illius maduerint, verum etiam usque ad fimbriam vel ad collare vestis ejus defluxerit. Quomodo vero confectum fuerit unguentum, quo Aaron in consecratione sua fuerit inunctus, fusius docet Moyses, Exodi cap. XXX, versiculo 23 et seqq., ubi etiam ritus sacros enarrat in ea solemnitate observatos.

VI. Denique de eo ritu inungendi Episcopi caput in ipsius consecratione, ut alios omittam, egregie disserit Gilbertus de Torniaco theologus Parisiensis, qui vixit eodem Innocentii III sæculo sub annum 1258; sic enim inquit in tractatu *De Officio Episcopi et Ecclesiæ Cæremoniis :* « Examinatione facta, chrismatur caput » Episcopi. Unde dicitur ei : Ungatur et conse- » cretur caput tuum cœlesti benedictione in or- » dine Pontificali. In nomine Patris, etc. Unde » in Levitico, cap. II, fundens oleum super ca- » put ejus, unxit eum. Unde Moyses illo oleo, » quo ungebatur tabernaculum, non unxit » Aaron, sed Oleo sancto quod fiebat in illis » pretiosis speciebus quæ determinantur in » Exodo, cap. XL, loco cujus habemus in Eccle- » sia Chrisma; unde Chrismate unguntur ca- » pita Pontificum : propter quod dicitur in » Levitico, cap. XXI : *Pontifex, id est Sacerdos » Maximus inter fratres suos, super caput cujus » fusum est unctionis oleum, et cujus manus in » Sacerdotio consecratæ sunt.* Tunc enim unge- » batur caput Aaron, et manus ejus, ita quod » per barbam stillabat oleum usque in oram » vestimenti ejus ; sicut determinatur in Psalmo » CXXXII : *Sicut unguentum, etc.* Et hoc est quod » cantatur pro communione in Episcopi conse- » cratione. Unguentum in capite in figura » unctionis gratiæ, quæ per Prælatos transfun- » ditur ad subditos, et primo ad Presbyteros, » deinde ad infirmos; hoc est unguentum a » capite defluens in barbam, et a barba in oram » vestimenti. » Hactenus ille, qui et alia de ipsa unctione adnotat a sanctis Patribus excerpta.

§ XXV.

Incœpta Antiphona ante Psalmum, imponitur ad collum Electi alia ex longioribus mappulis de octo supradictis. Consecrator sedet, accipit mitram; et Electo ante ipsum genuflexo, inungit ambas manus simul junctas cum Chrismate in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas, videlicet a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ, et mox inungat totaliter palmas Electi, dicens : *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato et Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David regem et Prophetam, ita ungantur et consecrentur.* Et producens manu dextera ter signum crucis super manus Electi, dicit : *In nomine Dei Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti, facientes imaginem sanctæ Crucis Salvatoris nostri Jesu Christi, qui nos a morte redemit, et ad regna cœlorum perduxit. Exaudi nos, pie Pater omnipotens, æterne Deus; et præsta ut, quod te rogamus, exoremus. Per eumdem Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Et prosequitur sedens : *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate et mysticæ delibationis liquore perfundat, et spiritualis bene✠dictionis ubertate fœcundet : quicquid bene✠dixeris, benedicatur; et quic-*

Digitized by Google

quid sanctificaveris, sanctificetur, et consecratæ manus istius vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis in Sacramentario S. Gregorii nulla habeatur mentio de unctione manuum Episcopo in sua Ordinatione facienda, fortasse quia jam semel peracta fuerat ubi Presbyter consecratus fuit; exstat tamen ea cæremonia, et in antiquo Romano Ordine, et in priscis Pontificalibus, et apud pervetustos Ecclesiæ scriptores. Meminit sane hujus unctionis Epistola Episcoporum e Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum regem Germaniæ anno 808; sic enim Episcopi in ea Epistola probant Episcopos non esse ad juramenta adigendos : « Manus enim » Chrismate sacro peruncta, quæ de pane et » vino aqua mixto, per orationem et crucis si» gnum conficit corpus et Christi sanguinis Sa» cramentum, abominabile est (quicquid ante » Ordinationem fecerit) ut post Ordinationem » Episcopatus, sæculare tangat ullo modo sacra» mentum. » Meminit ejusdem sacræ in manibus unctionis S. Petrus Damiani in Sermone v de S. Severo Ravennate episcopo, ubi agit de columba in ejus Ordinatione super eum volitante : « Et quid aliud fuit, inquit, eamdem » columbam a se exturbando, manibus tangere, » nisi Ecclesiasticæ institutionis ordine, in ipsis » manibus oleum sanctæ unctionis accipere? » Nam quod columba in sanctissimi viri caput » illapsa descendit, officium manus imposi» tionis implevit; quod autem sacris se manibus » tangi permisit, ipsas manus sancti Spiritus » unctione signavit. » Idem sanctus Doctor in Sermone I de Ecclesiæ dedicatione, cum de Ordinatione Episcopi agit : « Liniuntur, inquit, » et manus, ut quicquid benedixerint, benedi» catur, et acceptum sit divinæ majestatis as» pectui. » Meminit tandem Innocentius III, in laudato cap. I *De sacra Unctione*, sic inquiens : « Hoc unguento caput et manus Episcopi con» secrentur. » Ex quorum omnium testimoniis, ac præsertim ex aliis alio loco memoratis, egregie confutatur Joannes Grancolas theologus Parisiensis, qui in *Commentario historico in Breviarium Romanum*, cap. LXXIX ad finem, antiquum unctionis ritum pernegans, ita scribit : « Unctio in ordinatione Episcoporum et Presby» terorum recentior est : de ea nihil meminit » Concilium IV Carthaginense, neque S. Isido» rus Hispalensis, neque Ordo Romanus, neque » Acta diurna formam continentia Ordinationis » Pontificum et Episcoporum, quibus octavi et » noni sæculi Pontifices utebantur. »

II. In priscis Pontificalibus frequentissime occurrit ejusmodi sacra manuum unctio, ubi Episcopi ordinantur. Pontificale Anglicanum, et aliud quod dicitur Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum nongentorum (obiit is tamen anno Domini 766), itemque Pontificale monasterii Beccensis ante annos quingentos scriptum, hanc habent in ea unctione verborum formulam : « Ungantur manus istæ et sanctificentur, » et in te Deo deorum ordinentur. Ungo has » manus oleo sanctificato et Chrismate unctio» nis purificato, sicut unxit Moyses verbo oris » sui manus sancti Aaron germani sui; et sicut » unxit Spiritus sanctus per suos flatus manus » suorum Apostolorum, ita ungantur manus » istæ, et sanctificentur, et consecrentur, ut in » omnibus sint perfectæ in nomine tuo, Pater, » Filiique tui, atque æterni Spiritus sancti, qui » es unus ac Summus Deus omnium vivorum » et mortuorum, manens in sæcula sæculorum. » Amen. » Videtur in hisce Pontificalibus variare aliquantum illud Egberti Eboracensis, in cujus Pontificali alia hæc etiam legitur consecratio seu unctio manuum Episcopi : « Un» gantur manus istæ, et consecrentur de oleo » sanctificato; sicut unxit Samuel David in re» gem et Prophetam, ita ungantur et consum» mentur, in nomine Dei Patris, et Filii, et » Spiritus sancti. » Pontificale Moguntinum annorum circiter quadringentorum præter illam formulam, quam habet Romanum Pontificale, hisce etiam verbis tradit consecrari posse manus Pontificis : « Conse ✠ crare, et san» cti ✠ ficare dignare, Domine Deus, manus » istas in ordinem Pontificalem per istam unc» tionem, et nostram benedictionem, ut quæ» cumque consecraverint, consecrentur; et » quæcumque benedixerint, benedicantur et » sanctificentur in nomine Domini. Amen. »

Digitized by Google

Hanc puto formulam invaluisse tempore Innocentii III, quippe in cap. 1 *De sacra Unctione*, sic inquit : « Manus Episcopi inunguntur, ut » ostendatur accipere potestatem benedicendi » et consecrandi. Unde cum eas Consecrator » inungit, Consecrare, inquit, et sanctificare » digneris, etc.

III. Constat vel olim usitatam fuisse pollicis unctionem, de qua ita scribit Guilelmus Parisiensis in libro *De Sacramentis*, cap. *De extrema Unctione* : « Quemadmodum in consecratione » Pontificum perfectio et plenitudo legitur; » sicut in unctionibus capitis, manuum et polli- » cis pinguedo internæ unctionis. » Quæ quidem fiebat in dexteræ manus pollice, ut constat ex Pontificali manuscripto quod servatur in Sacristia Ecclesiæ Rothomagensis, videturque esse Ecclesiæ Remensis : « Et confirmet, inquit, » pollicem dexteræ manus dicendo cum Chri- » smate : Deus et Pater Domini, etc. » Sed quid opus est de hoc ritu alia quærere testimonia, cum in antiquo Romano Ordine id ita diserte præscriptum sit: « Completa benedictione, con- » firmet pollicem Consecrati cum Chrismate, » dicendo : *Deus et Pater Domini nostri Jesu* » *Christi, etc.*, » ut in nostro Romano Pontificali. Cæterum omitti hic minime debet id quod legitur in Pontificali Lugdunensi et Vaticano scripto. Postquam enim recitavit eam benedictionis formulam, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, etc.*, statim hæc subdit: « In quibus- » dam tamen Ecclesiis palma dexteræ manus » tantum inungitur cum Chrismate et oleo si- » mul mixtis, primo per Consecratorem, et » postea per omnes Episcopos successive; et » deinde pollex ejusdem manus inungitur cum » Chrismate tantum per solum Consecratorem. » Hoc tamen nec jus, nec Ecclesiæ Romanæ » mos commendant; ideo modus ille minime » valet, nec servatur. » Idipsum paulo ante de capitis unctione dixerat, reprehendens morem quarumdam Ecclesiarum, in quibus omnes Episcopi qui aderant, similiter perungebant successive caput illius manibus suis, singulique dicebant : *Ungatur et consecretur, etc.* Quod tamen fatetur nec juri, nec Ecclesiæ Romanæ consuetudini consentaneum esse.

IV. Si quis insuper quærat quid ea manuum Episcopalium unctio significet, rem ita explicat Innocentius III in toties laudato cap. 1 *De sacra Unctione* : « Per manus opera intelligun- » tur, juxta illud : *Manus meæ distillaverunt* » *myrrham.* Manus igitur inunguntur oleo » pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad om- » nes, maxime autem ad domesticos fidei. » Et infra : « Manus Episcopi inunguntur, ut osten- » datur accipere potestatem benedicendi et » consecrandi. » Sed cur, inquiet aliquis, ungi iterum oportuit Episcopi manus, cum jam rite unctæ fuissent dum accepit Ordinem sacrum Presbyteratus, uti supra explicatum est? Difficultatem egregie diluit vir clarissimus Franciscus Hallierius *De sacris Ordinationibus*, ubi agit de sacra Unctione, pag. 1026, dum scite sapienterque ostendit non sufficere Episcopis quod eorum in inferiori Sacerdotio manus inunctæ fuerint, sed iterum, cum consecrantur, inungi debere, ob multiplicem hanc rationem. Primo quidem, quia ad benedicendum manus eorum sanctiores efficiendæ sunt. Secundo, quia Sacerdotum consecratio, altarium Ecclesiarum et cæterorum benedictio, Sacramentorumque quorumdam confectio tunc ipsis confertur. Tertio, quia ad operosius ministerium et honorificentius officium consecrantur. Quarto denique, quia, cum opes Ecclesiæ in ipsorum potestate consistant, majorem largiendi habent occasionem, et ex suo statu ad pietatis et supererogationis opera arctius devinciuntur.

V. Addit insuper laudatissimus auctor Episcopales manus ideo Chrismate, Presbyterales autem oleo inungi, tum quod perfectionem illæ operentur, quæ Chrismate bene olenti significatur; hæ illuminandis præsertim mentibus incumbant, quæ illuminatio oleo, quod ignis pabulum esse solet, convenienter exprimitur; tum quod in corpus Christi mysticum, ad quod bono odore et famæ celebritate maxime opus est, Episcopi Presbyteris majorem habeant potestatem; utrique vero in corpus Christi verum per se virtutem æqualem habeant, quæ scilicet præsertim conscientiæ puritate et nitore indiget : si quid proinde detrahi debet Presbyterali, quo præcellere ipsi possit Episcopalis, non oleum, quod conscientiæ puritatem designat, sed balsamum, quod famæ claritatem significat, detrahendum, illudque Episcopalis unctionis materiæ adjungendum. Hinc denique recte idem auctor infert caput solius Episcopi inungi, quia solus regiminis perfectam scientiam, solus gratiæ

Digitized by Google

præsidendi perfectionem, solus regendi absolutam auctoritatem, solus perfecte Ecclesiæ caput est Episcopus, solus tandem caput Ecclesiæ Christum perfectius exhibet; Presbyteri vero nec plenitudinem omnem Sacerdotii sibi vindicant, nec sine Episcopis aliquid gerendi auctoritatem, ut in illorum Ordinatione dictum est, nec perfecte Ecclesiæ capita sunt. Atque hæc satis sint ad explicationem sacræ Unctionis quæ in Episcoporum capite ac manibus fieri solet.

§ XXVI.

Præmissis itaque expeditis, Consecratus jungit ambas manus, et dexteram super sinistram tenet, et eas imponit mappulæ a collo dependenti. Consecrator vero abstergit paululum cum medulla panis pollicem; et, deposita mitra, surgit, et benedicit baculum pastoralem, si non sit benedictus, dicens :

OREMUS.

Sustentator imbecillitatis humanæ, Deus, bene✠dic baculum istum; et quod in eo exterius designatur, interius in moribus hujus famuli tui, tuæ propitiationis clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Deinde illum aspergit aqua benedicta.

§ XXVII.

Tum sedens, accepta mitra, solus tradit illum Consecrato coram eo genuflexo, capienti ipsum inter indices et medios digitos, manibus non disjunctis, Consecratore dicente : *Accipe baculum pastoralis officii; ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta manuum unctione, « complicet, » inquit Pontificale Moguntinum, « et confricet » manus (Episcopus), ne de sacro Chrismate » aliquid decidat, et Consecrator abluat manus » suas, et ipsi Consecrato per ordinem tradat, » et imponat chirothecas, annulum, baculum, » mitram super caput, baculum pastoralem, » et textum Evangeliorum. » Pontificale vero Ecclesiæ Lugdunensis ante annos tercentos scriptum ita præscribit : « Præmissis itaque » expeditis, tam Consecrator quam Consecratus » manus lavent et tergant, et habeatur bombax, » et super bombacem pannus, seu infula linea » ad modum tonsuræ, et ponatur super tonsu- » ram inunctam. Post hæc præsentetur Conse- » cratori ab Acolytho baculus pastoralis bene- » dicendus. » Sane baculum pastoralem, de quo alias in Prolegomenis dictum est, in Ordinatione Episcopi traditum, pluribus veterum testimoniis comprobatur. Concilium Toletanum IV, can. XXVIII, restituendis Episcopis suæ dignitati, qui innocentes post depositionem declarati sunt, inter alia Episcopalis insignia dignitatis, baculum reddi præcipit, quia scilicet illum quoque, « cum ordinarentur, perceperunt. » S. Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. V, ritum consecrationis Episcoporum explicans, de baculi traditione ita inquit : « Huic autem (Episcopo), » dum consecratur, datur baculus, ut ejus » indicio subditam plebem vel regat, vel corri- » gat, vel infirmitates infirmorum sustineat. » Exscripsit hunc quidem locum Synodus Aquisgranensis sub Ludovico Pio, cap. IX. A quo non discedit Beda Venerabilis in Collectaneis de septem Ordinibus, ita inquiens : « Bacu- » lum habet Episcopus ut subditos regat, » infirmos sustineat. » Meminit et ejus ritus

Digitized by Google

» Hugo a S. Victore in libro *De Sacramentis*, cap. XL, baculique formam et mysticas significationes hunc in modum exponit : « Episcopo, » dum regimen Ecclesiæ committitur, baculus » quasi Pastori traditur, in quo tria notantur, » quæ significatione non carent, recurvitas, » virga, cuspis; significatio hoc carmine conti- » netur.

« Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.
» Hoc est Pastoris, hoc virga figurat honoris.

» Item.

» Attraho peccantes, justos rogo, pungo vagantes.
» Officio triplici servio Pontifici. »

II. Illud quoque hic de baculo notandum est, in Ordine antiquo Romano prius tradi Episcopo annulum quam ipsum baculum. Id quod etiam liquet ex plerisque priscis Pontificalibus libris, Egberti Eboracensis archiepiscopi, Anglicano nongentorum annorum, Caturcensi annorum octingentorum et aliis; in quibus etiam hæc habetur verborum formula, ubi ille traditur : « Accipe baculum pastoralis officii, et sis in » corrigendis vitiis sæviens, in ira judicium sine » ira tenens, cum iratus fueris, misericordiæ » reminiscens. » In Pontificali Bisuntino annorum sexcentorum et in Lugdunensi ante annos tercentos scripto, tradendo baculo ea quoque formula recensetur : « Accipe baculum » sacri regiminis signum, ut imbecilles conso- » lides, titubantes confirmes, pravos corrigas, » errantes dirigas in viam salutis æternæ, co- » operante Domino nostro Jesu Christo, cui cum » Patre in unitate Spiritus sancti est virtus et » imperium per omnia sæcula sæculorum. » Pontificale Lugdunense, ante illa verba, « vir- » tus et imperium, » addit, « honor et glo- » ria; » jubetque ut Episcopi respondeant ad finem orationis « Amen. » Pontificale insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, quod alias utitur formula in nostro Romano Pontificali descripta, id certe admonet, ut cum Ordinator tradit baculum, illum Ordinatus tangat « extremis di- » gitis propter Chrisma, quo manus habet per- » unctas, » et statim dimittat. Apud Græcos etiam, uti constat ex pluribus Allatiani *Euchologii* exemplaribus, apud Jacobum Goar, editionis Venetæ pag. 250, traditur etiam baculus in Ordinatione Episcopi his plane verbis : « Accipe » baculum, ut coram te Christi pascas ovile, et » obedientibus quidem tibi subjectis esto bacu- » lus et fulcimentum; inobedientibus autem et » pervicacibus, ipso baculo utere, ut corre- » ctionis virga quæ illos in officio contineat. »

III. Ne aliquid autem de iis prætermittere videamur, quæ in nostro hoc præsenti § continentur, benedici utique debet baculus Episcopalis, si non sit antea benedictus, sicut et cætera Episcopalia ornamenta : id quod etiam admonet Moguntinum Pontificale annorum quadringentorum sic dicens : « Hic nota, si chi- » rothecæ, annulus, baculus et mitra prius be- » nedicta non fuerint, antequam Consecrator » ea Consecrato porrigat, benedicat eadem be- » nedictionibus hujusmodi apparatis et depu- » tatis. » Scio adversus hujusmodi benedictionis multum adlatrare hæreticos, qui tamen vel ex iis quæ sequuntur, egregie refelli possunt. In Bisuntino Pontificali annorum sexcentorum et in laudato Lugdunensi, hæc legitur baculi benedictio : « Omnipotens et misericors Deus, qui » ineffabili bonitate votis supplicantium adsistis, » quique ex tuæ pietatis abundantia affectum » petendi adtribuis : baculo huic, quem ad pas- » toralis officii signum in tuo nomine dedi- » camus, tuæ benedictionis vim copiose infunde, » ut eo pastor insignitus, sic populum tuum » sollicite custodiat, quatenus ab unitate Eccle- » siæ nullatenus deviare permittat, sed fractum » redintegret, quassatum consolidet, seque una » cum grege suo integrum tibi atque immacu- » latum conservet. Per. » In antiquo Romano Ordine hæc formula ad baculum ipsum benedicendum præscribitur : « Deus, sine quo nihil » potest benedici vel consecrari, hunc baculum » benedicere dignare, ut quotiescumque famu- » lus tuus illum gestando, et te in corde te- » nendo, per hunc sustentetur, tuæ benedi- » ctionis ubertate repleatur. » Pontificale Anglicanum annorum nongentorum, itemque Pontificale monasterii Beccensis ante annos quingentos exaratum, hisce sane versibus utitur in pastoralis baculi benedictione :

Tu baculus nostræ et rector per sæcula vitæ,
Istum sanctifica pietatis jure bacillum
Quo mala sternantur, quo semper recta regantur.

In Pontificali Anglicano prior versus ita legitur : « Gubernaculus nostræ, etc.; » verum in omnibus aliis a Morino allatis ea habetur lectio, « Tu baculus nostræ, etc. » Fateor equidem formulam, qua utitur Romanum Pontificale ad

Digitized by Google

benedicendum baculum, non esse in aliis tam frequentem. Plura de baculo Episcopali vide in Prolegomenis nostris, sicut et de cæteris Episcoporum insignibus. Plura etiam de ipso baculo erunt a nobis dicenda tomo II hujus operis.

§ XXVIII.

Quo facto, deposita mitra, surgit Consecrator, et benedicit annulum, si non sit prius benedictus, dicens :

OREMUS.

Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu, Domine, emitte bene✠dictionem tuam super hunc annulum; ut quicumque hoc sacrosanctæ Fidei signo insignitus incesserit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam vitam sibi proficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXIX.

Tunc aspergit ipsum annulum aqua benedicta; sedet cum mitra, et solus annulum in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens : *Accipe annulum, Fidei scilicet signaculum; quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata Fide ornatus, illibate custodias.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Certat de antiquitate cum baculo annulus Episcopalis, quippe quem, et S. Isidorus mox citandus, et Concilium Toletanum IV, can. XXIX, ornamentis Episcopalibus adnumerarunt, ut proinde etiam hanc cæremoniam jure merito admodum antiquam dicat Morinus, *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitatione II, c. II, num. V. Etsi enim apud Alcuinum, Amalarium et Rabanum, summum sit de annulo silentium, argumentum id esse videtur serius in Gallia et Germania eam cæremoniam fuisse notam; quemadmodum Græcos Episcopos annuli usum ignorare, testatur Jacobus Goar. Verum hisce omissis, apud Latinos, ejus benedictionem traditionemque in Episcopi Ordinatione legere est in multis Pontificalibus libris, et apud veteres æque ac recentiores scriptores Ecclesiasticos. Consecrandi novi Episcopi ritum Adventio Metensi episcopo exponens Ebbonis successor Hincmarus in Epistola sua XLIII, de Episcopo consecrante dicit, « ut mittat annulum in dex» træ manus digito qui præcedit minimum, di» cens ad quid illi annulus detur. » Et statim addit : « Signum est enim fidei, ut audientibus » se ex divinis mysteriis signet quæ et quibus si» gnanda sunt, et aperiat quæ et quibus sunt » aperienda. » Ex Honorio Augustodunensi in *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCXVI : « Annuli » usus ab Evangelio acceptus creditur, ubi sa» ginati vituli conviva prima stola vestitur, etc. »

II. Formula qua in eo benedicendo Romanum Pontificale utitur, desumpta est ex Ordine antiquo Romano. Pontificale Lugdunense non modo illam, sed et istam quoque tradit formulam ad Episcopalis annuli benedictionem : « Deus, totius creaturæ principium et finis, in » quo clausa sunt omnia, hunc annulum bene» ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, ut qui » per eum famulo tuo honoris insignia conce» dis, virtutum præmia largiaris, quo et discre» tionis habitum semper retineat, et veræ fidei » fulgore præfulgeat, sanctæ Trinitatis quoque » armatus munimine, miles inexpugnabilis » acies diaboli constanter evincat. Per Chri» stum Dominum nostrum. » Jubentur Episcopi respondere « Amen. » Sane in laudato

Digitized by Google

Romano Ordine præter memoratam in nostro Pontificali Romano, duæ aliæ recitantur formulæ tradendi annuli. Prima quidem sic habet : « Accipe annulum discretionis et honoris, » fidei signum, ut quæ signanda sunt, signes ; » et quæ aperienda sunt, prodas ; quæ liganda » sunt, liges ; quæ solvenda sunt, solvas ; atque » credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem, sed pœnitentibus, per ministerium reconciliationis, januas regni cœlestis aperias ; » cunctis vero de thesauro Dominico nova et » vetera proferas ad æternam salutem hominibus consolatus gratia Domini nostri. » Hanc sane formulam, quam etiam prodit Pontificale Anglicanum nongentorum annorum, sequitur protinus hæc admonitio ab Episcopo consecratore facienda : « Memor sponsionis et » desponsationis Ecclesiasticæ, et dilectionis » Domini Dei tui, in die qua assecutus es hunc » honorem, cave ne obliviscaris illius. » Altera vero formula in ipso antiquo Romano Ordine descripta, sic dicit : « Accipe annulum Pontificalis honoris, ut sis Fidei integritate ante omnia munitus, misericordiæ operibus insistens, » infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans. » In Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi annorum nongentorum, in Caturcensi annorum octingentorum et in nonnullis aliis, brevissima hæc quidem exstat formula : « Accipe annulum » Pontificalis honoris, ut sis fidei integritate » munitus. »

III. De mystica annuli Episcopalis significatione plura tradunt scriptores Ecclesiastici, inter quos S. Isidorus Hispalensis episcopus, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. V, et ex eo Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio : « Datur, inquit, et annulus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum » secretorum. » Sed quid multa congero, cum ex formulis benedicendi tradendique annuli Episcopalis in ipsa Episcopali Ordinatione variæ mysticæ significationes colligi possint. Illam ergo tamen hic minime prætermittam, dari nempe annulum Episcopo in illius consecratione, ut species nuptiarum inter ipsum Episcopum et Ecclesiam exhiberetur ; annulus enim sponsæ pignoris loco mitti solitus fuit, quem *pronubum* idcirco Tertullianus in *Apologetico*, cap. XI, vocavit; Juvenalis vero Satyra VI, *pignus ;* cujus etiam in nuptiis tradendi causam hanc refert laudatus S. Isidorus lib. II, cap. XIX : « Illud vero quod in primis annulus a sponso » sponsæ datur, fit hoc nimirum, vel propter » mutuæ fidei signum, vel propter id magis, ut » eodem pignore eorum corda jungantur. Unde » et quarto digito annulus idem inseritur, quod » per eum vena quædam, ut fertur, sanguinis » ad cor usque perveniat. Antiquitus autem » non amplius uno dabatur, ne pluralitas amorem unum carperet. » Ad significandum ergo « spiritale fœdus conjugii, quod inter Episcopum et Ecclesiam, (ut verbis utar Innocentii III, in cap. *Licet, De Translatione Episcopi*) » quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, et in consecratione intelligitur consummatum, » annulus Episcopo recte datur, ut meminerit se cum Ecclesia sua sancte copulatum, et augustissima consecratione devinctum. Unus autem datur, ne pluralitas alios amores designaret. In digitum annularem tandem immittitur, ut, quandoquidem per eum vena sanguinis ad cor usque pervenire dicitur, suam sponsam ex corde diligere significaret.

IV. Cum itaque fœdus conjugii inter Episcopum et Ecclesiam contrahatur, idque ipsa traditio annuli repræsentet : quis non videt quantus sit ille abusus translationum Episcoporum de una ad aliam Ecclesiam citra ullam necessitatem, quæ illos aliquatenus excusare possit? Adversus eum abusum videri potest elegans æque ac plenus Commentarius eruditissimi adolescentis Ignatii Santamaria in Canonem XV Nicænum, nostro I tomo Conciliorum. Unum ego hic recensuerim, quod scribit Lupus tomo V, in *Scholiis ad Dictatum S. Gregorii VII :* « Episcopi sine competenti causa translatio est » spirituale adulterium, nequaquam minus carnali, cui eamdem pœnam antiqua Ecclesiæ » disciplina inflixit. » Communione quidem laica, nec in fine vitæ donandos Episcopos contra Canonicas sanctiones de una ad aliam migrantes Ecclesiam decernit Canon II Concilii Sardicensis. Hac eadem pœna in nonnullis Ecclesiis eos qui mœchiæ crimen commisissent, punitos fuisse, tradit Morinus, *De Pœnitentia* lib. IX, cap. XIX.

Digitized by Google

§ XXX.

Tum Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis Consecrati; et adjuvantibus ipsum Episcopis assistentibus, tradit eum clausum Consecrato tangenti illum sine apertione manuum, dicens : *Accipe Evangelium et vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sunt quidem plerique auctores, quos vocant Scholasticos, qui huic traditioni Evangelici codicis vim consecrationis tribuendam autumarunt. Eos tamen vel ex eo confutat Morinus, aliique eruditi scriptores, quod traditio illa nupera sit, quamque nulli Rituales libri, ante quingentos annos scripti, nullique auctores ante idem tempus commemorent, licet plerisque, ut S. Isidoro, Alcuino, Amalario aliisque eum ritum commemorandi causa non defuisset. Addit Morinus, roboratque suam opinionem adversus Scholasticos eo argumento, quod, et in traditione baculi pastoralis, annuli quoque et Evangelii, semper Episcopus dicitur Consecratus, cum antea semper Electus vocaretur. Quod quidem indicium est minime obscurum, nostrum Romanum Pontificale traditiones illas baculi, annuli et Evangelii habere ut meras cæremonias consecrato Episcopo accedentes. Sed de hac re jam nos alibi disseruimus.

II. Sane ea Episcopi consecratoris verba, *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso, etc.*, aperte ostendunt munus esse proprium Episcoporum Evangelium prædicandi plebi sibi assignatæ. Unde cum nonnulli hodierni Episcopi obligationi satis minime facientes, inter alia excusationum capita, eam afferant, alia esse hodie tempora, alios mores, ita eos suggillat religiosissimus cardinalis Bellarminus lib. II *De gemitu Columbæ*, cap. V : « Ita » est, alia sunt tempora, alii mores, sed non alia » obligatio. Cur enim in consecratione Episco- » porum nunc etiam dicitur : *Accipe Evange- » lium, et vade, prædica populo tibi commisso?* » An non timere debent Episcopi sic ordinati, » ne in judicio audiant : Cur prædicationis offi- » cium suscepisti, si illud adimplere nolebas? » Et si alia nunc esset obligatio, cur in ipso Con- » cilio generali (Tridentino) nostro tempore ce- » lebrato, disertis verbis diceretur prædicationis » munus præcipuum esse inter Episcopalia mu- » nera? Et cur adhuc in Ecclesiis cathedra subli- » mis Episcopis erigitur, nisi ut ex edito loco po- » pulum doceant? » Refellit laudatus auctor in eo capite et alias complures Episcoporum excusationes validissimis sane argumentis, quæ videri possunt in opere nostro, *De Codice sancti Evangelii, etc.*, libro II, cap. XXXI, ubi ostendimus Evangelium prædicandi proprium esse Episcoporum munus.

III. Id non ignorans nostra hac tempestate sanctæ memoriæ Clemens XI Pontifex Maximus, secutus veteres Romanæ Ecclesiæ Antistites, S. Leonem Magnum, et S. Gregorium pariter Magnum, aureas illas Homilias composuit, recitavitque non sine doctorum virorum admiratione; tanta enim est ipsarum elegantia et virtus, ut easdem plerique in alia idiomata converterint. Huic Pontifici adjungimus alium omni elogio dignum, Benedictum XIII, qui non solum ubi in variis Ecclesiis Episcopus fuit, sed Romæ etiam perpetuo concionatus est, quanquam senio confectus, et magnis Pontificatus sui negotiis sedulo incumberet. Neque prætereundi alii præstantes Episcopi, qui summo cum animarum fructu Homilias et Sermones pastorales ad Clerum et populum habuerunt quam frequentissime. Profecto laudandi ea in re sunt viri egregii Hieronymus Crispi jam archiepiscopus insignis Ecclesiæ Ravennatis, et civis meus Joseph Maria Perrimezzi, jam Episcopus Oppidensis, nunc vero archiepiscopus Bostrensis, quorum Homiliæ et Sermones, quos aliquando in suis Ecclesiis recitarunt, semel et iterum typis mandati non sine fructu lectitantur.

IV. Cum autem memorata nostri Pontificalis formula, *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso, etc.*, satis id etiam

Digitized by Google

ostendat, ut, qui ordinatur Episcopus, commissum sibi habeat populum cui prædicet Evangelium, quid dicemus de Episcopis, quos minus proprie Titulares vocant, quique non ad regendum populum sibi commissum, quem non habent, sed duntaxat ut nomine et Episcopatus insignibus gaudeant, Episcopatum ipsum suscipiunt? Jam non desunt plerique scriptores qui eorum Ordinationem non convenire autumant; inter quos Joannes Gersonius *De statu Prælatorum*, consideratione VIII, etsi moderate admodum loquatur de hisce Episcopis, asseratque statum Episcopalem esse posse sine populo, et sine usu vel exercitio, asserere tamen haud dubitavit hoc minime convenire, « Quia, inquit, » vanum et monstruosum videtur in Ecclesia, » quoniam frustra est potestas cui non subest » operatio. » In Concilio etiam Tridentino, cum sub Pio IV Pontifice Maximo tractaretur de Sacramento Ordinis, plures contra hos Episcopos titulares reclamarunt, atque inter alios, teste Pallavicino lib. XXVI, cap. XVI, num. XII, archiepiscopus Granatensis, damnans usum Episcoporum titularium, tanquam quos primæva Ecclesia ignoraverit; et Ludovicus Carranza in Tractatu *De residentia Episcoporum*, quem, Tridentini Concilii tempore, publici juris fecit, ipsos Episcopos vocare non dubitat, « monstra » a quibus vexatur Ecclesia. » Imo etsi eorum usum a Concilio Tridentino permissum improbare minime audeant recentiores canonici juris consulti, notandum tamen videtur quod scribit Prosper Fagnanus ad Textum in cap. *Ex parte, De Clericis non residentibus*, num. XLVIII. « Creare, inquit, Episcopos titulares sine ratio- » nabili causa, et eo tantum fine ut ea digni- » tate alicujus persona qualificetur seu de- » coretur, abusionis, etc. »

V. Sunt vero auctores quamplurimi, qui ipsorum titularium Episcoporum usum defendunt. Enim vero præter Thomassinum, qui parte I *Disciplinæ*, lib. I, cap. XXVII et XXVIII, et alios scriptores clarissimos, qui eorum utilitatem commendant, recentissime peculiari tractatu, quem inscripsit *De Episcopo titulari*, amicus noster Hieronymus Andreucci, insignis Societatis Jesu theologus, variis quæstionibus totam rem adeo explicat, ut de eo argumento nihil amplius desiderari posse videatur. Docet inter alia ex Papebrochio, videri Episcopos titulares initium habuisse sub tempus quo Orientales regiones magna ex parte in Infidelium venerunt potestatem, id est sub finem sæculi decimi tertii. Tum pluribus probat expedire in Ecclesia Dei ut sint hujusmodi Episcopi titulares; inireque ipsos verum conjugium spirituale cum sua Ecclesia ab infidelibus occupata, validis rationum momentis ostendit. Varias insuper enodat difficultates, quæ circa materiam titularium Episcoporum suboriri possunt.

VI. Admonendum superest, ex Moguntino Pontificali, ante Evangelii traditionem, traditas fuisse novo Episcopo chirothecas et mitram, de quibus juxta ordinem nostri Romani Pontificalis nos infra loquemur. Cum autem caput et manus novi Episcopi, ex eodem Moguntino Pontificali, non extergantur nisi in fine Missæ, recte admodum monet, « in impositione chirothecarum et » mitræ, inter palmas et chirothecas, et inter » coronam et mitram debere interponi lanam » albam et mundissimam, ne chirothecæ vel » mitra sacrum Chrisma aliquatenus contingant » ibidem. » Fuit hic plane aliarum quarumdam Ecclesiarum mos, de quibus ita inquit Lugdunense Pontificale ante annos tercentos scriptum : « In quibusdam tamen Ecclesiis non lavatur » caput Consecrati usque in fine Missæ, sed » usque tunc manet infulatus. » Illud quoque ex eodem Lugdunensi Pontificali notandum est, in quibusdam Ecclesiis eam aliquando consuetudinem viguisse, ut Consecrator tradens Evangelii librum Episcopo consecrato, ipsum inter manus illius aperiret, ut ex occurrenti in prima pagina sacri Textus sententia faustum bonumque omen de futura Episcopi administratione conjiceretur. Porro jam nos suis locis superius adnotavimus, id quidem tum in Episcoporum electionibus, tum præsertim in impositione sacri Evangelii codicis super caput ipsorum servatum fuisse. Sed et de hac re videri etiam potest opus nostrum *De Codice S. Evangelii, etc.*

Digitized by Google

§ XXXI.

Demum Consecrator recipit Consecratum ad osculum pacis; similiter et assistentes Episcopi, dicentes ipsi Consecrato : *Pax tibi.* Et ipse respondet singulis : *Et cum spiritu tuo.*

COMMENTARIUS.

I. Sequitur annuli traditionem salutatio seu osculum pacis, quo Pontifex consecrator ejusque Collegæ consecratum Episcopum salutant sub ea verborum formula : *Pax tibi.* Quibus ille singulatim respondet : *Et cum spiritu tuo.* Addubitari nequit quin memoratus ritus vel antiquitus in Ecclesia tum Latina, tum Græca servaretur. S. Dionysius, cap. v *De Ecclesiastica Hierarchia,* hanc salutationem nobis significat velut postremum Ordinationis ritum, qui Ordinis collationem perficiat, compleat et absolvat. « Et perficiens salutatio fit, salutante unoquo- » que Ecclesiastici Ordinis viro præsente, ipso- » que qui consecravit Pontifice, eum qui in » aliquem prædictorum Sacerdotalium seu Ec- » clesiasticorum Ordinum cooptatus est. » Salutationem autem istam fieri per osculum, docet auctor *Apostolicarum Constitutionum* libro VIII, cap. v, ubi Episcopum consecratum in solio collocari præcipit : « Mane, inquit, collo- » cetur in throno suo ab aliis Episcopis ipsum » in Domino osculantibus. » Patet id etiam ex Nicephoro, qui lib. XI *Historiæ,* cap. XX, de Amphilochio Iconii episcopo narrat, quod cum ab Angelis fuisset consecratus, et miraculum istud Episcopis ad ejus consecrationem convenientibus renuntiasset, ipsum solita salutatione, atque osculo ei dato, quæ Episcopalis muneris sunt, administrare et exsequi permiserint. Meminit *Euchologium* in Ordinatione Episcopi et ejus ritus Ordinatum per osculum salutandi : « Deinde, inquit, Ordinatum Pontifex ordi- » nans exosculatur, sicut et reliqui Episcopi. » Juxta veterem Romanum Ordinem, ipse Ordinatus osculatur Consecratorem ejusque Collegas, et reliquum Clerum : « Det osculum Pontifici » et Diaconibus omnibus, et tenens eum Archi- » diaconus deportet in Presbyterium, et det » osculum Episcopis et Presbyteris. » Fateor in veteribus Pontificalibus nihil vel parum de ea salutatione haberi; verum juxta præscriptum Pontificalis Moguntini annorum quadringentorum, Consecrator quidem osculatur Consecratum, et dicit : « Pax tibi, charissime Frater, ora » Deum pro me : » id quod Episcopi quoque assistentes faciunt. Ex adverso præscribit Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis ante annos tercentos scriptum, ut consecratus det osculum pacis Consecratori, et Pontificibus omnibus successive, et quilibet dicat ei : « Pax tibi. » Et ipse respondeat cuilibet : « Et cum spiritu tuo. »

II. Libet nunc mysticam memoratæ salutationis significationem describere, quam docet sanctus Dionysius, cap. v *De Ecclesiastica Hierarchia,* his verbis : « Salutatio, quæ in extrema » sacrorum Ordinum parte adhibetur, sacram » significationem continet. Nam et omnes qui » adsunt sacrorum Ordinum homines, et Pon- » tifex ipse qui consecravit, eum qui consecra- » tus est, salutant; cum enim sancta mens » scientia vique Pontificis, et divina vocatione, » atque sanctimonia ad Ecclesiastici Ordinis con- » secrationem seu perfectivam operationem per- » venit, tum charus est Ordinatus paribus san- » ctissimisque Ordinibus, et ad pulchritudinem » divinæ similem perductus, mentes similes » amat, atque ab eis sancte redamatur. Hinc » consalutatio illa inter Ecclesiastici Ordinis » homines servatur et perficitur, quæ sanctam » parium similiumque mentium societatem » indicat, lætitiamque mutuam, quæ amore » digna est, quippe quæ divinam pulchritu- » dinem salvam et incolumem Ecclesiastici » Ordinis formæ conservet. » Ergo, uti recte etiam ritus mysterium exponit Simeon Thessalonicensis in opere *De sacris Ordinationibus,* cap. VII, osculatur eum Pontificem Consecrator tanquam sibi dilectum, et velut æqualem sibi, et sanctificatum, et in Christo conjunctum. Addit laudatus auctor osculari ipsum Promotum sacram mensam, eam ut gratiæ officinam honorantem, in qua et consecratus est, et Ordinem

Digitized by Google

suscepit : osculari etiam dexteram quæ ipsum promovit consecravitque, quasi et ipsa sit sanctificata et gratia abundet, eam communicandi jus habeat, itemque perficiendi et consecrandi per Spiritum sanctum, et benedictionem largiendi, divinaque dona distribuendi, per quam et ipse ordinatus est Episcopus et consummatus : osculari insuper genam Pontificis, ut sermonis instrumentum, ut precum ministerium, atque etiam propter charitatem et unionem. Cæterum osculo consecrantem salutans, ait : ὁ Θεός ἐν μέσῳ ἡμῶν ; a quo vicissim audit : καὶ ἔστι, καὶ ἔσται. Quod et eodem pacto salutantibus se et osculantibus aliis respondet, ut testis est Goar in *Notis ad Rituale Græcorum*, in Episcopi Ordinationem, num. IX.

§ XXXII.

Tum Consecratus medius inter assistentes Episcopos redit ad Capellam suam, ubi abstergitur ei sedenti caput cum medulla panis et cum panno mundo; deinde cum pectine mundantur et complanantur capilli; postea lavat manus. Consecrator vero in suo faldistorio manus lavat. Deinde procedit in Missa usque ad Offertorium inclusive. Idem facit Consecratus in Capella sua.

COMMENTARIUS.

I. Tradito osculo pacis, juxta Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis ante annos tercentos scriptum, benedicit Consecrator cathedram Episcopalem, in eamque novum Episcopum mittunt duo Episcopi assistentes, de quo ritu juxta nostri Romani Pontificalis Rubricam disseremus. Cantatur deinde, secundum illius Pontificalis præscriptum, *Alleluia*, itemque versiculus : *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum :* vel Tractus, *Desiderium animæ ejus tribuisti ei, etc.* Interim vero deducit Achidiaconus novum Episcopum « ad » vestibulum, seu sacristiam, et caput ejus ter» gitur, seu fricatur cum mica panis, vel bom» bace, et cum aqua lavatur. Quo facto reduci» tur ad locum suum in medio Episcoporum, et » demum repetitur *Alleluia*, vel dicitur ultimus » versus Tractus. » De lavandis manibus nihil hic dicit memoratum Pontificale, quia scilicet statim post earum inunctionem tam Consecrator quam Consecratus manus lavabant atque tergebant. Juxta Pontificale Moguntinum, ad finem Missæ, ut supra notavimus, præscribit quidem « ut ipsi assistentes caput Consecrati et manus » de sacro Chrismate cum pane duro et sale » diligenter purgent et extergant. » Cæterum de capillis cum pectine complanandis nulla in hisce Pontificalibus mentio. Fuisse autem pecten inter ministeria sacra numeratum, quo scilicet Sacerdotes et Clerici, antequam in Ecclesiam procederent, crines pecterent, Carolus Dufresne in suo Glossario tradit, verbo *Pecten*, ubi inter alia locum describit testamenti Riculfi episcopi Helenensis anno 915, qui ita inquit : « Pectinem eburneam unam, etc. » Vide quæ diximus initio hujus tituli in Commentario ad § V, num. III.

§ XXXIII.

Dicto Offertorio, Consecrator sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris. Et Consecratus veniens ex sua Capella inter assistentes Episcopos medius coram Consecratore genuflectit, et illi offert duo intortitia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena, et Consecratoris prædicta recipientis manum reverenter osculatur.

COMMENTARIUS.

I. Si Ordinem antiquum Romanum spectemus, post traditum osculum pacis, de quo superius locuti sumus, sequebatur Evangelii lectio solemnis in Missa; ponens enim Episcopus con-

Digitized by Google

secrator incensum in thymiamaterio, benedictionem dabat inclinanti Archidiacono qui statim Evangelium legebat, quod est secundum Marcum : *Circuibat Jesus castella, etc.* usque ad ea verba, *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabantur.* Hoc ipsum Evangelium legendum præscribit quidem Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis; additque ut deinde dicat Consecrator : *Credo in unum Deum;* et Offertorium, *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, etc.* Consecratus vero tunc offerat ex institutione Melchiadis Papæ, et de more offerat duos panes, duas amphoras vino plenas, et duos cereos accensos, et alia consueta. Pontificale Moguntinum legi mandat Evangelium : *Si diligitis me, mandata, etc.;* itemque cani *Credo in unum;* et dici Offertorium, *Confirma;* deinde vero procedere Consecratum ad altare, et « offerre duos cereos accensos, duos albos pa- » nes, et duas phialas plenas vino. » In margine ejus Pontificalis tradit Martenius recenti manu fuisse conscriptam hanc notam : « Hujusmodi » oblationes portantur per familiam Electi, et » in offerendo Electus tangit cum manu. »

II. Pontificale insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, dum cantatur *Alleluia* vel Tractus, ipse Consecratus lavat manus suas cum mica panis, et accipiens duos cereos, unum a dextra manu, alium a sinistra, tenet eos accensos, donec legitur Evangelium : *In illo tempore : Circuibat Jesus, etc.* Lecto autem Evangelio et cantato Symbolo, eosdem cereos adhuc accensos, et duos panes in manutergio positos inter brachia sua, et ampullam vini, quam Acolythus tenet super prædictos panes, offert Consecratori suo, et rediens ad altare perficit Missam cum ipso. Huc usque ipsissima verba Pontificalis Apamiensis. Quo autem ritu in provincia Barensi et Canusina novus Episcopus Consecratori suo dona offerret post acceptum Evangelii codicem, ita describitur in ejus insignis Ecclesiæ manuscripto Pontificali : « Consecratus (Epi- » scopus), osculatis pedibus Pontificis, dat os- » culum ipsi Pontifici, deinde osculatis ipso » Pontifice, vel Episcopis, Presbyteris, Diaco- » nibus et cæteris ministris altaris qui adsunt, » vadit ad locum ubi fuerat indutus, et tunc » cantatur *Alleluia, etc.* Dum ergo cantatur » *Alleluia* vel Tractus, ipse Consecratus lavat » manus suas cum mica panis, et postea acci- » piens duos cereos, unum in dextra manu, » alium in sinistra, tenet eos accensos donec » legitur Evangelium. Lecto Evangelio et can- » tato Symbolo, eosdem cereos adhuc accensos, » et duos panes in manutergio positos inter bra- » chia sua, et ampullam vini, quam Acolythus » tenet super prædictos panes, offert Consecra- » tori suo, et rediens ad altare perficit Missam » cum Episcopo. » Paulo aliter legi in aliis Pontificalibus manuscriptis. Sed quidquid sit de ejus varietate, offert Consecratus Consecratori duos panes, et duo barilia vino plena, juxta nostrum Pontificale Romanum, vel duas phialas plenas vino, ex præscripto laudatorum Pontificalium Moguntini et Lugdunensis. Quod quidem munus consentaneum est cum veteri Ecclesiæ disciplina; ipse enim vetus Ordo Romanus ritum offerendi describens, ait : « Populus dat » oblationes, id est, panem et vinum, et offert » cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde » feminæ. » Quæ verba una cum ritu jam nos alibi explicuimus.

III. Augustinus Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. IX, num. LXIV, ait consecratum Episcopum offerre panem et vinum, vel ut ostendat se in jus Sacerdotis functionem et munus succedere, cui sine omni in futurum pœnitentia juravit Dominus eum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech; vel ad designandam paupertatem Episcoporum primitivæ illius Ecclesiæ, in qua summæ opes, summæ divitiæ, panis et vinum fuerunt. Putat dari « hæc munera clara luce, et amplius duabus » facibus accensis, ne quid inter hæc levia mu- » nera, speciosum colore, pondere speciosum » subrepat ac subjiciatur. » Est sane hæc arbitraria memorati auctoris interpretatio, suoque ingenio excogitata, quam neque laudare, neque vituperare audeo. Si enim mysticæ interpretationi detur locus, dici potius posset cereos accensos offerre Episcopum juxta illud Christi Domini, Lucæ cap. X : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lucernas quippe ardentes, inquit S. Gregorius, *Homilia* XIII *in Evangelia*, in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus; de quibus profecto operibus Dominus dicit : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Dictum

Digitized by Google

est id quidem Apostolis, in quorum locum Episcopi successerunt. Dictum ipsis et illud a Christo fuit : *Vos estis lux mundi*, ut scilicet suæ doctrinæ et bonorum operum luce populos illuminarent. Ad hanc itaque lucem significandam, cereos accensos ab Episcopo offerri dici rectius posset.

§ XXXIV.

Deinde Consecrator lavat manus, et accedit ad altare, Consecratus etiam ad posterius cornu Epistolæ altaris ejusdem accedit; et ibi stans medius inter Episcopos assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit et facit omnia, prout in Missali. Et ponatur una hostia consecranda pro Consecrante et Consecrato, et vinum consecrandum in calice sufficiens pro utroque.

COMMENTARIUS.

I. Nihil olim in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Græca Ecclesia, tam usitatius quam plurium Presbyterorum aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebratio. Satis id quidem ostendimus, pleraque etiam scitu digna explicuimus, ubi egimus de Ordinatione Presbyteri. Ea ergo ibidem quærenda in Commentario ad Rubricam, § XVII. Illud hic minime omittendum censeo quod in Lugdunensi Pontificali legitur : « Paratis, inquit, duabus hostiis » ad consecrandum, Consecrator intret secre- » tam, Consecrato ad dextrum cornu altaris, » junctis manibus inter duos Episcopos stante, » et concelebrante, et faciente signa, et voce » submissa dicente omnia quæcumque fecerit » et dixerit Consecrator. » Ubi notandum illud præsertim videtur, non unam hostiam, ut nostrum Pontificale Romanum præscribit, sed duas hostias parari debere, alteram scilicet pro Consecratoris, alteram vero pro Consecrati communione. Addit laudatum Lugdunense Pontificale providendum esse, « quod tantum de vino in » calice apponatur quod sufficere possit, » utique pro utroque juxta nostrum Pontificale.

II. Sane docet Pontificale Moguntinum Episcopo consecratori consecratum Episcopum concelebrare, nullam autem de una vel duabus hostiis apponendis mentionem facit. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria duas certe præscribit hostias consecrandas, ait enim ut « cum » venerit ad communicandum Pontifex, por- » rigat ipsi Consecrato sacram oblationem in- » tegram. » In vetustioribus Ritualibus libris fateor nihil me de ea re legisse, quemadmodum nec de concelebratione consecrati Episcopi cum Episcopo consecratore celebrante. Putant nonnulli non videri hunc usum in Ecclesia annis ad summum quingentis esse antiquiorem, sed neque postea ubique passim obtinuisse, nimirum in collatione sacræ Ordinationis, cum alias jam dictum sit nihil olim in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Græca Ecclesia, tam esse usitatius quam plurium Presbyterorum aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebrationem; idque eodem pene per omnia ritu, qui hodie in Episcopi consecratione superest, quemadmodum late probat ac describit Joannes Morinus, *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitatione VIII, cap. I.

§ XXXV.

Secreta sequens dicitur cum secreta Missæ diei sub uno *Per Dominum* per Consecratorem : *Suscipe, Domine, munera quæ tibi offerimus pro hoc famulo tuo, et propitius in eo tua dona custodi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

Consecratus dicit :

Suscipe, Domine, munera quæ tibi offerimus pro me famulo tuo, et propitius in me tua dona custodi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Tradit Amalarius, lib. III *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XX, Orationem secretam ideo eo nomine appellari, quia secreto dicitur. Quod autem spectat præscriptum nostræ Rubricæ, videtur ea plane consentire cum Lugdunensi Pontificali, ubi constitutum legimus ut eadem secreta Oratio, qua Romanum Pontificale utitur in Missa Ordinationis Episcoporum, dicatur cum secreta Missæ illi diei, in qua Ordinatio ipsa celebratur, assignatæ. Eamdem Orationem secretam legere est in antiquo Romano Ordine, ac in multis sequioris ævi Pontificalibus. Nihilominus in S. Gregorii *Sacramentario*, ubi agitur de Ordinatione Episcopi, ac in Pontificalibus Bisuntino et Salisburgensi annorum sexcentorum ac Noviomensi quadringentorum annorum, hæc alia recensetur secreta Oratio : « Hæc Hostia, » quæsumus, Domine, emundet nostra delicta, » et ad sacrificium celebrandum, subditorum » tibi corpora mentesque sanctificet. Per. »

II. De recitandis secretis hisce Orationibus tam a consecratore quam ab Antistite consecrato, nulla profecto mentio in antiquioribus Pontificalibus; quia scilicet, uti alibi dictum est, novi Episcopi in sua Ordinatione consecratori Pontifici minime concelebrabant. Sciendum tamen est manuscriptum Pontificale Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, consentire in hoc quidem ritu ac in aliis plerisque cum nostro Romano Pontificali edito. Præscribit enim ut, postquam novus Episcopus ex institutione ut, inquit, Melchiadis Papæ, de more obtulit duos panes, et duas amphoras vino plenas, et duos cereos accensos, et alia consueta, omnia faciat, et submissa voce dicat quæcumque facit et dicit Episcopus consecrator. Tum vero præscribit has easdem Secretas tam a Consecratore quam a novo Episcopo dicendas, quæ in nostro Pontificali habentur.

§ XXXVI.

Infra Actionem dicit Consecrator :

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro hoc famulo tuo, quem ad Episcopatus Ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exsequatur, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Consecratus dicit :

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro me famulo tuo, quem ad Episcopatus Ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in me tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus sum, divinis effectibus exsequar, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in

Digitized by Google

electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Actio in præsenti Canonem Missæ significat : « Missa, » inquit Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ*, lib. I, capite VIII, « quoddam judicium imitatur; unde et Canon » actio vocatur. Actio autem est causa quæ in » publico conventu coram judicibus agitatur. » Idem, cap. CIII, de ea re ita scribit : « Canon di- » citur regula, quia per eum regulariter fit » Sacramentorum confectio. Hic etiam actio » dicitur, quia causa populi in eo cum Deo » agitur. » Sane eadem fere verborum formula, quam in Ordinatione Episcopi infra Actionem dicit hodie Episcopus consecrator, habetur passim in priscis recentibusque Pontificalibus libris, quinimo in antiquo Romano Ordine, et in *Sacramentario* S. Gregorii. Ferunt communiter auctores S. Leonem Pontificem Maximum, ea verba infra Actionem, *Hanc igitur oblationem, etc.*, usque ad *placatus accipias;* illa vero, *diesque nostros in tua pace disponas, etc.*, veteri Missæ Canoni inseruisse S. Gregorium Magnum.

§ XXXVII.

Dicta Oratione, *Domine Jesu Christe, qui, etc.*, per Consecratorem et Consecratum, Consecratus accedit ad dexteram Consecratoris, et ambo osculantur altare; tum Consecrator dat pacem Consecrato, dicens : *Pax tecum.* Cui respondet Consecratus : *Et cum spiritu tuo.* Et dat eam Assistentibus suis, seniori primo, tum alteri, singulis dicens : *Pax tibi.* Et illi sibi respondent : *Et cum spiritu tuo.*

COMMENTARIUS.

I. Loquitur hic Rubrica de ea profecto pace quam in solemni Missa ante communionem daturus Sacerdos Diacono suo; prius altare osculatur, ac deinde illi in cornu Epistolæ genuflexo ipsam pacem impertiendo, dicit : *Pax tecum;* cui ille respondet : *Et cum spiritu tuo.* De quo ritu videri possunt qui de divinis Officiis fuse tractarunt. Sane omitti hic non debet id quod præscribit Lugdunensis Ecclesiæ Pontificale, ut nimirum ante « Agnus Dei, » dicat Diaconus : « Humiliate vos ad benedictionem; » Et Chorus respondeat : « Deo gratias. » Tum sequitur benedictio solemnis hunc in modum : « Deus, ad » quem respicit Sacerdotum solertia, regnan- » tium victoria, populi disciplina, qui ob hoc » proponis Pontifices, ut habeat Clerus vigilan- » tiam, Ecclesia reverentiam, plebs devota cu- » stodiam, pauperes alimoniam; dignare hoc » in nobis cœlesti fonte diffundere, quod dispen- » sante Sacerdote, plebs pro salute possit hau- » rire. Amen. Concedat agendi normam, lo- » quendi fiduciam, vivendi temperantiam, mo- » nendi doctrinam. Amen. Et impendente Pon- » tifice studium, plebe assensum, mereatur » consequi pastor gratiam, plebs medelam. » Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc. »

II. Etiam in Pontificali Monguntino ann. 400, Diaconus antequam consecrator Episcopus celebrans dicat « Agnus Dei, » ad populum conversus ait : « Humiliate capita vestra ad bene- » dictionem. » Cui respondente Clero « Deo » gratias, » ipse Consecrator ad populum ipsum conversus, superposita mitra, baculum manu tenens, hanc præstat benedictionem : « Bene- » dicat te Dominus in ordine Episcopali, custo- » diensque te, sicut voluit te super populum » suum constituere Pontificem, ita et in præ- » senti sæculo, et æternæ felicitatis te faciat esse » consortem. » Clerus : « Amen. » Pergit Consecrator : « Clerum, et populum, quem sua » voluit opitulatione in tua sanctione et tua » amministratione, per diuturna tempora te » faciat in temporalibus et spiritualibus feliciter » gubernare. » Clerus : « Amen. » Addit præterea Consecrator : « Quatenus divinis monitis » parentes, adversitatibus carentes, bonis ope-

Digitized by Google

» ribus exuberantes, tuo ministerio fide obse-
» quentes, et in præsenti sæculo pacis tranquil-
» litate fruantur, et locum æternorum civium
» consortio potiri mereantur. » Clerus : « Amen. » Consecrator mox inquit : « Quod » ipse præstare, etc. » Cui Clerus « Amen » respondet; ille vero extensa manu benedictionem dans, dicit : « Benedictio Omnipoten-
» tis, etc. » Clerus respondet : « Amen. »

III. Longum esset alia Pontificalia recensere, cum de eo ritu præclarissimum testimonium habeamus in Ordine antiquo Romano, in quo ante communionem ista profecto legitur benedictio : « Deus qui populis tuis indulgendo con-
» sulis, et amore dominaris, da spiritum sa-
» pientiæ quibus tradidisti regimen disciplinæ,
» ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia
» æterna Pastorum. Amen. Et qui dierum no-
» strorum numerum temporumque mensuras
» majestatis tuæ potestate dispensas, propitius
» ad humilitatis nostræ respice servitutem, et
» pacis tuæ abundantiam temporibus nostris
» prætende perfectam. Amen. Collatis quoque
» in me per gratiam tuam propitiare muneri-
» bus, et quem fecisti gradu Episcopali subli-
» mem, fac operum perfectione tibi placabilem;
» atque in eum affectum dirige cor plebis et
» Præsulis, ut nec Pastori obedientia gregis,
» nec gregi desit unquam cura Pastoris. Amen.
» Quod ipse præstare, etc. » Hactenus Ordo vetus Romanus; sunt tamen non pauca Pontificalia in quibus recitatæ vel similes benedictiones desiderantur, uti videre est apud Martenium.

§ XXXVIII.

Deinde, postquam Consecrator corpus Domini sumpserit, non totum sanguinem sumit, sed solum partem ejus cum particula hostiæ in calicem missa. Et, priusquam se purificet, communicat Consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem, et non genuflectentem, prius de corpore, tum de sanguine; deinde purificat se, postea Consecratum. Tum abluit digitos super calicem, et sumit etiam ablutionem; et assumpta mitra, lavat manus.

COMMENTARIUS.

I. Ritum sacræ communionis a novo Episcopo consecrato suscipiendæ ita describit Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis : « Postquam
» Consecrator communicaverit, mox priusquam
» digitos abluat, Consecratus a præmissis duo-
» bus Episcopis ante altare deductus, de manu
» Consecratoris sacram hostiam recipiat; ipse
» tamen genua non flectat coram illo, sicut fa-
» ciunt cæteri ordinandi : imo, si loci dispositio
» permittat, Consecratus, seu Consecrati stantes
» circa cornu altaris, sicut concelebrando Mis-
» sam steterunt, possunt ibidem stantes supra
» illud communicare. Subsequenter Diaconus,
» calicem porrigendo communicet de eodem
» sanguine. Postea Pontifex digitos abluat cum
» vino super calicem, et de ipso vino iterum
» abluat os, de quo etiam ad abluendum os
» Consecratus seu Consecrati sumere debent. »
Pontificale Moguntinum præscribit, ut facta susceptione Eucharistiæ ab Episcopo consecratore, Episcopus consecratus accedat, et dicat *Confiteor Deo omnipotenti, etc.*, tum vero communicet Consecratum.

II. Notabilis est sane ritus quem ita describit vetus Ordo Romanus : « Cum autem venerit ad
» communicandum, Dominus Pontifex porrigit
» ei (consecrato Episcopo) formatam atque sa-
» cratam oblationem integram; suscipiensque
» eam Episcopus, ipse ex ea communicet su-
» per altare : quod vero residuum fuerit, sibi
» reservet denuo ad communicandum unoquo-
» que die usque ad quadraginta dies expletos.
» Et postmodum jussus a Pontifice, communi-
» cat populum cum cæteris Episcopis. » Idipsum scribit creditus Alcuinus, *De divinis Officiis*, cap. *Qualiter Episcopus ordinetur in Romana Curia*, sic inquiens : « Ad communicandum
» vero Pontifex porrigit ei formatam atque sa-
» cram oblationem, quam accipiens communi-
» cat super altare : cætera vero reservat sibi

Digitized by Google

» usque ad dies quadraginta; postmodum ex » præcepto Apostoli communicat omnem po» pulum. » Formatam vocat hic auctor, quemadmodum et vetus Ordo Romanus, non sacram hostiam, ut Hallierius credit, quod nempe ad formam coronæ formata esset, ex Burchardo; vel ex *Gemma animæ,* quod imago Christi cum litteris Græcis, iis, ut Hallierius ipse conjicit, quæ Christi nomen significabant, consecrandæ hostiæ imprimeretur : sed potius vocant formatam Ordo Romanus et Alcuinus litteras Archiepiscopi, quibus ille testatur talem Episcopum a se ordinatum esse talis Ecclesiæ; earumque exemplar in eodem Romano Ordine subjiciuntur.

III. Memorato ritui ut antiquo Eucharistiæ ad communionem recens ordinatorum Episcoporum æque atque Presbyterorum per quadraginta dies reservatæ, luculentum etiam testimonium perhibet S. Fulbertus, Carnotensis episcopus, qui paulo post annum Christi millesimum scribebat. Is sane in Epistola sua II ad Finardum, duo nos docet : primum quidem, sacram illam hostiam quadraginta diebus consumendam non solum datam fuisse Episcopis, sed etiam Presbyteris; alterum vero, sacræ illius hostiæ consumptionem Episcopos et Presbyteros, inter Missarum solemnia quæ celebrabant, perfecisse, hoc est singulis illis quadraginta diebus Missam celebrasse, et præter hostiam quam consecrabant et consumebant, aliquid insuper de hostia ab Episcopo data degustasse, donec quadragesimo die tota consumeretur. Ait hunc ritum ab omnibus Episcopis suis comprovincialibus servari; verum occasione cujusdam Sacerdotis qui, communicaturus sacram Eucharistiam, eo quo putabat relictam loco minime reperisset, a Finardo seu ab Einardo sciscitatur cur ad tantum periculum evitandum, non primo, secundo, aut tertio die integra hostia sumeretur? Verum increpavit Fulbertum Episcopus, eumque docuit ritum minime esse abrogandum, qui Christi post resurrectionem præsentiam cum Apostolis per dies quadraginta ob oculos poneret; quasi recens ordinatum ipse Dominus noster præsentia sua similiter hac quadraginta dierum communione sit corroboraturus : « Nam et Episcopus, inquit, » qui vices Christi tenet, Sacerdotales viros in » plebem subjectam missurus, sacri Corporis » Eucharistiam per quadragenos dies sumendam » distribuit; ut, dum verbi gratia, quotidie cœ» lestis panis alimonia reficiuntur, tempus illud » in mentem habeant, quo per quadraginta dies » Dominus discipulis apparens et convescens, » desideratæ visionis satietate refecit. »

IV. Addit hanc actionem providentiæ Dei erga populum Israeliticum esse imaginem, ut quemadmodum Deus dederit septuaginta senioribus de spiritu Mosis, cujus participatione populum toto illo tempore pluit illis manna de cœlo; ita quoque postquam Presbyteri recens ordinati charismata Spiritus susceperunt, quadraginta diebus manna cœlesti et pane vitæ sustentarentur. Porro aliter visum est Ecclesiæ Romanæ circa numerum quadraginta dierum; nam in antiquo Romano Ordine etsi recens ordinati Episcopi Eucharistiæ residuum unoquoque die sumendum usque ad quadraginta dies sibi reservarent; Presbyteris tamen demandabatur ut usque ad dies septem ex data sibi sacra Eucharistia communicarent. Memorant eum ritum, Epistolamque Fulberti bona ex parte describunt Hugo Menardus in *Sacramentarium* S. Gregorii, pagina 312 et seq., Hallierius *De sacris Ordinationibus*, pag. 994 et seq., Martenius lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, c. VII, articulo IX, numero XXI, et alii passim eruditi scriptores, inter quos Joannes Morinus, *De sacris Ordinationibus*, parte III, exercitatione VIII, cap. II, num. IV, tradit ab annis quingentis circiter, ob varia quæ inde oriebantur incommoda, ipsum ritum in desuetudinem paulatim devenisse et penitus exstinctum esse.

V. Apud Græcos, teste Simeone Thessalonicensi *De sacris Ordinationibus* cap. XII, « in » divina communione (consecratus Episcopus) » primus divinum panem manibus ab Archie» piscopo (consecratore) accipit et cum eo com» municat : postea tradit Archiepiscopo divi» num sanguinem per sacrum calicem, et illi » iterum Archiepiscopus. » Quemadmodum autem olim apud Latinos, ut ex Ordine antiquo Romano liquet, consecratus Episcopus jussus a Pontifice communicabat populum cum cæteris Episcopis, ita quoque et apud Græcos, teste eodem Thessalonicensi : « Idem ipse lavatis mani» bus sacrum antidorum jussu Archiepiscopi » populo præbet. » Sacrum antidorum, uti Morinus eum locum explicat, est panis ille fer-

Digitized by Google

mentatus, e quo excisæ sunt sacræ particulæ quæ postmodum in Missa consecrantur. Panis ille ut plurimum rotundus est, et vocatur græce προσφορά, *oblatio*, sive *oblata*. Crucem habet in medio effictam, et intra latera crucis, hæc verba : Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ, *Jesus Christus vincit*. Figura crucis cum his verbis oblatæ impressa, Græcis vulgo σφραγίς, *sigillum*, dicitur. Cum Sacerdos Missam celebraturus est, primam particulam, quæ major est, ex hoc sigillo exscindit, deinde alias. Hoc autem facit in mensa sive altari propositionis, iis benedictionibus et ritibus qui initio Liturgiæ explicantur. Panis igitur ille, vel panes (possunt enim plures Sacerdoti a populo offerri, et ab unoquoque particula consecranda exscindi) qui προσφοραὶ initio dicuntur, postquam hoc factum est, dicuntur ἀντίδωρον, *antidorum*, hoc est *vice doni;* Corpus enim Christi et Sanguis vocari solent ἅγια δῶρα, *sancta dona;* ideo panis iste non consecratus in locum Corporis Christi traditus a Græcis vocari solet ἀντίδωρον. Hæc et alia complura Morinus, eam vocem explicans in Notis ad laudatum opus Simeonis Thessalonicensis, *De sacris Ordinationibus*, cap. VII, nota CXVI.

VI. Illud præterea addiscimus ex Rituali Græcorum, cum per seipsum consecratus Episcopus communicet et aliis sacram Eucharistiam distribuat, non genuflexum ante altare, sed stantem et altari innixum oportere eum communicare. Cui ritui Romanum quidem Pontificale consentit, sicut etiam et illi Græcorum æque ac Latinorum consuetudini, juxta quam is qui in Episcopum consecratur, simul cum Consecratore suo sub utraque specie, panis nimirum et vini, Corpus et Sanguinem Christi percipit. Sane, uti cum Hallierio alii etiam docent, propter potestatem in ipsum Corpus ac Sanguinem Domini non genuflexus, sed stans ille capite inclinato, in reverentiæ argumentum, ante ipsum altare, eodem corporis situ quo Consecrator, communicat; ut ad perfectam cum Consecratore similitudinem per consecrationem suam traductus esse videatur; cum e contra tam Sacerdotes quam Levitæ non in ipso altari, sed ante altare, ex Concilio Toletano IV, Canone XVII, non stantes sed genuflexi, ex communi Latinorum disciplina, communicare jubeantur. Ex eadem autem hostia eodemque calice, ex quo Consecrator partem sumpserit vel hauserit, idcirco consecratus pariter Episcopus communicare jubetur, tum ad Episcopatus unitatem expressius significandam (ob quam etiam Episcopus Consecratori concelebrat) et ejusdem Sacerdotii Christi participationem ab omnibus æque Episcopis demonstrandam; tum etiam ad eosdem de concordia inter se servanda commonefaciendos : *Quoniam*, ut ait Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. X, *unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus;* tum denique ad imitandum Christi Domini exemplum, qui eo die quo Apostolos, in quorum gradum Episcopi succedunt, ex uno pane eos et seipsum pavit atque ex uno calice potavit, uti videre est in Evangelio Matthæi, capite XXVI, Marci, cap. XIV, Lucæ, cap. XXII, et in Epistola I ad Corinthios, cap. XII, quibus adde communem sanctorum Patrum interpretationem, aientium Christum sui Corporis et Sanguinis sui participem quoque fuisse, dum utrumque Apostolis ministravit. Notandum hic vero est aliter olim fuisse constitutum ex antiquo Romano Ordine, secundum cujus præscriptum superius recitatum, Pontifex quidem consecrator Eucharistiam consecrato Episcopo porrigebat; suscipiensque is illam per seipsum communicabat. Quod non mirum videri debet, cum olim etiam laicis communicaturis cœlestem illum panem in manus tradi consueverit. De quo ritu videri potest Stephanus Duranti, *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* lib. II, capite IV, et Joannes Cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XVII, num. III.

§ XXXIX.

Interim Consecratus cum assistentibus Episcopis accedit ad posteriorem partem alterius cornu altaris, videlicet Evangelii, et ibi prosequitur Missam, sicut Consecrator in cornu Epistolæ. Postcommunio quæ dici debet cum Postcommunione dici sub uno *Per Dominum*.

Digitized by Google

Plenum, quæsumus, Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare : ac tales nos esse perfice propitius, et sic fove ut tibi in omnibus placere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XL.

Deinde dicto *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* prout tempus requirit, Consecrator, dicto in medio altaris, *Placeat, etc.*, accepta ibidem mitra, si non sit Archiepiscopus, et in sua provincia, stans versus ad altare, populo solemniter benedicit, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Alia quidem est Oratio quæ dicitur *Postcommunio,* sive *ad complendum*, ut quidam libri Pontificales loquuntur, in *Sacramentario* S. Gregorii, et longe diversa ab illa mox recitata. Verba ejus Orationis in laudato *Sacramentario* hæc sunt : « Hæc nos communio » purget a crimine, et cœlestis remedii faciat » esse consortes. Per Dominum nostrum Je» sum Christum. » Nostra profecto Oratio non modo in multis Pontificalibus, sed in antiquo Ordine Romano legitur, et in Codice Ratoldi abbatis. In aliquibus Ritualibus libris aliæ etiam ab iis diversæ exstant ad complendum Orationes. Ut enim alios omittam, codex Pontificalis S. Cornelii Compendiensis annorum sexcentorum hanc exhibet : « Tui, Domine, » perceptione Sacramenti a nostris mundemur » occultis, et ab hostium liberemur insidiis. » Per. » Quod spectat § XL, ubi agitur de solemni benedictione ab Episcopo in fine Missæ populo impertienda, alibi a nobis jam dictum fuit. Qui plura de eo ritu desiderat, videre potest virum clarissimum Cajetanum Mariam Merati in Notis, observationibus et additionibus ad Gavantum, pag. 242.

§ XLI.

Data benedictione, reponitur faldistorium ante medium altaris, et Consecrator cum mitra in eo sedet; Consecratus vero parvum biretum in capite tenens coram eo genuflectit. Tum Consecrator, deposita mitra, surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens :

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, cujus præclara bonitas est et virtus immensa, a qua omne datum optimum et omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum, bene✠dicere et sancti✠ficare dignare hanc mitram, hujus famuli tui Antistitis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XLII.

Et mox eam aspergit aqua benedicta; deinde sedens cum mitra, adjuvantibus ipsum assistentibus Episcopis, imponit eam capiti Consecrati dicens : *Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis et Agonistæ tui galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie et armato capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis*

Digitized by Google

appareat adversariis veritatis; et, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, et capiti Aaron pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Data benedictione in Episcopalis ordinationis Missa, Consecrator benedicit mitram, eamque capiti novi Episcopi imponit, et quidem ex ritu longe post annum Christi millesimum invento, cum de ipsius impositione, in sacra Episcoporum Ordinatione, ante annos quingentos nihil apud auctores, sive in Pontificalibus libris præscriptum inveniatur. Meminit sane ejus ritus Pontificale Monguntinum ante annos quadringentos exaratum, in quo etiam ad impositionem mitræ hæc formula recensetur : « Pono signum in capite tuo, ut nullum præter » ipsum Deum Creatorem tuum amatorem ad- » mittas, in nomine Domini. Amen. » De mitræ antiquitate ac usu in functionibus Ecclesiasticis, vide quæ scripsimus in Prolegomenis nostris. Hic illud notandum quod scribit Innocentius III, libro I *De Mysteriis Missæ*, cap. XLIV, mitræ Episcopalis significationem, similitudinemque cum veteris Pontificis indumentis, ac materiam et formam explicans : « Mitra Pontificis, inquit, » scientiam utriusque Testamenti significat; » nam duo cornua, duo sunt Testamenta; duæ » fimbriæ, spiritus et littera; circulus aureus, » qui anteriorem et posteriorem partem com- » plectitur, indicat quod omnis scriba doctus in » regno cœlorum de thesauro suo nova profert » et vetera. Caveat ergo diligenter Episcopus » ne prius velit esse magister quam novit esse » discipulus, ne, si cæcus cæcum duxerit, ambo » in foveam cadant. »

II. Tradit Guilelmus Durandus, lib. III *Rationalis*, capite XII, mitram et ejus cornua, ac Episcopum illam gestantem a quibusdam hæreticis irrideri, quia scilicet in Apocalypsi, capite XIII, scriptum est : *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agno.* Verum tum S. Irenæus lib. V, c. XXVIII, tum Tertullianus *De Resurrectione carnis*, c. XXV, tum alii complures apud Cornelium a Lapide in eum locum laudatæ Apocalypsis, per hanc bestiam intelligi aiunt insignem aliquem impostorem qui erit quasi præcursor et præco Antichristi; sive universos Antichristi ministros, maxime præcones et prædicatores, juxta expositionem S. Gregorii qui XXXIII *Moralium* XX ita scribit : « De terra quippe ascendere, est de » terrena gloria superbire, quæ habet duo cor- » nua agni similia, quia per hypocrisiam san- » ctitatis, eam quam in se veraciter Dominus » habuit, singularem sibi inesse sapientiam » mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie » auditoribus reprobis serpentinum virus infun- » dit, recte subditur : *Et loquebatur ut draco.* » Porro insulse hæretici putant in eo Apocalypsis loco taxari gradum et mitras Episcopales, quasi bicornes, cum potius ibi laudentur; vocantur enim *duo cornua similia agno*, id est duo robora æque ac ornamenta Christi. Non ergo infula Episcopi, sed infulatus Apostata suggillatur, qui perfide hisce cornibus Christi abutetur ad sectam Antichristi propagandam.

§ XLIII.

Deinde, si chirothecæ non sint benedictæ, surgit Consecrator, mitra deposita, et eas benedicit, dicens :

OREMUS.

Omnipotens Creator, qui homini ad imaginem tuam condito manus discretionis insignitas, tanquam organum intelligentiæ, ad recte operandum dedisti; quas servari mundas præcepisti, ut in eis anima digne portaretur, et tua in eis digne consecrarentur mysteria, bene✠dicere et sancti✠ficare dignare manuum hæc

Digitized by Google

tegumenta; ut quicumque ministrorum tuorum sacrorum Pontificum his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis eis munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XLIV.

Et aspergit eas aqua benedicta. Tunc extrahitur Consecrato annulus Pontificalis : deinde sedet Consecrator, et accepta mitra, adjuvantibus assistentibus Episcopis, imponit illas manibus Consecrati, dicens : *Circumda, Domine, manus hujus ministri tui munditia novi hominis, qui de cœlo descendit, ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato Patri cibo potuque gratissimo, impetravit, sic et iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Primum ornamentorum Episcopalium quæ novo Episcopo in sua Ordinatione traduntur, juxta Moguntinum Pontificale ante annos quadringentos scriptum, profecto sunt chirothecæ, in quarum traditione ita inquit Episcopus consecrator : « Immensam clementiam tuam, omnipotens et piissime Deus, humiliter rogamus, » ut manus hujus famuli tui, sicut exterius ob- » ducuntur manicis istis, sic interius aspergan- » tur rore tuæ benedictionis, ut quæcumque per » eas benedicenda vel consecranda sunt, per te » benedicantur et consecrentur. Per eumdem. » Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis recitatis Pontificalis Romani formulis omnino consentit; præscribit nihilominus ut, postquam ipsæ chirothecæ benedictæ sunt et aqua benedicta aspersæ, « imponantur vel per Episcopos » (assistentes), vel per Episcopum (consecrato- » rem), vel per Acolythos manibus Consecrati, » dicente Consecratore : *Circumda, Domine, » etc.*, » ut in Pontificali Romano. Etsi autem plura de chirothecis, quas barbaris temporibus *manicas* appellabant, in Prolegomenis nostris enarrata sint, lubet tamen vetera quædam testimonia referre, quo magis magisque pateat longe ante annum Christi millesimum traditas illas religiose fuisse in Ordinatione novi Episcopi: legimus quippe in antiquo Romano Ordine, dum Electus manicis, id est chirothecis, induitur, hanc dici ab aliis Episcopis Orationem : « Immensam clementiam tuam rogamus, omnipo- » tens et piissime Deus, etc., » ut habetur in mox laudato Moguntino Pontificali. Porro per chirothecas castitatem et munditiam denotari, ut manus et operationes Episcopi sint mundæ et ab omni sorde immunes, docet Guilelmus Durandus in suo *Rationali*, lib. III, cap. II, ubi et alia addit quibus egregie explicari possit ea nostri Pontificalis Oratio superius recitata, *Circumda, Domine, manus hujus ministri, etc.*

§ XLV.

Et statim imponit ei annulum Pontificalem. Tum surgit Consecrator, et accipit Consecratum per manum dexteram, et primus ex assistentibus Episcopis per sinistram, et inthronizant eum, ponendo ipsum ad sedendum in faldistorio, de quo surrexit Consecrator; vel, si id fiat in Ecclesia propria Consecrati, inthronizant eum in sede Episcopali consueta, et Consecrator tradit ei baculum Pastoralem in sinistra.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quanta olim cum pompa rituque religiosissimo novus Antistes in Episcopali sede collocaretur, satis abundeque nobis significant, tum libri Pontificales, tum veteres Græci æque ac Latini scriptores. De eo ritu hunc inquit in modum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis : « Præ» missis omnibus expeditis, Consecrator accipiat » eum per manum dexteram, et unus ex ipsis » Episcopis per sinistram, et inthronizent eum » ponendo in cathedra. » Pontificale Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicanum monasterii Gemeticensis nongentorum et amplius annorum, itemque Caturcense annorum octingentorum, et Pontificale demum monasterii Beccensis ante annos quingentos scriptum, non modo ipsum memorant ritum, verum etiam hanc dici a Consecratore Orationem mandant, dum Consecratus in memoratam cathedram immittitur : « Omnipotens Pater, sancte, Deus » æterne, tu omnem ordinem dignatus es in cœ» lestibus sedibus ordinare : in cœlo, Domine, » in æternum permanet verbum tuum, ubi » Angelos et Archangelos suo tibi ordine man» cipasti, et in veteris Testamenti privilegio » Moysen, et Aaron, et Samuhel, inter eos in » Sacerdotibus tuis qui invocant nomen tuum, » Patriarchas et Prophetas per unguinem ordi» nasti : in novo per filium tuum Jesum Chri» stum Apostolos sanctos, et præcipue apostolum » Petrum in cathedra honoris universæ Ecclesiæ » præposuisti, et Mathiam ejusdem consortem » in Apostolatum, atque cathedram honoris » enumerasti, et in numerum sanctorum om» nium Apostolorum evocasti : quæsumus pro » tua immensa misericordia in nostris tempori» bus, da tuam gratiam Fratri nostro N. ad » instar sanctorum Apostolorum tuorum seden» tium in cathedra honoris, ut conspectui ma» jestatis tuæ dignus honore appareat. Per » eumdem. » Eamdem Orationem legere est in Codice Ratoldi abbatis, ex quo illud egregie deducitur, quod initio Commentarii innuimus moxque fusius ostendemus, in usu olim fuisse ut Episcopus, consecratione perfecta, in sede seu throno Episcopali solemniter collocaretur. Scribit enim Fortunatus lib. I *De Vita sancti Martini :*

« Eligitur, trahitur, sacratur, in arce locatur. »

Ubi nota arcem in eo carmine thronum Episcopalem significare.

II. Qualis vero apud Græcos olim fuerit enthronismi, ut aiunt, Episcopalis ritus, fuse exponit Simeon, episcopus Thessalonicensis, in suo *De sacris Ordinationibus* opere, cap. VIII, ubi ita inquit : « Postea in una templi parte ver» sus prothesin in cathedra Episcopali inthro» nizatur, præparato ibi throno, in figuram » et argumentum enthronismi in Ecclesiam » suam. » Tum addit auctor magnifico cum apparatu ejusmodi enthronismum celebrari antiquitus consuevisse in Ecclesia inthronizandi Antistitis, convocatis per litteras Archiepiscopi, ad hunc enthronismum celebrandum, provinciæ Episcopis. Qui quidem ritus in Ecclesia Latina, præsertim vero apud Gallos, adeo fuit solemnis, ut novus Episcopus ad thronum suum Pontificalem nonnisi in sella aurea et in manibus Episcoporum deportaretur ; teste Eddio in Vita S. Wilfridi Eboracensis archiepiscopi, qui in Francia Ordinationis Episcopalis munus consecutus fuerat. Sic enim ille, cap. XII, inquit : « Ibique statim conventio magna facta est, non » minus quam duodecim Episcoporum Catho» licorum, e quibus unus erat Ægelberthus » episcopus, qui eum propter fidem suam indi» catam, in sella aurea sedentem, more eorum, » sursum elevaverunt, portantes in manibus » soli Episcopi intra Oratoria, nullo alio attin» gente, hymnosque et cantica in choro ca» nentes. » Atque huc respicit forte Gregorius Turonensis, lib. III *Historiæ Francorum*, cap. II, ubi de Ordinatione S. Quintiani in Arvernensem Episcopum ita ait : « Convocatis Pontificibus et » populo, eum in cathedram Arvernæ Ecclesiæ » locaverunt. » Tradit vero Historia Episcoporum Antissiodorensium, cap. XXII, Gerannum episcopum delatum fuisse « humeris Religioso» rum ad aulam primicerii Martyrum Christi » Stephani. » Et cap. L de Heriberto refert, quod « in die Ordinationis suæ, secundum Eccle» siasticam consuetudinem, cathedræ innixus » Episcopali ad sancti Protodiaconi matrem » sedem nobilium humeris deportatus est. » Adimarus in *Chronico* suo, ubi installationem Giraldi episcopi Lemovicensis narrat, inter alia inquit, eum humeris populi fuisse vectum

Digitized by Google

III. Illud quoque addiscere licet ex Ecclesiæ scriptoribus pervetustis, morem fuisse plane antiquissimum ut novus Episcopus in throno positus, lecta sacra Scriptura, sermonem in eam faceret : qui sermo enthronisticus, a tempore et circumstantiis in quibus habitus erat, appellabatur, uti scite observat Joseph Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. II, cap. XI, § X. Talis quippe erat pervagata illa Meletii episcopi Antiocheni homilia ab Epiphanio, *Hæresi* LXXIII, num. XXIX, XXXIII et XXXIV, atque a Sozomeno lib. IV *Historiæ*, cap. XXVIII, commemorata, propter quam a Constantio in exilium e vestigio missus fuit. Socrates quoque, lib. II *Historiæ*, cap. XLIII, ejusmodi homiliarum ab Episcopis in sua inauguratione recitatarum crebram mentionem facit. Et Liberatus, in *Breviario*, cap. XIX, de Severo Antiocheno loquens, expositionem ejus hac occasione factam memorans, « expo» sitionem in enthronismo » nuncupat. Essent et alia hic adnotanda, quæ tamen opportunius in sequioribus Commentariis explicabimus; lubet nihilominus ea hic referre verba, quæ olim scripsit S. Bernardus in Epistola CDXXVIII novæ editionis Venetæ, ita alloquens Lucanum seu Lucensem, uti quidem autumant, Episcopum : « Cathedra, quam accepistis, oneris est, non » honoris; operis, non nominis; virtutum de» nique, non divitiarum. » Vide sis quæ de Episcopali cathedra adnotavimus in Prolegomenis nostris, ubi etiam de baldachino et faldistorio locuti sumus.

§ XLVI.

Deinde versus ad altare Consecrator, deposita mitra, stans incipit, cæteris usque ad finem prosequentibus, *Te Deum laudamus, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Illa quoque universaliter observata fuit in Ecclesia consuetudo, ut non modo post Ordinationem Episcoporum, sed quotiescumque divina aliqua in nos beneficia devenissent, ad tollendum ingrati animi vitium, hymni et gratiarum actiones canerentur. Benedictus XIII non est hic nobis profecto sine elogio memorandus, quippe qui religiose instituit ut postquam, vel pluviam necessariam, vel aeris serenitatem, vel alia beneficia a Deo Optimo Maximo Christianus populus per Sacerdotum Collectas, ut aiunt, in Missa recitatas obtinuisset, iidem postea Sacerdotes in accepti beneficii argumentum ter in sequentium dierum Missis pro gratiarum actione Orationem dicerent. Quanquam autem sacri hymni et cantica post Ordinationem Episcoporum, dum in solio Episcopali collocarentur, cani passim in Ecclesiis consueverint, mos tamen fuit ut potissimum hymnus, qui incipit *Te Deum laudamus*, decantaretur. Memorat eum ritum in *Chronico* suo Adimarus, ubi refert installationem Giraldi episcopi Lemovicensis: « Primo, » inquit, ad Sanctum Martialem venerunt si» mul, et recepti sunt a Monachis, inde Mona» chi duxerunt eum cum antiphonis ad Eccle» siam Cairohensem : ibi in cathedra sedet, et » humeris populi vectus, Canonicis antiphonas » concinentibus : textum Evangelii a Grimoardo » legendum sumpsit; et ita legens, et assidue » dextra benedicens, ad ostium Basilicæ Sancti » Stephani sedens cum gloria deductus est. Gri» moardus tradidit ei portas Ecclesiæ, Arnaldus » cordas signorum, et ambo in sede Sancti Mar» tialis inthronizaverunt eum ; et alta voce *Te* » *Deum laudamus* Arnaldus episcopus into» nuit : Episcopum sedentem osculati sunt » omnes. » Ita in suo *Chronico* Adimarus, ex cujus narratione non modo constat hymnum, *Te Deum laudamus*, post Episcopi Ordinationem in Pontificali throno positi, decantatum fuisse, verum etiam et alii ritus deducuntur, nempe novum Episcopum humeris populi vectum, Canonicis antiphonas concinentibus; textum ipsi Evangelii traditum legendum sumpsisse, et tandem, ut alia omittam, Episcopalem benedictionem omnibus impertiisse, dum scilicet in eo Pontificali throno sedens cum religiosa pompa deduceretur.

II. Plura hic possem afferre veterum testimonia in comprobationem ejus ritus canendi hymnum *Te Deum laudamus,* ubi Episcopus jam ordinatus in Episcopali solio collocatur; sed

Digitized by Google

memoratæ Adimari narrationi satis erit adjungere id quod, inter alios libros Pontificales, Lugdunensis præscribit; sic enim inquit : « Præ» missis omnibus expeditis, Consecrator accipiat » eum per manum dexteram, et unus ex ipsis » Episcopis per sinistram, et inthronizent eum » ponendo in cathedra. Tunc Consecrator stans » ante cathedram incipiat excelsa voce *Te* » *Deum laudamus.* » Illud quoque aperte constat, in electione S. Godefridi Ambianensis, S. Anselmi Cantuariensis, et in pluribus Episcoporum institutionibus, hymnum istum, *Te Deum laudamus,* fuisse olim solemniter decantatum, uti videre est apud Surium VIII novembris in Vita memorati S. Godefridi, lib. I, c. III, et apud Malmesbur. *De Gestis Pontificum Anglicanorum,* lib. I. Quod profecto nequaquam mirum videri debet, cum, ut supra dictum est, ex veteri consuetudine ob divina aliqua beneficia, hymnos et gratiarum actiones pie religioseque Deo canere Ecclesia consueverit; cumque Sacerdotium omnium quæ a Dei liberalitate proveniunt, maximum et divinissimum, sive, ut in oratione I S. Gregorius Nazianzenus loquitur, « omnium, quæ apud nos sunt, maxi» mum et præstantissimum beneficium » esse, nemo audeat inficiari; jure profecto ac merito institutum est ut, pro insigni accepti Episcopatus beneficio ad gratias Deo agendas, hymnus *Te Deum laudamus* solemniter decantetur.

III. Hunc hymnum nonnulli, ex quodam Idatii Mediolanensis episcopi *Chronico,* S. Ambrosio et S. Augustino tribuunt, ab eisque docent fuisse compositum, cum nempe Augustinus ipse baptizaretur. Abbo Floriacensis monachus S. Hilario adscribit; quidam manuscripti libri S. Abundio, cujus nullibi alias mentio habetur. In Breviario manuscripto Montis-Casini anni millesimi octogesimi sexti *Hymnus Sisebuti monachi Benedictini* vocatur. Verum auctor iste æque ac alter ignotus est. Quibusdam in libris Niceti nomen præfert, neque explicatur num episcopus Lugdunensis vel Trevirensis fuerit. Tradit hoc quidem J. Grancolas in *Commentario historico in Breviarium Romanum,* c. XXXIII, ubi etiam observat primum illius hymni meminisse S. Benedictum in sua Regula, Ferredium, S. Cæsarii Arelatensis discipulum, et alios complures. Sed hæc obiter a nobis dicta sint.

§ XLVII.

Incepto hymno, Consecratus ducitur ab assistentibus Episcopis cum mitris per Ecclesiam, et omnibus benedicit, Consecratore interim apud altare sine mitra stante in eodem loco. Cum vero Consecratus reversus fuerit ad sedem suam seu faldistorium, iterum sedet, quousque finiatur hymnus prædictus, Assistentes deponunt mitras, et stant apud Consecratorem.

COMMENTARIUS.

I. Deduci novum Episcopum humeris populi vectum, in solio Episcopali sedentem omnibusque benedicentem, Canonicis antiphonas canentibus, sat nobis in *Chronico* suo Adimarus significavit, cujus verba jam in Commentario superiori descripsimus. Simeon Thessalonicensis ritum priscum apud Græcos olim servari solitum enthronismi Episcopalis enarrans, capite VIII operis sui, *De sacris Ordinationibus,* ita inquit de benedictione Episcopali quam novus Antistes, in sede Pontificali positus, omnibus ad eum venientibus impertiri solitus erat: « Populus autem accedens, atque etiam Clerici » sacrati osculantur Ordinati manum, et benedi» cuntur qui cum fide concurrunt. » Cujus ritus hanc rationem statim subjiciens, hæc habet : « Cum enim sit recens ordinatus, totus est » purgatus et illuminatus, gratiaque in hac » nova consecratione abundantius ab iis suppe» ditatur qui eam superne acceperunt. » Mox addit neque etiam tunc eum benedicere prohiberi, licet alterius sit urbis Episcopus, cum hujus rei ut recens ordinatus potestatem habeat, benedictionem nempe per illum solum diem impertiendi. Quo quidem die, uti laudatus Thessalonicensis refert, postquam ab altari re-

Digitized by Google

cesserat, equo insidens, gyrabat urbem, satellitum armatorum corona cinctus, crucisque signo signabat omnes, urbemque sanctificabat; ut nempe ostenderet divinam gratiam, qua per novam consecrationem donatus fuerat, se aliis communicare, et sanctificationem benedictione largiri. Describit mox auctor et alium ritum accessus Episcopi ad imperatorem, ut ipsi quoque bene precaretur. Augustinus Barbosa, parte I *De officio et potestate Episcopi*, tit. I, cap. V, numero XXII, hoc unum ea de re inquit, duci per templum novum Antistitem, ut omnibus innotescat; de benedictione vero, nec verbum ullum. Tu vide quæ nos infra dicemus.

§ XLVIII.

Finito hymno, Consecrator stans sine mitra apud sedem seu faldistorium a parte dextera Consecrati, dicit, vel, si officium cantatur, incipit, Schola prosequente, antiphonam tono VI : *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua; justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto : Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Et repetitur tota antiphona : qua finita, Consecrator dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, hunc famulum tuum, quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice : da ei, quæsumus, verbo et exemplo quibus præest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Videtur is plane ritus, quem modo descripsimus, vix quadringentorum annorum ætatem superare; non enim in aliis, nisi in Vaticano et Lugdunensi manuscriptis Pontificalibus recensetur his verbis : « Finito hymno *Te Deum*, » statim (Consecrator) inchoat ibidem, Schola » prosequente, antiphonam, *Firmetur, etc. Glo-* » *ria Patri, etc.* Et repetatur tota antiphona; » qua finita Consecrator stans ante altare, dicat : » *Domine, exaudi orationem meam. Dominus* » *vobiscum. Oremus. Deus, omnium fidelium* » *pastor, etc.*, ut in Romano Pontificali. » Ea Oratione, quam hodie pro Papa in quibusdam Missis ad Postcommunionem recitare solemus, commendatur novus Antistes summo Pastori et Rectori omnium Deo, ut quem Ecclesiæ suæ præesse voluit, propitius respiciat, det illi verbo et exemplo quibus præest proficere, et ad vitam una cum grege sibi credito sempiternam pervenire. « Quantumlibet enim, » ut verbis utar S. Joannis Chrysostomi, Homilia I in Epistolam Pauli ad Titum, « fuerit peritus gubernandi, » nisi inter hujuscemodi gubernacula gratiam » habeat, et pacem quæ a Deo est, et navi- » culam simul, et navigantes procella involvet » mergetque profundo. » Hunc sane spectare videtur ea prolixa Oratio quæ exstat in Rituali Græcorum, ubi Pontifex consecrator hoc pacto precari solet pro Episcopo consecrato : « Do- » mine Deus noster, qui, humana natura dei- » tatis tuæ præsentiam nullatenus ferente, tua » dispensatione doctores simili nobiscum ra- » tione passibiles, thronum tuum obtinentes, » hostiam et oblationem pro cuncto populo tuo » sacrificaturos constituisti : tu, Domine, etiam » hunc Pontificalis gratiæ dispensatorem renun- » tiatum tui veri Pastoris imitatorem, animam » pro tuis ovibus ponentem, cæcorum ducem, » in tenebris lucem, insipientium præceptorem, » infantium doctorem, in mundo luminare ef-

Digitized by Google

» fice ; ut animas sibi creditas reparans, tribu-
» nali tuo inconfuse in præsenti vita adstet, et
» magnam mercedem pro Evangelii tui prædi-
» catione decertaturus, a te præparatam repor-
» tet. Tuum enim est misereri et salvare, Deus. »

§ XLIX.

His dictis, Consecrator detecto capite manet ad cornu Evangelii altaris, apud quem assistentes stant sine mitris. Consecratus vero surgit, et accedens cum mitra et baculo pastorali ante medium altaris, versus ad illud, signans se cum pollice dexteræ manus ante pectus, dicit : *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc et usque in sæculum.* Deinde faciens signum crucis a fronte ad pectus dicit : *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* Tum elevans ac jungens manus, et caput inclinans, dicit : *Benedicat vos omnipotens Deus.* Et cum dixerit, *Deus,* vertit se ad populum, et tertio super eum signans benedicit, dicens : *Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠ sanctus.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quanquam post impositam consecrando Episcopo manum sæpius ipse a Consecrato suo benedicatur, ut suis locis ostensum est, hæc nihilominus eidem Episcopo, postquam consecratus fuit, honoris prærogativa tribuitur, ut stante detecto capite Consecratore una cum suis collegis Episcopis, extra etiam proprium territorium, sive diœcesim, ordinatus novus Antistes solemnem benedictionem populo impertiatur. Hunc profecto ritum, de quo alias nonnulla dicta sunt in Commentario ad § XLVII, ita describit Pontificale Vaticanum et Lugdunense : « Ipse Consecratus stans benedicat solemniter » Clerum et populum, dicens alta voce : ℣. *Sit* » *nomen Domini benedictum.* Et hoc dicens, » ducat signum crucis cum pollice dextræ ma- » nus juxta pectus suum : ℟. *Ex hoc nunc et* » *usque in sæculum.* ℣. *Adjutorium nostrum in* » *nomine Domini.* Et hoc dicens, format signum » crucis cum duobus digitis ante faciem suam. » ℟, *Qui fecit cœlum et terram.* Tunc Episcopus » dicat : *Benedicat vos omnipotens Deus,* » *Pater* ✠, *et Filius* ✠, *et Spiritus sanctus* ✠. » Et hæc dicens, benedicat populum ex omni » parte. ℟. *Amen.* » Solemnem hanc benedictionem non in medio altaris positus, ut præscribit Rubrica nostri Romani Pontificalis, sed stans in cathedra Episcopali, novus Episcopus populo dabat juxta regulam laudati Pontificalis Ecclesiæ Lugdunensis. Ne quis autem novum id esse præceptum autumet, ut novus Præsul, invocatis divinis sanctissimæ Trinitatis Personis, statim post Ordinationem suam populo benedicat, Apostolicæ Constitutiones idipsum jam a primævis Christianæ Religionis exordiis constituerunt ; sic enim lib. VIII, cap. V, de consecrato Episcopo et in Episcopali sede collocato inquiunt: « Ordinatus salutet Ecclesiam iis verbis : *Gra-* » *tia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei* » *Patris, et communicatio Spiritus sancti sit* » *cum omnibus vobis. Amen.* Et omnes respon- » deant : *Et cum spiritu tuo.* »

II. Apud Latinos propria est profecto solemnis Episcopi benedictio, quæ sub ea concipitur formula : *Sit nomen Domini benedictum.* Meminit quippe illius inter alios priscus auctor Guilelmus Durandus, lib. V sui *Rationalis*, cap. LIX, ubi etiam tradit Episcopum benedicentem tenere manum more Aaron super populum elevatam, et exemplo Christi qui, ut habetur Actorum cap. I, ascensurus in cœlum, elevatis manibus discipulis suis benedictionem impertiit Manu vero dextera ideo Episcopus benedicens, crucis signum effingit, quia honorabilior existimatur quam sinistra. Manu item plena ipsum signum crucis in benedictione formari solet, hoc est quinque digitis, ad quinque vulnera Christi significanda, uti observat Stephanus Duranti, lib. II *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XLVI. Tribus nonnulli olim cruces digitis exprimebant, quia, auctore Innocentio III, lib. II *Mysteriorum Missæ*, cap. XLV, sub invocatione

Digitized by Google

Trinitatis ipsæ cruces effingebantur. Quidam denique duobus conjunctis digitis cruces formabant, ut indicarent duas in una persona Christi naturas, adversus Monophysitas qui, ut unam in Christo docerent naturam, uno digito crucem soliti erant exprimere. Porro inter ea quæ sunt magis ordinis Episcopalis quam jurisdictionis censeri et jus solemnis benedictionis, quod Episcopus in sua consecratione accipit, inter alios tradit Dadinus Altaserra lib. II *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. VIII. De benedictione Episcopali vide plura apud Cajetanum Mariam Merati.

§ L.

Tum Consecrator accipit mitram, stans in cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ; apud quem etiam stant Assistentes cum mitris; Consecratus vero accedit ad cornu Epistolæ altaris; et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Consecratorem, dicit cantando : *Ad multos annos*. Deinde accedens ante medium altaris, ubi iterum ut prius genuflexus, dicit altius cantando : *Ad multos annos*. Postea accedit ad pedes Consecratoris, ubi tertio genuflexus, ut supra, iterum altius cantando dicit : *Ad multos annos*.

COMMENTARIUS.

I. De antiquo acclamationum ritu in Conciliis fieri solito fuse a nobis jam dictum fuit nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. XXXI. Factam etiam olim solemnem acclamationem in Episcoporum electionibus, plurima passim exempla docent, ut apud Phylostorgium lib. IX, cap. X, et in Actis Ordinationis Eradii quæ inter Epistolas S. Augustini exstant, ubi eædem acclamationes hunc in modum leguntur : « A populo acclamatum est trigesies sexies. *Deo* » *gratias; Christo laudes; Exaudi, Christe;* » *Augustino vita,* dictum est tredecies. *Te Pa-* » *trem; Te Episcopum*, dictum est octies. » *Dignum et justum est*, dictum est vicies. *Bene* » *meritus, Bene dignus,* dictum est quinquies. » Et infra : *Exaudi, Christe; Eradium conser-* » *va,* dictum est octies. » Simeon Thessalonicensis, in opere *De sacris Ordinationibus*, cap. VIII, de enthronismo Episcopali agens, diserte ait ter in throno a Presbyteris novum Episcopum collocari, exclamantibus : « Dignus. » Rituale Græcorum ritum Ordinationis Episcopi enarrans, hoc unum inquit, « solita acclama- » tione terminata. » Episcopos simul cum recens consecrato Episcopo thronum Episcopalem conscendere. Sane ritus ex hoc nostro Romano Pontificali descriptus, quem cæteroqui minime reperi in antiquis Pontificalibus libris, vel in eo a veteri more differt, quod ibi non a recens Consecrato Consecratori polychronium illud, *Ad multos annos*, accinatur, cum alias antiquitus, ut ex Augustino liquet in laudatis gestis Eradii, utrique a præsentibus acclamaretur.

II. Non esse opinor ab hoc loco alienum ea subjicere quæ antiquitus Constantinopolitano Patriarchæ primum renuntiato acclamari solebant. Rem ita narrat Georgius Codinus in lib. *De Officiis aulæ et Ecclesiæ Constantinopolitanæ* : « Reperto intra septum Patriarchali » sceptro, imperator ministerio nobilis adoles- » centis ex iis qui sine pileo in aula obambulant, » accipit illud, stansque magna voce ita fatur : » *Sancta Trinitas per imperium ab ipsa nobis* » *concessum constituit te Archiepiscopum Con-* » *stantinopoleos novæ Romæ, et œcumenicum* » *Patriarcham.* Moxque universi *Multos annos* » acclamant. » Georgius Phranza in *Chronico*, lib. III, cap. XIX, ait choros psallere et acclamare consuevisse, *Ad multos annos;* idque, *tertio*. In Consecratione summi Pontificis id observari docet Marcellus Corcyrensis episcopus lib. I *Sacrarum Cæremoniarum*, sectione II, cap. I, II et III, ut non solum in Summum Pontificem coronato, vel in Episcopum consecrato, sed etiam in Presbyterum ordinato, memorata formula, *Multos annos*, consecrator vel ordinator Episcopus adprecari soleat. Puto ritum in nostra hac Rubrica descriptum vix attingere

Digitized by Google

annos tercentum, non enim alibi memini me ipsum legisse quam in editis solum Romanis Pontificalibus ante annos ducentos. Cæterum de illa acclamatione, *Ad multos annos*, videri potest vir clarissimus Franciscus Bernardinus Ferrarius, *De veterum Acclamationibus* lib. VII, cap. III, ubi eleganter exponit quæ antiquitus fuerint acclamationum formulæ in Episcopi Electione aut Ordinatione emitti solitæ. Vide quæ de ipsa acclamatione dicemus infra in tit. *De Benedictione Abbatis.*

§ LI.

Tum Consecrator recipit eum surgentem ad osculum pacis, et similiter faciunt assistentes Episcopi: qui Consecratum cum mitra et baculo pastorali incedentem, et Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum, etc.*, dicentem, post reverentiam Cruci super altare factam, inter se medium ducentes, ad suam Capellam revertuntur ad se exuendum sacris vestibus, et interim dicit antiphonam *Trium puerorum* et canticum *Benedicite, etc.* Consecrator vero pacis osculo, ut præmittitur, Consecrato dato, dicit submissa voce, *Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum, etc.* Signat altare et se, et facta similiter Cruci reverentia, apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes, interim etiam dicens antiphonam *Trium puerorum* et canticum *Benedicite, etc.* Quibus depositis, Consecratus Consecratori et Assistentibus suis pro more gratias agit, et vadunt in pace omnes.

COMMENTARIUS.

I. Quum de osculo pacis in sacra Ordinatione Episcopis dari solito alibi dictum sit, ne actum agere hic iterum videamur, ad eam recitatæ Rubricæ partem descendimus, ubi præscriptum est ut, dicto demum in fine Missæ Evangelio S. Joannis: *In principio erat Verbum, etc.*, novus Episcopus sacris se vestibus exuens, hymnum Trium puerorum recitet, actisque Consecratori ac Assistentibus suis gratiis, ad propria revertatur. Vetus siquidem fuit Ecclesiæ consuetudo ut peracto Sacrificio memoratus hymnus ab Episcopis recitaretur; ejusque moris diserte meminit Missa codicis Tiliani apud Hugonem Menardum in *Appendice ad Sacramentarium S. Gregorii*: « Expletis omnibus, » inquit, Episcopus rediens ad sacrarium cum » Diaconibus et cæteris cantet hymnum Trium » puerorum. » Idem fere ait antiqua Missa, quam anno Domini 1557 Mattyas Flaccus Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium princeps ex veteri codice vulgavit, cum hoc titulo: *Missa Latina, quæ olim ante Romanam, circa septingentesimum Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque codice descripta.* Vide quæ de hac Missa scribit amicus noster Cajetanus Merati in Additionibus et Observationibus ad Gavantum, tomo I, parte I, pag. 63 et seq.

II. Guilelmus Durandus ritum nobis enarrat, qui servari olim solitus fuit a novo Episcopo post absolutam suæ Episcopalis Ordinationis Missam. Ait itaque in suo *Rationali*, lib. II, cap. VIII, Episcopos in die suæ Ordinationis equis albis pannis coopertis insidentes in publicum procedere consuevisse, repræsentantes illud quod in Apocalypsi legitur, cap. XIX: *Exercitus qui sunt in cœlo sequuntur illum in equis albis.* Ejusdem ritus meminit Pontificale Moguntinum ante annos quadringentos scriptum, præcipitque ut, post completam Missam et depositionem sacrarum vestium, « ipse Consecratus » indutus albis vestibus de serico, equo suo » superducto de eodem, ad hospitium suum cum » tali solemnitate et habitu honorifice reverr» tatur. » Simeon Thessalonicensis *De sacris Ordinationibus* cap. VIII, ritum enthronismi Episcopalis enarrans, inter alia ait novum Episcopum, postquam ab altari recessit, id est post

Digitized by Google

absolutam suam consecrationem, equo insidentem gyrare urbem satellitum armatorum corona cinctum, crucisque signo omnes sibi occurrentes benedicentem. Porro equo albo, albis indutum vestibus novum Antistitem puto vectum fuisse, ut cæteris se eminere significaret, et innocentiæ ac vitæ candoris admoneretur. In Ordine antiquo Romano is profecto ritus describitur, ut unumquemque ordinatum Sacerdotem equo albo insidentem triginta candelabra cum thuribulis præcederent, præcedensque ac subsequens populus, itemque Diaconissæ atque Presbyterissæ quæ eodem die benedictæ erant, laudem ei canerent, ut vel Davidis triumphum, cui mulieres ob devictum Goliath pæana canebant, uti habetur lib. I *Regum*, cap. XVIII, vel Christi Hierosolymam cum puerorum exultatione et cantu ingredientis speciem repræsentarent. Candelabra cum thuribulis ipsum autumo Sacerdotem docuisse, ut se esse lucem mundi et Christi bonum odorem in omni loco recordaretur. Ubi autem per vias velis ac pannis egregie ornatas memoratus Sacerdos domum deductus fuerat ab ingenti populi gestientis multitudine, Clerum ipse vicissim et populum convivio excipiebat.

III. Notatu insuper dignus est alius ritus, quem Bisuntinæ Ecclesiæ Pontificale ante annos sexcentos scriptum, de recens ordinato Episcopo nobis significat. Præscribit etenim ut, postquam novus Episcopus Missam finierit, una cum aliis Episcopis qui consecrationi ejus interfuerant, a Cancellario ex parte Archiepiscopi ad mensam invitetur; ubi autem omnes sedissent, diceret Cancellarius : « Jube Domne benedicere ; » et data benedictione, sermonem ad novum Episcopum hoc modo legeret : « Ad » te hodie, Consecrate Episcope, ex parte domni » Archiepiscopi mihi est sermo : dum, ut cre» dimus, te divino nutu vocante, Clerus et po» pulus civitatis N. una cum subjectis paro» chiis, etc., » uti videre est apud Martenium *De antiquis Ecclesiæ Ritibus* lib. I, c. VIII, art. VI, pag. 420 et seq., et in aliis bene multis manuscriptis Pontificalibus, imo in Ordine antiquo Romano, qui illum sermonem describit, edictumque appellat, quod Pontifex consecrator consecrato Episcopo dabat. Constat etiam, ex Romano Pontificali Lugduni edito anno 1542, ipsum edictum traditum olim fuisse a Metropolitano consecratore Episcopo consecrato, in ejusque fine post illam Evangelii sententiam : *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui*, hujusmodi additamentum legimus : « Quod ipse tibi præstare dignetur, » qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et re» gnat in sæcula sæculorum. » Tandem quod finita novi Episcopi consecratione solitus fuerit Pontifex ordinator ad ipsum consecratum Episcopum sermonem habere, liquet ex Epistola IX Urbani Papæ II ad Richerium Senonensem archiepiscopum, cui subjicit orationem quam habuit ad Ivonem, quem in locum Gaufridi episcopi depositi in Episcopum Carnotensem consecrarat. Series autem memoratæ orationis a Pontifice habitæ hæc fuit.

IV. « Quoniam, ut credimus, divino te nutu vocante, Clerus et populus civitatis illius unanimiter elegerunt rectorem, et nos usque perducentes petierunt consecrari Episcopum, et ideo, Deo annuente, per manus nostræ impositionem Episcopus consecratus es, amodo, frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis deservire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum, et pro credito tibi talento in die divini examinis rationem redditurum. Nam si Salvator noster dixit : *Non veni ministrari, sed ministrare, et animam suam posuit pro ovibus suis*, quanto magis nos desidiosi servi Summi Patris-familias debemus maximo sudore incumbere oves Dominicas nobis a Summo Pastore consignatas ad ovile Dominicum, suffragante divina gratia, absque morbo et macula perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, ut fidem, quam in exordio tuæ consecrationis breviter dilucideque digessimus, illibatam et inviolabilem custodias, quia fides est fundamentum omnium virtutum. Scimus autem quod ab infantia sacris es litteris eruditus, et canonum institutis edoctus; attamen breviter ad te noster dirigendus est sermo. Nullus te favor extollat, nulla adversitas atterat, id est, non in prosperis cor tuum elevetur, nec in adversis in aliquo dejiciatur, sed omnia et in omnibus caute et cum discretione agere te volumus, ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione custodiat, dum tali

Digitized by Google

moderamine in Domino nostro onus quod suscepisti peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis : *Euge serve bone, et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* » Ita ille, cujus hæc oratio legi potest apud Labbeum, tomo XII *Conciliorum*, pag. 722 ultimæ editionis Venetæ.

§ LII.

Quando Electus in Patriarcham vel Archiepiscopum consecratur, forma præmissa in omnibus observatur, sed per hujusmodi consecrationem non assumit sibi nomen Patriarchæ vel Archiepiscopi, quod per traditionem Pallii duntaxat sibi attribuitur, usque ad quam dicitur Electus etiam post consecrationem prædictam, prout infra dicetur; Electus vero in Episcopum, cum primum consecratus est, Episcopus vocatur, non Electus.

COMMENTARIUS.

I. Triplex fuit olim Metropolitanorum ordinandorum ratio; vel enim a propria Synodo Episcoporum provinciæ, vel a Metropolitanis finitimis, vel a Primate aut Patriarcha soliti erant constitui et consecrari : fuse id quidem demonstrat variis Canonum et Patrum locis, exemplisque ex historia Ecclesiastica petitis confirmat doctissimus Hallierius *De sacris Ordinationibus*, a pagina 714 usque ad paginam 723, et post eum vir clarissimus Thomassinus in sua *vetere et nova Ecclesiæ Disciplina*. Quod vero ad Patriarchas attinet, consueverunt ii quidem a Synodo propria suæ provinciæ, et maxime a Metropolitanis sibi subditis ordinari, uti iidem auctores testantur. Non addubitamus nos tamen quin Romanus Pontifex Maximus, non modo tanquam Archiepiscopus seu Metropolitanus Romanæ provinciæ, tanquam Italiæ et regionum adjacentium Primas, et tanquam Patriarcha totius Occidentis, immediate consecraverit suæ provinciæ Episcopos, Metropolitas et Primates sui Patriarchatus; verum etiam tanquam supremus omnium Episcoporum Episcopus multum potuerit in consecratione Patriarcharum. Quod adeo certum est, ut, quemadmodum docet vir clarissimus Christianus Lupus, tomo VIII novæ editionis Venetæ, *de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*, cap. XII, « semper debuerint a Romano Pontifice conse- » crationis et dignitatis suæ confirmationem » supplicare, et ante ipsam legitime non po- » tuerint sedere. » An autem ipsi Patriarchæ una cum ea confirmatione Pallium simul postulaverint, acceperintve ab ipso Romano Pontifice, inferius suo loco dicemus, initio tituli sequentis, *De Pallio*.

II. Illud hic adnotandum omnino est, ante consecrationem non dici Episcopum, sed Electum, ut passim docent canonici juris consulti ex textu in cap. *Tam litteris*, Extra. *De testibus :* itemque ex textu in cap. *Tua nuper*, ibi, *Episcopo vel Electo*, Extra. *De his quæ fiunt a Prælatis absque consensu Capituli;* ubi inter alios Abbas Panormitanus, num. II, notat id locum habere non modo in canonice electis, verum etam in iis quos Papa pronuntiavit Episcopos; quia ante consecrationem vocantur Electi. Unde docet Glossa canonici juris in Clementina I *De pœnis*, ea Constitutione, qua puniuntur qui in Episcopum violentas manus injecerint, non comprehendi Episcopos electos. Et licet Romanus Pontifex, dum Episcopis rescribit, fratres, alios vero filios appellet, dum tamen Episcopo electo rescribit, filium vocat, non fratrem; uti ex cap. *Nosti*, *De electione*, et ex cap. *Quam grave*, *De crimine falsi*, nec non ex stylo Curiæ Romanæ constat. Nequit denique aliquis in Archiepiscopum vel Patriarcham consecratus, eo nomine ante Pallii susceptionem appellari, et multo minus ea quæ sunt Ordinis exercere, uti docet Innocentius III, lib. I *Mysteriorum Missæ*, capite LXIII, sic inquiens : « Dicitur autem Pal- » lium plenitudo Pontificalis officii, quoniam » cum ipso et in ipso confertur Pontificalis of- » ficii plenitudo. Nam antequam Metropoli- » tanus Pallio decoretur, non debet Clericos

Digitized by Google

» ordinare, Pontifices consecrare, vel ecclesias » dedicare, nec Archiepiscopus appellari. » Quod dicitur hic, in Pallio contineri plenitudinem Pontificalis officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione, id nequaquam hoc sensu accipiendum est, quasi ipsum Pallium aliquam revera Ordinis potestatem ipsi Consecrato tribuat, cum sit merum externum ornamentum, sed quod ante illius receptionem, ex jure mere positivo, seu consuetudine jam recepta, Metropolitani, nec suas functiones obire, nec nomen Archiepiscopi assumere queant, uti passim docent canonici juris consulti. Id quod nos infra fusius explicabimus, una cum origine ejus disciplinæ, quonam scilicet primum tempore invaluerit.

III. Si quis autem interroget cur non possit Archiepiscopus sine Pallio ea perficere quæ perficiunt Episcopi Pallio nec donati unquam, nec donandi, et quæ ante inflictam accipiendi Pallii necessitatem summa omnes cum libertate perficiebant, respondet Innocentius III, relatus in cap. XXVIII *De electione*, quod quanquam Archiepiscopo communia sint quædam cum Episcopis officia, ea tamen ab illo cum eximia quadam et singulari prærogativa geri debent : « cum id non tanquam simplex Episcopus, sed » tanquam Archiepiscopus facere videatur. » Subdit Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVII, num. IX, dicere iis verbis voluisse Innocentium, non posse unquam Archiepiscopos non resplendere gloria et majestate quæ eorum ordini adnata est, et quæ ipsos mirifice evehit supra Episcopos cæteros, etiam tum dum Episcopalibus funguntur muneribus ; sicut et Presbyterorum functiones non exercent Episcopi, nisi cum iis prærogativis quæ eorum supra Presbyteros eminentiam produnt. Dici præterea potest ideo Archiepiscopum ante acceptum Pallium Pontificalia exercere munia nequisse, quia nimirum Pallium ejus et electionis et consecrationis veluti sigillum quoddam et confirmatio reputabatur. Unde S. Gregorius Magnus lib. IV, Epistola VII, de Episcopo Primæ Justinianæ inquit : « Ratam nos ejus consecrationem » habere, dirigentes Pallium, indicamus. » Licet autem electus in Episcopum cum primum consecratus est, et Episcopus vocetur, et Pontificales functiones obire possit, nequit tamen in die Ordinationis suæ, antequam Missarum solemnia finiantur, aliquos ordinare, cum solus Romanus Pontifex, qui ante hymnum Angelicum consecratur et postmodum ipse Missarum solemnia incipit, et perficit consecratus, in die consecrationis suæ valeat Ordines celebrare, uti ibidem Innocentius docet : addens præterea cæteros qui inter Epistolam et Evangelium consecrantur, quia Consecratori concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur mysterium unitatis, nequaquam debere tunc Ordines conferre. Quid autem si Ordines conferat ? Valide ipsos conferri docet Marchinus, *De sacramento Ordinis*, tractatu I, lib. I, cap. II. Legimus sane aliquando inter Missarum solemnia consecrationis Episcopalis Ordines fuisse collatos. De S. Anono Coloniensi præsule refert auctor ejus Vitæ apud Surium die IV decembris, eodem die quo ordinatus fuit Episcopus Missæ sacrificium et Ordines celebrasse. Idem de Joanne Constantiensi præsule refert Walfridus Strabo in Vita S. Galli abbatis, lib. I, cap. XXXIV, et Surius die XVI octobris : exstantque litteræ Basilii patriarchæ Bulgarorum ad memoratum Innocentium III, in quibus ait eodem die quo inauguratus est se duos unxisse Metropolitanos et alios Episcopos.

IV. Sed ut e diverticulo ad viam redeamus, nullibi certe jucundius potest quam hic enarrari celebris illa facti species, quæ partim refertur in cap. III *De auctoritate et usu Pallii ;* partim vero in cap. III et IV *De officio Legati*. Res ita se habet : Mortuo Bartholomæo Panormitanæ Ecclesiæ præsule anno Christi 1201, Gualterius de Polena seu de Palleariis, ex Henrici imperatoris genere ortus, magnus Siciliæ cancellarius, Trojanus primum in Apulia Episcopus, postea Catinensis electus; antequam ipsi Catinensi Ecclesiæ præficeretur, a Cencio titulo Sancti Laurentii cardinale presbytero et Apostolicæ Sedis legato, ad Panormitanam Ecclesiam translatus fuit. Sed cum hoc Legati factum Innocentio III, Pontifici Maximo, displiceret, animi dolorem acribus et reprehensionis plenis litteris ipsi Cencio significavit, sic inquiens : « Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus et habemus, justum motum animi » nostri temperaret, pœna docente cognosceres » quantum excesseris, etc., » ut in cap. III *De officio Legati*. Cum autem ipse Gualterius se Archiepiscopum Panormitanum cognominasset,

Digitized by Google

antequam Innocentius illum transferret eique Pallium concederet, idcirco statim ea verba subjecit quæ habentur in cap. III *De auctoritate et usu Pallii :* « Sane si postulatio venerabilis » fratris Trojanensis Episcopi, regni Siciliæ can- » cellarii, ad Panormitanam Ecclesiam fuisset » per nos etiam approbata, non tamen deberet » se Archiepiscopum appellare, priusquam a » nobis Pallium suscepisset, in quo Pontificalis » officii plenitudo cum Archiepiscopalis nomi- » nis appellatione confertur. »

V. Hinc ergo satis liquet quod in nostra Rubrica habetur, per consecrationem non assumere aliquem sibi nomen Patriarchæ vel Archiepiscopi, quia scilicet nonnisi per Pallii traditionem eo nomine vocari potest. Cæterum, ut cœptam historiam terminemus, cum postea Cencius cardinalis excusationem proposuisset, asserens putasse se ut Legatum Sedis Apostolicæ memoratum Gualterium transferre, ne honoris jacturam pateretur, Innocentium enixe rogavit ut prædictæ translationis auctor fieret eam confirmando, cui ita rescripsit in cap. IV *De officio Legati :* « Quod translationem Pontificis » de Trojano Episcopatu ad Panormitanam Me- » tropolim a te factam volumus ratam habere, » zelus utique non amaritudinis, sed rectitudinis » nos induxit, etc. » Rem latius prosequitur Rocchus Pirro, tomo I *Historiæ sacræ*, in Ecclesia Panormitana, anno 1201, et Emmanuel Gonzalez in dicto cap. IV *De officio Legati.*

§ LIII.

In anniversario Consecrationis Episcopi dicitur Missa ut in Missali Romano.

COMMENTARIUS.

I. Quemlibet Episcopum consecrationis suæ diem anniversarium sua antiquitus in Ecclesia recoluisse, satis testantur complures antiquorum SS. Patrum sermones in hoc habiti, natali Episcoporum die annis singulis recurrente. S. Augustinus, qui duas in die Ordinationis suæ homilias habuit ad populum Hipponensem, in priori quidem, quæ est homilia vigesima quarta inter quinquaginta, docet nos eum a se celebrari diem quasi cum primum ei gravissima Episcopatus sarcina imponeretur : « Die quidem » omni, inquit, et omni hora, et cura omnino » continua cogitare debet Episcopus quantæ » dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa » rationem Domino suo reddat. Verum cum » dies anniversarius nostræ Ordinationis exori- » tur, tunc maxime honor hujus officii tanquam » primum imponatur, attenditur. Interest au- » tem quod eo die quo id prius suscepimus, » tantum quemadmodum gerendum esset co- » gitamus. At vero consequentibus diebus, » præcipueque illo quo solemnitas agitur, non » solum futura ejus, quemadmodum deinceps » geri debeant cauta prævisione consulimus, » verum etiam præterita, quemadmodum gesta » sunt sollicita recordatione recolimus. » Eum itaque diem celebrabat Præsul sanctissimus, animoque replicabat gesta hactenus sui Episcopatus omnia, et in futurum meditabatur quo expiari possent commissa præterita, et præcaveri futura. Utinam ipsam homiliam integram serio et attente legerent sacri Antistites, et officii suscepti magnitudinem, suique ac populi muneris partes ex iis Augustini verbis in fine ejusdem homiliæ addiscerent : « Ad summum » omnes obsecro, commendate vos Domino cu- » ram pro vobis meam; hanc enim juste expeto » pro me vestram, ut quidquid mearum est in » præterito offensionum, propitius ignoscat, » non severus agnoscat. Quod mihi deinceps » temporis sub hac sarcina erit, iter agentem » regat, et suis oculis placentem vobisque uti- » lem faciat, ut non horrorem ac pœnam meam, » sed gaudium et coronam meam vos ejus con- » spectus inveniat. » In posteriori vero homilia, quæ inter quinquaginta est vigesima quinta, complura etiam sunt ex quibus perspicue instruimur uberrimos, publicos æque ac privatos colligi posse fructus ex ea Ordinationis seu cathedræ cujuscumque Antistitis festivitate. Id quod satis nobis ostendunt tres aurei S. Leonis Magni sermones in die anniversario assumptionis suæ ad summum Pontificatum habiti.

II. Cæterum, ut alia tum sanctorum Patrum,

Digitized by Google

tum Maximorum Pontificum in ejus disciplinæ comprobationem loca omittamus, decernit Felix IV, Pontifex Maximus, apud Gratianum, canone XIV *De Consecratione*, distinctione I, « solemnitates dedicationum ecclesiarum, Epi» scoporum et Sacerdotum per singulos annos » solemniter esse celebrandas. » Quæ eadem ex S. Gregorio refert idem Gratianus in can. XV, absque tamen particulæ *Episcoporum* additamento. Notat in eum Canonem Glossa in verbo *Episcoporum*, quod de Consecrationum ipsorum Episcoporum anniversario die celebrando, a Gratiano ex Felice IV refertur, suo tempore in usu non fuisse, præterquam in gratiam solius Papæ, cujus quidem Ordinationis festivitas etiam hodie Romæ solemniter celebratur. Pie autem ac religiose prædictum renovavit ritum S. Carolus Borromæus in suo *Concilio Mediolanensi* III, tit. *De iis quæ ad divina Officia pertinent* : « Plena, inquit, sanctissimis mysteriis » Consecratio Episcopi; præter multa quæ de » tempore, loco et formula ejus Patrum insti» tutis præcepta sunt, illud a Felice IV, Ponti» fice Maximo, constitutum etiam est, ut anni» versarius ejus Consecrationis dies celebraretur: » quod institutum tamdiu intermissum, ut in » hac provincia ad usum revocetur statuimus, » ab unoquoque Episcopo anniversarium so» lemnitatis suæ diem solemni ritu agi; si vero » in Consecrationis diem festus dies inciderit, » cujus festi diei officium, ex instituto Ecclesiæ, » transferri non liceat, Consecrationis celebritas » in alium diem transferatur quo agi liceat. »

III. In *Concilii Mediolanensi* IV, auctore eodem sanctissimo Antistite, *Constitutionum* parte II, tit. *Quæ pertinent ad Missæ officium, etc.*, non modo memoratum et Felicis Papæ IV et laudati *Concilii Mediolanensis* III decretum confirmatur, verum multa etiam fusius recensentur quæ et Rubricam nostri Pontificalis egregie explicant, et Episcopos instruunt de his quæ die anniversario Consecrationis suæ agere debent. Sic enim inquit : « Die anniver» sario Consecrationis, si Dominicus vel festus » sit, Episcopus solemni celebritate de eo Do» minico festove die Missam celebret, adjunctis » de se orationibus in Missali Romano nuper » edito præscriptis: si vero Consecrationis anni» versarius dies in feriam aut festum simplex » cadit, Missæ sacrificium solemne de Conse» cratione prout in Missali Romano faciat. » Tum statim hæc addit, quæ utinam hodierni Episcopi legerent, ut ad charismatum meliorum æmulationem accenderentur. « Quo Consecra» tionis die Episcopus exemplum etiam sequa» tur atque amplectatur sanctissimorum Episco» porum, Pontificumve, qui suscepti muneris » curam, onus et sollicitudinem in memoriam » revocantes, anniversario eo die, non solum » sacrificio religiosisque precibus divinæ boni» tati gratias agere non destiterunt; sed concio» nibus pastorali charitate plenis Clerum popu» lumque, expositis multiplicis suæ curæ » partibus, excitare voluerunt, cum ad opem » sibi a Deo implorandam, tum ad omnia pieta» tis officia colenda. » Id sane præstitit nostra hac tempestate religiosissimus æque ac eruditissimus archiepiscopus Ravennas Hieronymus Crispi, ut videre est in ipsius homiliis omnimoda christiana pietate et exquisita eruditione refertis, quas, dum Ravennatem Ecclesiam regeret, ad Clerum et populum inter Missarum solemnia habuit.

IV. Mandat insuper in eodem Concilio Præsul sanctissimus Mediolanensis, diem illum anniversarium in calendario adnotari populoque denuntiari, ut non solum Sacerdotes et reliquus Clerus sacrificiis ac piis precibus illum diem recolant, sed et laici quoque pro charitatis officio quo erga Episcopum et Patrem esse debent, vehementer ad preces pro illo pie adhibendas excitentur. Neque prætermittendum est quod in eodem Concilio, *Constitutionum* parte tertia, tit. *De Episcopis*, salutare pro eisdem decretum subjungitur his verbis : « Die autem Consecra» tionis suæ, ut alias utiliter in Concilio Oxo» niensi sancitum est, formulam illam profes» sionis suæ in ipsa Consecratione de Pontificali » libro prolatam annis singulis in mensa legi » curent; tam certis etiam aliis solemnibus die» bus, ut diligentius præstent, quo crebrius illa » lectione quasi moniti videant Episcopalis mu» neris partes. » Concilium istud Oxoniense, quod ibi citatur, habitum fuit Oxonii in Anglia anno 1222. In eo Concilio nulla quidem diei Consecrationis Episcoporum specialis mentio habetur, verum hoc solum capite II cautum legimus, « ut Episcopi formam suæ professionis » in sua Consecratione prolatam bis in anno » coram se legi faciant diligenter, ut tanto me-

Digitized by Google

» lius professionis suæ recordentur, quanto sæ-
» pius eorum fuerit auribus inculcata. » Quod quidem consentire videtur cum decreto Concilii Parisiensis, quod anno 1212 habitum est. Statuit enim parte IV, cap. VIII, « ut Episcopi formam
» professionis, quam in sua Consecratione fece-
» rint, saltem bis in anno, semel in Synodo et
» semel in Capitulo publice legant. »

V. Illud vero hic obiter attingendum censeo, quod de reliquis Sacerdotibus laudatum superius Concilium Mediolanense III decernit : « Sa-
» cerdotes vero, inquit, quo die eorum unus-
» quisque Sacerdotio initiatus est, illum etiam
» quotannis recolant Missæ sacrificio et preci-
» bus. » Quæ Constitutio æqua profecto videtur, ut ab omnibus hodie Sacerdotibus observetur; si enim apud antiquos in usu fuit natalis diei anniversarium celebrare, ut fuse docet vir clarissimus Camillus Silvestri in *Annotationibus ad satyram* IX *Juvenalis*, versu LI, et si, ut habetur in lege VII Cod. *De feriis*, receptus fuit apud veteres mos ut dies electionis imperatoris seu provectionis ad imperium festivissimus esset, quanto magis sacri dies Ordinationis Sacerdotum pie ac religiose servari debent ? Constat vel ex *Sacramentario* S. Gregorii ut Missa peculiaris diceretur pro anniversario Consecrationis Episcoporum, uti recte admodum docet Hugo Menardus in suis ad eum librum *Notis*, pag. mihi 314. In omnibus Romanis Pontificalibus longe ante annos bis centum editis præscriptum legimus in anniversario Consecrationis Episcopi dicendum esse Missam sicut in die Consecrationis, cum quibusdam orationibus quas legere est in ipso sancti Gregorii *Sacramentario*, et in omnibus pene Pontificalibus ante Clementem VIII editis.

APPENDIX

In qua duo nondum editi manuscripti Ordines referuntur ad consecrandum novum Episcopum.

ORDO I.

Ex manuscripto codice Pontificali Ecclesiæ Barensis, qui Romæ in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini asservatur.

DE CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM.

Expleto examine ita ritus Consecrandi Episcopum electum referuntur.

Dominica vero die progreditur Dompnus Pontifex cum electo, et juncto Clero, et populo ad Ecclesiam ubi ipsam fieri vult Ordinationem. Et ingressus sacrarium, induit se vestimenta Pontificalia. Post pusillum vero procedit e sacrario cum Diaconibus et reliquis ministris, sicut Dominicis mos est procedendi. Et Electus sacris vestibus indutus, videlicet amictu, alba, stola, cingulo et capa, procedit simul cum eo et cæteris Episcopis e sacrario ante altare ; factoque conventu antequam fiat confessio, fiat examinatio talis, et dum ista examinatio legitur, Episcopi consecrantes mitras habere debent in capite, consecrandi vero nequaquam.

« Antiqua sanctorum Patrum institutio docet
» et præcipit ut is qui ad ordinem Episcopatus
» eligitur, antea diligentissime examinetur cum
» charitate de fide sanctæ Trinitatis, et inter-
» rogetur de diversis causis vel moribus quæ
» huic regimini congruunt et necessaria sunt
» retineri, secundum Apostoli dictum, *Manus*
» *nemini cito imposueris*, et ut etiam is qui est
» ordinandus, antea erudiatur qualiter sub hoc
» regimine constitutum oporteat conversari in
» Ecclesia Dei, et ut irreprehensibiles sint qui
» ei manus ordinationis imponunt. Eadem ita-
» que auctoritate et præcepto interrogamus te,
» dilectissime Fili, charitate sincera, si omnem
» prudentiam tuam, quantum tua capax est
» natura, divinæ Scripturæ sensibus accommo-
» dare volueris ? ℟. Ita ex toto corde volo in
» omnibus obedire et consentire. »

Digitized by Google

Interrogatio. « Vis ea quæ ex divinis Scri-
» pturis intelligis, plebem cui ordinandus es, et
» verbis docere, et exemplis ? ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis traditiones Orthodoxorum
» Patrum, ac decretales sanctæ et Apostolicæ
» Sedis Constitutiones veneranter suscipere, do-
» cere atque servare ? ℟. Volo. »

Interrogatio. « Credis ipsum Filium Dei,
» Verbum Dei, æternaliter natum, Deum ple-
» num et perfectum ? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Credis ipsum Filium Dei,
» Verbum Dei æternaliter natum de Patre, con-
» substantialem, et æqualem per omnia Patri in
» divinitate, temporaliter natum de Spiritu san-
» cto ex Maria semper virgine, cum anima ra-
» tionali duas habentem naturas, unam ex Patre
» æternam, alteram ex Matre temporalem,
» Deum verum, et hominem verum, proprium
» in humana, et in utraque natura, atque per-
» fectum, non adoptivum, nec fantasmaticum
» Filium Dei; in duabus et ex duabus naturis,
» sed in unius personæ singularitate impassi-
» bilem, et immortalem divinitate, sed in hu-
» manitate pro nobis et pro salute nostra pas-
» sum vera carnis passione, et sepultum, ac
» resurgentem a mortuis tertia die vera carnis
» resurrectione, die quadragesimo post resur-
» rectionem cum carne qua resurrexit et ani-
» ma ascendisse in cœlum, et sedere in dexte-
» ram Patris; inde venturum judicare vivos et
» mortuos, et redditurum unicuique secun-
» dum opera sua sive bona fuerint, sive mala?
» ℟. Assentio, et per omnia credo. »

Interrogatio. « Credis etiam Spiritum san-
» ctum plenum et perfectum, verumque Deum,
» a Patre et Filio procedentem, coæqualem, et
» coessentialem, et coomnipotentem, et coæ-
» ternum per omnia Patri et Filio? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Credis hanc sanctam Trinita-
» tem, non tres Deos, sed unum Deum, omni-
» potentem, æternum, invisibilem et incommu-
» tabilem ? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Credis Sanctam, Catholicam
» et Apostolicam unam esse veram Ecclesiam,
» in qua unum datur baptisma et vera omnium
» remissio peccatorum ? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Anathematizas etiam omnem
» hæresim extollentem se adversus hanc San-
» ctam Ecclesiam Catholicam ? ℟. Facio, vel
» anathematizo. »

Interrogatio. « Vis sanctæ Barensi et Canu-
» sinæ Ecclesiæ fidem et subjectionem per om-
» nia exhibere ? ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis beato Petro, cui a Deo
» data est potestas ligandi atque solvendi, ejus-
» que Vicario successoribusque ejus, fidem et
» subjectionem per omnia exhibere ? ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis mores tuos ab omni ma-
» lo temperare, et quantum poteris, Domino
» adjuvante, ad omne bonum commutare?
» ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis castitatem et sobrieta-
» tem cum Dei auxilio custodire et docere?
» ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis semper in divinis esse ne-
» gotiis mancipatus, et a terrenis negotiis vel
» lucris turpibus alienus, quantum te huma-
» na hæc tenuis fragilitas consenserit posse ?
» ℟. Volo. »

Interrogatio. « Vis humilitatem et patientiam
» in temetipsum custodire, et alios similiter do-
» cere ? ℟. Volo. »

Interrogatio. « Pauperibus et peregrinis, om-
» nibusque indigentibus vis esse propter nomen
» Domini affabilis et misericors ? ℟. Volo. »

Tunc dicatur ei : « Hæc omnia et cætera bona
» tribuat tibi Dominus, et custodiat te, atque
» corroboret in omni bonitate. » Et respondeant
omnes : « Amen. »

Interrogatio. « Credis secundum intelligen-
» tiam sensus tui sanctam Trinitatem, Patrem,
» et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum
» omnipotentem, totamque in Trinitate Deita-
» tem; coessentialem et consubstantialem, coæ-
» ternam et coomnipotentem, unius voluntatis,
» potestatis et majestatis, creatorem omnium
» creaturarum, a quo omnia, per quem omnia
» quæ sunt in cœlo et in terra, visibilia et invi-
» bilia (*in margine*, temporalia), et spiritualia ?
» ℟. Assentio, et ita credo. »

Interrogatio. « Credis singulam quamque in
» sancta Trinitate personam, unum verum
» Deum, plenum et perfectum ? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Credis etiam veram resurre-
» ctionem ejusdem carnis quam nunc gestas,
» et vitam æternam ? ℟. Credo. »

Interrogatio. « Credis etiam novi et veteris
» Testamenti, Legis, et Prophetarum, et Apo-
» stolorum, unum esse auctorem Deum ac Do-
» minum, Deum omnipotentem ? ℟. Credo. »

Digitized by Google

Et dicatur ei : « Hæc tibi fides augeatur a » Domino ad veram et æternam beatitudinem, » dilectissime Frater in Christo. » Et respondeant omnes : « Amen. »

Ita igitur examinatus, ac bene instructus cum consensu laycorum et clericorum, ac conventu totius provinciæ Episcoporum, in nomine Domini ordinetur.

DE OFFICIO EPISCOPI.

« Episcopum oportet judicare, interpretari, » consecrare, confirmare, ordinare, offerre et » baptizare. »

Facto itaque scrutinio, Dompnus Pontifex accedens ad altare, facit confessionem, et quando vult, indicat Cantori, et mox incipit præmissa (1). Introytus : *Benedicat te Deus.* Psalmus. *Deus deorum Dominus.* Et *Gloria Patri.* Pleniter. Cumque Introytum finierint, dicatur tunc *Kirie eleison*, sed Dompnus Pontifex dicat : *Gloria in excelsis Deo.* Quo finito dicit : *Pax vobis.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio pro Electo : « Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur » effectu. » Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum. *Karissimi, fidelis sermo. Si quis Episcopatum desiderat, etc..... doctrinam Dei nostri ornet in omnibus.* Post hunc psallitur Grad. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* ℣. *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia.* Tunc egreditur Archidiaconus cum Acolythis et Subdiaconibus, et induit ipsum Electum tunicam, dalmaticam, planetam, et cambagos, sandalios, et duo Episcopi casulis induti deportant eum superius juxta altare, et convertens se Pontifex ad circumstantes, dicit hanc exortationem.

« Oremus, Dilectissimi nobis, ut huic viro » utilitati Ecclesiæ providens benignitas omnipotentis Dei, gratiæ suæ tribuat largitatem. »

Et etiam incipit *Kirieleison*, cum Letania, et prosternit se Ordinator Electi, similiter cum Electo et cæteris Episcopis ante altare super stramenta usque dum dicit Scola *Agnus Dei.*

Ut autem surrexerint, duo Episcopi ponunt et tenent Evangeliorum codicem super cervicem ejus et inter scapulas clausum, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui assunt, manibus suis capud ejus tangunt, et dicat Ordinator : « Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato » super hunc famulum tuum Ill. cornu gratiæ » salutaris, vel Sacerdotalis benedictionis tuæ » in eum effunde virtutem. Per. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. » Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. »

Præphatio : « Vere dignum et justum est, » æquum et salutare, nos tibi semper et ubique » gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : Honor omnium dignitatum, etc., » ut in Pontificali Romano, usque ad ea verba, « cœlestis unguenti rore sanctifica » *Tum sequitur hæc rubrica:* Hic (2) caput ipsius Electi circumligato linteo fundit Pontifex, mittit chrisma in caput ejus in modum crucis, et inde cum pollice pertingens totam coronam, dicat media voce. « Unguatur et consecretur capud tuum cœlesti bene ✠ dictione in » ordine Pontificali, in nomine Patris, et Filii, » et Spiritus sancti. ℟. Amen. Pax tibi. ℟. Et » cum spiritu tuo. »

Oratio in modum præphationis. « Hoc, Domine, copiose in ejus caput influat, etc. »

Completa benedictione, infundit Consecrator parum Chrisma in dexteram manum Electi, de quo Chrismate liniens pollicem in modum crucis, consecrat ipsum et confirmat, ungendo utramque manum eodem Chrismate, sic dicens media voce :

Oratio.

« Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, » qui te ad Pontificatus, etc. »

Cum datur baculus Episcopalis, dicit Ordinator (Quem baculum Ordinatus tangens extremis digitis propter Chrisma quo manus habet perunctas, statim dimittit) : « Accipe baculum, etc. »

Ad annulum digito imponendum. « Accipe » annulum fidei, scilicet, etc. » Tunc dat ei Pontifex librum Evangeliorum desuper scapulas Consecrati, ipsum clausum dat ei, quem ipse

(1) Eamdem Missam legere est in multis aliis manuscriptis Pontificalibus.

(2) In margine charactere recentiori hæc leguntur verba : *Veni, sancte Spiritus,* quem quære infra *De Ecclesiæ fundatione*, in fine.

Digitized by Google

tangit extremis digitis, ita dicendo : « Accipe » Evangelium, et vade, prædica populo, etc. »

Hic Consecratus osculatis pedibus Pontificis dat osculum ipsi Pontifici. Deinde osculatis ipsius Pontificis, vel Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, et cæteris ministris altaris qui adsunt, reddat ad locum ubi fuerat indutus, et tunc cantatur *Alleluia*, etc. Dum ergo cantatur *Alleluia*, vel Tractus, ipse Consecratus lavat manus suas cum mica panis, et postea accipiens duos cereos, unum a dextra manu, alium a sinistra, tenet eos accensos donec legitur Evangelium. Lecto Evangelio et cantato Symbolo, eosdem cereos adhuc accensos, et duos panes in manutergio positos inter brachia sua, et ampullam vini, quam Acolitus tenet super prædictos panes, offert Consecratori suo, et reddiens ad altare, perficit Missam cum ipso. Tunc Electus dat osculum Pontifici et Dyaconibus omnibus, et tenens eum Archidiaconus in Presbyterium, et dat osculum Episcopis et Presbyteris. Tunc cantatur *Alleluia*, aut Tractus. *Alleluia. Diffusa est gratia.* Tractus, *Desiderium animæ ejus.* Evangelium secundum Marcum. *In illo tempore : Circuibat Jesus,* usque ad ea verba : *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.*

Offertorium. « Benedic, anima mea, Domi- » num, et noli oblivisci. »

Secreta. « Suscipe, Domine, munera quæ » tibi offerimus pro famulo tuo, ut propitius in » eodem tua dona custodias. Per. »

Infra Actionem : « Hanc igitur oblationem » servitutis nostræ, sed cunctæ familiæ, quam » tibi offerimus, et pro famulo tuo quem ad » Episcopatus ordinem promovere dignatus es : » quæsumus, Domine, ut placatus accipias ; et » propitius in eo tua dona custodias, ut quod » divino munere consecutus est, divinis effe- » ctibus exequatur, diesque nostros. »

Cum autem venerit ad communicandum, Dompnus Pontifex porrigit ei sanctam oblationem integram, suscipiensque eam Episcopus ipse ex ea communicat super altare. Quod vero residuum fuerit, sibi reservat denuo ad communicandum unoquoque die usque quadraginta dies expletos ; et postmodum jussus a Dompno Pontifice, communicat populum cum cæteris Episcopis.

Communio. « Messis quidem multa, operarii » autem pauci : rogate ergo Dominum messis, » ut mittat operarios in messem suam. »

Postcommunio. « Plenum, quæsumus, Do- » mine, in nobis remedium tuæ miserationis » operare, et tales nos esse perfice propitius, et » sic foveri, ut tibi in omnibus valere placea- » mus. (placere valeamus?) Per. »

Edictum cui (quod?) dat Pontifex Episcopo cui benedicit.

« Dilecto nobis fratri Ill. Episcopo. Quoniam » ut credimus divino te nutu, etc., *usque ad* » *ea verba :* In decore videbunt oculi ejus. »

Confirmatio. « Temetipsum mitem castum- » que custodi. In habitaculum tuum aut ra- » ro, etc., *usque ad ea verba :* Euge, serve bone » et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, su- » pra multa te constituam : intra in gaudium » Domini tui. »

ORDO II.

Ex manuscripto codice Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ num. 4744.

DE EXAMINATIONE, ORDINATIONE ET CONSECRATIONE ELECTI IN EPISCOPUM, RUBRICA. ET PRIMO DE HIIS QUÆ NECESSARIA SUNT PRO CONSECRATIONE EPISCOPI.

Infrascriptis utitur Consecrandus, et sunt necessaria in Consecratione secundum usum. Primo unum tappetum, et unum faldistorium sive cathedra. Item unus pannus ad caput, et pecten. Item duo barilia, vel vinum, et una ydria, vel urceus cum aqua, et una thobalea. Item amictus, alba, cinctorium, manipulus, stola, pluviale et Pontificale, et unus servitor cum superpelliceo, et cum hiis fit scrutinium. Postea eo reducto, scilicet Consecrando ad locum suum, indiget infrascriptis. Primo caligis et sandalibus, tunicella, dalmaticha, planeta, et Missali. Cum hiis, dicta missa usque ad repetitionem secundi *Alleluia,* reducitur ad altare, et indiget infrascriptis. Primo panno albo pro ligando, et uno panno de sirico dando Consecratori, et libro Evangeliorum, pro quo sufficit Missale, baculo pastorali et anulo parvo. Et sic Consecratus reducitur ad locum suum, et tunc indiget mica panis pro lotione manuum, et una thobalea. Cum venitur ad offertorium, indiget duobus magnis panibus, cum duabus thobaleis, duabus magnis amolis vini albi, et rubei, et duobus torticeis secundum decentiam conse-

Digitized by Google

crandis. Dicta Missa, indiget cyrotecis de siricho cum smaltis, et anulo Pontificali, et mitra aurifrigiata, et equo fallerato.

Ad Consecrationem et Ordinationem electi in Episcopum, et confirmati, hoc modo procedatur. Sabbato namque ante Dominicam ad consecrandum illum, statuta hora vespertina, Metropolitanus resideat super faldistorium in atrio ecclesiæ, vel in alio solito, vel quo maluerit loco parato. Et suffraganei Episcopi duo ad minus ad hoc specialiter convocati a dextris et sinistris ejus similiter super faldistorium resideant, parati admictu, alba vel superpelliceo, stola, pluviali, mitra et cambuca, libros Pontificales super genua tenentes. Tunc Archipresbyter, vel Archidiaconus Ecclesiæ ad quam est Electus, vel alius juxta morem Ecclesiæ indutus admictu, alba et casula, vel pluviali, si sit mox (mos?), deductus hinc inde a duobus Canonicis ejusdem Ecclesiæ, veniunt coram Metropolitano, et flexis coram illo genibus a remotis, benedictionem petit, et dicat in tono Lectionis: « Jube, Dompne, benedicere: » respondeatque Metropolitanus in eodem tono voce minori: « Nos regat et salvet cœlestis Conditor aulæ. » ℟. Amen. » Deinde idem Archipresbyter, vel Archidiaconus appropinquet paululum iterum, et genua flectens coram illo, et benedictionem petat dicens: « Jube, Dompne, benedicere: » respondeat Metropolitanus: « Nos Dominus servet, » custodiat atque gubernet. ℟. Amen. » Tertio iterum surgat, et paululum procedat, genua flectens coram illo, et benedictionem petat, dicens: « Jube, Dompne, benedicere: » respondeat Metropolitanus: « Gaudia cœlorum det nobis Re» ctor eorum. ℟. Amen. » Benedictione itaque completa, interroget eos Metropolitanus, et Suffraganei etiam eadem tacite dicant: « Filii » mei, quid postulatis? » Respondet Archidiaconus: « Ut Deus, et Dominus noster concedat » nobis Pastorem. » Interrogatio: « Habetis » vestrum? » Responsio: « Habemus. » Interrogatio: « Est de ipsa Ecclesia, vel de alia? » Responsio: « De ipsa. » Interrogatio: « Quid » vobis complacuit in illo? » Responsio: « Sanctitas, castitas, humilitas, benignitas, et » omnia alia quæ Deo placita sunt. » Interrogatio. « Habetis decretum? » Responsio: « Habe» mus. » Et Metropolitanus dicat: « Legatur. » Tunc feratur, et legatur decretum hoc modo:

« Reverendissimo in Christo Patri, et Do» mino Domino S. Metropoliticæ sedis digni» tate conspicuo, Capitulum talis Ecclesiæ totius » devotionis famulatum. Credimus vestram non » latere celsitudinem quod nostra Ecclesia suo » sit viduata Pastore, quæ siquidem solatio pro» prii est destituta Rectoris. Quapropter, ne, » Pastore absente, grex Dominicus perfidorum » luporum morsibus pateret, et, ne improbi » fieret præda raptoris, communi voto atque » consensu elegimus nobis in Pontificem » S. Presbyterum Ecclesiæ nostræ (*vel* talis » Ecclesiæ, *si non sit de ipsa*), virum utique » prudentem, hospitalem, moribus ornatum, » castum; sobrium, mansuetum, Deo et homi» nibus per omnia placentem, quem ad Reve» rentiæ vestræ dignitatem deducere curavimus, » unanimiter postulantes et obsecrantes a vestra » Reverendissima Paternitate, nobis illum Pon» tificem ordinari, quatenus, auctore Domino, » nobis ydoneus pastor præesse valeat et pro» desse; nosque sub ejus sacro regimine Do» mino semper condigne militare possimus. Ut » autem omnium nostrum vota in hanc electio» nem convenire noscatis, huic canonico de» creto propriis manibus roborando nos sub» scripsimus. » Et quilibet scribens, dicit sic: « Ego talis subscribo. Ego talis subscribo. » Et sic de aliis.

Si vero decretum sub forma pleniore per Episcopum Mimatensem, quæ in speculo judiciali traditur, formatum extiterit, quod utilius est, forma ipsa legatur; vel litteræ Apostolicæ provisionis, seu confirmationis, si existant, legantur. Sane decreto lecto, prosequitur Metropolitanus et dicat: « Videte ne aliquam promissionem vobis fecerit, quia symoniacum, et » contra canones est. » Responsio: « Absit. » Et Metropolitanus dicat: « Ducatis. » Tunc Archipresbyter vel Archidiaconus, exhibito decreto ipsi Metropolitano, revertitur cum Canonicis, sicut venerunt, ad vestiarium, et ibi deponit vestes. Accensis autem cereis, Electus adhuc jejunus pluviali vel planeta, si sit mox (id est, mos), paratus ducitur processionaliter coram Metropolitano, præcedentibus eum Canonicis Ecclesiæ ad quam est electus, Archidiacono et Archipresbytero Ecclesiæ Metropolitanæ hinc inde ducentibus eum; et stans convenienter remotus ab illo, flectit jenua, petens bene-

Digitized by Google

dictionem, et dicens : « Jube, Dompne, benedi- » cere. » Respondet Metropolitanus eodem tono voce minori : « Spiritus sancti gratia illuminare » dignetur corda nostra. ℟. Amen. » Deinde surgens, et procedens paululum, iterum genua flectit dicens : « Jube, Dompne, benedicere. » Responsio : « Ignem sui amoris accendat Deus » in cordibus nostris. ℟. Amen. » Rursus surgens, adhuc paululum appropinquans, et genua flectit, dicit tertio : « Jube, Dompne, bene- » dicere. » Responsio : « Dominus custodiat » introytum tuum, et exitum tuum. » Responsio. « Amen. » Tunc interrogat eum Metropolitanus : « Fili mi, quid postulas ? » Respondet Electus : « Reverendissime Pater, Confratres » mei elegerunt me licet indignum sibi præesse » Pastorem. » Interrogatio : « Quot annos ha- » bes in Presbyteratu ? » Responsio : « Tri- » ginta, vel tot. » Si forsan fuerit ipsa die, vel intra breve tempus ab eo in Presbyterum ordinatus, respondet : « Tu scis, Domine. » Interrogatio : « Habuisti conjugem ? » Responsio : « Minime. » Si forte habuit, et per ipsum Consecratorem ejus electio examinata et confirmata fuit, tunc respondet : « Tu scis, Domine. » Interrogatio : « Disposuisti domui tuæ ? » Responsio : « Disposui. » Interrogatio : « Qui libri » leguntur in Ecclesia tua ? » Responsio : « Eptaticus, Prophetarum, Evangelium, Apo- » chalissis, Epistolæ Pauli, et reliqua. » Interrogatio : « Nosti Canones ? » Responsio : « Doce me, Domine. » Et Metropolitanus dicat : « Vide, Ordinationes si feceris, ut certis tempo- » ribus facias; id est jejunio primi, quarti, sep- » timi et decimi mensis. Bigamos, aut curiales, » aut de servili conditione ad sacros Ordines » non promoveas; a symoniacha vero hæresi » te omnino custodias. Dabitur tamen tibi edi- » ctum de scrineo nostro, qualiter debeas con- » versari. Vide autem ne aliquam promissio- » nem pro hac causa feceris, quia symoniacum » est, et contra canones. » Responsio : « Absit. » Et Metropolitanus dicit : « Tu videris. Quia » ergo omnium vota in te conveniunt, hodie » abstinebis, et cras, Deo adjuvante, consecra- » beris. » Responsio : « Præcepisti, Domine. » Sed si expediat, dispenset cum illo, ut comedat. Tunc deputet ei aliquem discretum de sua Ecclesia confessorem cui peccata sua confiteatur; et mox Consecrando ad terram prostrato, Metropolitanus dicit Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, etc.* Psal. *Exurgat Deus, etc. Salvum fac, etc.* Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* Oratio, *Actiones nostras, quæsumus, Domine, etc.* Quæ omnia require in titulo *De Confirmatione et Benedictione Abbatis.* Tunc illo surgente, et data per Metropolitanum benedictione, *Sit nomen Domini benedictum, etc.*, redeant singuli ad domos suas. Quædam tamen Ecclesiæ præmissum serotinum scrutinium non faciunt, sed mane die Dominico procedunt prout sequitur.

Dominica itaque die sequenti circa mediam tertiam Metropolitanus intrans ecclesiam, in qua debet consecrari Electus, ingreditur vestibulum, seu sacrarium, induens Pontificalia indumenta sicut Missam celebraturus, deinde egreditur a sacrario cum Episcopis præsentibus, indutis amictibus, albis vel superpelliceis, stolis et pluvialibus, cum mitris et cambutis, et cum Diaconis et Subdiaconis, et reliquis ministris, prout mos est procedendi solempniter in dictis diebus ad Missam. Et Electus paratus amictu, alba vel superpelliceo, stola, cinctorio et pluviali, a duobus tantum deductus Episcopis hinc et inde post eos, sic usque ante altare procedunt. Tunc Consecrator residet super faldistorium coram altare, verso dorso ad ipsum altare. Cæteri quoque Episcopi super sua faldistoria hinc inde a dextris et a sinistris ejus inferius in choro ecclesiæ seriatim sedeant, quasi chorum facientes, librosque Pontificales super genua tenentes. Deinde duo Episcopi ductores, stantes in inferiori parte Ecclesiæ post Episcopos, medium tenentes Electum contra faciem Consecratoris, offerunt illum sibi, alta voce dicentes :

« Reverende Pater, postulat sancta Mater » Ecclesia Catholica ut hunc Presbyterum ad » onus Episcopatus sublevetis. » Et Consecrator dicit : « Scitis illum esse dignum ? » Respondent Episcopi : « Quantum humana fragilitas » nosse sinit, scimus et credimus illum esse » dignum. » Respondent Consecrator et alii : « Deo gratias. » Tunc Electus sedet super faldistorium in medio chori post Episcopos, contra faciem Consecratoris sibi paratum, assistentibus sibi Archidiacono, et Archipresbytero, et Canonicis suis. Prædicti vero duo Episcopi ad faldistoria sua redeunt ad sedendum. Et Consecrator

Digitized by Google

media voce in modum lectionis incipit sequentem examinationem Carthaginensis Concilii. Dicti vero Episcopi prosequuntur submissa voce, et dicunt quæcumque dixerit Consecrator. Et omnes debent tunc mitras super capita sua tenere, et sedere. Ecclesia vero Romana, quia non curat de scrutinio serotino, incipit hic officium consecrationis priusquam fiat confessio ante Missam. Die tamen præcedenti indicitur Consecrando jejunium, et ei aliquis Cardinalis deputatur confessor, et incipitur absolute sequens examinatio : « Antiqua sanctorum Pa» trum institutio docet et præcipit, etc. »

Expleto itaque hoc examinationis scruptinio præfati duo Episcopi, qui prius perduxerunt et præsentaverunt Electum, ducunt eum ad Consecratorem, et obsculatur manus illius reverenter. Tunc Metropolitanus cum ministris ad altare cousque facit solito more confessionem, Consecrando a sinistris ejus manente, et omnes Episcopi ante sedes suas stantes faciunt similiter cum Clericis suis confessionem : facta itaque confessione, Metropolitanus ascendit ad altare, Cantore Antiphonam ad introytum inchoante subscriptam scilicet : *Benedixit te, etc.* Præmissi vero Episcopi ductores ducunt Consecrandum ad altare, seu capellam pro eo ad partem paratam ; quo ibi dimisso, redeunt ad sedes suas in choro in Ordine Episcoporum; et Archidiaconus, et Accoliti induunt illum sandalia, dalmaticam, casulam, et omnia Pontificalia ; annulo, mitra et cirothecis exceptis. Illud autem notandum est, quod Ecclesia ipsa Romana propter Ordinationes Episcoporum nunquam mutat officium diei, dicit tamen pro officio consecrationis hanc Collectam : « Adesto supplicationibus » nostris, omnipotens Deus, etc., » et infra Actionem et Postcommunionem infrascriptas. Aliæ vero quamplures Ecclesiæ dicunt Missam de Spiritu sancto, et alii dicunt Missam sequentem.

Introitus : *Benedixit te Dominus et unxit te oleo lætitiæ præ consortibus tuis, memor esto nominis Dei tui.* Psal. *Eructavit cor meum verbum bonum.* ℣. *Gloria Patri.* Nec dicunt *Kirieleison*, quia statim in Litania dicenda subjicietur. Sequitur Collecta, quæ dicitur sub uno *per Dominum* cum principali Collecta diei. Oratio. « Adesto supplicationibus nostris, etc. » Epistola : « Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli » ad Tytum : » *Karissime : fidelis sermo : Si quis Episcopatum desiderat..... ut doctrinam Dei nostri ornet in omnibus.* Graduale. *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia.*

Finito Responsorio, præmissi duo Episcopi, qui eum prius duxerunt, planetis induti deducunt eum ad gradus ante altare. Tunc Consecrator sedens ante medium altaris versus ad illum, dicit : « Episcopum oportet judicare, » etc. » Deinde stans dicit ad circumstantes. Oratio. « Oremus, dilectissimi nobis, ut huic » viro utilitatis Ecclesiæ providens benignitas » omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largi» tatem. Per Christum Dominum nostrum. » ℣. Amen. » Et mox tam Consecrator quam Episcopi et Electus accumbunt super faldistoria coram altare; ita quod Electus maneat a sinistris Consecratoris, et ministri etiam, et alii se super stramenta prosternunt. Et Cantor incipit Letaniam, dicens : *Kirieleison, etc.*, prosequendo totam; require supra *De Ordinatione Subdyaconi.* Postquam autem dixerit : « Ut obsequium » servitutis nostræ, etc., » sibique a Choro responsum fuerit; tunc Consecrator ab accubitu surgens, et ad consecrandum se volvens, baculum pastoralem cum sinistra tenens, dicit primo : « Ut hunc præsentem Electum tuum be» ne✠ dicere digneris, te rogamus audi nos. » Secundo dicit : « Ut hunc præsentem Electum » bene✠ dicere et sancti✠ficare digneris, te » rogamus audi nos. » Tertio dicit : « Ut hunc » præsentem Electum bene✠ dicere, sancti✠ » ficare, et conse✠crare digneris, te rogamus » audi nos ; » producendo semper signum crucis super illum. Idem faciunt et dicunt cæteri Episcopi, prostrati tamen semper manentes, Choro etiam hæc eadem respondente. Deinde iterum accumbit, Cantore resumente Letaniam, et dicente : « Ut nos exaudire digneris, te ro» gamus audi nos, » prosequendo totam usque ad finem. Qua finita surgunt omnes, et Consecratore ante altare stante, vultu ad chorum verso, et Electo ante illum genua flectente, Consecrator aperit codicem Evangeliorum, ponens illum super capud et spatulas Consecrandi ; et duo Episcopi substinent illum, littera ex parte inferiori manente. Tunc Ordinator ponit utramque manum super capud illius dicens : « Accipe Spiritum sanctum ; » idemque faciunt

Digitized by Google

et dicunt omnes Episcopi, tam tenentes librum quam alii successive. Quo facto, illo genua flectente, dicit Ordinator media voce, et etiam alii Episcopi, submissa voce cum ipso. Oratio. « Propitiare, Domine, supplicationibus no» stris, etc. »

Deinde Consecrator junctis manibus ante pectus dicit voce mediocri, et alii etiam Episcopi tenentes libros Pontificales idem dicunt voce submissa : « Per omnia secula seculorum. » ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus » ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino » Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. Vere » dignum et justum est, æquum et salutare nos » tibi semper et ubique gratias agere, Domine » sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor » omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacris » famulantur ordinibus.... celesti unguenti rore » sanctifica. » Hic incipiat Consecrator flexis genibus ymnum : *Veni, creator Spiritus*, vel sequentiam : *Veni, sancte Spiritus, etc.*, et scola eundem prosequente. Et mox surgens, dum cantatur, mictit crisma in capud illius in modum crucis, circuligando prius capud lineo panno retorto, ne unguentum defluat in capillos, perungens cum pollice dexteræ manus totam tonsuram : et tam ipse quam alii Episcopi dicunt quasi legendo : « Ungatur et consecretur » capud tuum cœlesti bene ✠ dictione in Ordine » Pontificali, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, » et Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. ℣. Pax tibi. » ℟. Et cum spiritu tuo. » Etsi plures sint qui consecrantur, hoc in persona cujuslibet singulariter repetatur. Sed secundum morem quarundam Ecclesiarum, omnes Episcopi qui adsunt, similiter perungunt successive capud illius manibus suis, et singuli dicunt : « Ungatur et » consecretur capud, etc. » Quod nec juri, nec Ecclesiæ Romanæ consuetudini consentaneum est. Expleta unctione et finito ymno, Pontifex iterum resumat in præfato thono, et dicat : « Hoc, Domine, copiose in capud ejus influat.... » Multiplices super eum bene ✠ dictionem et » gratiam tuam, ut ad exorandum semper mise» ricordiam tuam tuo munere ydoneus, et tua » gratia possit esse devotus. » Quod sequitur dicat plane legendo. « Per Dominum nostrum » Jesum Christum, etc. » Et respondeant omnes : « Amen. »

Post hæc Consecrator inchoat, scola prosequente, Antiphonam : *Unguentum in capite, etc.* Psal. *Ecce quam bonum et quam jucundum.* Et dicatur totus cum *Gloria Patri.* Et si necesse fuerit, Antiphona post Versum quemlibet repetatur. Inchoata autem Antiphona, mox confirmat, et inungit ambas manus illius et pollices cum crismate, producendo lineas duas cum pollice suo inuncto, et inungendo totaliter palmas, sicut in unctione manuum Sacerdotis, quando fit cum oleo, ut supra in titulo *De Ordinatione Sacerdotis* dictum est; et perungendo dicit hanc Orationem : « Deus et Pater Domini nostri Jesu » Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit » dignitatem, ipse qui per Samuelem David in » Regem et Prophetam inunxit, te nostro mi» nisterio, et crismate, et misticæ delibutionis » liquore perfundat, et spiritualis bene ✠ dictio» nis ubertate fœcundet, ut quidquid benedixe» ris benedicatur, et quidquid sanctificaveris » sanctificetur, et consecratæ manus tuæ, vel » pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. » Per eundem Dominum nostrum Jesum Chri» stum filium tuum, qui tecum vivit et regnat » in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia » secula seculorum. ℟. Amen. » In quibusdam tamen Ecclesiis palma dexteræ manus inungitur tantum cum crismate et oleo simul mistis, primo per Consecratorem, et postea per omnes Episcopos successive; et deinde pollex ejusdem manus inungitur cum crismate tantum per solum Consecratorem. Hoc tamen nec jus nec mos Ecclesiæ Romanæ commendat. Præmissis itaque expeditis, tam Consecrator quam Consecratus manus lavant et tergunt, et habeatur bombax, et super bombacem pannus, seu infula linea ad modum tonsuræ ponitur super tonsuram inunctam. Post hoc præsentatur Consecratori ab Accolito baculus pastoralis benedicendus.

Benedictio baculi : « Sustentator imbecilli» tatis humanæ.... ℟. Amen. » Deinde tradit ei semper genua flectenti baculum benedictum, dicens : « Accipe baculum pastoralis officii..... » ℟. Amen. » Benedictio annuli : « Creator et » consecrator humani generis.... ℟. Amen. » Et mox annulum benedictum digito illius imponit, dicens : « Accipe annulum, fidei scilicet » signaculum. ℟. Amen. » Deinde dat ei librum Evangeliorum, dicens : « Accipe Evangelium » Domini, et vade, prædica populo tibi com-

Digitized by Google

» misso; potens est enim Deus augere tibi gra-
» tiam suam. Qui vivit et regnat cum Deo Patre
» in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia
» secula seculorum. ℟. Amen. » Et mox in quibusdam Ecclesiis Consecrator aperit librum Evangeliorum inter manus Consecrati, et videt pronosticum, de quo non est curandum. Quo facto Consecratus dat obsculum pacis Consecratori, et Pontificibus omnibus successive, et quilibet dicit ei : « Pax tibi. » Et ipse respondet cuilibet : « Et cum spiritu tuo. »

His peractis cantatur *Alleluia*. ℣. *Diffusa est gratia in labiis tuis, etc.*, usque ad repetitionem *Alleluia*, require in Officio Virginum, vel Tractus : *Desiderium animæ ejus, etc.*, usque ad ultimum versum; require in officio alicujus Martiris. Et interim Archidiaconus deducit illum ad vestibulum seu sacrestiam, et capud ejus tergitur seu fricatur cum mica panis vel bombice, et cum aqua lavatur. Quo facto, reducitur ad locum suum in medio Episcoporum, et demum repetitur *Alleluia*, vel dicitur ultimus versus Tractus. In quibusdam tamen Ecclesiis non lavatur capud Consecrati usque in finem Missæ, omnibus expeditis; sed usque tunc manet infulatus, ut præmissum est. Post hæc legitur Evangelium secundum Mattheum : *In illo tempore : Circuibat Jesus castella... et ungebant oleo multos ægros, et sanabantur.* « Credo in
» unum Deum. » Offertorium : *Benedic, anima mea, Domino, etc.*, require in feria VI post primam Dominicam Quadragesimæ. Tum Consecratus offert ex institutione Melciadis Papæ, et de more offert duos panes, et duas amphoras vino plenas, et duos cereos accensos, et alia consueta. Post hæc paratis duabus hostiis ad consecrandum, Consecrator intrat Secretam, Consecrato ad dextrum cornu altaris junctis manibus inter duos Episcopos stante, et concelebrante, et faciente signa, et voce submissa dicente omnia quæcumque fecerit et dixerit Consecrator.

Secreta quæ dicitur sub uno *Per Dominum* cum secreta diei : « Suscipe, Domine, munera
» quæ tibi offerimus pro hoc famulo tuo N. et
» propitius in eodem tua dona custodias. Per
» Dominum, etc. » Secundo Consecratus dicit :
« Suscipe, Domine, munera quæ tibi offero
» pro me misero famulo tuo, ut propitius in
» me tua dona custodias. Per Dominum no-
» strum, etc. » Infra Actionem. « Hanc igitur
» oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ
» familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro
» hoc famulo tuo S. quem ad Episcopatus
» ordinem promovere dignatus es, quæsumus,
» Domine, ut placatus accipias, et propitius in
» eo tua dona custodias, ut quod divino munere
» consecutus est, divinis effectibus consequatur,
» diesque nostros, etc. » Sed Consecratus dicit : « Quam tibi offero etiam pro me famulo
» tuo, etc. » Sane ante *Agnus Dei*, dicit Dyaconus : « Humiliate vos ad benedictionem. » Benedictio solempnis : « Deus ad quem respicit
» Sacerdotum solertia, etc. » Consecrator autem communicans, postquam Corpus Domini sumpsit, non totum sanguinem, sed solum partem ejus cum parte hostiæ quæ in calice missa fuit, secundum morem Romanum sumit; reliquam vero partem sanguinis in calice pro Consecrato seu Consecratis dimittit. Unde providendum est quod tantum in calice de vino ponatur quod sufficere possit. Postquam ergo Consecrator hoc modo communicaverit, mox priusquam digitos abluat, Consecratus a præmissis duobus Episcopis ante altare deductus, de manu Consecratoris sacram hostiam recipit; ipse tamen coram eo genua non flectit, sicut faciunt ceteri ordinandi; ymo, si loci dispositio permittit, Consecratus seu Consecrati stantes extra cornua altaris, sicut celebrando Missam steterunt, possunt ibidem stantes super illud communicare; subsequenter Dyacono calicem porrigente communicet de eodem sanguine. Postea Pontifex abluat digitos cum vino supra calicem, et de ipso vino iterum abluit os, de quo etiam ad abluendum os Consecratus seu Consecrati sumere debent. Hiis expeditis, præsentatur Consecratori ab Accolito mitra seu mitræ benedicendæ. Benedictio mitræ. « Domine Deus, Pater omnipotens, cujus
» præclara bonitas, etc. » Et mox imponit mitram capiti Consecrati dicens : « Imponimus,
» Domine, capiti hujus Antistitis et Agoni-
» stæ, etc. »

Deinde dicitur Communio : *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Postcommunio, quæ dici debet cum postcommunione Missæ sub uno *Per Dominum*. « Plenum, quæsumus, Domine, in nobis reme-
» dium tuæ miserationis operare; et tales nos

Digitized by Google

» esse perfice propitius, et sic fove ut tibi in » omnibus placere valeamus. Per Dominum. » Dicto *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, Accolitus præsentat Consecratori cirothecas benedicendas. Benedictio cirothecarum : « Omni- » potens Creator, qui homini ad imaginem tuam » condito, etc. » Et asperguntur cirothecæ aqua benedicta; deinde imponuntur vel per Episcopum, vel per Accolitos, manibus Consecrati, dicente Consecratore : « Circumda, Domine, » manus hujus ministri, etc. »

Præmissis omnibus expeditis, Consecrator accipiat eum per manum dexteram, et unus ex Episcopis per sinistram, et intronizent eum, ponendo in cathedram. Tunc Consecrator stans ante cathedram, incipit excelsa voce ympnum *Te Deum laudamus*. Et mox, schola prosequente ympnum, ipse revertitur ante altare, manens ibi donec *Te Deum* finiatur. Quo finito, statim inchoat ibidem, schola prosequente, Antiphonam : *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua; justitia, et judicium præparatio sedis tuæ. Gloria Patri, et Filio, etc.* Et repetitur tota Antiphona : *Firmetur*. Qua finita, Consecrator stans ante altare, dicit : « ℣. Domine, exaudi » orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te » veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. Oremus. Deus omnium fidelium » pastor et rector. » Et tunc ipse Consecratus benedicit solempniter Clerum et populum, dicens alta voce : *Sit nomen Domini benedictum*. Et hoc dicens, ducit signum crucis cum pollice dextræ manus super pectus suum. ℟. *Ex hoc nunc et usque in seculum*. ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Etiam hoc dicens, format signum crucis cum duobus digitis ante faciem suam. ℟. *Qui fecit cœlum et terram*. Et dicens quod sequitur, benedicit Clerum et populum ex omni parte : *Benedicat vos Omnipotens Deus, Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠sanctus*. Et mox Consecratus descendens de cathedra, et procedens ad altare vocatis Canonicis Ecclesiæ Metropolis, libro Evangeliorum super altare posito, facit Metropolitano hanc professionem, quam tamen quidam Metropolitani post examinationem prædictam immediate ante consecrationem, vel, priusquam Missam incipiant, fieri faciunt ad cautelam. Tenens igitur Consecratus cum ambabus manibus librum, vel cartulam hoc continentem super altare, et super librum Evangeliorum legit, ita dicens :

Professio : « Ego Stephanus talis Ecclesiæ » vocatus Episcopus promitto in conspectu omnipotentis Dei, atque totius Ecclesiæ, quod ab » hac hora in antea fidelis et obediens ero beato » Petro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et ipsi » summo Pontifici, ac vobis Domino meo, Domino S. Dei gratia Ecclesiæ ejusdem Archie- » piscopo, vestrisque successoribus canonice » intrantibus, prout etiam a sanctis Patribus » institutum est, et a meis prædecessoribus » observatum, et ut Ecclesiastica ac Romano- » rum Pontificum commendat auctoritas; non » ero in consilio, aut in consensu, vel in facto, » ut vitam perdatis, aut membrum, aut capia- » mini mala captione. Consilium quod mihi per » vos, aut per vestras litteras, aut nuntium cre- » dituri estis, ad dampnum vestrum, me sciente, » nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, » nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. » Vos quoque, et nuntios vestros, ac Ecclesiæ » talis, quos esse certos cognovero, in eundo, » stando et redeundo, honorifice tractabo, et in » suis necessitatibus adjuvabo : possessiones vero » ad mensam mei Episcopatus pertinentes non » vendam, nec donabo, nec de novo inpheu- » dabo, vel aliquo modo contra jus vel consue- » tudinem Ecclesiæ alienabo, vobis vel vestris » successoribus inconsultis. Sic me Deus adju- » vet, et hæc sancta Dei Evangelia. Cum sigillo » meo præsentibus appenso corroborans supra- » dicta. Actum, etc. »

Quando vero aliquis, qui non est Episcopus, in Archiepiscopum consecratur, sub forma præmissa proceditur, et cum apud Sedem Apostolicam pallium alicui traditur, Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ illud sumens de altari, sibi dicit hoc modo : « Accipe pallium sumptum de » corpore beati Petri. Et in hoc pallio accipe » plenitudinem officii tui, et potestatem cele- » brandi concilia et Episcopos consecrandi. » Sequitur edictum quod Metropolitanus tradit scriptum Consecrato : *Dilecto nobis fratri Coepiscopo S. Quoniam, ut credimus, divino te nutu vocante, Clerus et populus civitatis, etc.*, ut in III parte Romani Pontificalis, tit. *De Scrutinio serotino*.

Digitized by Google

NOTA.

Nonnulla essent in hisce duobus manuscriptis Pontificalibus observanda, quæ tamen consulto omittimus, quod ea in superioribus Commentariis explicata jam fuerint. Hoc unum minime omittam, maluisse me data opera Ordines hosce una cum erroribus describere, quam ab Originalibus suis vel latum unguem discedere, et fidem Scriptoris lædere.

TITULUS XIV.

DE PALLIO.

I. Nonnulla de Pallio sacro, et ejus antiquitate ac forma in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione, etc.*, lib. II, cap. XXI, diximus; multo plura hic explicabimus, quæ præsentem rem spectant. Et quidem præter ornamenta Pontificalia omnibus Episcopis communia, unum illud est Metropolitanis sive Archiepiscopis proprium, quod juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam, nonnisi Apostolicæ Sedis auctoritate, ipsis conceditur, vocaturque apud Latinos Pallium, de cujus auctoritate et usu specialis habetur titulus in libro I *Decretalium* Gregorii IX. Quando et quomodo usus illius ornamenti incœperit, sive Græcam, sive Ecclesiam Latinam spectemus, sat obscurum esse inquit Van-Espennius, *Juris Ecclesiastici universi* parte I, tit. XIX, cap. V, ubi etiam addit, citans Petrum de Marca et Ludovicum Thomassinum, id nihilominus sat constare videri, ornamentum hoc primitus fuisse ornamentum imperiale, et primo quidem per imperatores Patriarchis, deinde per hos Metropolitanis, tandem vero per Metropolitanos aliis Episcopis communicatum, saltem apud Orientales et in Ecclesia Græca. Certe post Petrum de Marca scribit Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LIII, num. IX, hoc pene indubitatum esse aliquot saltem sæculis, non sine voluntate imperatoris, in Oriente pallium sicut et in Occidente concessum fuisse. Cum enim, inquit, vestimenti id genus initio regium fuisset, eoque voluissent imperatores, quæ eximia eorum erat et singularis pietas, regale Christi decorare Sacerdotium; hanc vicissim illis per aliquot sæcula pietatem gratitudinemque rependit Ecclesia, ut illo præter eorum assensum indueretur nemo.

II. Verum non addubito quin hæc aientes lapsi penitus fuerint auctores cæteroqui clarissimi. Etenim de Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarchis scribit in *Nestorianæ ac Eutychianæ hæresis Breviario*, capite XX, Liberatus, Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconus, consuetudinem fuisse Alexandriæ, « Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias agere super defuncti corpus, » manumque dextram ejus suo capiti imponere, » et sepulto manibus suis accipere collo suo » beati Marci Pallium, et tunc legitime sedere. » Addit et alia Liberatus, ex quo eruditissimus Lupus, *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus* cap. XII, varia notat. Primo quidem, quod defuncto Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha, Clerus et populus statim novum eligeret. Secundo, quod iste Electus statim consecraretur. Tertio, quod Consecratus tota nocte custodiret defuncti corpus, humaret propriis manibus, S. Marci Pallium detraheret ejus humeris et suis imponeret. Quarto, quod antequam ista perageret, ac præsertim ante acceptum suis humeris Pallium, legitime sedere non posset, ideoque nec inthronizari. Sexto, quod vestiret solos humeros, ideoque esset simplex Omophorion, non talare ornamentum. Septimo, quod Patriarchis Alexandrinis esset semper idem Pallium, ipsumque de Patriarcha semper transferretur in Patriarcham. Octavo, quod esset ipsum S. Marci Pallium, ideoque non Constantini aut alterius imperatoris donum, uti varii auctores somniarunt, sed institutum profecto Apostolicum.

Digitized by Google

III. Illud tandem ex laudato Liberati loco addiscimus, Græcos olim prioribus sæculis, nec postulasse, vel accepisse Pallium a Romano Pontifice, sed ex defuncti Patriarchæ humeris, juxta morem Ecclesiæ Alexandrinæ; sive de sacro altari secundum priscam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudinem. Etenim de sanctis Metrophane ac Alexandro, primis memoratæ Ecclesiæ Episcopis, scribunt antiqua ipsorum *Acta* in Bibliotheca Photii, cod. CCLVI: « Metro- » phanes post Evangelii lectionem nonnulla ad » populum locutus, Alexandrum Presbyterum, » absentem, Archiepiscopalis sedis successorem » renuntiat; populus vero uno ore cum ipso » imperatore aliquot locis exclamavit: *Dignus* » *est*. Deinde sacræ mensæ altaris Humerale » imponit, præcipiens hoc successori servari. » Etiam de S. Germano Patriarcha ejecto per imperatorem Leonem Isaurum scribit Georgius Cedrenus: « Germanum Leo Patriarchæ solio » dejecit. Isque Humerale in sacra mensa » magni templi deponens, resignavit munus » suum atque discessit. » In altari utique posuit, ut a successore postea resumeretur. Sed quid aliorum in comprobationem ejus ritus loca quærimus, cum Simeon Thessalonicensis, Græcorum rituum peritissimus, de Constantinopolitani Patriarchæ creatione in suo *De sacris Ordinationibus* opere, cap. IX, ita scribat: « Si » Electus utique in Patriarcham Constantinopo- » litanum sit Episcopus, post solemnem decla- » rationem statim est Patriarcha, nulloque alio » indiget præter solum inthronismum. Promo- » tus in ecclesiam venit, templumque ingressus » et sacrum altare, Epitrachelion et Pallium » sibi circumponit. »

IV. Variis Ecclesiasticæ historiæ locis, ex quibus abunde probari posset nec Alexandrinam, nec Constantinopolitanam, nec Hierosolymitanam accepisse olim sacrum Pallium ab Apostolica Sede, minime obstat id quod in concilio generali Lateranensi IV, cap. V, relato in cap. *Antiqua*, *De privilegiis*, edicit Innocentius III, Pontifex Maximus, quatuor Patriarchalium nempe sedium Antistites a Romano Pontifice Pallium recipere, præstito ipsi fidelitatis et obedientiæ juramento; etenim, uti recte docet in laudato loco Christianus Lupus, « Innocentius id sanxit pro solis Latinis, qui » tunc temporis memoratas sedes regebant. » Postquam enim sub Innocentio III Latini Constantinopolitanam urbem et Orientale imperium suæ subjecere potestati, statutum est in ipso Concilio Lateranensi IV sub eodem Pontifice, anno 1215, ut deinceps Patriarchæ orientales Pallio donarentur a Pontifice, illudque deinceps ipsi obnoxiis sibi Suffraganeis donarent: « Postquam a Romano Pontifice recepe- » rint Pallium, licenter et ipsi suis Suffraganeis » largiantur. » Itaque victores Latini, uti scite inquit Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVI, num. VI, non magis imperio quam legibus suis Orientales subjecere, et iis potissimum legibus quibus connexio membrorum Ecclesiæ cum capite cœlitus instituto constabiliebatur. Addit memoratus Lupus Græcorum ritus esse omnino Apostolicum institutum; ideoque absit ut Lateranensis Synodus eos circumduxerit aut circumscripserit. Concludit autem hunc in modum: « Quapropter Græci, dum a » divina misericordia excessuum suorum ve- » niam, veram Christianitatem, ac avitam liber- » tatem receperint, vivere poterunt juxta » Canones suorum Parentum. Romana Ecclesia » uti Afris post ejectos Vandalos reddidit, ita » post ejectos Turcas Græcis libentissime reddet » omnia sua privilegia. »

V. Dicta huc usque satis arguunt horrendæ impudentiæ Edmundum Richerium qui, ad Innocentii III locum reflectens, in *Historia Concilii* VIII, num. XIII, dicere non erubescit: « Certe sequentibus sæculis hoc ritu deferendi » Pallium Pontifices Romanos non modo omnes » Ecclesias occidentales, sed etiam orientales » monarchiæ subdere voluisse perspicuum red- » ditur. » Inane prorsus istud commentum est nulloque nixum fundamento, hoc jugum Metropolitis Patriarchisque non modo occidentalibus, sed et orientalibus imposuisse Pontifices Maximos callida dominandi libidine, ut eos sibi arctius adstringerent subjicerentque. Ejus opinionis certe inter alios fuit Petrus de Marca, vestigiis inhærens memorati Richerii; ait enim S. Bonifacium in Galliam Germaniamque a Zacharia Pontifice missum, et anno septingentesimo quadragesimo secundo Synodum coegisse in qua decretum fuit ut omnes deinceps viverent in unitate et subjectione Romanæ Ecclesiæ et Vicarii beati Petri, et ut Metropolitani a Sede Romana Pallium quærerent, et per omnia ca-

Digitized by Google

nonice obsequerentur præceptis S. Petri. Adjungit illos, « quibus unicus metus erat, ne » novitate illa adigerentur ad insolitam quam- » dam reverentiam in Sedem Apostolicam, ac » ne insuper exciderent ab ea auctoritate quam » Canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo » fuisse an promissis stare deberent.» Mera sunt hæc animi quidem figmenta, mera insomnia, ac gravissimi errores, quos fuse cum aliis pene innumeris ejusdem Petri de Marca hallucinationibus refellit Lupus eruditissimus in sua *Dissertatione de Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus,* cap. præsertim x et seqq., et Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, libro II, capite LV.

VI. Ostendit id quidem late laudatus Thomassinus, et alii complures adversus quosdam Apostolicæ Sedis hostes perpetuos, qui simplicibus venditant Romanos Præsules in dando Pallio quæsiisse ut Metropolitanos in novæ servitutis vincula injicerent. Eo siquidem Pallio instituebantur Metropolitæ in Romani Pontificis Vicarios, ac primatum Patriarchalisque potestatis participationem supra Metropolitas alios assequebantur, et causas in partibus plurimas finire poterant, quæ alioqui Romam fuissent perferendæ. Testem ejus rei, ut alios omittam Pontifices Maximos, habemus Vigilium Papam, qui Auxanio Arelatensi episcopo ita scribit in Epistola II: « Ut agenti vices nostras Pallii non » desit ornatus, usum tibi ejus, sicut prædeces- » sori tuo prædecessor noster sanctæ recordatio- » nis Symmachus legitur contulisse, beati Petri » auctoritate concedimus. » Hinc autumant quidam primum omnium Symmachum Papam Pallium in Occidentem direxisse, scilicet ad Cæsarium Arelatensem episcopum. Quicquid autem ea de re fuerit, constat Vicariatum Apostolicæ Sedis cum Pallio concedi consuevisse; unde Sapaudo episcopo Arelatensi, cui Pallium miserat, scribens Pelagius I, ita ait: « Ut sedis nostræ » Vicarius institutus ad instar nostrum in » Galliarum partibus primi Sacerdotis locum » obtineas. » Constat et ex multis S. Gregorii Epistolis, concessionem Pallii Vicariatus Sedis Apostolicæ indicium fuisse.

§ I.

Cum Pallium a Sede Apostolica mittitur, Pontifex cui res ipsa committitur, statuta die cum Electo convenit in ecclesia sua, si commode fieri potest; vel alia ecclesia suæ diœcesis vel provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnia peragantur. Et, facta communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium altaris extensum, et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde, peractis Missarum solemniis, Pontifex indutus amictu, stola, pluviali et mitra, sedens ante altare super faldistorio, capit juramentum fidelitatis nomine Sedis Apostolicæ ab ipso Electo, omnibus Pontificalibus ornamentis, ac si celebraturus esset, mitra tamen et chirothecis demptis, induto, ante se genuflexo, juxta formam per litteras Apostolicas traditam.

FORMA JURAMENTI.

Ego N. electus Ecclesiæ N., ab hac hora in antea fidelis, etc., prout habetur in Consecratione electi in Episcopum.

COMMENTARIUS.

I. Mos aliquando in Ecclesia fuit ut nonnisi Romam et ad limina Apostolorum venientibus, adeoque præsentibus, sacrum Pallium traderetur. Id profecto auctoritate Pontificum suorum antecessorum decretum jam olim fuisse, testatur in litteris ad Brunonem episcopum Veronensem S. Gregorius VII, lib. I, epist. XXIV: « Dilectionem tuam in his quæ a nobis expostu-

Digitized by Google

» lasti, id est in Pallii concessione, ad præsens » non recompensamus; quia antecessorum nos- » trorum decrevit auctoritas, nisi præsenti per- » sonæ Pallium non esse concedendum. Unde » si fraternitas tua Apostolicæ Sedis privilegiis » munita ad nos venerit, honorem, quem Ro- » mani Pontifices antecessoribus tuis contule- » runt, nos tibi, Deo concedente, conferemus.» Idipsum confirmat lib. IX, epistola I, ubi cunctationes Episcopi Rothomagensis et petendi Pallii procrastinationes damnavit : « Non credimus, » inquit, te ignorare quam districte Patrum » censura in eos judicandum statuerit, qui post » consecrationem suam per tres continuos » menses Pallium obtinere tepuerint. » Testis denique ejusdem disciplinæ luculentissimus est S. Petrus Damiani, qui lib. VII, epistola IV, ita scribit : « Pontifices ex antiquæ traditionis usu » ad Apostolorum debent limina properare, et » hoc, sine quo Metropolitani esse non possunt, » signum consummandæ suæ dignitatis acci- » pere. » Ea quippe ratione usus fuit laudatus scriptor, ut imperatricem Agnetem Henrici II imperatoris conjugem solaretur, quæ ægre admodum ferebat Coloniensi Archiepiscopo absenti negatum fuisse Pallium a Sede Apostolica. Licet autem constaret sæpius Roma olim missum Pallium in Provincias ad absentes, statim respondet id tunc temporis fieri idcirco potuisse, quia Legati Romanæ Ecclesiæ vices Papæ in provinciis agebant, quia non ante Pallio Metropolitas ornabant, quam diligentissimo eos examini subjecissent, accepissentque ab ipsis professionem perpetuæ unionis cum Sede Apostolica. Id quod nonnullis exemplis ex S. Gregorio adductis adstruit.

II. Quanquam autem suscepturi Pallium Metropolitani Romam pergere tenerentur, usus tamen hodiernus est, qui a duodecimo circiter sæculo invaluit, ut ipsi Metropolitani absentes Pallium postulent per procuratorem speciali mandato instructum. Cui disciplinæ stabiliendæ causam fortasse dederunt, vel ii Episcopi qui aliquo impedimento detenti Romam ire nequibant, sive etiam quidam oscitantes Præsules qui de Pallio sibi asciscendo parum curabant. Ut ut sit, hodie per procuratores peti consuevit Pallium, et ad provincias mittitur, atque alicui Episcopo illud Metropolitano imponendi cura mandatur. Is vero, ex præscripto complurium Romanorum Pontificalium longe ante ducentos annos editorum, statuto die cum Electo convenit in ecclesia sua, si commode fieri potest; vel in alia ecclesia suæ diœcesis vel provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnia peraguntur, et facta communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium altaris extensum, et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde, peractis Missarum solemniis, Pontifex indutus Pontificalibus vestimentis, sedens ante altare super faldistorium, capit juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ, ab ipso Electo Pontificalibus ornamentis induto, sine mitra tamen et chirothecis, ante se genuflexo, juxta formam per litteras Apostolicas traditam : *Ego N. Electus Ecclesiæ N., etc.*

III. Hactenus descripta rubrica nostri Romani Pontificalis nihil sane habet quod non redoleat venerandam antiquitatem. Pallium olim in altari positum, ut inde Metropolitæ vel Patriarchæ humeri ornarentur, jam alibi demonstravimus. Ipsos etiam antiquitus Patriarchas Pallium suis manibus de altari sumpsisse ac humeris suis imposuisse, non obscure innuit Eustatius presbyter in Vita sancti Eutychii in civitatis Constantinopolitanæ Patriarcham promoti, de quo ita scribit : « Eutychius precibus et manu Pon- » tificum consecratur, sancto Spiritu inungitur, » ovis errantis typum super humeros tollit, in » sedem sublimem ascendit, et in solio sedet. » Etiam de sancto Germano patriarcha ejecto per imperatorem Leonem Isaurum scribit Georgius Cedrenus : « Germanum Leo Patriarchæ solio » dejecit; isque Humerale in sacra mensa ma- » gni templi deponens, resignavit munus suum » atque discessit. » In altari posuit, ut deinde resumeretur a successore, quemadmodum supra docuimus. Sane dicitur Pallium *Humerale*, quod humeris ab Archiepiscopo gestaretur : appellatur autem *typus ovis errantis*, quia ex lana confectum. De eo ita scribit S. Isidorus Pelusiota, lib. I, epistola CXXXVI : « Id autem amiculum, » quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, » non ex lino contextum est, ovis illius, quam » Dominus aberrantem quæsivit, inventamque » humeris suis sustulit, pellem designat. Epi- » scopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius » munere fungitur, atque ipso etiam habitu » illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni

Digitized by Google

» Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmi-
» tates sibi ferendas proposuit. » Vide sis quæ diximus de Pallii significatione in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, etc.* Cæterum, si recentiorem Græcorum ritum spectemus, ordinato Episcopo Pallium Episcopus consecrator imponit, dicens : *Dignus.* Simili ratione Clerus idem repetit, uti in *Euchologio* videre est, ad calcem tituli qui inscribitur, *Ritus in Ordinatione Episcopi servandus.*

IV. Quanta autem reverentia apud Latinos Pallium ab Episcopo delatum in vase argenteo, et super altari locatum, ab Archiepiscopo susciperetur, eidemque imponeretur, diserte enarrat Eadmerus, *Historiæ Novorum* lib. II et V, p. 34 et 113, ubi agit de Ordinatione Anselmi Cantuariensis episcopi : « Anselmus Angliam in-
» gressus Archiepiscopum adiit, a quo decenter
» susceptus, decenter est per plurimum tempus
» ab eo detentus. Die ergo Dominica, quæ fuit
» V kal. julii, conveniunt in Metropoli sede
» Cantiæ Episcopi et innumerabilis quaquever-
» sum coacta hominum multitudo. Itaque, juxta
» quod fuerat præordinatum, præfatus Ansel-
» mus, Pallium in vase argenteo honorifice fe-
» rens, Cantuariam venit, itumque est illi ob-
» viam usque ad portam civitatis ab utroque
» conventu duarum Ecclesiarum, Archiepisco-
» patus scilicet et vicinæ Abbatiæ S. Augustini,
» cum omnibus qui pro hoc ipso illo confluxe-
» rant. Pater stipatus Episcopis, et indutus, ut
» alii, vestibus sacris, nudis pedibus devotus
» occurrit. Sicque delatum super altare Salva-
» toris Pallium est, et a Pontifice inde susce-
» ptum, facta prius Romano Pontifici de fideli-
» tate et canonica obedientia professione. Deinde
» pro reverentia beati Petri ab omnibus deos-
» culatur, et indutus eo Pontifex summus ad
» cathedram Patriarchatus Anglorum gloriose
» perducitur. » Plura ex hac prolixa historia colligi possunt, quæ rubricam nostram mirifice illustrant. Sed audiamus, quæso, quid de eadem re scribat Willelmus Malmesburiensis lib. I *De gestis Pontificum,* pagina 220. « Data Anselmo,
» inquit, publice potestate ut per totum regnum
» primatus sui jus exerceret libere, die præfixa,
» qua Albanensis Episcopus cum Pallio Cantua-
» riam veniret; venienti, et sacrum insigne in
» vase argenteo deferenti vulgo applausum; ab
» Archiepiscopo nudipede, sed Sacerdotalibus
» vestimentis induto occursum : inde super
» altare Domini Salvatoris Pallium assumptum
» sacratus Pontifex humeris composuit, et ad
» divina celebranda processit. »

V. Ergo sacrum Pallium in vase argenteo delatum super altari collocabatur. Qui illud tradebat Pontifex sacris vestibus erat indutus; qui vero illud ipsum accipiebat, facere prius tenebatur Romano Pontifici de fidelitate et canonica obedientia professionem. Visum quibusdam est, in VIII Synodo anno 870 habita, can. XVII, conflatum esse illud ferreum necessitatis vinculum, quo Metropolitani non modo tenentur a Papa petere et exspectare Pallium, verum etiam eidem obedientiam profiteri, quod prioribus sæculis inauditum inusitatumque fuerat. Verum labi omnino videntur ii auctores, cum constet hanc eamdem obedientiæ professionem a S. Bonifacio, apud Gallias et in Germania, Apostolicæ Sedis Legato, centum ante et viginti annis quam VIII generalis Synodus celebraretur, invectam, constitutamque fuisse in Concilio Gallicano. « Decrevimus in nostro Synodali conventu, et
» confessi sumus fidem Catholicam, et unita-
» tem, et subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine
» tenus servare, sancto Petro et Vicario ejus
» subjici velle, Metropolitanos Pallia ab illa
» Sede quærere, et per omnia sancti Petri præ-
» cepta canonice sequi. » Verba sunt memorati Bonifacii in Epistola CL ad sanctum Ludbertum archiepiscopum Cantuariensem.

VI. Cum formula juramenti quod a suscipiente Pallium præstari debet, alibi uberrime explicata sit, unum hic adnotabo, nihil penitus in laudata Bonifacii Epistola, seu potius in Gallicano Concilio reperiri, quod suggillari merito possit : « In nostro, inquit, Synodali conventu
» confessi sumus fidem Catholicam, et unita-
» tem, et subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine
» tenus servare, sancto Petro et Vicario ejus
» velle subjici. » An non id omni loco, omni tempore, laicis omnibus, omnibus Clericis et Episcopis commune est? Quæ vero Ecclesia, quis usquam Episcopus aut Metropolita, qui se Pontifici, tanquam Christi Vicario, subjectum non profiteatur? Nec ipsi quidem Orientis Patriarchæ ab ea se potestate immunes, aut tum esse volebant, aut aliquando velle potuerunt, nisi membra in sua ipsorum perniciem se a capite abscindant suo. Observat hæc Thomassinus,

Digitized by Google

in sua *veteri et nova Ecclesiæ Disciplina,* parte I, lib. II, cap. LV, egregieque adversus Gallos suos quosdam demonstrat novum servitutis jugum non esse, quod in ipsa Pallii susceptione Metropolitani promittant Pontifici se juxta Canones obedituros. « Nec enim, » ut scite sancteque testatur ipse Zacharias, Pontifex Maximus, in Epistola I ad Bonifacium, « ab hac Apostolica » Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Pa» trum sive Canonum statutis inveniantur. »

VII. Neque insuper desunt gravissima rationum momenta, quibus edoceamur recte a Metropolitanis in ipsa Pallii susceptione exigi posse non modo qualemcumque obedientiam et fidelitatem erga Apostolicam Sedem, et Jesu Christi Vicarium, Romanum Pontificem, sed etiam jurejurando firmatam. Præclarissime id quidem ostendit Paschalis Papa Panormitano Archiepiscopo rescribens, relatus in cap. *Significans* IV, *De Electione et Electi potestate*, ubi nonnullos suggillans quod contra hujusmodi juramentum adlatrarent, male interpretantes quædam divinarum Scripturarum loca, objicientesque illam jurandi formulam in Conciliis non inveniri, inter alia et hæc habet : « Aiunt reges tui in » Conciliis statutum non inveniri : quasi Ro» manæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixe» rint, cum omnia Concilia per Ecclesiæ Ro» manæ auctoritatem, et facta sint, et robur » acceperint, et in eorum statutis Romana pa» tenter excipiatur auctoritas. » Papam absolute esse supra Concilium abunde probavimus nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. XXVI. Sed audiamus quid memoratus Pontifex statim subjiciat : « Possunt, inquit, Apo» stolicam Sedem contemnere; possunt apud » nos calcaneum elevare : datum a Deo privi» legium avertere vel auferre non possunt, quo » Petro dictum est : *Tu es Petrus, et super hanc* » *Petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi* » *dabo claves regni cœlorum.* Quibus tandem » Conciliorum decretis dandi Pallii modus præ» scriptus est, et professionis vel obedientiæ » ordo sancitus? » Tandem concludit : « Cum » igitur a Sede Apostolica vestræ insignia digni» tatis exigitis, quæ a beati Petri tantum corpore » assumuntur, justum est ut vos quoque Sedi » Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, » quæ vos cum beato Petro tanquam membra » de membro habere et Catholici capitis unita» tem servare declarant, in quibus a prædeces» soribus nostris ea est adhibita moderatio, ut » nil injuriosum, nil difficile sit appositum, » quod non etiam præter exactionem nostram » debeat ab omnibus Episcopis observari, qui » sub Apostoli Petri et Pauli obedientia decre» verint in unitate persistere. » Similia docent et alii Pontifices.

VIII. Est adhuc sub judice lis, an auctor hujus Epistolæ fuerit Paschalis I, Pontifex Maximus, an vero Paschalis II. Baronius anno 1102 illam Paschali II tribuit, qui Ecclesiam Romanam rexit ab anno 1100 usque ad annum 1117. Baronium sequuntur ac defendunt Piccolus, II parte *Historiæ*, cap. XVII, et Petrus de Marca, lib. VI *De Concordia,* cap. VII ad finem; moventur eo argumento, quia nimirum in ea Epistola fit mentio regis Siciliæ, cum tamen temporibus Paschalis I non fuerit in Sicilia rex usque dum Rogerius coronatus fuit anno 1122. Contrariam opinionem, nempe Paschalis Primi, qui ab anno 817 usque ad annum 823 summum Pontificatum gessit, esse hanc decretalem, probant quidem Vincentius Litara in Oratione *De Primatu Ecclesiæ Panormitanæ*, et Rocchus Pirro, tomo I *Siciliæ*, in Notitia Ecclesiæ Panormitanæ, p. 77. Quorum opinionem veriorem censet Emmanuel Gonzalez in Notis ad laudatum textum in cap. *Significasti.* Sunt plerique auctores qui ipsam Epistolam non Archiepiscopo Panormitano, sed Collocensi missam volunt; alii Coloniensi, Toletano alii, quidam etiam Poloniensi vel Polveriensi. Sed retinendam esse vulgarem lectionem, « Panormitano Archiepiscopo, » ex eo probat laudatus Pirro, quod ita se in codice Vaticano legisse diserte testetur Alexander Renaldus. Cæterum quidquid sit de ea controversia, illud profecto constat, multa haberi in ea Epistola argumenta quibus egregie confutari possint qui in juramentum fidelitatis et obedientiæ a Metropolitanis, in acceptione Pallii, Romano Pontifici præstandum perfide obloquuntur. Plura denique ad eos homines confodiendos videri possunt apud eruditissimum Lupum, qui in laudata non semel Dissertatione *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus,* cap. XI, octavæ Synodi Canonem exponens de usu Pallii, complures errores refellit Petri de Marca, archiepiscopi Parisiensis.

Digitized by Google

§ II.

Expleto juramento ab Electo, dictus Pontifex in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiori parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, et Electo, adhuc coram eo genuflexo, dicente : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Tunc Pontifex respondet : *Deo gratias.*

§ III.

Juramento præstito, Pontifex surgit cum mitra et Pallium de altari accipit, et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit, dicens :

Ad honorem omnipotentis Dei, et beatæ Mariæ semper Virginis, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Domini nostri N. Papæ, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis vel *Archiepiscopalis nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Est hæc vetus profecto formula quam Pontifex pronuntiabat, quum Pallium Metropolitano imponeret. Memorat quippe ipsam formulam Innocentius III, Pontifex, ut constat ex ejus *Gestis* a Bosqueto editis, ubi pag. 64, sub hoc titulo *De forma dandi Pallium,* ea verba leguntur : *Ad honorem Dei, etc.,* ut in nostro Pontificali. Vide initium capitis IV, tit. VIII *De auctoritate et usu Pallii*, ubi ex eodem Innocentio formam traditionis Pallii transcribi, scite admodum autumant canonici juris eruditi interpretes. Aliam similem formam ex Baronio refert eruditissimus Lantdmeter, lib. II *De veteri Clerico,* cap. XCVII. Aliam etiam adducit Goldastus *De rebus Bohemiæ,* in Appendice, cap. I. Aliam quoque alii promunt. Quibus omissis, multa quidem in recitata formula continentur, quæ a nobis opportuniori loco in sequentibus Commentariis explicabuntur. In præsenti ea enarrari verba oportet, *Tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum.* Pro quorum intelligentia, sciendum est quod refert in suo *Romano Cæremoniali* lib. I, sectione X, Christophorus Marcellus, episcopus Corcyrensis. Sic autem inquit :

II. Cura conficiendorum et conservandorum Palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda et alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales monasterii S. Agnetis, vel Religiosi qui sunt in illa ecclesia, offerunt quotannis agnos duos albos super altare illius ecclesiæ in die festivitatis sanctæ Agnetis, dum in Missa solemni cantatur *Agnus Dei :* qui agni recipiuntur a duobus Canonicis Ecclesiæ Lateranensis, et ab eis postea consignantur Subdiaconis Apostolicis, qui agnos ipsos in pascua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipsos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quæ, mixta cum alia lana alba et pariter munda, reducitur in filum, ex quo Pallia hujusmodi contexuntur latitudine digitorum trium, redacta in orbem, ita ut humeros Præsulum ambiant. A pectore et renibus particulam pendentem habet Pallium longitudinis palmi, et in extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem, in fine orbiculatas, nigro serico tectas, insutas supra pendentes particulas ante, et post, et super humeros utrosque. Sic confecta Pallia per Subdiaconos portantur ad basilicam Principis Apostolorum, et per Canonicos basilicæ

Digitized by Google

ponuntur super corpora Petri et Pauli Apostolorum sub altari majori, ubi, factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt; deinde restituunt Subdiaconis qui in loco honesto ea conservant.

III. Juxta modernum usum Pallia quidem conficiuntur ex lana agnorum prius in Missa solemni in ecclesia Sanctæ Agnetis extra muros urbis, die ejus cultui dicato, oblatorum. Qua autem forma hi agni afferantur, ac postmodum educentur, Palliaque ex lana ipsorum confecta benedicantur, diserte describit Nicolaus de Braulion, presbyter Oratorii Gallicani, in sua erudita particulari Dissertatione *De Pallio.* Subdiaconi, inquit, Apostolici, seu ministri Ecclesiastici Papæ, qui quidem quinque numero sunt, procurant ut die festo sanctæ Agnetis, qui est XXI januarii, habeantur duo candidissimi Agni, qui ponuntur supra equum hinc inde in duobus cistellis, in ejus ecclesiam portandi: consuetudo autem est ut conductor primum cum his transeat per plateam Sancti Petri, ante Palatium Vaticanum Papæ qui e fenestra manu eos benedicit. Dehinc vero per medium urbis eos defert ad præfatam ecclesiam S. Agnetis, in qua ejus sanctum corpus religiose asservatur et colitur; ubi in Missa solemni, cum perventum est ad *Agnus Dei,* offerantur a Religiosis hujus ecclesiæ, qui nunc sunt Canonici regulares Congregationis Sancti Salvatoris; deinde traduntur duobus Canonicis basilicæ Lateranensis S. Joannis, quæ est Cathedralis Papæ, a quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apostolicis, qui primum eos in pascuis quibusdam particularibus ad tempus servant; deinde eorum lanam a certis Monialibus in filum duci curant; ex quo filo, adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cum ista non sufficiat, vel ipsi, vel illæ Moniales fasciolas, eas lanas intertexendo, conficiunt, et ex eis postea Pallia benedicenda ad Sanctum Petrum. Hæc benedictio Palliorum non fit singulis annis, sed rarius prout necessitas mittendorum Palliorum exigit: et fit non in altari majori S. Petri, quod cernitur in medio superioris partis ecclesiæ, sed in alio inferioris partis, quod est sub isto, et ideo sepulturæ sancti Petri viciniori. Facta demum benedictione, relinquuntur Pallia una nocte super altare sepulturæ sancti Petri; deinde reconduntur in capsula, seu arcula parva, quæ ponitur et asservatur supra cathedram sancti Petri, in qua primum Romæ sedit.

[Hic addere juvat quæ sunt a Benedicto XIV decreta circa Palliorum, in festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, benedictionem, quæque ad nostra usque tempora fideliter, ut propriis oculis conspeximus, observantur. Quotannis peragitur hæc sacra functio, fitque post primas solemnitatis Vesperas, a Romano Pontifice, et eo forsan absente, a Cardinali illo qui dictas Vesperas pontificaliter celebravit. Afferuntur igitur Pallia ad Pontificem qui in sede sua remansit, ab uno ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, vestibus subdiaconalibus induto, comitantibus hinc et inde duobus Auditoribus collegis ipsius, et subsequentibus Pontificiæ consistorialis aulæ Advocatis. Præfatis Auditoribus istud muneris injungitur, quorum videlicet collegii Decano singulis annis traduntur agni ex quorum velleribus contexenda sunt ipsamet sacra Pallia; adsunt pariter consistorialis aulæ Advocati, quorum officium est pro Pallii cuilibet Metropolitano concessione apud Pontificem in Consistorio supplicare. Regressi igitur a Confessione Principis Apostolorum ubi collocata fuerant Pallia nondum benedicta, sistunt se ad Pontificem, qui mox surgens a sede, eadem aspergit et incensat, ac postea benedicit per sequentem Orationem quam ipse Benedictus XIV stylo apprime liturgico complevit: « Deus, pastor æterne animarum, qui eas ovium nomine » designatas, per Jesum Christum Filium tuum » B. Petro Apostolo, ejusque successoribus, » boni Pastoris typo regendas commisisti, atque » ipsis sacrarum vestium symbolis Pastoralis » curæ documenta significari voluisti; effunde » per ministerium nostrum super hæc Pallia de » beatorum Apostolorum Principum altari » sumpta, copiosam benedictionis et sanctifi- » cationis tuæ gratiam, ut quam mystice re- » præsentant, Pastoralis officii plenitudinem at- » que excellentiam, pleno quoque operentur » effectu. Humilitatis nostræ preces benignus » excipe, atque eorumdem Apostolorum meritis » et suffragiis concede, ut quicumque ea, te » largiente, gestaverit, intelligat se ovium tua- » rum pastorem, atque in opere exhibeat quod » signatur in nomine. Sit boni magnique illius » imitator Pastoris, qui errantem ovem humeris » suis impositam cæteris adunavit, pro quibus

Digitized by Google

» animam posuit : sit ejus exemplo in custodia » gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit » circumspectus, ne qua ovis in morsus incidat » fraudesque luporum. Sit disciplinæ zelo di» strictus, quod perierat requirens, quod alie» num reducens, quod confractum alligans, quod » pingue et forte custodiens. Videat humeris » suis impositam crucem, quam Filius tuus, » proposito sibi gaudio, sustinere non recusavit; » sitque illi crucifixus mundus et ipse mundo. » Tollat injectum collo suo Evangelicum jugum, » sitque ei ita leve ac suave, ut in via manda» torum tuorum cæteris exemplo et observatione » præcurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis, et » cum Apostolica Sede communionis perfectæ » tessera, sit charitatis vinculum, sit divinæ » hæreditatis funiculus, sit æternæ securitatis » pignus; ut in die adventus et revelationis » magni Dei, Pastorumque principis Jesu Chri» sti, cum ovibus sibi creditis stola potiatur im» mortalitatis et gloriæ. Per eumdem, etc. »]

IV. Placuit fuse hæc descripsisse, quo facilius intelligantur quædam antiquorum Pontificum loca, veterumque scriptorum testimonia, quibus dicitur Pallium tradi *de corpore sancti Petri*, sive, ut ait Urbanus II, Pontifex Maximus, in Epistola ad Bernardum archiepiscopum Toletanum, *ex Apostolorum Petri et Pauli benedictione sumptum*. In Epistola decretali, quæ relata est in cap. *Significasti* IV, *De Electione, etc.*, quam alii, ut supra notavimus, Paschali I, alii vero Paschali II tribuunt, diserte dicitur debere Metropolitanos tanquam membra Romano Pontifici, Petri successori ac supremo Ecclesiæ capiti, subjectionem profiteri, quod sua Pallia Archiepiscopalis dignitatis insignia, quæ a Sede Apostolica accipiunt, de sancti Petri tantum corpore assumantur. « Cum igitur a Sede Aposto» lica, » inquit Pontifex in ea Decretali, « vestræ » insignia dignitatis exigitis, quæ a beati Petri » tantum corpore assumuntur, justum est ut vos » quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debitæ » signa solvatis, quæ vos cum beato Petro tan» quam membra de membro habere, et Catho» lici capitis unitatem servare declarant. » Glossa canonici juris in laudato cap. IV, *De Electione*, notat Pallium ideo dici a beati Petri tantum corpore assumi, « quia scilicet Pallium benedi» citur et consecratur a Papa super altare beati » Petri, et ibi ponitur; et ille qui debet uti » Pallio, recipit ipsum de altari, si est præsens, » vel alius pro ipso, si est absens, et sic assu» mitur de corpore beati Petri. »

V. Est is antiquus mos, nam præter hactenus dicta, ait Willelmus Tyrius, lib. X, cap. XIII, Rodulpho, patriarchæ Antiocheno, Romanæ Ecclesiæ aliquando subjacere se dedignanti, quod diceret utramque Petri esse cathedram, eamque quasi primogenitæ insignem prærogativa, tandem ad meliora converso, « resignato » Pallio, quod idem Patriarcha de altari Antio» chenæ Ecclesiæ sua sibi sumpserat auctoritate, » in injuriam, ut dicebant, Sedis Apostolicæ, et » Cardinalibus tradito, aliud sumptum de cor» pore beati Petri more solemni per priorem » Diaconum » fuisse traditum. Alia ejusdem rei afferre exempla supervacaneum est. Illud certe mihi videtur in hoc Commentario, ubi agitur de forma tradendi Pallii, minime omittendum, qnod tradit Eminentissimus Petra, tomo V, ad Constitutionem III Pii II, sectione unica, n. XXII, dum Pallium traditur Eminentissimo Episcopo Ostiensi, ei inter alia dici solere : « Ut eo utaris » in consecratione Summi Pontificis, etc. » Quia scilicet, primus, quem sciamus, ex Episcopis, hoc honore affectus, ut Pallio uteretur, est Episcopus Ostiensis, qui illud a S. Marco, Pontifice Maximo, accepit, ut nimirum tunc ipso uteretur Pallio cum Urbis Episcopum consecraret; nam ut Ostiensis Episcopus Romanum consecraret Pontificem, antiquioris fuit haud dubie usus cum Dionysius Papa a Maximiano Ostiensi consecratus habeatur; testaturque sanctus Augustinus in brevicula *Collat. diei* III, capite XVI, eum vetustissimum ritum fuisse.

§ IV.

Quo dato, Pontifex, detecto capite, vadit ad cornu Evangelii altaris, et Patriarcha vel Archiepiscopus surgit cum Pallio; et ascendens ad altare, crucem suam ante se habens, si sit in ecclesia sua, vel alia suæ diœcesis vel provinciæ, detecto

Digitized by Google

capite, benedicit populum solemniter dicens : *Sit nomen, etc.* Qua benedictione data, dimissis in ecclesia paramentis, omnes ad sua revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. Cum de hac Episcopali benedictione alibi factus sit sermo, satis erit hic adnotare quod scribit vir clarissimus Andreas Piscara in sua *Cæremoniarum Praxi* lib. II, sectione XII, cap. IX, ubi de benedictione solemni agens, quæ datur ab Episcopo in fine Missæ, Concionis, Vesperarum, Processionum, et aliarum solemnium functionum, inter alia sic inquit : « Si Prælatus » sit archiepiscopus in loco suæ provinciæ, Ca- » pellanus deferet ante illum crucem, quam » genuflexus tenebit; ipse vero Archiepiscopus » stans sine mitra, prius caput cruci inclinat, » deinde eadem forma benedicit populo. » De solemni Archiepiscopali benedictione videri potest Michael Bauldry.

§ V.

Et quia Pontificalis officii plenitudo confertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchæ, Primatis aut Archiepiscopi, et non licet ei Episcopos consecrare, nec convocare Concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiamsi Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium.

COMMENTARIUS.

I. Si priora Ecclesiæ sæcula percurramus, pro comperto haberi potest nullibi usquam reperiri ut a Pontificali munere suspenderentur Metropolitæ, antequam Pallium recepissent. Quod non mirum videri debet, quum, etsi in Pallio contineri dicatur plenitudinem Pontificalis officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione, nequaquam id hoc sensu accipiendum sit, quasi ipsum Pallium aliquam revera potestatem accipienti tribueret; est enim merum externum Pontificis ornamentum; sed potius, quod ante illius receptionem, uti superius adnotatum fuit, ex jure mere positivo, seu consuetudine jam recepta, Metropolitani nec suas functiones obire, nec nomen Archiepiscopi assumere queant. Id quod, et de Primatibus, et de Patriarchis intelligendum est. Dolet Edmundus Richerius in *Historia Concilii* VIII, num. XII, reflectens ad juramentum in receptione Pallii præstandum, atque ad hanc subjectionem accipiendi Pallii quo Metropolita sacras functiones Pontificales obire possit, statimque in hæc verba prorumpit : « Quod primitus in » honoris ac dignitatis indicium et notam tri- » buebatur, tum demum in onus gravissimum » transiisse, ita ut Curia Romana prohibeat » Archiepiscopis ea obire munia, ad quæ jure » divino tenentur, antequam Pallium acquisie- » rint : quod tamen est res pure cæremonialis, » nihil ad potestatem Episcoporum conferens. » Richerio succinit Petrus de Marca *De Concordia Sacerdotii et Imperii*, ubi inter alia dicere non veretur Romanam Ecclesiam per eam Pallii accipiendi necessitatem, quo Pontificalia Metropolitani obire possent, antiquam eorum libertatem infregisse. Sed audiamus illius verba : « Optabant sane olim Summi Pontifices ut » omnes Metropolitani, qui ad eorum Patriar- » chatum pertinebant, aliquid confirmationis » genus a Sede Apostolica acciperent. Verum » quia ubique receptum erat consecrationes » fieri posse extra Italiam, absque eorum con- » sensu vim ei legi palam adferre noluerunt, » sed Metropolitanos rei cujusdam novæ mira- » culo velut obstupefecerunt, quæ in initio » magnifica, paulatim tamen antiquam eorum » libertatem per cuniculos infregit; et Synodo- » rum provincialium auctoritatem pessum- » dedit. De Pallii usu loquor, cujus origo cum » sit satis vetusta, effectus tamen ejus, et cæ-

Digitized by Google

» tera quæ nunc usurpantur, antiquitati prorsus » ignota fuere, etc. » Ita ille, cujus complures et quidem insignes errores notavit jam, confutavitque Christianus Lupus in memorata toties Dissertatione *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*, cap. VIII.

II. At hallucinari Edmundum Richerium ejusque asseclas, vel ex eo ostendimus quod non primum hanc Roma necessitatem gravissimumque, ut aiunt, onus Metropolitanis imposuit, non exercendi scilicet aliqua munia Pontificalia antequam sacro Pallio donati essent; sed ipsi profecto in hanc ultro venere consuetudinem, quæ deinde facta est illis necessitas, uti fuse ostendit Thomassinus parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LVII, numero VI et IX. Adde jam antea id moris fuisse in Oriente ut Metropolitæ, ante receptum a patriarcha Pallium, Pontificales functiones minime obirent. Enim vero S. Gregorius Magnus, lib. I, Epistola XXVII, ad Sebastianum episcopum Rhiziniensem diserte scribit, se summis precibus imperatorem rogasse pro Anastasio patriarcha Antiocheno ut liberum ei esset Romam venire, et usum Pallii ad obeunda munia Pontificalia retinere : « Præterea indico suggestionem me apud piissimos » Dominos summis precibus plenam fecisse, ut » virum beatissimum Dominum Anastasium » patriarcham, concesso usu Pallii, ad beati » Apostolorum Principis limina mecum celebraturum solemnia Missarum transmittere » debuissent, quatenus si ei ad sedem suam » minime reverti liceret, saltem mecum in honore suo viveret; » seu functiones Pontificales exerceret. Igitur nec Patriarchis in Oriente fas erat, nec Metropolitis ipsas obire Pontificales functiones sine Pallio. Postulasse S. Gregorium ab imperatore ut Pallii usus Anastasio Patriarchæ permitteretur, nequaquam intelligendum est quasi ipsum Pallium esset merum principis beneficium, uti plerique nugati sunt, sed quod ob ipsum offensum, licet injuste, ejectus Episcopus sine recepta ejus gratia reduci non posset. Cæterum, etsi coactum se dicat Petrus de Marca « a Baronio dissentiri, quod enixe contendat » Pallium Episcopo tribui non posse ab imperatore, eo quod sit indumentum Ecclesiasticum ; » quis non videt et in hoc etiam misere hallucinari ipsum de Marca, et sapientissime contendere amplissimum cardinalem Baronium ; eadem enim de causa complures Romani Pontifices et sacræ Synodi excluserunt imperatores et reges ab Antistitum investitura per porrectionem baculi Episcopalis ; multasque ipsi Pontifices pro ista Ecclesiæ libertate calamitates sustinuerunt, quas profecto non sine lacrymis enarrant passim scriptores Ecclesiastici.

III. Neque vero desunt quibus opinari lubet consuetudinem illam, ut Metropolitæ ante receptum Pallium a Pontificalibus omnino functionibus abstinerent, ab Oriente in Occidentem profectam fuisse, quia nimirum in œcumenica VIII Synodo, Canone XVII, edicitur Metropolitanos omnino omnes suæ dignitatis cumulatissimam plenitudinem jam accepisse, ubi a Patriarcha ordinati fuere, aut ubi Pallium ab eo acceperunt : « Hæc magna et sancta Synodus, » tam in seniore et nova Roma, quam in Sede » Antiochiæ et Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus observari, » ita ut earum Præsules universorum Metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, et sive » per manus impositionem, sive per Pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem. » Quod omnium Metropolitanorum consecratio ad Patriarcham pertineret, liquet ex sexto Nicæno Canone, et ex Epistola XVIII Innocentii I, Pontificis Maximi, ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum. Cum autem Patriarchæ Græci ob amplitudinem suarum provinciarum non possent omnes Metropolitas ipsi ordinare, ait Canon, eos quidem Metropolitas accipere cumulatissimam suæ dignitatis plenitudinem, qui vel a suo Patriarcha ordinati essent, vel ab eo Pallium accepissent. In Occidente, sancti Nicolai I, Pontificis Maximi, tempore, omnes Galliarum, Germaniæ et aliarum regionum Archiepiscopos id observasse, ut ante receptum Pallium non nisi corpus Christi consecrarent, in responsione ad Bulgaros idem Nicolaus, qui sedit anno 858 Pontifex, affirmat. Sic enim inquit, cap. LXXIII : « Archiepiscopum » Episcopi simul congregati constituant; sane » interim in throno non sedentem, et præter » corpus Christi, non consecrantem, priusquam » Pallium a Sede Romana recipiat ; sicut Galliarum omnes, et Germaniæ, et aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur. »

IV. Ergo non is primum Pontifex, neque alius quispiam qui ante illum universalem

Digitized by Google

rexit Ecclesiam, Metropolitanis eam legem imposuit non exercendi Pontificalia ante Pallii receptionem. Ipsos Metropolitanos censendum est ea se obstrinxisse lege. Cum autem Pallium insigne sit plenitudinis pontificiæ potestatis, uti passim sacri Canones, non mirum si hinc illud necessario sequitur, ut nemo ejus potestatis ulla obeat ante munia, quam ejus insigne et quasi investituram sumat. Recte itaque Joannes VIII Papa in Epistola CVIII ad Archiepiscopum Arelatensem de nimia quorumdam Gallorum præsumptione querebatur, quod ante acceptum Pallium a Sede Apostolica, Pontificalia obire auderent. Recte etiam Gregorius VII, lib. IX, epistola I, Rothomagensi Archiepiscopo prohibuit ne vel episcopos, vel Presbyteros ordinaret, vel ecclesias ante dedicaret quam Pallium acciperet a Romano Pontifice : « Nullum dein» ceps Episcopum vel Sacerdotem ordinare, seu » ecclesias præsumas consecrare, donec honoris » tui supplementum, Pallii videlicet usum, ab » hac Sede impetraveris. » Recte insuper Innocentius III, inter alios excessus, et illius etiam notam inussit Alberto cuidam archiepiscopo Ecclesiæ Armachanæ, totius Hiberniæ Metropolis, quod ante receptum Pallium ausus fuisset Clericum ordinare. Sic autem rescribit Cardinali Apostolicæ Sedis legato, qui ipsum Pontificem et de hoc excessu memorati Archiepiscopi consuluerat. « Præterea cum non liceret Archi» episcopo sine Pallio convocare Concilium, » conficere Chrisma, dedicare basilicas, ordi» nare Clericos et Episcopos consecrare, mul» tum profecto præsumit qui, ante quam im» petrat Pallium, Clericos ordinare festinat. »

V. Ex hoc Innocentii rescripto, quod legere est in cap. *Quod sicut*, Extra. *De Electione*, desumpta videtur præsens Rubrica nostri Romani Pontificalis; sive ex lib. I ejusdem Innocentii, *De Mysteriis Missæ*, cap. LXIII, ubi ita inquit : « Dicitur autem Pallium plenitudo Pontificalis » officii, quoniam cum ipso et in ipso confertur » Pontificalis officii plenitudo; nam, antequam » Metropolitanus Pallio decoretur, non debet » Clericos ordinare, Pontifices consecrare, vel » ecclesias dedicare, nec Archiepiscopus appel» lari. » In summa, Archiepiscopus ante receptionem Pallii, nec quæ sunt Ordinis valet exercere, neque Archiepiscopus nominari. Quod quidem adeo rigorose procedit, ut si unius Ecclesiæ Archiepiscopus, qui alias Pallio donatus fuerat, ad aliam ipse similiter Archiepiscopalem sedem transiret, teneretur novum Pallium a Romano Pontifice petere, nec primo concesso uti valeret, quemadmodum constat ex iis postremis nostræ Rubricæ verbis : *Etiamsi Pallium in alia Ecclesia habuisset, eum oporteat petere novum Pallium;* et ex quodam rescripto laudati Innocentii III ad Præpositum et Capitulum Strigoniense, legiturque in cap. *Bonæ memoriæ*, IV *De Postulatione Prælatorum*, ubi ait Pontifex Colocensi Archiepiscopo in Strigoniensem Archiepiscopum postulato, licentiam se tribuere ad Strigoniensem Ecclesiam transeundi, Palliumque ei ad nomen et usum ejusdem Ecclesiæ transmissurum; quia nimirum prius Pallium fuit illi concessum, uti Metropolitano prioris Ecclesiæ. Itaque translati ab una Ecclesia Metropolitana ad aliam, non possunt uti Pallio quod acceperant in prima sua Ecclesia. Id quod passim docent canonici juris consulti, estque hodierna Ecclesiæ praxis.

§ VI.

Potest tamen, quando vult, Missam sine Pallio et sandaliis celebrare.

COMMENTARIUS.

I. Posse Archiepiscopum non modo in propria, sed et in aliena diœcesi sine Pallio ac sandaliis Missam celebrare, diserte edicit Honorius III, Pontifex Maximus, in Epistola Decretali ad Archiepiscopum Lugdunensem, qui ea de re ipsum Pontificem consuluerat, uti videre est in cap. *Tua nos*, VII *De auctoritate et usu Pallii;* ubi ita respondisse Honorium legimus : « Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod » tam in tua quam in aliena diœcesi potes abs» que Pallio et sandaliis celebrare. » Porro constat, jam tum Nicolai I Papæ tempore, omnes Galliarum, Germaniæ et aliarum regionum Archiepiscopos, eodem ipso teste Nicolao in

Digitized by Google

Responsione ad Bulgaros, cap. LXXIII, id observasse, ut, licet a Pontificalibus ante receptum Pallium abstinerent, Missas tamen sine ipso Pallio celebrarent.

II. Dicet quispiam, in Concilio Matisconensi I in Galliis habito, anno 581. can. VI, expresse præcipi « ut Archiepiscopus sine Pallio Missas » dicere non præsumat. » Verum respondet Lupus in Dissertatione *De Africanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus*, cap. IX in fine, et Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, cap. XXIV, num. XVI, agere eum Canonem de solemni Missa. Quod si hæc interpretatio non arrideat, multo minus ea placere potest, quam tradit Petrus de Marca lib. IX *De Concordia*, cap. VII, ubi ait eo Canone non agi nisi de Pallio quodam, quod Metropolitanis Galliæ omnibus commune esset et proprium, a Romano Pallio prorsus diversum. Id vero probat, quod eo uti præcipiat Concilium in Missis singulis, cum certis quibusdam tantum iisque solemnioribus diebus Romano uti liceret. At eum insigniter hallucinari, fuse ac eleganter ostendit memoratus Lupus; additque Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LIV, proferre oportuisse Petrum de Marca ad suam constabiliendam opinionem alia quæpiam argumenta, quibus Gallicum illud Pallium a Romano discriminans posset comprobari; nullum enim alibi ejus vestigium exstat. Illius profecto auctoris erat vetitum illud fuisse Episcopis aliis, et solis Metropolitanis proprium; eo accepto ordinatos, eo adempto exauctoratos fuisse Metropolitanos; ambitum denique fuisse a meris Episcopis hoc Metropoliticum Galliæ Pallium aliquando usurpatum. Hæc omnia de Romano et Græco Pallio constant testimoniis et exemplis compluribus a laudatis Christiano Lupo et Ludovico Thomassino relatis; at de Gallicano Pallio nihil usquam istiusmodi, uti iidem auctores fatentur.

§ VII.

Potest etiam hujusmodi consecrationes ante Pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi Pallium.

COMMENTARIUS.

I. Metropolitanum, antequam receperit Pallium, imo etiam, antequam consecratus sit, modo electus et confirmatus fuerit, gavisum hoc jure fuisse, ut consecrationem sui Suffraganei delegare alii possit Episcopo suffraganeo, docet nos Alexander III in cap. XI *De Electione;* ejusque verba hæc sunt : « Suffraganeis alicu- » jus Metropolitani ad mandatum ipsius post » confirmationem electionis suæ, etiamsi Pal- » lium non receperit, licitum est Electum, qui » ad ejus jurisdictionem pertinet, consecrare. » Ex quo decreto illud quidem colligi potest, laudatum Pontificem, cum confirmationis tantum meminerit, non vero consecrationis, videri non obscure innuisse confirmationem Metropolitani solum sufficere, ut Suffraganeis suis auctoritatem ordinandi suam commodet, non autem consecrationem ipsius esse requisitam. Quod iis etiam textibus in cap. *Nosti*, et cap. *Transmissam* cit. tit. *De Electione*, comprobari potest, qui docent statim a confirmatione Pontificem eligere posse, conferre beneficia, censuras ferre, uno verbo, omnia quæ jurisdictionis sunt, etiam ante consecrationem et Pallii receptionem, exercere. Tradunt id passim canonici juris interpretes in suis ad laudatos textus commentariis.

II. Neque obstat Archiepiscopum per se ante Pallii receptionem non posse Episcopum consecrare, et consequenter, nec aliis posse eam consecrationem committere. Nam, uti recte admodum docet Gonzalez in citato cap. *Suffraganeis*, Archiepiscopus dum committit Suffraganeo consecrationem Electi qui ad ejus jurisdictionem pertinet, non committit profecto Ordinis potestatem, quæ delegari nequit, cum proveniat ex charactere; sed tantum præstat jurisdictionem quam habet in consecrandis Episcopis, ut Episcopus nimirum possit Episcopum ordinare, qui alias ex defectu jurisdictionis illum consecrare non valebat. Conjunguntur ergo potestas Ordinis quæ residet in Episcopo delegato,

Digitized by Google

et jurisdictio quæ mandatur ; et sic ex his duobus, jurisdictione scilicet unius, et alterius Ordine, rite celebratur consecratio ab Episcopo suffraganeo : sicut defuncto Archiepiscopo, Suffraganei rite consecrant suum, ut aiunt, Consuffraganeum, uti ex priscis Canonibus liquet. Sed neque id quod mox dicebamus novum videri debet, aut insolens ; etenim juxta jus Pontificium, licet Capitulum sede vacante non possit Ordines conferre, potest tamen committere subditos suos alicui Episcopo ut ab eo ordinentur, servata forma Concilii Tridentini, sessione VIII, *De Reformatione,* cap. X. Jure etiam Cæsareo, proconsul qui ante ingressum civitatis jurisdictionem non habebat ex lege I ff. *De officio Proconsulis,* poterat nihilominus jurisdictionem ipsam alteri demandare. Ita pariter, etsi Archiepiscopus, antequam Pallium recipiat, non possit Episcopum consecrare, potest tamen Episcopo hujusmodi consecrationem committere.

III. Dissimulari insuper nequit gravis difficultas quæ oritur ex quadam Epistola quæ apud Gratianum, can. I, distinctione C, Pelagio Papæ tribuitur. Indicare enim satis videtur, toto eo tempore quo Metropolitanus sine Pallio fuerit, ordinationes Episcoporum provinciæ esse differendas, et si ipse in eo petendo negligens fuerit, ad Metropolitanos vicinos transferendas. « Quoniam, inquit, quidam Metropoli» tanorum fidem suam secundum priscam con» suetudinem sanctæ Sedi Apostolicæ exponere » detrectantes, usum Pallii neque expetunt, ac » per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ec» clesiis non sine periculo protelatur : placuit » ut quisque Metropolitanus, ultra tres menses » consecrationis suæ, ad fidem suam exponen» dum Palliumque suscipiendum ad Apostoli» cam Sedem non miserit, commissa sibi careat » dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia » post secundam et tertiam commonitionem vi» duatis Ecclesiis cum consilio ordinando Epi» scopos (*alias* Episcopo) subvenire. » Constat itaque, ex memorata Epistola, Episcoporum consecrationem differri oportere donec Archiepiscopus Pallii usum consequatur, adeoque dum illud non obtinet, neque per se, neque per alium posse Episcopos consecrare. Quod quidem contrarium omnino videtur præsentis nostræ Rubricæ præscripto, et decreto Alexandri III Papæ superius recitato.

IV. Difficultatem, quam ex memorata Pelagii Epistola proposuimus, agnovit profecto Glossa Juris Canonici tam in cap. *Suffraganeis*, Extra. *De Electione*, quam in Canone *Quoniam*, distinctione C, agnovere et passim canonici juris consulti, variisque modis eam solvere conati sunt. Verum responderi optime potest cum Hallierio, *De sacris Ordinationibus,* pag. 700, sæpe ob reverentiam Metropolitani, Episcoporum provinciæ consecrationes dilatas fuisse quousque Pallium ipse suscepisset, et Ordinationem Suffraganei, non solum auctoritate, verum etiam præsentia sua perficeret ; ideoque ut malo huic occurreretur, recte cautum ut, quantocius fieri posset, Metropolitanus Pallium acciperet : in pœnam etiam Metropolitani visum Pelagio Pontifici addere, ut, si ipse in mora esset petendi Pallii, ab alterius provinciæ Episcopis Suffraganei ejus ordinarentur ; tum, ut major ipsi incutiatur pudor, dum ab extraneis Episcopum suum consecrari viderit, quem a Suffraganeis suis auctoritate sua consecrari ægre minime laturus videretur ; tum ut a Suffraganeis suis urgeatur ad petendum Pallium, dum nempe ob ejus injuriam ipsi quoque debito sibi jure privantur. Addit præterea Hallierius probabile esse temporariam eam fuisse Pelagii constitutionem, nec universalem, sed limitatam ad provincias Romanæ Exarchiæ, seu Primatus, in quibus Pelagii II tempore, uti ex plerisque ejus epistolis liquet, Ligurum, Venetorum atque Istriorum Episcopi contra V Synodum pro defensione trium Capitulorum non leve schisma conflaverant ; adversus eos dimicat quidem Pelagius : et, ut facilius tam Archiepiscopi quam Episcopi ad fidem Romanæ Ecclesiæ redirent, statuit ne Archiepiscopi, non petito Pallio, in cujus receptione fidem atque obedientiam Papæ promittunt, Episcopos consecrare possent, aut aliis committere consecrandos, ut nimirum hoc pacto Episcoporum consecratione protelata obedientiam Pelagio præstarent.

V. Etsi autem potestas sit Archiepiscopo ante receptum Pallium consecrationem sui Suffraganei alteri demandare, aliaque nonnulla agere quæ potestatem quidem jurisdictionis spectant, sunt tamen minoris momenti (non enim graviora sine Pallio posset, ut Concilium convocare, etc.), hæc nihilominus intelligi debent,

Digitized by Google

si Archiepiscopus non fuerit in mora petendi Pallii, quod quidem petere jure cogitur intra tres menses, nisi justum impedimentum obsistat, uti videre est in can. *Quoniam*, distinctione c. Debet autem illud petere « instanter, instan- » tius, et instantissime,» juxta formulam relatam ab Augustino Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. VII, num. CXV : « Ego N. electus » Ecclesiæ N. instanter, instantius, et instantis- » sime peto mihi tradi et assignari Pallium de » corpore S. Petri sumptum, in quo est pleni- » tudo Pontificalis officii. » Formula vero qua traditur Pallium, habetur in § III hujus tituli. Cæterum, etsi passim Pontifices inculcarint non posse Archiepiscopum ante Pallii receptionem Pontificales obire functiones, parum tamen olim curasse videntur de iis legibus Gallicani quidam Metropolitæ, quos tamen juste redarguerunt, et Joannes VIII, Epistola XCIII ad Archiepiscopum Arelatensem, et S. Gregorius VII, lib. IX, Epistola I. Fulbertus episcopus Carnotensis, qui floruit initio XII sæculi, in Epistola XLVIII ad Archiepiscopum Turonensem, ejus fuit opinionis, ut ita scribere non vereretur : « Si Pallium re- » quisistis a Romano Pontifice, et illud vobis » sine causa legitima denegavit, propter hoc » non est opus dimittere ministerium vestrum : » at si vestra tarditate nondum est requisitum, » cautela est exspectare donec requiratur, ne » vos ex improviso præsumptionis arguere pos- » sit. » An autem Archiepiscopus, ante Pallium receptum exercens Pontificalia, aliquam juris pœnam contrahat, puto equidem nullam : potest tamen per sententiam ab officio et ministerio removeri, aut alia mitiori pœna puniri, uti post alios docet Azorius, *Institutionum Moralium* parte II, lib. III, cap. XXXIV.

§ VIII.

Neque ante habitum Pallium potest Electus ante se crucem deferre, sed tantum postea.

COMMENTARIUS.

I. Primus omnium, quibus inter eundum prælata crux fuit, fortasse fuit Leo IV, Pontifex Maximus; scribit enim in ejus Vita Anastasius Bibliothecarius id in more fuisse, ut Subdiaconi huic Pontifici ejusque successoribus, cum urbe ipsi equo vecti egrederentur, eam prægestarent crucem auream, quæ Leoni III dono data fuerat a Carolo Magno imperatore. Cujus rei meminit etiam cardinalis Baronius anno 855. Præter crucem, etiam sanctissimum Eucharistiæ sacramentum præferri consuevisse Romano Pontifici iter agenti, peculiari commentario comprobat Angelus Rocca, tomo I suorum Operum, pag. 37 et seqq. Sed hoc obiter dicto, cœpit postmodum et ipsis Romanorum Pontificum Legatis præferri crux; sicque dum memoratus Leo IV Anscharium Hamburgensem episcopum, cui Gregorius IV jam usum Pallii dederat, legatione Apostolica insignivit, id ei tribuit facultatis ornari caput illius mitra, et portari ante ipsum crucem, uti videre est apud Mabillionum in Præfatione partis II *Sæculi* IV *Benedictini*, numero CLXXXII, et apud Franciscum Pagium in *Breviario Romanorum Pontificum*, ubi agit de Leone IV.

II. Sed cum in Lateranensi Synodo IV, cap. V, cautum legamus ne Patriarchis quidem permitti præferri ipsis suas cruces, ubi Pontificius adfuerit Legatus, satis profecto deduci potest Legatos Pontificios, ut personam ipsius Papæ præ se ferentes, longe potiori et antiquiori jure præferendæ crucis gaudere quam ipsos Patriarchas : « Dominicæ crucis vexillum ante se faciant » ubique deferri, nisi in urbe Romana et ubi- » cumque Summus Pontifex præsens exstiterit, » aut ejus Legatus, utens insigniis Apostolicæ » dignitatis. » Relatus est is Concilii memorati Canon in cap. IV *Antiqua*, Extra. *De Privilegiis, et excessibus Privilegiatorum*. Cæterum, ut omittam exemplum Humberti cardinalis, qui, anno 1050 Legatum agens Apostolicæ Sedis Constantinopoli, crucem sibi præferri curavit, constat ex Matthæo Parisio in Richardo I Willelmum Eliensem episcopum, Legatum Sedis Apostolicæ in Anglia, ob insatiabilem suam avaritiam, locum dedisse mordacissimo illi di-

Digitized by Google

cterio, ab ejus cruce non redemptam, sed redimendam fuisse Angliam omnem, communemque illam fuisse omnium crucem et cruciatum regni : « Omnes enim Ecclesias Angliæ » crux illa redemit, id est ad redemptionem » coegit, nec fuit aliquis immunis qui crucis » illius stigmata non sentiret. »

III. Constat admissum non fuisse aliquando Cardinalem Legatum a regibus, ac præsertim a Ludovico XI, Galliæ rege, anno 1480, nisi ea lege, ut crux ei præferretur ubique extra præsentiam regis. Sed nemo nescit hujus principis, vel scrupulosas singularesque cautiones, vel frivolas non raro suspiciones, uti post alios Gallos scriptores testatur religiosissimus Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LIX, num. IX. Enim vero vel Carolus ipse VIII, Ludovici ejusdem filius et successor, excepit honorificentissime cardinalem Balvam Legatum cum cruce et cum toto Legatorum ornatu. Quod autem affertur a Fevretio exemplum de Eboracensi Archiepiscopo, qui, auctore Matthæo Parisio, ex capella regia cum cruce sua extrusus est, hoc ejusmodi exemplum est quo Fevretii doctrina labefactetur : non enim regis, sed Archiepiscopi Cantuariensis cum cruce sua, præsentia Eboracensem inde fugavit, ne Metropolitica crux coram Primatiali consisteret. Addit Fevretius, lib. III *De abusu*, cap. III, numero XII, et exemplum illud Aquisextiensis parlamenti, ubi vetitus est Archiepiscopus ne cum cruce sua adesset. Verum tradit laudatus Thomassinus nihil de ea re definitum fuisse, ubi ad consilium regium delata est; statimque subjungit, licet diversus et antiquitati contrarius mos, vel a parlamentis, vel a principibus, vel ab Archiepiscopis ipsis, aut consentientibus, aut conniventibus invectus est, ingenue confitendum rem eam ad illa disciplinæ capita spectare, quæ versatilia sunt, in quibus tempori parendum, necessitati serviendum est; ubi denique a justitia non abhorret quicquid charitati indulgetur, alendæque principum et Sacerdotum concordiæ.

IV. Post Apostolicæ Sedis Legatos et Patriarchas, eo etiam honore donatos fuisse Primates fuse ostendit Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. I, cap. LIX. Nobis sat erit referre eo nomine Archiepiscopum Eboracensem, de Primatu Angliæ certantem cum Archiepiscopo Cantuariensi, jus præferendæ crucis sibi asseruisse per universam Angliam, variisque temporibus recidivam inter Cantuariensem et Eboracensem Præsules recruduisse controversiam, de qua videri potest rescriptum Alexandri III, Pontificis Maximi, ad ipsum Archiepiscopum Eboracensem in cap. I *Ut lite pendente nihil innovetur*, ubi hæc habet Pontifex : « Statuimus ut » litteræ prohibitionis, quas ad petitionem Ar» chiepiscopi Cantuariensis tuæ fraternitati di» reximus, nullum præjudicium faciant, quo» minus tibi et successoribus tuis liberum sit » (quemadmodum vobis est beneficio privilegio» rum Apostolicæ Sedis indultum, et tu, et » prædecessores tui consuevistis facere) ante vos » per totam Angliam deferre crucem, quousque » definitiva sententia decernatur an Ecclesia » tua de jure hoc debeat habere. » Certe videtur jam ante annum Christi millesimum Primati Bituricensi id facultatis fuisse, ut crux illi sua prægestaretur in utraque provincia Bituricensi atque Burdigalensi, quæ Exarchatui ejus obnoxiæ tum essent. Quod quidem nos docet Eugenius III, in Epistola LXIII ad Primatem Bituricensem scripta : « Porro ad majorem » reverentiam per supradictas provincias vexil» lum Dominicæ crucis ante vos deferri conce» dimus, sicut etiam antiqua prædecessorum » vestrorum consuetudo obtinuit. »

V. Quod tandem spectat Archiepiscoporum crucem, multa exstant apud Raynaldum Pontificum Romanorum diplomata, quibus eam ipsi Archiepiscopis seu Metropolitanis concessere. Sane eo diplomate, quo anno 1238 facultatem dedit Gregorius IX Guesnensi archiepiscopo ut prælata cruce obambularet, ita eum monuit : « Considerans diligenter quod in cruce Domini » nostri Jesu Christi te oporteat gloriari, pie » desideras salutiferæ crucis vexillum ante te » facere de nostra licentia bajulari, qui crucis » mortificationem jugiter in tuo corpore debes » pro divini nominis amore portare. Nos igitur » attendentes quod non sunt tibi armaturæ » cœlestis insignia deneganda, qui contra perse» cutores Ecclesiæ certamine incessanter labo» res, præsentium tibi auctoritate concedimus, » ut per tuam provinciam ante te ferri facias » crucis signum, nisi cum Apostolicæ Sedis Le» gatus in Polonia fuerit constitutus. » Docet laudatus Thomassinus, cap. LIX, num. VIII, non

Digitized by Google

abhorrere a vero, sub Alexandro IV vel sub Gregorio IX, crucem demum Metropolitanis omnibus factam communem fuisse, ut ea deinceps Metropoliticæ dignitati quodammodo coaluerit, nec posthac potuerit unquam divelli; indeque esse, quod in Decretalibus a Gregorio IX publicatis de cruce Archiepiscopali nullus exstat titulus, etsi sit de Pallio, cujus jam dudum usum assecuti fuerant Metropolitæ omnes. Est autem in *Clementinis* titulus qui inscribitur *De privilegiis, etc.*, ubi non solum supponitur crux Archiepiscopis omnibus in promiscuo jam usu fuisse, verum etiam et illud decernitur, ut possint Archiepiscopi per totam provinciam, etiam in locis exemptis, uti jure prægestandæ crucis, sicut et benedicendi populis et Pontificalia celebrandi : « Archiepiscopo per quævis loca » exempta suæ provinciæ facienti transitum, ut » crucem ante se libere portari faciat.... duxi» mus concedendum. »

VI. Neque vero solum posse, sed et debere Archiepiscoporum Primatumve crucem inferri coram principibus summis, et in curias amplissimas comitiorum regni, sive parlamentorum, abunde nos docent præstantissimorum exempla Antistitum, inter quos clarissimus sanctissimusque Dominicanæ familiæ alumnus, Bartholomæus a Martyribus, archiepiscopus Bracharensis, in ea ipsa Lusitaniæ regni comitia crucem suam intulit, ubi Philippus II, Hispaniarum rex, ejus regni corona redimitus ab ipso fuit. Carolus autem, Mediolanensis archiepiscopus, sanctitate et disciplina Ecclesiastica conspicuus, teste in ejus Vita Giussano, lib. III, cap. V, a curru Henrici III, Francorum regis, declinavit, ne, si in eo cum rege sedisset, non posset satis honorifice crux deferri. Cumque hic idem Præsul sanctissimus, eodem teste Giussano, lib. VIII, cap. III, invisurus Ducem Sabaudiæ Taurinum profectus esset, vidissetque Taurinensem Archiepiscopum, cum palatium Ducis adiret, abstinere a gestanda cruce, increpuit eum, admonuitque præire suam ei semper debere crucem, et ubique locorum, atque adeo in ipso Ducis triclinio.

VII. Hæc quæ hactenus enarravimus, profecto tunc locum habent ubi electus Archiepiscopus jam Pallium receperit : « Neque enim, ait Ru» brica, ante habitum Pallium potest Electus » ante se crucem deferre, sed tantum postea. » Hinc merito Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, Samuelem Dubliniensem in Hibernia archiepiscopum objurgavit, libro III, epistola LXXI, et libro IV, epistola XXVII, quod crucem sibi præferri juberet, affirmans id juris eos tantum habere Archiepiscopos qui Pallium a Romano Pontifice accepissent. « Præterea au» divi quod facis portari crucem ante te in via. » Si verum est, mando tibi ne hoc amplius » facias, quia non pertinet, nisi ad Archiepi» scopum a Romano Pontifice Pallio confirma» tum. » Sunt hodie nonulli Episcopi, Lucensis seu Lucanus nempe in Etruria, et Papiensis in Lombardia, qui, ut testatur Eminentissimus Vincentius cardinalis Petra, tom. V, ad constitutionem III Pii II, sectione unica, num. XLIII, « *sicut habent usum Pallii, ita etiam et crucis;* » additque ibidem memoratos Præsules ea uti cruce in capite insignium Gentilitiorum subtus pileum Pontificale. Aliis quoque Episcopis aliquando prælatam fuisse crucem, et regibus, fuse docent eruditissimus Novarinus clericus Regularis, lib. VIII *Schediasmatum*, cap. I; Grethserus, lib. II *De Cruce*, cap. XXXV; Codinus, *De officiis Domus Augustæ*, cap. V; Bosquetus ad Innocentium III, et alii complures. Ante regem Hungariæ S. Stephanum, ceu Apostolatus insigne, deferri crucem, inter alia privilegia concessit Silvester II, Pontifex Maximus, uti ad annum Christi millesimum ex Cartuitio episcopo, qui Vitam scripsit memorati regis, narrat Cæsar cardinalis Baronius.

VIII. Ne quid autem omittamus ejus ritus præferendæ crucis Patriarchæ vel Archiepiscopo, illud insuper adnotandum censeo, duplex agnosci discrimen inter delationem crucis Patriarchalis et Archiepiscopalis. Primum quidem est ratione formæ, Patriarchæ etenim utuntur cruce geminum lignum transversum habente; superiusque brevius est inferiori : Archiepiscopi vero uno duntaxat ligno transverso compositam crucem præ se ferunt; uti notarunt Cujacius in cap. *Sane*, III *De foro competenti*, et Lipsius in *Notis* ad librum *De Cruce*. Quibus adde quod alii eruditi docent, inter quos vir clarissimus Pompeius Sarnelli episcopus Vigiliensis, tomo IX *Epistolarum Ecclesiasticarum*, Epistola XXXIX, ubi ait rem profecto esse symbolicam, et a pictoribus adinventam, qui sicut ad denotandum Patriarcham, crucem cum duplici transverso, ita cum triplici

Digitized by Google

ad significandum Papam pingere solent; cum cæteroqui nec Patriarchæ, nec Legati Apostolicæ Sedis, nec ipsi Romani Pontifices iter agentes, aliam crucem sibi præferri faciant, quam crucem simplicem sine duplici scilicet, vel triplici transverso ligno compositam. Hinc de Urbano V, quem aiunt primo usum Pontificio triregno, id est tiara triplici corona ornata, sic quidam Poeta cecinit:

Cur tibi Crux triplex, Urbane, triplexque corona?
Anne suam sequitur quæque corona crucem?

IX. Aliud inter crucis Patriarchalis et Archiepiscopalis discrimen est ratione loci, nam Patriarchæ etiam per totum suum patriarchatum jus habent sibi præferendæ crucis; Archiepiscopi vero nonnisi intra provinciam suam. Singulare quidem est in nostro Neapolitano regno privilegium Archiepiscopi Nazareni, qui ex peculiari indulto Clementis IV, confirmato ab Innocentio VIII, Clemente VII et a S. Pio V, Pontificibus Maximis, auctoritatem habet deferendi non modo crucem, sed et Pallium ac Mozzetam, non solum in sua diœcesi, verum, excepta Urbe, per universum terrarum orbem, ut hac honoris specie civitas illa decoraretur, unde Unigenitus Dei Filius natalem suum sortiri dignatus est diem. Quod sane privilegium justum eidem exhibet titulum crucem ubique gerendi, adeo ut a nemine molestari possit, uti optime decisum fuit a sacræ Rotæ Romanæ Præsulibus adversus Tranensem Archiepiscopum die XXVIII junii anno 1647, uti videre est tomo X *Recentiorum*, decisione CVI.

X. Cæterum, uti docet Ughellus, tomo VII *Italiæ sacræ*, primæ editionis, pagina 1038, Nazarena Metropolitica in Galilæa sedes erat post captam Jerosolymam, Gotofredo duce, a Latinis constituta. Verum occupata Turcarum armis Palæstina anno 1190, ac proinde civitate Nazareth et Archiepiscopali ejus sede in captivitatem redacta, placuit Summis Pontificibus ne ejus civitatis atque Ecclesiæ nomen interiisse videretur, ex quo Christus ipse Dominus ac Redemptor noster se cognominari voluit Nazarenum, placuit, inquam, huic Archiepiscopo honorariam sedem in Italia constituere, ubi profugus benigne exceptus fuerat. Igitur in nobili Apuliæ oppido nostri regni Neapolitani, quod Barilum sive Barletta dicitur, Tranensis diœcesis, domicilium assignarunt, et non procul a mœnibus ecclesiam Beatæ Mariæ de Nazareth una cum juribus, titulo et dignitate Archiepiscopali in Metropolitanam erexerunt, ac successu temporis præter alias parochiales ecclesias, quas illi subjecerunt cum spirituali et temporali imperio, duas etiam cathedrales cum ea conjunxerunt, Cannensem scilicet anno 1455, et Montis Viridis anno 1534, privilegiis ac vetustate ornatas. Injuria inde bellorum Metropolitana hæc ecclesia solo æquata, S. Pii V, Pontificis Maximi, auctoritate, anno Christi 1567, Pontificatus I, intra oppidum in Abbatiali ecclesia S. Bartholomæi cum juribus ac privilegiis a S. Mariæ Nazarenæ titulo translata est; quam Bernardinus de Figuera Hispanus, nobilibus parentibus in Granatensi regno natus, archiepiscopus Nazarenus, a fundamentis magnifice reædificavit anno Christi 1572, ut ex marmorea inscriptione, quæ in choro ejusdem templi exstat, ipse Ughellus comprobat.

§ IX.

Nec potest Patriarcha vel Archiepiscopus uti Pallio extra suum patriarchatum vel provinciam, et non omni tempore, sed tantum in ecclesiis, in Missarum solemniis, in festis præcipuis, non in processionibus, neque in Missis pro defunctis: et quia Pallium est personale, ideo accommodari non potest, neque in morte alicui relinqui, sed Patriarcha vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet.

COMMENTARIUS.

I. Solum Romanum Pontificem in Missarum solemniis Pallio semper uti et ubique, alios vero tum Patriarchas, tum Archiepiscopos eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis tantum debere uti diebus, tradit Innocen-

Digitized by Google

tius III, relatus in cap. *Ad honorem Dei*, IV *De auctoritate et usu Pallii*, eamque reddit rationem : « Quoniam Pontifex assumptus est in » plenitudinem potestatis, alii vero vocati sunt » in partem sollicitudinis. » Nec desunt exempla quibus edoceamur Romanos Pontifices non modo in Missarum solemniis, sed etiam in aliis Ecclesiasticis functionibus, sacro Pallio usos fuisse. Ex Ordine Romano X, num XIII, de processione feriæ sextæ in Parasceve, quæ a Lateranensi basilica ad ecclesiam Sanctæ Crucis fiebat, recte colligit vir clarissimus Dominicus Georgius, lib. I *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. XXV, num. XI, in ea processione Pallio super planeta indutum fuisse Pontificem. Narratur enim, postquam Pontifex ecclesiam Sanctæ Crucis ingressus esset, intrasse Secretarium, et, abstracta planeta cum Pallio, ibi aliquantisper sedisse. In Conciliis etiam ipsos Pontifices Pallio insignitos consedisse, ostendi potest ex Actis Concilii Barensis, quod anno Christi 1097 habitum est. Ibi siquidem interfuisse legitur Urbanum II, Pontificem Maximum, casula et Pallio indutum : « Ut ergo ventum est ad Con» cilium, Apostolicus ante corpus sancti Nicolai » constratus tapetibus et palliis, ipse casula cum » Pallio amictus, tribunal ascendit, cæteri cum » cappis sedebant. »

II. Sedulo autem ac diligenter a Romanis Pontificibus cautum fuit ne Pallium extra Missarum solemnia, vel extra ecclesiam alii gestarent; idque ex veteri Ecclesiæ consuetudine, quam indicat S. Gregorius lib. II, epistola LIV ad Joannem archiepiscopum Ravennatem, sic scribens : « Illud, Frater charissime, tibi non » putavimus ignotum, quod pene de nullo Me» tropolitano in quibuslibet mundi partibus sit » auditum, extra Missarum tempus usum sibi » Pallii vindicasse.» Et lib. IV, epistola L ad Vigilium Arelatensem; « Pallium, inquit, trans» misimus, quo fraternitas tua intra ecclesiam » ad sola Missarum solemnia utatur. » Idipsum statutum legimus in Synodo Romana sub Joanne Papa VIII edita, a viro clarissimo Holstenio, cap. III : « Quicumque Metropolitanorum » per plateas vel in Litaniis uti Pallio præsum» pserit, et non tantum in præcipuis festivitatibus » et ab Apostolica Sede in dictis temporibus, » ad Missarum solummodo solemnia, careat » illo honore. »

III. Si verum est quod scribit Flodoardus in Historia apud Baronium, anno 849, Hincmarus, Remensis Ecclesiæ archiepiscopus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reverentia per interventionem Lotharii imperatoris Pallium ad quotidianum suscepit usum a Leone IV Papa, a quo jam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debite fruendum. Quem quotidianum Pallii usum nulli unquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur. Ait hæc Flodoardus; verum commentitiam esse hujusmodi concessionem cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, capite XXIV, num. XVI, perspicue demonstrat ex Epistola XLVII Nicolai I Papæ ad ipsum Hincmarum, et ex ejusdem ad Nicolaum responso. Concessum olim S. Brunoni Coloniensi antistiti ab Agapito II, Romano Pontifice, Pallium, ut eo præter consuetudinem uteretur quoties vellet, testatur in ejus Vita, cap. XXIII, apud Surium, die XI octobris, Rogerus Monachus. Milo quoque in Vita S. Lanfranci Cantuariensis, cap. XI, refert Alexandrum II duo Pallia illi dedisse, unum quod de altari Romano more accepit; alterum quod sua manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solitus erat, in indicium sui amoris.

IV. Porro etiam Græci Episcopi, uti recte observat Lupus in scholio ad Canonem XXVII Synodi octavæ generalis, non nisi intra ecclesiam et Missarum solemnia poterant gestare Pallium. Enim vero, dum Evangelium legeretur, consuevisse ab illis deponi non sine mysterio, tradit in libro de *Mystagogia*, sive de Missa, Simeon episcopus Thessalonicensis hisce verbis : « Dum Evangelium legitur, Episcopus » Omophorion (id est Pallium) deponit, servi» tutem atque subjectionem suam erga Domi» num demonstrans. Quoniam cum ille per » Evangelium loqui cognoscitur, et tanquam » coram adest, ipse tunc monimentum incar» nationis ejus gestare non audet, sed ab hu» meris ablatum Diacono tradit, qui illud » dextera complicatum retinet, ipsi Episcopo » adstans, et sacra dona præcedens. » Hunc antiquissimum Orientalis Ecclesiæ ritum præclare descripsit Isidorus Pelusiota, lib. I, epistola CXXXVI, ubi ait eam cæremoniam deponendi Pallium ad lectionem sancti Evangelii,

Digitized by Google

in memoriam ovis amissæ, de qua in Evangelio sermo est, a Græcis fieri consuevisse : « Cum » verus Pastor per adorandorum Evangeliorum » assertionem accedit, tum demum Episcopus » assurgit, atque imitationis habitum (id est » Pallium) deponit; hic nimirum Dominum » ipsum pastoralis artis ducem et herum adesse » significans. » Et statim causam exponens cur Pallium habitum imitationis vocet, sic inquit : « Id amiculum, quod Sacerdos humeris gestat, » atque ex lana, non ex lino, contextum est, » ovis illius quam Dominus aberrantem quæ- » sivit, inventamque humeris suis sustulit, » pellem designat; Episcopus enim qui Christi » typum gerit, ipsius munere fungitur, atque » ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se » boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, » qui gregis infirmitates sibi ferendas propo- » suit. » Vide nostrum opusculum, *De Codice sancti Evangelii, atque servatis in ejus lectione et usu vario ritibus*, lib. II, cap. XXI, ubi plura diximus de Omophorio, id est Pallio. Cæterum ex recitato huc usque Isidori testimonio ratio profecto deduci potest, quam ob causam voluerit Ecclesia Episcopos, non nisi intra Missarum solemnia, Pallio uti. Cum enim laneum Pallium perditam ovem significet, hæc autem reperta non est, nisi per cruentum crucis sacrificium, jure ac merito Episcopi Redemptorem nostrum ac ovis portatorem Christum Dominum repræsentantes, Pallio nisi in incruento Missæ sacrificio uti non possunt. Etsi autem alicubi dicatur uti posse Pontificem Pallio cum Episcopum consecret, vel ecclesiam, intelligendum id censet Gouzalez in cap. *Cum sis*, VI *De auctoritate et usu Pallii*, quia memoratæ functiones inter Missarum solemnia celebrantur.

V. Caverunt præterea Romani Pontifices ut ii quibus esset jus deferendi Pallium, in festis quidem præcipuis, eo uterentur, non vero in processionibus, nec in Missis, ut aiunt, pro defunctis. Quæ sint hæc festa præcipua quibus Pallium gestari potest, in sequenti Commentario explicabimus. Quod autem nefas sit Archiepiscopo Missas pro defunctis cum Pallio celebrare, constitutum id ab Honorio III fuisse legimus in litteris ad Archiepiscopum Lugdunensem, uti videre est in cap. *Tua nos*, Extra. *De auctoritate et usu Pallii*, ubi ita rescripsit Pontifex : « Quum » etiam in tua diœcesi non semper debeas cele- » brare cum Pallio, sed diebus illis duntaxat » qui in Ecclesiæ tuæ privilegiis sunt expressi, » soluta est quarta quæstio qua quæsisti an tibi » licitum pro defunctis cum Pallio celebrare. » Ergo præcipua ratio, ob quam nequit Archiepiscopus uti Pallio cum pro defunctis celebrat, illa profecto est, quia hujusmodi dies non reperiuntur expressi in forma traditionis Pallii, seu privilegiis Ecclesiæ concessis.

VI. Quod vero in processionibus uti Archiepiscopus Pallio non possit, decisum habemus a Clemente III, Pontifice Maximo, in cap. I *De auctoritate et usu Pallii*, ubi nescio quem Archiepiscopum hisce plane verbis admonuit : « Si vero te sacris indutum vestibus ecclesiam » processionaliter vel alio modo exire contige- » rit, tunc Pallio uti minime debeas. » Et, ut altius rem repetamus, cum Joannes Ravennatum archiepiscopus Pallium etiam extra Missarum solemnia in litaniarum extra ecclesiam processionibus portare quasi ex Ecclesiæ suæ antiquo privilegio soleret, zelo exardescens sanctus Gregorius Magnus veteris tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ disciplinæ, quam ille penitus conculcarat, magno animi sui sensu, libro II, indictione XI, epistola LIV, graviter eumdem reprehendit, dicens litanias esse cilicii et pœnitentiæ processiones, adeoque non esse in iis ornamentum illud ferendum. Legenda est omnino ea Epistola in qua etiam docet Pallium esse grave jugum, pondus, et vinculum cervicis, ac professæ humilitatis tesseram, ideoque nec adfectandum, neque ferendum pro sæculari gloria. Cæterum ægre tandem post longam disquisitionem, ob consuetudinem Ecclesiæ Ravennatis, quam ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus afferebat, adductus est S. Gregorius ut Ravennatibus Metropolitis Pallii usum in processionibus quater in anno concederet. Unde lib. IV, indictione XIII, epistola LIV, Mariano Ravennæ episcopo Pallii usum concedens, ita scribit : « Apostolicæ Sedis benevolentia, et » antiquæ consuetudinis ordine provocati, fra- » ternitati tuæ, quam in Ravennate Ecclesia » gubernationis suscepisse constat officium, » Pallii usum prævidimus concedendum. Quo » non aliter te uti memineris, nisi in propria » tuæ civitatis, dimissis jam filiis, ecclesia, pro- » cedens a salutatorio ad sacra Missarum solem-

Digitized by Google

» nia celebranda; peractis vero Missis idem in » salutatorio rursum curabis deponere : extra » ecclesiam vero non amplius illo tibi, nisi qua» ter in anno in litaniis, quas ad decessorem » tuum Joannem expressimus, uti permitti» mus. » Scilicet die natalitio beati Joannis Baptistæ, beati Petri Apostoli, et beati Apollinaris Martyris, atque die natali consecrationis Archiepiscopi Ravennatis, quemadmodum videre est lib. IV, indictione XIII, epistola XI. Salutatorium idem est ac Secretarium, seu, ut aiunt barbara voce, *Sacristia*. Cur autem salutatorium eo nomine appellaretur, fuse ac erudite explicat vir clarissimus Dominicus Georgius *De Liturgia Romani Pontificis*, pagina 66 et seqq.

VII. Cum denique, ut ait Rubrica, Pallium sit personale, ideo alteri commodari nequit, neque in morte alicui relinqui; sed Patriarcha vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet. Id quod jam exstat decisum a Cælestino III qui a nescio quo Archiepiscopo consultus utrum ipsi liceret Pallium suum alii Metropolitano commodare, si contigerit eum sine Pallio suo ad ecclesiam sibi commissam, vel in aliqua præcipua solemnitate venire, et in eadem ecclesia Missarum solemnia celebrare, ita illi rescripsit: « Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod » non videatur esse conveniens ut Pallium » tuum alicui commodes, cum Pallium in per» sonam non transeat, sed quisquis, sicut tua » novit discretio, cum eo debeat sepeliri. » Exstat hoc Cælestini rescriptum in cap. *Ad hæc*, II *De auctoritate et usu Pallii*. Adeo autem Pallium personam respicit Archiepiscopi, tanquam Metropolitani illius Ecclesiæ cui præest, ut si ipse in aliam Ecclesiam similiter Archiepiscopalem transferretur, adhuc novum Pallium a Romano Pontifice petere teneretur, nec primo concesso, intuitu prioris, uti valeret, quia nimirum illud concessum ei fuit uti prioris Ecclesiæ Metropolitano; quemadmodum liquet ex quodam Innocentii III rescripto quod nos supra ad calcem Commentarii, in § V hujus tituli, explicuimus. Itaque si Pallium Archiepiscopo semel concessum, eo ipse uti nequit, si ad aliam Ecclesiam translatus est, multo minus poterit suum Pallium alteri commodare. Debet ergo Archiepiscopus cum eo sepeliri, non vero alii relinquere, cum, juxta veterem Ecclesiæ morem religiose hactenus servatum, unusquisque sepeliendus sit cum insignibus dignitatis suæ, quibus in vita decorabatur.

VIII. Innumera profecto ad hunc veterem morem comprobandum afferri possent exempla; insigne quidem illud est, quod nobis suppeditat Vita S. Ignatii, patriarchæ Constantinopolitani, quam scripsit Nicetas Paphlago; statim enim ut obiit, « illum sacro Patriarchæ ornatu » ex more domestici vestiunt, et venerandum » Jacobi fratris Domini Superhumerale cum » veneratione illi induunt, quod ante aliquot » annos Hierosolymis sibi missum tanta vene» ratione prosecutus est, ac si ipsum Jacobum » Apostolum, et primum in eo Humerali Pon» tificem spectaret; hoc propterea voluit, ut » secum sepeliretur. » Idipsum affirmat in ejusdem S. Episcopi encomio Michael Syncellus, sic inquiens : « Ferunt Ignatium, postquam » creatus est Patriarcha, Divi Jacobi, fratris Do» mini, Superhumerale nactum, sæpe dum » viveret eo ornatum, et post mortem cum eo» dem sepultum. » Refert præterea Hugo abbas Flaviniacensis in *Chronico* Mirdunensi, tempore Richardi abbatis S. Vitoni, Herimannum Metensem episcopum, « cruce, mitra et Pallio » decoratum, fuisse sepultum. Legimus etiam in Actis translationis S. Dunstani archiepiscopi Cantuariensis, annulum in ipsius digito inventum fuisse; unde non dubium videri debet quin aliis Pontificalibus ornamentis idem sanctus Præsul sepulturæ traditus fuerit. Idem de S. Anselmo, qui aliquanto post Dunstanum Cantuariensi præfuit Ecclesiæ, narrat Eadmerus. Et, ut alia exempla omittam, quæ videri possunt apud Bollandianos passim, ubi narrant funus ac sepulturam sanctorum Archiepiscoporum qui cum insignibus dignitatis suæ, adeoque cum Pallio humati fuerunt, docet Theodoretus in *Philotheo*, cap. XVII, Episcopos olim Pontificali veste indutos sepultos fuisse.

IX. Non negaverim tamen alium antiquitus fuisse morem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua defuncti Episcopi Pallium, quod sancti Marci Evangelistæ primitus fuerat, in successorem transibat. « Consuetudo est Alexandriæ, inquit » Liberatus in *Breviario*, cap. XX, illum Patriar» cham, qui defuncto succedit, excubias agere » super defuncti corpus, manumque dexteram » ejus suo capiti imponere, et sepulto manibus

Digitized by Google

» suis, accipere collo suo beati Marci Pallium, » et sic legitime sedere. » Item scribit Rupertus abbas Tuitiensis, lib. I *De divinis Officiis*, cap. XXII, Maternum Trevirensis Ecclesiæ a beato Petro Apostolo creatum Episcopum, hæreditatem Pallii suis successoribus dereliquisse. Porro si qua fides est Liberato diacono, qui nobis Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem enarravit, nescio an locum habere possint Acta Martyrii S. Petri Alexandrini apud Baronium anno 310, num. X, ubi aiunt ipsum Pontificem, « indutum vestibus Sacerdotalibus albi » coloris, colobio et Omophorio triumphali » pompa ad cœmeterium delatum, sepulturæ » mandatum fuisse. »

X. Reliquum est ut ad hujus saltem Commentarii calcem paulo fusius enarremus id quod initio præsentis Rubricæ habetur, non posse scilicet Patriarcham vel Archiepiscopum extra suum patriarchatum vel provinciam Pallio uti. Quod quidem non modo sacris Canonibus Pontificumque decretis, sed et rationi consentaneum est. Cum enim forma cujuscumque concessionis diligenter servanda sit, uti passim docent canonici juris consulti ex cap. *Cum dilecta* XXII, *De Rescriptis;* nec ab ea in aliqua parte recedere liceat : quis non videt inde sequi, nec Patriarcham, nec Archiepiscopum, ne formam traditionis Pallii excessisse videantur, posse extra suum patriarchatum vel provinciam Pallium gestare ? Adde; cum Pallium concedatur ut eo insignitus Archiepiscopus, uti superius ostensum fuit, Missarum solemnia celebret, quæ non nisi intra ecclesias celebrari possunt, merito præscribit nostra Rubrica Pontificalis, secuta veteres Ecclesiæ Canones, intra ecclesiam Archiepiscopalem, non vero extra, Pallio uti posse Archiepiscopum. Cum insuper in qualibet ecclesia suæ provinciæ fas sit Archiepiscopo Missam celebrare, quia nimirum talis celebratio ad actus jurisdictionis minime spectat, recte idcirco concluditur posse Archiepiscopum uti Pallio in qualibet suæ provinciæ ecclesia. Argumentum est eruditissimi Emmanuelis Gonzalez in cap. I *De auctoritate et usu Pallii*, ubi varias difficultates refellit, quæ in hanc Rubricæ nostræ partem fieri ab adversariis possent.

XI. Hoc mihi quoque loco explicandam reservavi illam facti speciem, quæ relata est in cap. *Ex tuarum* V, citato titulo. Cum tempore Innocentii III tota fere Compostellana provincia a Saracenis occupata esset, eaque occasione Petrus Archiepiscopus Compostellæ frequentius abesset extra provinciam suam pro Ecclesiæ suæ negotiis, et grave ei esset absque Pallio ministrare, postulavit ab Innocentio ut extra provinciam suam uti Pallio ei liceret, adducens generalem Hispaniæ consuetudinem, ubi Archiepiscopi indifferenter Pallium extra provinciam suam gestabant. His motus Pontifex, licet hujusmodi consuetudinem floccipenderet eamque diceret esse potius corruptelam, ex speciali tamen gratia eidem indulsit ut Pallio ei uti liceret in aliena ecclesia, si forte ad eam declinaret necessitate præpeditus Suffraganeos consecrandi, vel proprios Clericos ordinandi causa, de consensu scilicet diœcesani. Non enim licet in aliena diœcesi Ordinationem celebrare sine Ordinarii loci consensu ; ex can. *Episcopi* VIII, quæstione I, et can. *Nullus* IX, quæstione II. Verba Innocentii in ea Decretali hæc sunt : « Licet autem talis consuetudo dicenda sit po- » tius corruptela, nos tamen de speciali gratia » indulgemus tibi, ut si necessitate aliqua præ- » peditus, ad ecclesiam tibi subjectam accedere » forte nequiveris pro consecrandis Suffraganeis » tuis, vel Clericis ordinandis, et ad ecclesiam » alienam propter hoc te contigerit declinare, » dummodo is, ad quem ecclesia pertinet, id » permittat, utendi Pallio in jam dictis casi- » bus liberam habeas facultatem. »

XII. Cæterum Cælestinus III, Pontifex Maximus, in capite *Ad supplicationem*, IX, Extra. *De Renuntiatione*, cum permisisset Ragusiensi Archiepiscopo ob vitæ periculum propriæ sedi renuntiare, sanxit profecto ut ille in Eboracensi archiepiscopatu degens, proprio Metropolitæ subjaceret, et sic in Episcopali ornatu divina perageret quidem mysteria, ut tamen usu Pallii abstineret : « Ad supplicationem, inquit, Ragu- » siensis Archiepiscopi, eum a cura qua teneba- » tur Ecclesiæ Ragusiensis duximus absolven- » dum, eo quod ibi non poterat secure morari, » etsi accessum haberet ad illam, mortis sibi » periculum imminebat. » Et infra : « Ne vero » idem in vituperium ministerii nostri defectum » in rebus temporalibus patiatur, mandamus, » quatenus beneficium, quod de liberalitate re- » gia, ac concessione tua in Episcopatu Carleoli,

Digitized by Google

» et Ecclesia de Malebros est illi collatum, ad » sustentationem conservet ipsius. Cui conces- » simus ut in Episcopatu absque usu Pallii » officium Episcopale valeat exercere; tibi tan- » quam Metropolitano reverentiam et obedien- » tiam impensurus. » Verba sunt memorati Cælestini in Epistola decretali ad ipsum Archiepiscopum Eboracensem. Quod vero scriptum est in cap. *Cum sis* v, *De auctoritate et usu Pallii*, usum Pallii ubicumque concedi Archiepiscopis; id intelligendum omnino est prout determinatur in cap. I, tit. eodem, id est intra quamlibet ecclesiam suæ provinciæ. Puto equidem Synodum Tridentinam inhibentem usum Pontificalium in aliena diœcesi absque consensu Ordinarii, inhibuisse censendam esse et usum Pallii.

§ X.

Dies quibus Pallio uti potest Patriarcha sive Archiepiscopus, hi sunt : Nativitas Domini nostri Jesu Christi. Sancti Stephani Protomartyris. S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. Circumcisio Domini. Epiphania Domini. Dominica in Palmis. Feria v in Cœna Domini. Sabbatum sanctum. Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus. Dominica in Albis. Ascensio Domini. Dominica Pentecostes. Festum Corporis Christi. Festivitates quatuor B. Mariæ semper Virginis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis. Nativitas S. Joannis Baptistæ. Festum omnium Sanctorum. Festivitates omnium Apostolorum. Dedicationes ecclesiarum. Principales Festivitates ecclesiæ suæ. Ordinationes Clericorum. Consecrationes Episcoporum et Virginum. Dies anniversarius Dedicationis ecclesiæ, et Consecrationis suæ.

COMMENTARIUS.

I. Variis temporibus varii assignati fuerunt gestationi Pallii dies. Adrianus II, Pontifex Maximus, in litteris ad sanctum Arctadum episcopum Nannetensem, ubi ei Pallium concessit, paucos hosce tantum dies expressit, in quibus ei sacro illo ornamento uti liceret : « Fraternitati » tuæ Pallium ad Missarum solemnia tantum » celebranda concedimus : in die duntaxat san- » ctæ et venerandæ Domini nostri Jesu Christi » Resurrectionis, ac Nativitatis, seu Ascensionis » die, et in Assumptione beatæ Dei Genitricis » semper Virginis Mariæ, seu in Natalitiis bea- » tissimorum Apostolorum, sive in Nativitate » S. Joannis Baptistæ, nec non et in Natali san- » cti Christi confessoris Martini die, verum etiam » et in Ordinationis tuæ natalitio concedimus » die, sicut a beatissimo prædecessore Gregorio » sancitum est. » Scribit Nicolaus I, Epistola XXXIX ad Rodulphum archiepiscopum Bituricensem, quod « Pallio Apostolico in Cœna Do- » mini uti illis solis est licitum, quibus est ab » Apostolica Sede permissum. » Quia scilicet tunc dies iste nondum erat inter ordinarios assignatus.

II. Certe si veterum Pontificum litteras evolvamus, miram de iis diebus in quibus Pallium gestari debeat varietatem inveniemus, uti videre est in Alexandri II ad Petrum archiepiscopum litteris, et in aliis quas Urbanus II ad Eliam archiepiscopum Bracharensem misit. Alexander quidem ita scribit : « Pallium autem frater- » nitati tuæ ex more ad Missarum solemnia « celebranda, sicut antecessoribus tuis conces- » sum est, concedimus : videlicet, in Natali » Domini, Epiphania, Cœna Domini, Pascha, » Ascensione, Pentecoste, Natali sancti Joannis » Baptistæ, Natali Apostolorum Petri et Pauli, » et quatuor festivitatibus sanctæ Mariæ, scilicet » Nativitate, Annuntiatione, Purificatione, As- » sumptione, et duobus festis S. Angeli : sic pro » Natalitiis quoque duodecim Apostolorum, Na- » tali S. Gregorii, et sanctorum Sergii et Bacchi, » et festivitate omnium Sanctorum, atque Natali » tuo, et quoties ordinationem vel consecra-

Digitized by Google

» tionem Ecclesiarum celebraveris. » Urbanus vero, nonnullos ex memoratis ab Alexandro dies omittens, alios addit qui in recitata Epistola desiderantur. Sic enim ad laudatum Eliam Bracharensem archiepiscopum scribit, ubi Pallium ei mittit : « Propterea fraternitati tuæ Pallii u» sum ex more concedimus, ut eo, inter Missa» rum solemnia, certis duntaxat festivitatibus » utaris ; videlicet, Nativitate Domini, S. Ste» phani, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Resur» rectione, Ascensione, Pentecoste, Nativitate » S. Joannis Baptistæ, Natalitiis Apostolorum, » et festivitatibus S. Nicolai et Sabini, festivi» tate omnium Sanctorum, in annua Ordina» tionis tuæ die, in Ordinatione Episcoporum » seu cæterorum Clericorum, in Consecratione » etiam ecclesiarum, in Translatione etiam Do» mini confessoris Nicolai. » Fuit sane varia olim disciplina circa ipsos dies in quibus Archiepiscopi inter Missarum solemnia Pallio uti deberent. Quidam dies, quos cæteroqui Summi Pontifices pro suo arbitrio aliquantum variabant, omnibus Archiepiscopis communes erant; alii vero speciales uniuscujusque, uti fuit dies Sancti titularis propriæ ecclesiæ, et dies Natalis ipsius Archiepiscopi, id est dies in quo quis Archiepiscopus consecratus fuerat.

III. Puto equidem nostram Rubricam desumptam fere totam fuisse ab illa dierum numeratione, quæ habetur in forma traditionis Pallii ab Innocentio III edita, exstatque in *Gestis* ipsius *Innocentii* ab erudito Bosqueto editis, ubi folio LXIV hæc legitur forma tradendi Pallii : « Ad honorem Dei omnipotentis, et beatæ Ma» riæ Virginis, et beatorum Apostolorum Petri » et Pauli, et Domini Papæ Innocentii, et Roma» næ Ecclesiæ, nec non et Ecclesiæ tibi com» missæ, tradimus tibi Pallium de corpore beati » Petri sumptum in signum videlicet plenitu» dinis Pontificalis officii, quo ad Missarum » solemnia infra Ecclesias tibi subjectas utaris, » in Nativitate Domini, festivitate Protomar» tyris Stephani, Circumcisione Domini, Epi» phania, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna » Domini, Sabbato sancto, Pascha, Feria se» cunda post Pascha, Ascensione Domini, Pen» tecoste, tribus festivitatibus S. Mariæ, Natali » beati Joannis Baptistæ, solemnitatibus omnium » Apostolorum, commemoratione omnium San» ctorum, Dedicationibus ecclesiarum, Conse» crationibus Episcoporum, Ordinationibus Cle» ricorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivita» tibus, anniversario consecrationis tuæ die. » Non negaverim aliquos, quos memorat Rubrica nostra pro usu Pallii, dies, in ea forma dandi Pallium quam ex Innocentio III recitavimus, omnino desiderari, quales sunt dies tertius Paschæ, dies Dominicæ in Albis, dies festus Corporis Christi, itemque unus ex quatuor festis diebus B. Mariæ Virginis, tres enim ab Innocentio memorantur, dies quoque quo Virgines consecrantur, et dies anniversarius Dedicationis ecclesiæ; de quibus omnibus (excepto die festo Corporis Christi, cujus recens est institutio, auctore Urbano IV Pontifice Maximo, quem medio fere sæculo in Pontificatum Innocentius præcessit) tum Pontificum Litteræ, tum alia Ecclesiæ monumenta frequentem faciunt mentionem. Constat quidem, de hisce diebus, varios fuisse Ecclesiarum mores; ideoque cuivis Archiepiscopo suum esse privilegium inspiciendum, diserte Honorius III ad Archiepiscopum Lugdunensem, sive Triseblitanum, ut in sexta Decretalium collectione legitur, rescripsit, uti videre est in cap. *Tua nos* VII, *De auctoritate et usu Pallii*. Ibi : « Diebus illis duntaxat qui » in Ecclesiæ tuæ privilegiis sunt expressi. » Tandem in veteribus Pontificalibus editis ante emendationem Clementis VIII dies consecrationis Virginum deest, festique dies beatæ Mariæ Virginis absolute absque ulla penitus numeratione memorantur.

IV. Finem facio titulo huic de Pallio, adeoque sacris Ritibus qui in ipso Metropolitanis Patriarchisve tradendo hodieque servari consueverunt. De eo admonitos eosdem velim, quod aliquando Patres in Concilio generali VIII, can. XXVII, statuerunt ne scilicet sacro Pallii ornamento ad inanem gloriam utantur; non enim profanum quoddam est Pallium ornamentum præstringendis oculis, aut palpandæ ambitiosi Præsulis cupiditati institutum ; splendida quidem vestis est quæ significat virtutum summam quamdam pulcherrimam, quibus Archiepiscopus in bonum sui gregis regimen fulgere debet : hinc Magnus Gregorius, lib. IV, epistola XIV, Joannem Ravennatem Episcopum objurgabat quod fulgore sacrarum vestium non inflammaretur ad amorem virtutum : « Invenio » quia honor Episcopatus vestri totus foris in

Digitized by Google

» ostensione est, non in mente. » Hinc in eodem lib. IV, epistola XV ad Joannem primæ Justinianæ episcopum, Pallium mittens, eum monet ut sit in custodia commissi gregis vigilans atque sollicitus, et disciplinæ zelo districtus ne lupus insidians, nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Videnda tota Epistola, quæ ad Pastoralem curam quam maxime pertinet. Hinc etiam ad Virgilium episcopum Arelatensem Epistola LI scribit ornatum Pallii ornari ab ipso debere insomni vigilantia, pietate singulari, Apostolico animarum salutis zelo : « Sed jam nunc studio » majori res indiget, ut cum honor crescit, etiam » sollicitudo proficiat, et erga cæterorum custo- » diam vigilantia excrescat, vitæ quoque merita » subjectis in exemplum veniant, et nunquam » sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra » cœlestis patriæ, vestra fraternitas exquirat. » Hæc et alia plura documenta ex S. Gregorii epistolis de usu Pallii collegit eruditus Thomassinus parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LV, num. X, ubi in fine memorat Epistolam illam quam ad Joannem episcopum Panormitanum scripsit Gregorius, eum admonens, Pallii traditione id ipsi oneris fuisse impositum, ut et capiti Ecclesiæ universalis, Pontifici maximo reverentiam dependi curaret, et Canones religiosissime observari. Sic enim inquit libro XI, epistola XLII : « Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis » reverentia nullius præsumptione turbetur. » Tunc enim status membrorum integer manet, » si caput fidei nulla pulset injuria, et Canonum » manet incolumis atque intemerata semper » auctoritas. »

TITULUS XV.

DE BENEDICTIONE ABBATIS.

I. Sequens ordinem hodierni Romani Pontificalis Clementis VIII ac Urbani VIII, Maximorum Pontificum, auctoritate recogniti, aggredior explicationem tituli *De benedictione Abbatis*, cum alias juxta edita ante hosce Pontifices Romana Pontificalia, statim post Pallii tractationem enarrandi essent tituli, *De Ordinatione et Consecratione Summi Pontificis*, *De Receptione et coronatione Imperatoris*, et *De Monacho faciendo*. Iis itaque hic omissis, ut cum methodo nobis præfixa procedamus, præmittendum censemus vocem *Abbas* esse hebraicam, quæ *Patrem* latine significat, testante id S. Augustino in Epistola CLXXVII, ubi ita ait : « Paulus dicit » Romanis scribens : *In quo clamamus, Abba* » *Pater*, in uno nomine duabus utitur linguis ; » dicit Abba hebræo vocabulo Patrem, et latine » nominat identidem Patrem. » Idipsum docet libro III, *De Consensu Evangelistarum*, cap. IV, his verbis : « Quod autem ipse Marcus non so- » lum Pater, sed *Abba Pater*, cum dixisse com- » memorat, hoc est Abba hebraice, quod latine » Pater. » Augustinum sequitur ejusque verba exscribit S. Isidorus, episcopus Hispalensis, lib. VII *Originum*, cap. XIII. Censet ergo Augustinus utraque lingua fuisse Christum locutum, prout etiam Scholiastes apud S. Hieronymum : « Hebraice, inquit, et Græce loquitur, quia non » est distinctio Judæi et Græci. » Alii putant, Scripturarum more, hebraicum vocabulum cum sua interpretatione positum, teste Benedicto Haefleno, *Disquisitionum Monasticarum* lib. III, tract. V, disquisit. I.

II. Utcumque autem hoc sit, Abbatis seu Patris nomine optime exprimitur is qui monasterio præest ; nam ut verbis utar Tertulliani in libro *De Oratione*, cap. II, « Appellatio ista et » pietatis est, et potestatis. » Pietatis, quia parentes et superiores filios subditosque debent diligere ; potestatis vero, quia peccantes corrigere debent. Hinc Abbatem sanctus Benedictus admonet in sua Regula, ut semper meminerit

Digitized by Google

nomen factis implere. Atque huc spectat id quod inquiunt Patres Concilii Parisiensis VI, lib. I, cap. XXXVII : « Decet, imo necesse est, ut Abbates Canonicorum attendant utquid Abbates » vocentur : si patres spirituales sunt, et filios » spirituales Domino gignunt..., merito Patres » appellantur. » Patres Concilii Aquisgranensis II, cap. I, idipsum affirmant, ubi ita aiunt : « Abbates Ecclesiastica jura intemerata custo» diant, videlicet, ut cognoscant cujus præno» mine notentur in eo quod Abbates vocati sunt, » quod et intelligitur in typo Christi nomen » spiritualis Patris ; ideoque semetipsos nomini » quod accipiunt conforment, ut subditis et » spiritualibus filiis exemplum præeundo et » informando religiose exhibeant. » Porro sunt nonnulli, qui pie admodum, et per quamdam accommodationem Christum Dominum faciunt Abbatem in magno Ecclesiæ monasterio, cujus regula in Evangeliis digesta sit, ut Crantzius, lib. VIII *Metropoleos*, cap. XLVII, et alii, inter quos etiam Gerson, parte II, *Sermone in Cœna Domini*, hæc ait : « Erat Judas civis Sanctorum » adscriptus de civitate Jerusalem, tanquam » domesticus, commensalis, et Canonicus regu» laris sub Abbate Christo. » Et mox : « Tra» didit Jesum patrem suum, fratrem suum, » domesticum suum et Abbatem. » Quo testimonio inter alios utitur Pennottus, lib. II, c. IV et V, ut canonicos Regulares ab Apostolis institutos demonstret ; quin et Ascanius Tamburinus, tomo I *De jure Abbatum*, disputatione II, quæsito IX, asserit ipsum Jesum Christum appellari Abbatem, institutorem, legislatorem, ducem et patrem, quia Monachorum omniumque Religiosorum status ab eo immediate institutus et ordinatus fuit.

III. Illud certe apud omnes pro comperto habetur, cum ab initio Monachi extra Clerum essent, ipsos Abbates fuisse laicos, locumque ante illos ubique habuisse vel infimum Clericum qui dicitur Ostiarius, uti videre est in eo decreto quod ex Romana Synodo sub S. Silvestro Papa recitat Gratianus, distinctione XCIII, canone V : « Ostiario Abbas in omni loco re» præsentet obsequium suum, sive in publico, » sive in gremio ecclesiæ. » Verum rebus in melius compositis, ne deesset in Monasterio qui Missam celebraret et sacramenta fratribus ministraret, cœperunt paulo post alicubi Abbates in Presbyteros promoveri ; etenim sub S. Cyrilli Alexandrini Patriarchatu omnes ferme Ægypti Abbates fuisse Presbyteros, aut Diaconos, liquido constat ex ejus ad ipsos de symbolo Epistola, quæ num. XLIII exstat in Appendice Concilii Ephesini. Complures etiam ex Monachis sæculo IV fuisse in Clerum Syricii Pontificis beneficio adscitos, ostendimus jam nostro I tomo *Conciliorum* in Canonem IV Chalcedonensem, ubi etiam fuse demonstravimus fuisse olim Monachos jurisdictioni Episcoporum subjectos ; unde non mirum videri debet, si Abbatum olim electio ad Episcopos pertineret ; qui tamen cum ultra modum ea potestate abuterentur, constitutum fuit a Summis Pontificibus, præsertim vero a S. Gregorio Magno, « Abbatem cuilibet » monasterio non alium, sed quem dignum mo» ribus atque actibus Monasticæ disciplinæ » communi consensu congregatio poposcerit, » ordinari. » Can. *Abbatem* XVIII, quæstione II. Quod quidem jam ante ex Regula S. Benedicti, cap. LXIV, cautum fuerat : « In Abbatis ordina» tione, inquit, illa semper consideretur ratio, » ut hic constituatur, quem sibi omnis concors » congregatio, secundum timorem Dei, sive » etiam pars quamvis parva, congregationis se» niori consilio elegerit. »

IV. Quanquam vero de solemni, quæ hodie in usu est, Abbatum benedictione nihil in regulis Monasticis, aut antiquis historiis, aut Ecclesiasticis monumentis occurrat, verisimile tamen esse videtur solemnem ipsum Abbatum benedictionem, quæ ad Episcopalem consecrationem non parum accedit, tunc temporis invaluisse, quando Abbates una cum ornamentis Pontificalibus ad ipsam quodammodo Pontificalem sive Episcopalem eminentiam ac dignitatem ascendere cœperunt, uti opinatur Zegerus Van-Espennius, parte prima *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXXI, cap. IX, num. XII. Licet autem VII Synodus generalis II Nicæna, can. XIV, de Abbatibus faciat mentionem, qui ab Episcopo manus impositionem acceperunt, verum adnotat ad dictum Canonem Balsamon, Zonaras aliique Græci commentatores, tantum in eo Canone sermonem fieri de impositione manus, qua Abbas in Presbyterum ab Episcopo ordinatus fuit. Unde errare Glossam canonici juris, autumat Van-Espennius, dum ipsa ad Canonem I, distinctione LXIX, apud Gratianum, « hanc manus

Digitized by Google

» impositionem pro benedictione Abbatiali, » accipit. Scio hanc benedictionem Abbatum aliquando etiam dici ordinationem, ut in can. *Abbas,* can. *Abbatem,* can. *Quam sit necessarium* XVIII, quæstione II, et nonnunquam consecrationem vocari, can. *Alienationes* XXXVII, causa XII, quæstione II, proprie tamen ac vere nec consecratio, neque ordinatio, sed tantum oratio est, qua Abbatem benedicit et confirmat Episcopus. Joannes Pontifex, in privilegio Monachis monasterii S. Gregorii juxta Constantiam existentibus indulto, ita inquit : « Ne aliquis » eidem Monasterii præficiatur, nisi quem com- » muni assensu fratres ibidem Christo sedulo » servientes eligent, electumque benedictionis » titulo Episcopus confirmare procuret. » Ivo quoque episcopus Carnotensis, in Epistola LXXIII ad Bernardum abbatem Majoris-Monasterii, diserte docet Abbatum benedictionem simplicem esse orationem : « Quid ergo, inquit, est disce- » ptandum de benedictione Abbatis, a quocum- » que Episcopo eam fuerit consecutus ? in qua » nec sit manus impositio, nec consecratio, sed » simplex oratio, in qua accepta, vel non acce- » pta, salus subditorum nec minuitur, nec au- » getur. » Idem in Epistola LXXXVIII, *Cum Abbatis benedictio nulla sit Sacramenti repetitione, etc.* Quod ait in benedictione Abbatis nullam fieri manus impositionem, hoc unum innuit, non fuisse eum ritum ubique receptum, cum alias ipsam manus impositionem super caput ordinandi Abbatis præscribat antiquus Ordo Romanus apud Hitorpium, et Salisburgense Pontificale, cujus character annos sexcentos superat.

V. Colligi itaque ex iis omnibus potest recte inscribi titulum nostrum *De Benedictione Abbatis,* non autem *De Consecratione,* quia scilicet in ea functione nulla intervenit Chrismatis unctio, sed tantum quædam precationis forma ; unde in *Sacramentario* S. Gregorii totus ritus faciendi Abbatis una tantum oratione continetur, præ se fertque hunc titulum : *Oratio ad Abbatem faciendum.* In Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, et in Gellonensi Missali ante annos nongentos editis, tres orationes habentur, nullis aliis præscriptis ritibus. Prolixas quidem orationes cæremoniasque videre est in antiquo Romano Ordine, in quo tamen consecratio latius pro benedictione sumitur, uti in *Notis ad* ipsum *S. Gregorii Sacramentarium* notat eruditus Menardus, pag. 322. Certe hoc manifestum est apud omnes doctores, per benedictionem Abbatibus neque ordinem, neque characterem conferri, quemadmodum Episcopis confertur ; dari autem idcirco ipsis Abbatibus benedictionem docent, ut eis exercitium eorum tribuatur, quæ sunt veluti actus ordinis, nec non baculi usus ac mitræ, aliorumque Pontificalium insignium ; modo ex privilegio tale exercitium non habeant, ut sunt hodie omnes fere Abbates Regulares, qui non sunt perpetui, sed ad tempus, quibus partim directe, partim per communicationem concessum est, posse omnia facere, ac si essent benedicti, etsi benedictionem minime acceperint. Celebre est ea in re Consilium XIV Oldradi, cujus vel eruditi scriptores meminere.

VI. Multa autem sunt in quibus Abbatis benedictio cum Episcopi consecratione convenit, plurima vero in quibus ab ea penitus differt. Videri potest vir clarissimus Andreas Piscara, clericus Regularis, in sua *Cæremoniarum praxi,* et Ascanius Tamburinus, qui tomo I *De jure Abbatum,* disputatione XI, quæstio II, ex nostro Romano Pontificali eam rem egregie ostendit, explicatque quam diligenter in quibus Abbatis benedictio cum Episcopi consecratione conveniat, et in quibus ab illa discrepet. Unum nos hic adnotandum censemus, in eo præsertim distare benedictionem Abbatis a consecratione Episcopi, quod consecratio omnino est necessaria ut quis fiat et dicatur Episcopus, quemadmodum constat ex cap. *Licet,* Extra. *De translatione Episcopi ;* Abbatis vero benedictio nequaquam est necessaria ut sit et dicatur Abbas, ut ea quæ sunt jurisdictionis exerceat, vel ut temporalia administret, sed quoad quædam tantum, nimirum ut Monachos benedicere, vel eis tonsuram et minores Ordines conferre possit, uti liquet ex cap. *Cum contingat. De ætate, et qualitate, etc.* Eo argumento tentabat Ivo Carnotensis non uno in loco, et præsertim in laudata epistola LXXIII, probare benedictionem Abbatis non esse necessariam : « Habent, inquit, » fortasse fratres isti zelum Dei, sed non secun- » dum scientiam, putantes quod promotionem » Abbatis faciat Episcopalis benedictio, et non » potius fratrum communis electio, cum tamen » ipsam benedictionem conferat Dominus, non

Digitized by Google

» secundum meritum dantis, sed secundum fi-
» dem et puritatem benedictionemque accipien-
» tis. » Idem, in Epistola LXXXVIII reprehendens eos qui dicebant non posse esse Abbatem sine benedictione, eo utebatur argumento : « Cum
» Abbatis benedictio, nulla sit Sacramenti re-
» petitio. »

VII. Omissis hic aliis scitu dignis, de quibus passim infra suis locis fuse dicemus, silentio mitti non debet celebris Constitutio sanctæ memoriæ Benedicti XIII, quæ incipit *Commissi nobis*, edita anno 1725, pridie nonas maii, in qua, ut scite observat dignitate ac doctrina Eminentissimus Vincentius cardinalis Petra ad Constitutionem IX Pii II, quæ incipit *Licet*, rationabilia quidem fuerunt disposita. Nam primo præscripsit quod omnes Abbates perpetui in titulo, licet temporales, quoad administrationem tenentur, per ipsam Benedicti XIII Constitutionem, recipere benedictionem ab Episcopo diœcesano, vel saltem illam ter postulare, sub pœna suspensionis. Secundo, Abbates perpetui in titulo, qui ex privilegio benedictionem a quocumque Catholico Antistite consequi poterant, hodie post ipsam bullam, obtinere illam debent ab Episcopo diœcesano vel a Metropolitano. Tertio, Abbates habentes privilegia ut sine benedictione exercere possent actus Abbatiales, vel quod possent benedici a suis superioribus Regularibus, non fuerunt comprehensi sub ipsa bulla. Quod verum est de habentibus privilegia prædicta ex concessione, non autem per communicationem, quæ ad hoc locum non habere idem Pontifex in eadem bulla declaravit. Exstat ea Constitutio in Romano Concilio laudati Pontificis.

§ I.

In primis benedicendus provideat de mandato Apostolico benedictionem sibi imponendam Pontifici committente.

COMMENTARIUS.

I. Si ad veteres libros Pontificales ante Clementem VIII editos inspiciamus, hæc Rubrica similibus hisce verbis descripta invenitur : « Benedictio Abbatis electi, non Monachi, ne-
» que Professi, fit hoc ordine. In primis bene-
» dicendus provideat de mandato Cameræ, si
» sit in Curia, vel, si extra, de litteris Apostoli-
» cis, benedictionem sibi impendendam Ponti-
» fici committentibus. » Præclarissimum mandati hujus Apostolici testimonium, ac antiquam formulam habemus quidem apud Matthæum Parisium *Historiæ Anglicanæ* anno 1235, ubi agit de Henrico III. Refert enim ibidem rescriptum Gregorii IX, Pontificis Maximi, Elyensi et Londinensi Episcopis missum, quo eis præcipit ut examinata prius persona electi Abbatis Sancti Albani, benedictionis ei beneficium largiantur, vel alteruter id saltem faceret, si ambo interesse non valerent, scribens eisdem sub hac forma.

II. « Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, Venerabilibus fratribus Elyensi et Londinensi Episcopis salutem et Apostolicam benedictionem. Monasterio Sancti Albani Lincolniensis diœcesis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, Abbatis solatio destituto, dilecti Filii, Prior et Conventus ipsius monasterii, sicut accepimus, requisito prius, sicut moris est, assensu regio, et obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, de Abbatis futuri substitutione tractantes, post diversos tractatus, quibusdam de collegio eligendi ei Abbatem potestatem plenariam unanimiter contulerunt. Iidem vero electores Deum præ oculis habentes, collatione super hoc et deliberatione habita diligenti, et Spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium fratrem Joannem de Hertford, ejusdem monasterii monachum, virum, ut asserunt, providum et discretum, atque in spiritualibus et temporalibus circumspectum, et cum eis a puero laudabiliter conversatum, in Abbatem eorum et Patrem concorditer et canonice elegerunt. Quorum electionem solemniter publicatam universi et singuli approbantes, nobis per dilectos filios, fratres Reginaldum et Nicolaum monachos, et nuntios suos, ac litteras humiliter supplicaverunt, ut cum per eumdem Joannem

Digitized by Google

gratia ipsi monasterio in spiritualibus et temporalibus incrementa sperarentur auctore Deo perventura, et rectis dispositionibus nihil debeat difficultatis afferri, electionem hujusmodi confirmare de benignitate Sedis Apostolicæ dignaremur. Licet igitur prædicti nuntii sollicite super hoc institerint, et prudenter, et nos pro eodem monasterio libenter, quod cum Deo possumus facere, intendentes, electionem ipsam examinatam, prout convenit, diligenter, canonicam invenerimus quoad formam; quia tamen de personæ meritis plenam notitiam non habemus, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quæ circa Electi personam inquirenda fuerint, sollicite inquirentes, si eam sufficientem inveneritis ad ejusdem monasterii regimen assumendum, præmissam electionem auctoritate Apostolica confirmetis, et Electo faciatis eidem obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi, recepturi ab eo postmodum pro nobis et Romanæ Ecclesiæ fidelitatis solitæ juramentum juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam : alioquin ea rite cassata, faciatis dicto monasterio de persona idonea per electionem canonicam provideri, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Formam autem juramenti, quod ipse præstabit de verbo ad verbum, per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, quam cito poteritis per proprium nuntium transmittatis. Quod si non ambo his exsequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequatur. Datum Perusii, etc. »

III. Ergo antiqua res est Apostolici mandati formula, quo facultas a Romano Pontifice locorum Episcopis dabatur benedicendi Abbates exemptos, ab eisque juramentum fidelitatis Apostolicæ Sedis nomine recipiendi juxta formulam a laudato Gregorio IX præscriptam, quam nos infra suo loco referemus. Pergit autem memoratus Angliæ scriptor Matthæus Parisius, quod « impetratis his litteris cum aliis » sub bulla clausis, salutato Domino Papa, et » fratribus, nec non et respectis, redierunt » nuntii prædicti cum prosperitate post moram » in Curia factam per xv dies. Episcopus Lon- » dinensis, alio se excusante, mandatum Apo- » stolicum diligenter exsecutus, examinatione » rite facta, nihil reprobum in persona Electi » reperiens, munus solemniter benedictionis » eidem impendit, in crastino scilicet Nativitatis » B. Virginis, in ecclesia Sancti Albani : ubi » aperte sunt litteræ interclusæ Domini Papæ, » quas, ut oportuit, Electus in Abbatem bene- » dicendus profitendo legit in præsentia Epi- » scopi, et audientia conventus, et totius populi » et Cleri sub hac forma : *Ego Joannes mona-* » *sterii Sancti Albani, etc.* »

§ II.

Deinde statuta die benedictionis, quæ debet esse Dominica vel festiva, tam ipse Pontifex quam Electus convenit quod die præcedenti jejunent.

COMMENTARIUS.

I. Recte admodum tradit Pontificale manuscriptum Monguntinum, quod exstat in celebri bibliotheca regis Gallorum, num. 3870, ubi agit de Ordine ad benedicendum Abbatem, quod, « licet solum sine coassistentia aliorum » Abbatum die feriata, vel non feriata, Abbatem » benedici sacris Canonibus non repugnet, uni- » versalis tamen omnium quodammodo Eccle- » siarum usus induxit ut coassistentibus duobus » Abbatibus, die Dominica, et hora tertia inter » Missarum solemnia id fieri debeat cum so- » lemnitate, etc. » Docent id quidem passim doctores, non quolibet die, sed Dominico, vel festivo tantum benedici posse Abbates; quia sicut minores Ordines conferri nisi laudatis diebus nequeunt, propter reverentiam, ut habetur in cap. I et III, *De temporibus ordinationum in Sexto*, ita a fortiori Abbatum benedictio, quæ ipsis tribuit minores Ordines conferendi facultatem, ut infra nos ostendemus. Ita sentiunt Ostiensis, Joannes Andreas, Abbas Panormitanus et alii complures in cap. *Cum contingat*, Extra. *De ætate et qualitate*. Vide Augustinum Barbosa, *Juris universi Ecclesiastici* lib. I,

Digitized by Google

cap. XVII, num. XLIII, et parte II, *De officio et potestate Episcopi.*

II. Sed ut rem quam in præsenti tractamus aliquo exemplo illustremus, refert Hermannus Contractus in *Chronico* ad annum 149, Udalricum Augiensem in Paschate benedictum fuisse Abbatem a Leone IX, Pontifice Maximo : « Leo IX in proximo Pascha Udalricum Augiensis cœnobii provisorem Romam venientem » Abbatis benedictione consecravit. » Tradit præterea Matthæus Parisius *Historiæ Anglicanæ*, anno 1167, quod « eodem anno Simon, prior » Ecclesiæ Sancti Albani, die Dominico Ascen- » sionis in Abbatem ejusdem ecclesiæ electus a » Gilberto Londoniensi episcopo ante majus al- » tare illius cœnobii est solemniter consecra- » tus. » Ubi nota jam olim ante majus altare solemnem Abbatum benedictionem celebrari consuevisse. Testari etiam idem auctor in calce superioris Commentarii videtur, Joannem Hertford, electum monasterii Sancti Albani Abbatem, in Nativitate B. Virginis benedictum fuisse. Quod autem jejunium spectat, docet Casinensis Codex, eo ipso die quo benedicitur, debere Abbatem in pane et aqua jejunare : « Eo die Abbas nihil aliud, nisi panem et » aquam comedat. » Sane consuevisse sacra ministeria non nisi jejunio præcedente conferri, probatum alibi abunde fuit luculentis divinæ Scripturæ locis, ac pluribus sanctorum Patrum et sacrorum Canonum testimoniis.

§ III.

In ecclesia ubi benedictio fiet, ornantur duæ Capellæ, major pro Pontifice, minor pro Electo. In majori quidem super altari parato, ut est moris, erit crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata.

§ IV.

Paratur etiam in loco congruo credentia pro Pontifice, super quam erit mappa munda, duo candelabra, vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta et aspersorio, thuribulum cum navicella, cochleari et incenso, ampullæ pro vino et aqua pro Sacrificio, calix, hostiaria cum hostiis.

§ V.

Item paramenta omnia Pontificalia coloris tempori et officio Missæ convenientis, videlicet sandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus Pontificalis, baculus pastoralis et manipulus.

§ VI.

Item paratur faldistorium ornatum pro Pontifice, et tria scabella, pro Electo et duobus Abbatibus assistentibus, Missale et Pontificale. Pontifex habeat tres Capellanos ad minus cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam. In Capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, paratur altare cum cruce et duobus candelabris, et super illud Missale et Pontificale, ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Pontifice numerata sunt; et hoc si Abbas benedicendus sit de mitra. Si vero non sit de mitra, parantur tantum paramenta Sacerdotalia, et ultra illa pluviale album : prope altare sit credentia minor

Digitized by Google

cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus. Ponuntur etiam quinque mappulæ æqualis mensuræ, factæ ex una canna cum dimidia panni linei subtilis, et candelæ octo unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Pontificis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus et Electo tradendus; vestes monasticæ seu regulares; et pro Offertorio intortitia duo quatuor librarum quodlibet; duo panes magni, et duo barilia vini; panes et barilia ornentur; duo videlicet videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Pontificis et monasterii seu Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra pro cujusque gradu et dignitate. Adsint duo Abbates assistentes, qui sint induti superpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici alba.

COMMENTARIUS.

I. Ante Joannem XIII, qui creatus fuit Pontifex Maximus anno Christi 965, fatentur omnes fere eruditi nullibi inveniri Pontificalia ornamenta Abbatibus fuisse concessa. Mabillonius, in præfatione partis I *Sæculi* VI *Benedictini*, § IV, loquens de Pontificalibus ornamentis Abbatibus concessis, ex *Spicilegii* Dacheriani tomo V, pag. 142, observat, anno 970, Didericum seu Theodoricum Metensem antistitem ab ipso Joanne XIII obtinuisse, ut abbas Sancti Vincentii Metensis dalmatica et sandaliis uteretur. Teste *Chronico Cassinensi*, lib. II, cap. LXXXI, a S. Leone IX Romano Pontifice Richarius abbas Cassinensis Romam profectus privilegium obtinuit, quo idem Pontifex, juxta morem prædecessorum suorum, tam illi quam successoribus usum sandaliorum atque dalmaticæ, nec non et chirothecarum in præcipuis festis ad Missarum solemnia indulsit. Ex quo constat jam ante Leonem IX Abbatibus Cassinensibus ea Pontificalia ornamenta donata fuisse. Constat præterea et illud quod tradit memoratus Mabillonius, mitræ usum, quæ inter externa illa ornamenta Pontificalia semper enituit, serius fuisse Abbatibus communicatum, primumque Egelsino monasterii Sancti Augustini prope Cantuariam abbati ab Alexandro II concessum, ob ipsius scilicet Romanorum alumni et Anglorum apostoli dignitatem. Certe cœpit hic postea usus frequentari sub Urbano II, qui ex *Chronico Cassinensi*, lib. IV, cap. XVII, Oderisio Cassinensi, et ex *Bibliotheca Cluniacensi*, pag. 515 et 517, Hugoni Cluniacensi abbatibus idem privilegium elargitus est. Concessit deinde ipse Pontifex Urbanus II, in Concilio Beneventano, usum mitræ Abbati Cavensi, qui tamen ea uti noluit, ad reprimendam aliorum Abbatum superbiam, ut post Baronium testatur Franciscus Pagius in *Breviario gestorum Romanorum Pontificum*, ubi agit de ipso Pontifice Urbano II.

II. Explicari satis profecto nequit quanta fuerit, sæculo Christi XII, Abbatum sollicitudo in procurandis sibi a Sede Apostolica ornamentis Pontificalibus. Dolet de hoc abusu in celebri Epistola XXXXII ad Henricum Senonensem archiepiscopum, sive in tractatu *De Officio Episcoporum*, S. Bernardus, suæ tempestatis Abbates suggillans, qui sub obtentu libertatis, adeptis in Curia Romana non sine multo labore ac pecunia Apostolicis privilegiis, Pontificalium sibi usum insignium vindicabant. Hæc ejus verba, cap. IX : « Aperte indicant quidam quid cogitent, » dum multo labore ac pretio Apostolicis adeptis privilegiis, per ipsa sibi vindicant insignia » Pontificalia, utentes et ipsi, more Pontificum, » mitra, annulis atque sandaliis. Sane si attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret » professio; si ministerium, solis liquet congruere Pontificibus. Profecto esse desiderant » quod videri gestiunt; meritoque nequeunt » esse subjecti quibus jam ipso se comparant » desiderio : quid si et nomen eis conferre privilegiorum posset auctoritas ? Quanto putas » auro redimerent, ut appellarentur Pontifices ? » Quo ista, o Monachi ? Ubi timor mentis ? Ubi » robur frontis ? Quis unquam probatorum » Monachorum tale aliquid aut verbo docuit, » aut reliquit exemplo ? » Scripserat jam paulo ante Bernardus consuevisse Monachos sui temporis Ecclesias spoliare, ut privilegia emancipa-

Digitized by Google

tionis, sive exemptionis a jurisdictione Episcoporum, obtinerent. Testatur Thomas Cantipratanus, lib. I *De Apibus*, cap. VI, usum olim Pontificalium indumentorum paucissimis Abbatibus indultum fuisse, ut San-Dionysiano et Cluniacensi, ob eorum singularem sanctimoniam et regularem disciplinam; exinde vero longe plurimos Abbates eadem obtinuisse, aut potius *magna pecuniæ mole* extorsisse privilegia, et cognitum sibi esse Abbatem qui sumptibus in eam rem faciendis Abbatiam suam exhausisset : « Secundum statuta Ecclesiæ, inquit, fere solis » Episcopis uti licet : abusive tamen quidam » Abbates de novo in magno pecuniæ mole his » utuntur. Abusive, inquam, nisi forte usum » paucorum dierum dixerim contra jura civilia, » quæ usum temporis non dicunt, nisi quem » ætas legitima hominis in octoginta annis ple» nius approbasset. Certus sum autem quod » istud nisi paucissimis et specialissimis Galliæ » monasteriis, ut in monasterio Sancti Dionysii » et Cluniacensi, antiquis temporibus non fie» bat : quibus tamen hoc tunc propter vitæ » eminentiam spiritualibus privilegiis est con» cessum. »

III. Quid de hujusmodi Abbatum privilegio senserint sub initium sæculi XIII Ordinis Præmonstratensis primi Abbates, intelligi potest ex suo ipsorum decreto, quo nulli Abbatum mitra vel chirothecis uti licet, « ne forsan ex » ipsis supercilium elationis assumat, aut sibi » videatur sublimis, cum his uti se viderit quæ » Pontificibus et majoribus Ecclesiarum Præ» latis a Sede Apostolica sunt concessa. » Quod decretum confirmat Innocentius III, lib. I, epistola CXCVII Abbati Præmonstratensi et ejusdem Ordinis Abbatibus inscripta, sic inquiens : « Quæ in favorem Religionis ad subtrahendam » dissolutionis materiam sunt provide instituta, » firma debent et illibata servari, et ne infringi » valeant, Apostolico præsidio communiri. Si» gnificasti siquidem nobis, quod communi » consilio Abbatum vestri Ordinis statueritis, » quod *nullus Abbatum vestrorum mitra vel* » *chirothecis utatur; ne forsan ex ipsis super*» *cilium elationis assumat, aut sibi videatur* » *sublimis, cum his uti se viderit quæ Pontifi*» *cibus et majoribus Ecclesiarum Prælatis a* » *Sede Apostolica sunt concessa.* Nos igitur in» stitutionem ipsam, sicut a vobis provide facta » est et recepta, auctoritate Apostolica confir» mamus, et præsentis scripti pagina commu» nimus; statuentes ut si qua forsan Ecclesia » laxioris Ordinis vestram voluerit regulam » profiteri, hujusmodi Pontificalibus, etiamsi » ea prius habuerit, ulterius non utatur, imo » potius humilitatem servet, et in ea statuta » vestra Ordinis imitetur. »

IV. Constat itaque ex recitatis litteris, primo, ipsum Pontificem hunc indumentorum Pontificalium usum in Abbatibus existimasse contrarium humilitati religiosæ, et incentivum esse superbiæ et ambitionis; secundo, ipsum morem in Præmonstratensi Ordine assumptum fuisse tunc temporis in quibusdam monasteriis relaxatæ disciplinæ, rejectum vero fuisse in monasteriis reformatis; ut proinde mirum non sit quod inter alios docet Van-Espennius, parte I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXXI, cap. VI, « labentibus sæculis relaxata in plerisque mo» nasteriis regulari prorsus disciplina, usum » Pontificalium assumptum fuisse et tolera» tum. » Diximus enim jam pridem Abbatem monasterii Cavensis, modestiæ causa et ad reprimendam superbiam aliorum Abbatum, etiam ultro oblatum vel indultum ab Urbano II id privilegii recusasse. Refert et Mabillonius, in præfatione ad I partem *Sæculi* VI *Benedictini*, Leonem IX sandaliorum usum obtulisse quidem Gervino abbati Certulensi, « sed ille, ut » insigniter modestus erat, hæc ornamenta re» cusavit. » Par modestia fuit Lantelmi Casæ Dei abbatis, cui Lucius III ex obedientia injunxit ut mitram gestaret. Cum enim Pontifex, in Cœna Domini Missarum solemnia celebrans, advertisset multos Abbates, excepto Lantelmo, mitra ornatos sibi adesse, nullius suggestione, sed ipsius honestate Abbatis inductus, mitram ei contulit. Postulanti vero Abbati ut ab ea deferenda liber esset, restitit Pontifex, eique in virtute obedientiæ præcepit ut ea in præcipuis solemnitatibus uteretur.

V. Addi his potest decretum Congregationis Bursfeldensis relatum a Renato Choppino *Monast.* lib. I, tit. II, num. VIII, sub his verbis : « Nemo ex Abbatibus nostris, etiam Apostolico » suffultus privilegio, mitra et cæteris hujus» modi insigniis et apparatibus Pontificalibus » uti præsumat : hæc enim licet interdum sim» plici animo rationabiliter fieri possint, tamen

Digitized by Google

» a lippientibus et ad judicandum pronis cu-
» riosæ vanitati magis quam religiosæ simpli-
» citati deputari solent. » Quæ Constitutio postea quidem abolita est, cum Abbates Bursfeldenses hodie insignibus Pontificalibus omnes utantur, ut ex testimonio cujusdam Friderici monachi ejusdem Congregationis refert Ascanius Tamburinus, tomo I *De jure Abbatum*, disputatione XX, quæsito I : ubi etiam ostendit, relatis singularum Congregationum specialibus privilegiis, Pontificalium usum indumentorum successu temporis, ac præcipue sæculo XV et sequenti, omnium pene Congregationum Abbatibus sensim fuisse indultum; insigniaque ipsa Pontificalia concessisse Abbatibus Pontifices Maximos propter Ecclesiarum suarum decorem, non vero ad pompam propriæ personæ et animi fastum, neque ad simplicitatem monasticam dissipandam. Addit Pontificalium insignium exercitium et usum Abbatibus ex jure quidem privilegiario competere, non autem ratione dignitatis; unde nullus Abbatum uti potest insignibus Pontificalibus, nisi jus privilegiorum ostendat. Quod evidenter expressum est in c. VI *De privilegiis* in VI : « Ut Apostolicæ Sedis be-
» nignitas, quæ nonnullis Abbatibus aliisque
» Prælatis, quibus non competit ex propria di-
» gnitate, concessit in Ecclesiarum suarum
» gloriam et honorem, quod mitra et aliis Pon-
» tificalibus uti possint, provideat ne inde,
» etc. » Ad quæ verba reflectens Tamburinus post Parnormitanum aliosque Canonistas, ait ex textu laudato plane expresse probari Abbatibus, non ratione dignitatis, Pontificalium usum et exercitium, sed jure privilegiario competere.

VI. Ut ut se habeat isthæc opinio, quam nos improbare minime audemus, lubet hic describere Epistolam XC Petri Blesensis, qui et ipse adversus hujusmodi privilegium Abbatibus concessum summopere excanduit, complura argumenta congerens, quibus ostendere nititur minime Abbati licere Episcopalibus uti ornamentis. Scribens itaque fratri suo Guilelmo abbati Maniacensi, qui ab Apostolica Sede horum insignium usum obtinuerat, illum monet ut vel ista insignia et ornamenta reddat, aut abbatiam relinquat. Hæc ejus verba : « Retulit mihi qui-
» dam nuntius vester qualiter Dominus Papa
» vos mitra proprii capitis et aliis ornamentis
» Episcopalibus insignivit. De benedictione
» gaudeo ; sed insignia Episcopalis eminentiæ
» in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra
» enim, et annulus, atque sandalia in alio
» quam in Episcopo quædam superba elatio est,
» et præsumptuosa ostentatio libertatis. Talium
» usus est in ecclesiis dedicandis, in consecran-
» dis virginibus, in Ordinibus celebrandis. Qua-
» re igitur his utitur, aut potius abutitur, qui
» uti talibus prohibetur ? Homini hæc habenti,
» et non utenti, sunt potius oneri et ludibrio
» quam honori. Ambigena non generant, teste
» Hippocrate : quod igitur genitalia in mulo
» faciunt, hoc sandalia in Abbate. Numquid
» emanavit hæc abusio Episcopalium a Regula
» B. Benedicti ? Numquid præcipiuntur eman-
» cipationes istæ in Evangelio et Prophetis ?
» Nolite, quæso, charissime Frater, detrectare
» obedientiæ jugum, nam per inobedientiam
» mors intravit : quæ adhuc seminare non
» cessat inter Episcopos et Abbates jurgiorum
» fomitem et materiam scandalorum. »

VII. Affert mox auctor multa sacræ Scripturæ loca, et sic tandem concludit : « Quid enim
» aliud est positio sedis in aquilone, et usur-
» patio similitudinis Altissimi, quam emanci-
» patio et insignium Episcopalium acquisitio in
» Abbate ? Per salutem itaque Patris, qui nos
» genuit, et per ubera quæ suximus in eadem
» matre, Frater unice, vos adjuro et deprecor
» ut in signum planæ humilitatis Pontificalia
» resignetis insignia : aut, si hoc sine scandalo
» fieri nequit, renuntietis in manu Domini
» Papæ monasterii administrationem, et substi-
» tuto ibi ad instantiam vestram Pastore idoneo,
» vos ad claustrale otium et salubrem militiam
» convertatis. » Hactenus ille, cui et alii scriptores addi possent, qui eadem in Abbatibus insignia reprehenderunt. Audire præstat Paulum Langium, qui anno 1398 magnopere indignatur Hermanno sui monasterii Citizensis abbati, ejus nominis secundo, qui hæc insignia a Bonifacio IX prece ac pretio sibi suisque successoribus comparaverat, ubi similium Abbatum vanitatem carpit, qui ejusmodi insignia ex ambitione affectabant : non utentium consuetudinem, aut adinventi, sive concessi privilegii conservationem, sed solum impetrantium curiosam vanitatem suggillare volens; exemplo S. Bernardi abbatis, Petri Blesensis et Hugonis

Digitized by Google

cardinalis, quos laudat. Vide Mabillonium in Præfatione I ad *Sæculum* VI *Benedictinum*, num. XXXIII.

VIII. Insuper cum graves querelas excitarent Episcopi quod Abbates, quibus jus mitræ erat, pares fierent ipsis Episcopis, et inde dignitatum confusio nasceretur, Clemens IV, Pontifex Maximus, Constitutione sua Viterbii edita XIX kal. septembris, Pontificatus anno II, de consilio suorum fratrum hunc modum adhibuit, ut in Conciliis et Synodis Abbates exempti mitris auriphrygiatis, sed absque gemmis, laminisque aureis vel argenteis uterentur; non exempti simplicibus, et albis ac planis; in aliis vero locis exempti Abbates mitris illis uti valerent, quas Sedis Apostolicæ indulta eis permitterent. Exstat hæc Constitutio in cap. *Ut Apostolicæ*, *De privilegiis in* VI. Ex cujus verbis recte colligunt canonici juris interpretes, quod superius dictum est, Abbatibus, scilicet, nulla ornamenta Pontificalia jure dignitatis competere, sed tantum ex speciali privilegio, atque ipsum privilegii tenorem esse inspiciendum, ut de usu ejus judicari queat; nihilque Abbatibus in hoc usu licere, nisi quod in ipsa privilegii formula expresse comprehensum est : « Inspiciendus est, » inquit Glossa canonici juris, « tenor privilegii, et » servandus. »

[Huc usque auctor, consuetis præjudiciis adversus Regulares nimium indulgens. Hic addere satis sit, quorumdam Abbatum Pontificalia insignia illicitis mediis ambientium præsumptionem, quam nullatenus excusare nec dissimulare prætendimus, plurima facta luce clariora abolere nunquam posse : scilicet Romanos Pontifices motu proprio certis Abbatibus id non petentibus talium insignium decus concessisse, tanquam exemptæ jurisdictionis honorabile complementum, sicque hujus consuetudinis ac privilegii viam aperuisse ; sanctissimos Abbates, inter quos S. Hugo Cluniacensis, Apostolicum favorem sub hac insueta forma gratanter suscepisse, nec reputasse monasticæ professionis humilitati infensam dignitatem quæ in Ecclesiarum suarum splendorem, cultusque divini majestatem vergeret; tandem sanctam omnium matrem Ecclesiam catholicam hunc usum proprium sibi fecisse, quando lege speciali in corpore juris inscripta, solemniter determinavit mitra redimitos in Synodis, tum provincialibus, tum generalibus, Abbates qui talem ab Apostolica Sede distinctionem susceperunt, solemnem locum habituros; quia et in ipsomet Pontificali, ut vidimus, ritus sacros ordinavit quibus hæc eadem insignia ex altare Abbatibus traderentur, quæ doctissimus sacri hujus libri interpres veluti abusiva et grande scandalum parientia suggillat. Eruditioni auctoris morem gerimus, ut par est, sed illum heterodoxi scriptoris Van-Espenii auctoritatem in auxilium advocasse dolemus. Omni reverentia dignæ sunt S. Bernardi et cæterorum querelæ adversus Abbates sui temporis qui fastuose et aliquando simoniace Pontificalia extorquere non erubuerunt; sed major haberi debet observantia erga sanctæ Ecclesiæ præscriptiones, quæ nunquam abusus in legem erigit, et cujus solius est cunctos de iis quæ decent vel dedecent edocere.]

IX. Præter ornamenta Pontificalia habuisse olim Abbates sigillum authenticum propria imagine et nomine insculptum, liquido constat ex Synodo Londinensi habita anno Christi 1237, præside Othone diacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, legato Apostolicæ Sedis in Anglia, apud Matthæum Parisium : « Quoniam, » inquit, tabellionum usus in regno Angliæ » non habetur, propter quod magis ad sigilla » authentica credi est necesse, ut eorum copia » facilius habeatur, statuimus ut sigillum ha- » beant non solum Archiepiscopi et Episcopi, » sed etiam eorum officiales : item Abbates, » Priores, Decani, Archidiaconi, et eorum Offi- » ciales, Decani rurales, nec non ecclesiarum » cathedralium Capitula, et cætera quæque » collegia et conventus cum suis Rectoribus, » aut divisim juxta eorum consuetudinem, vel » statutum pro varietate quoque cujuslibet » prædictorum habeat unusquisque sigillum, » nomen puta dignitatis, officii, collegii, et » etiam illorum proprium nomen, qui digni- » tatis vel officii perpetui gaudent honore, in- » sculptum notis et characteribus manifestis. » Hinc Anselmus ex Abbate Beccensi jam electus Cantuariensis Archiepiscopus, nondum consecratus, libro III, epistola X, inquit : « Sigillum » hæc Epistola non habet, quia Abbas jam non » sum, et Archiepiscopus nondum sum ; nec me » delectat pingi quod non sum. » Hujusmodi sigillum authenticum dici ait doctissimus Altaserra, lib. VII *De Origine rei Monasticæ*, cap. XV,

Digitized by Google

propter auctoritatem qua pollet, quia plenam fidem facit absque tabellione et testibus, capite II, cap. *Inter electos*, cap. *Quod super his. De fide instrumentorum*, et cap. II *De officio Ordinarii in* VI. Sed hæc obiter dicta sint; cæterum multa quæ in recitatis §§ nostri hodierni Romani Pontificalis continentur, censuimus opportune inferius explicanda in sequentibus scilicet Commentariis.

§ VII.

Hora igitur competenti, Pontifex, Electus, Assistentes, et alii qui benedictioni interesse debent, ad ecclesiam conveniunt, et Pontifex, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu altaris Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Interim etiam Abbates assistentes sua paramenta prædicta capiunt. Quibus sic paratis, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium ante medium altaris sibi paratum. Electus vero in habitu suo quotidiano medius inter Abbates assistentes paratos et mitratos Pontifici cum debitis reverentiis præsentatur, atque eidem mandatum Apostolicum traditur. Quo publice lecto per Pontificis notarium, Electus genuflectit ante Pontificem, qui surgit, deposita mitra, et super eum dicit Orationes sequentes, nisi jam sit professus. ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus indulgentiæ pater, qui severitatem tuæ districtionis temperans, indulsisti ne filius portet iniquitatem patris; et qui mira dispensatione, etiam malis bene utens, tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris : quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obsistat, quod habitum religionis per nos, tanta ac tali re indignos, accipit; sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum Spiritus sancti exsequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium sanctæ incarnationis ejus renovare dignatus es; te suppliciter exoramus, ut, ejusdem Domini nostri gratia, super hunc famulum tuum abrenuntiationem sæculi profitentem clementer respicere digneris; per quam in spiritu suæ mentis renovatus veterem hominem cum actibus suis exuat; et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui es via sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum, per

Digitized by Google

iter disciplinæ regularis deducas; et qui peccatores vocare dignatus es, dicens : Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam; præsta, ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur. Et sicut attestari de ovibus tuis dignatus es, agnosce eum inter oves tuas; ut ipse te agnoscat, et alienum non sequatur, sed te; neque audiat vocem aliorum, sed tuam, qua dicis : Qui mihi ministrat, me sequatur. Qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis gratiam postulamus; ut, sicut ubi vis spiras, sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; et quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur. Quem juxta tibi consuetam gratiam unctio tua de omnibus doceat, et per intercessionem sancti N. quem præcipuum hujus sanctæ institutionis Legislatorem dedisti, nec non et aliorum Sanctorum, ad quorum nomina professionem facit, eum a vanitate sæculi veraciter converte. Et sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentes impietatis colligationes in eo dissolve; et ad observantiam hujus sancti propositi, fac eum ita certatim fervere, ut in tribulationibus et angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare; ut juste et pie per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod, te donante, hodie promittit, felici perseverantia compleat. Quod ipse præstare digneris, qui cum Deo Patre sanctoque unigenito Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, vivis et gloriaris Deus per infinita sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sacris Canonibus jam cautum fuit ut vel is qui eligendus est in Abbatem, expresse professus sit; quia scilicet in magistrum assumi non debet qui formam discipuli non assumpsit, nec est aliis ille præficiendus qui aliis subesse non novit; uti recte docet Gregorius IX, Pontifex Maximus, in cap. *Cum in magistrum*, Extra. *De Electione*, Episcopo cuidam rescribens ut ad amotionem eorum procedat, qui in quibusdam regularibus domibus jure illi Diœcesano subjectis, fuerant in Abbates non professi Ordinem regularem assumpti. Certe Glossa canonici juris in cap. *Cum causam*, verbo *irritetis*, tit. eodem, probat ideo Summum Pontificem, id est Innocentium III, mandasse in ea decretali ut electio non professi irritaretur, consuetudine in contrarium nonobstante, quia consuetudo illa erat contra jus commune, nimirum contra præscriptum Canonis *Abbatem* et Canonis *Quam sit necessarium*, XVIII, quæstione II, in quibus aperte disponitur Abbatem a Monachis de eadem congregatione esse eligendum : Monachorum autem congregatio professos tantum comprehendit. Docent hæc passim doctores apud Barbosam, *Juris Ecclesiastici universi* lib. I, cap. XVII, num. XXXI et seq., addentes expressam professionem fieri in ea religione debere in qua assumitur, ita ut si Religiosus eligatur in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis, talis electio sit nulla per textum in Clementina I, *De Electione*.

II. Olim certe quamdiu genius regularis disciplinæ viguit, singula monasteria habuerunt proprium Abbatem Regularem, nec poterat unus et idem Abbas præesse diversis monasteriis ex præscripto canonis *Monachum* XX, quæstione IV, et canonis *Unum Abbatem* XXI, quæstione I. Vitio sæculi et nimia principum indul-

Digitized by Google

gentia factum est ut plures Abbatiæ uni et eidem homini etiam laico et uxorato traderentur. Deplorant id passim Concilia, præsertim Meldense anno 845, can. x, « Perventum est, » inquit, siquidem ad nos, quod auditu lugubre, » et dictu nefas, actuque horribile, ac nimis » triste dignoscitur, quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta et totius » Christianæ Religionis consuetudinem, in monasteriis Regularibus laici in medio Sacerdotum, et Levitarum, ac cæterorum Religiosorum virorum, ut domini et magistri resideant » et velut Abbates, de illorum vita et conversatione decernant, etc.» Non minori animi sensu de eodem abusu Patres Concilii Trosleani, can. III, conquesti sunt, sic aientes : « Nunc » autem in monasteriis Deo dicatis, Monachorum, Canonicorum et Sanctimonialium, Abbates laici cum suis uxoribus, filiis et filiabus, » cum militibus morantur et canibus. » Dabantur quippe a regibus Abbatiæ laicis, vel in allodium, vel in beneficium seu feudum sub onere servitii militaris, ut ex sacris Canonibus et Ecclesiastica Historia ostendit vir clarissimus Dadinus Altaserra, *De origine rei Monasticæ* lib. II, cap. VII.

III. Circa sæculum XII et XIII frequentius contigit ut, sublato demum Abbatum laicorum abusu, Episcopi ipsi, vel propria auctoritate, vel ex concessione Romani Pontificis, Abbatias titulo commendæ vel administrationis retinerent. Cum enim sub id tempus Terra-Sancta ab infidelibus occuparetur, multi Episcopi suis Ecclesiis deturbati fuere; qui consequenter tunc erant quasi Episcopi titulares, ut aiunt, in partibus; quibus propterea in sustentationem Pontifices alios Episcopatus vel monasteria in commendam perpetuam concedebant. Cœperunt paulo post Clericis etiam Sæcularibus tradi monasteria in commendam, etsi hæc disciplina priscis Canonibus omnino contraria ab ipsis Pontificibus Maximis improbaretur, uti videre est in Extravaganti II *De præbendis*, et in bulla reformationis Curiæ a Leone X in Concilio Lateranensi anni 1514, sessione IX, publicata. Cæterum statuit Concilium Tridentinum, sessione XXV, *De Regularibus*, cap. XXI, ut quæcumque monasteria in posterum vacatura Regularibus spectatæ virtutis et sanctitatis conferantur. Quod vero nostri Romani Pontificis Rubricam spectat, notandum est, quod docet Tamburinus, tom I *De jure Abbatum*, disputatione X, quæstio XII, Electos, sive potius Postulatos, vel alias Promotos ad Regulares Abbatias debere in primis professionem coram Pontifice illos benedicente juxta præscriptum uniuscujusque congregationis emittere. Ergo ex præscripto Romanorum Pontificalium vel ante annos ducentos editorum, si Electus non fuerit professus, facit prius solemnem professionem coram Pontifice, hoc ordine : Electus genuflectit ante ipsum Pontificem, qui, surgens sine mitra, dicit super eum orationes in § præsenti descriptas. Verum, si Electus Abbas fuerit professus, prout regulariter non nisi professus eligi solet, omnia quæ circa ordinem professionis adnotata sunt, prætermitti debent, uti scite admonet vir clarissimus Andreas Piscara in *Praxi cæremoniorum*, lib. I, sect. IX, cap. III.

IV. Neque vero desunt exempla quibus ostendi possit Abbates olim Sæculares nonnullos, cum monasterium suum Monachis orbatum in pristinum statum restituere vellent, ipsos etiam vitam monasticam capessisse. Ejus rei profecto exempla habemus, uti observat Mabillonius in Præfatione II ad *Sæculum* IV, pag. 374, *Ordinis S. Benedicti*, in sancto Othomaro Sancti Gallensi abbati, itemque in Sigulfo abbate Ferrariensi, tum etiam in Aurelanio abbate primum Athanacensi, dein Lugdunensi archiepiscopo, aliisque non paucis. Sed præ cæteris insigne, inquit, est factum Mettensium Clericorum, qui in Gorziense Asceterium Monachis pene vacuum jussu Adalberonis translati, cum in vestibus Clericorum aliquando incessissent, more monastico, electionis de sibi præficiendo Patre facultate petita et accepta, « cum institutione vitæ regularis, habitum quoque Monachi commutarunt; unoque voto et pari » sententia Domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipse primus omnium Episcopo regularem conversationem ex instituto beati » Benedicti scripto professus, cucullo induitur : » sequentes Abbati ex ordine profitentes in militiæ cœlestis et obedientiæ Sacramenta sub » ipso omnes similiter pari modo conjurant. » Vide Vitam S. Joannis Gorziæ abbatis.

Digitized by Google

§ VIII.

Deinde benedicuntur vestes, quæ novæ afferuntur, et tenentur per unum ex ministris Electi coram Pontifice, qui stans sine mitra dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ vel humilitatis indicium, abrenuntiantes sæculo, ferre sanxerunt, tu ita bene✠dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit vestimento, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Et aspergit vestes cum aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Esse antiquum Ecclesiæ ritum benedicendi monasticas vestes ante solemnem Monachorum professionem, docet nos vetus Ordo Romanus in eo titulo qui inscribitur : *Ordo ad Monachum faciendum.* Præscribit enim ut, recitatis nonnullis precibus, Abbas imponat benedictionem vestimentorum, dicens hanc Orationem : « Deus » æternorum bonorum fidelissime promissor, » certissime persolutor, qui vestimentum salu- » tare, et indumentum æternæ jucunditatis » tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam » suppliciter exoramus, ut hæc indumenta hu- » militatem cordis et contemptum mundi signi- » ficantia, quibus famulus tuus sancto visibiliter » et informandus proposito, propitius benedi- » cas, ut beatæ castitatis habitum, quem, te ad- » spirante, suscepit, te protegente custodiat, et » quem vestibus venerandæ promissionis induis » temporaliter, beata facias immortalitate ve- » stiri. » Subdit mox et hanc aliam Orationem in monasticarum vestium benedictione dicendam : « Domine Deus bonarum virtutum dator, » et omnium benedictionum largus infusor, te » subnixis precibus deprecamur ut has vestes, » quas famulus tuus N. pro indicio cognoscen- » dæ religionis induere vult, benedicere et sancti- » ficare digneris, ut inter reliquos viros tibi » cognoscatur dicatus. Per. » Similes fere Orationes legere est apud Edmundum Martenium, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, et in *Rituali* Græcorum in eo loco qui inscribitur : *Officium magni et angelici habitus.*

II. Ante monastici habitus benedictionem, statuta Lanfranci præmittunt Hymnum, *Veni, creator Spiritus*, quem Cassinenses post benedictionem decantant, atque sub illo Novitius habitu induitur Professorum. Vide Benedictum Haeftenum, lib. IV *Disquisitionum Monasticarum*, tractatu VIII, disquisitione I. Ex pervetusto Cassinensi Ordinario tempore Oderisii abbatis descripto cautum est ut, « postquam benedicta » fuerint vestimenta, aspergantur aqua san- » ctificata. » Idem præscribunt manuscriptæ Consuetudines monasterii Farfensis a laudato Martenio editæ, lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. IV, num. XIII. Juxta Ordinem antiquum Romanum ipse Professus, postquam exutus sæculares vestes, monasticas induit, aqua benedicta aspergitur.

§ IX.

Post hæc Pontifex sedet cum mitra, et exuit Electum veste sæculari dicens : *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.* Et mox induit illum habitum monasticum dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Sanctus Dionysius Areopagita, vel quisquis auctor est antiquissimus libri *De Ecclesiastica Hierarchia*, explicans nobis, cap. VI, ritum professionis monasticæ, diserte inter alia docet hujusmodi vestimentorum mutationem fieri jam olim consuevisse, ubi Monachus profitebatur. Ait enim quod Sacerdos « omni veste » detracta, » scilicet sæculari et profana, « eum » alia induit, » nempe peculiari et monastica; tum addit in contemplatione, prioris vestis depositione, alteriusque assumptione, migrationem illam a media vita, laicorum scilicet, ad perfectiorem significari. Ex præscripto Ordinis antiqui Romani, cum Abbas Novitium propriis vestimentis exuit, eum interrogat si propria voluntate abrenuntiet mundo et omnibus quæ sunt mundi, et, quod majus est, etiam voluntatibus, et si paratus est ad omnem injuriam et opprobrium sustinendum pro amore Domini nostri Jesu Christi. Et si omnia ista gratuito animo promiserit, tunc Abbas illi dicit : « Exspolia te veterem hominem cum actibus » suis, et indue novum, Dominum Jesum » Christum. » Respondere jubetur Novitius, « Amen. » Abbas vero hæc statim adjicit : « Accipe hoc salutare indumentum quod vene- » rabilis Pater Benedictus illæsum custodivit, » ut per ejus imitationem, ipsius cœtui ag- » gregatus, ante tribunal Christi valeas perve- » nire. »

II. Juxta ritum Anglicani Pontificalis ante annos nongentos exarati, cum Abbas Novitium vestimentis, quibus utebatur, exuit, et aspersa aqua benedicta super cucullam, nec non et super ipsum Novitium, monastica eidem vestimenta præbet, hæc profert verba : « Accipe » vestem, indue sanctitatis decorem, ornare » habitu B. Benedicti cum timore et reverentia, » quam interveniente B. Dei Genitrice semper » Virgine Maria, cum bonorum observantia » operum, ignita castitatis lampade suffultus im- » maculatam ante tribunal Christi perferas. » Per. » Rituale Gemeticensis monasterii, tempore Theodorici abbatis scriptum, et alia complura quæ vidimus, ad exuendum quidem habitum sæcularem et ad monasticum induendum, eamdem tradunt formulam quam habet nostrum Romanum Pontificale. Antiquum vero Cassinense Ordinarium, tempore Oderisii abbatis exaratum, hanc exhibet verborum formulam ab Abbate pronuntiandam, ubi Novitium sæculari veste exspolians, monastica induit : « Exuat » te Dominus Jesus Christus veterem hominem » cum actibus suis, et induat te novum, qui » renovatur in agnitionem secundum imaginem » ejus qui creavit eum. »

III. Omitti hic non debet Rituale manuscriptum monasterii Corbiensis a Martenio editum, lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. IV. Mandat enim, ut recitatis quatuor Orationibus, illis fortasse quas supra descripsimus in § VII, Abbas debeat spargere aquam benedictam supra caput cujuslibet Professorum; tum ipsorum quisque debeat cucullam suam ponere ante pedes Abbatis qui, post benedictas cucullas et aqua benedicta aspersas, tangere debet floccum cujuslibet Professorum, et tangendo dicere hanc Orationem : « Exuat te Dominus veterem ho- » minem cum omnibus suis actibus. Amen. » Hoc facto, ex præscripto memorati Ritualis, debet Camerarius ducere Professos retro magnum altare, et tunc ibidem debent singuli eorum exuere suum floccum, et induere quilibet cucullam suam benedictam, et floccum desuper, et extrahere caputium cucullæ desuper dicto flocco : et tunc sutor Ecclesiæ debet interesse, et suere caputia prædictarum cucullarum juxta os cujuslibet eorum; et hoc facto Camerarius Ecclesiæ debet eos reducere ante prædictum Abbatem, et ipsis genibus flexis ante eum dictus Abbas super quemlibet eorum debet dicere Orationem quæ sequitur : « Induat te Dominus » novum hominem, qui secundum Deum crea- » tus est in justitia et sanctitatis veritate. In » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Hæc invocatio trium sanctissimæ Trinitatis Personarum deest fere in omnibus aliis verborum formulis, quæ dici olim consueverant, ubi Abbas monasticis vestimentis Novitios induebat. Puto hanc cæteroqui antiquam Monachorum formulam ad Clericos manasse, cum sub iisdem verbis ab Episcopo in prima sua Clericali Tonsura superpelliceo induuntur. Porro flocci et cucullæ pro diversitate regionum

Digitized by Google

varia fuit olim acceptio; quocirca Clemens V, Pontifex Maximus, in Concilio Viennensi, ubi res monasticas ordinavit, ut tolleretur circa ipsas dubitandi materia, diserte declaravit cucullam esse quidem vestem Monachorum, longam et amplam, manicas non habentem; floccum vero, vestem longas et amplas habentem manicas, uti videre est in Clementina, *Ne in agro*, § *Statuimus, De statu Monachorum.*

IV. Alludere ad formulam nostram videtur particula ejus Orationis, quam apud Græcos dicit Sacerdos antequam profitenti vestem monasticam tradit. « Electis, inquit, tuis annumera, ut fiat vas electionis, filius, et hæres » regni tui, filius lucis et diei, sapientiæ, justi- » tiæ, sanctificationis, redemptionis. Adapta » eum, quasi sonorum instrumentum, et ju- » cundum Spiritus sancti psalterium : ut veterem » hominem, qui versipellis serpentis errore » libidinoso corrumpitur, multo sibi profecto » comparato exutus, novum Adam secundum » Deum in sanctitate et justitia creatum induat, » etc. » Formula qua ad ipsum induendum Monachum magno, ut aiunt, et angelico habitu Sacerdos utitur, hæc est : « Frater noster N. » accepit magnum et angelicum habitum. In » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Dicamus pro eo : Domine, miserere. » Eo induto ex præscripto Euchologii sive Ritualis Græcorum, cantantur sequentes moduli : « Induite tunicam salutis, præcingite castitatis » cingulum, signum crucis sculpite, armis con- » tinentiæ spiritales armate pedes, et invenietis » requiem animabus vestris. Lætabitur anima » mea in Domino, induit enim me tunica salutis, » et veste lætitiæ circumdedit me. Velut sponso » mitram mihi imposuit; et ut sponsam moni- » libus me ornavit. » Vide eruditissimi Jacobi Goar Notas in Officium parvi habitus, id est Pallii ; et in Officium magni et angelici habitus, ubi inter alia ex veterum scriptorum testimoniis docet habitum monasticum dici angelicum consuevisse ; « ceu qui puritatem, rerum tempo- » ralium abjectionem, hymnos, orationes, obe- » dientiam, et munditiem Angelorum imitatur » et profitetur. » Erat autem parvus habitus vestis quæ Professuris tradebatur, antequam tonderentur, ut ex Euchologio patet ; magnus vero et angelicus habitus, μέγα ἀγγελικὸν χῆμα, erat vestis quæ, deposito parvo habitu, Professis dabatur in signum perfectionis, et propositi angelicæ vitæ deducendæ. Hanc vestem, uti ex eodem Euchologio constat, prius solemniter altari impositam, ac benedictam profitenti Abbas tradebat.

§ X.

Tunc deposita mitra surgit Pontifex, et dicit :

OREMUS.

Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur nihilque boni perficitur; adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures; et hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus, a mundi impedimento vel sæculari desiderio defende; et concede ei ut in hoc sancto proposito devotus persistere, et remissione peccatorum percepta, ad electorum tuorum valeat pervenire consortium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat Oratio ista in Rituali Gemeticensis monasterii, tempore Theodorici Abbatis scripto, et in aliis plurimis a laudato Martenio editis, lib. v *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. iv. Apud Græcos, ubi cantati sunt moduli superius descripti, Sacerdos has recitat preces : « Domi-

Digitized by Google

num precemur. Domine Deus noster, qui es fidelis in pollicitis, nusquam dona retractans, et in humanitate ineffabilis, qui sancta vocatione creaturam vocas, et servum tuum ad spiritualem vitam deducis : vitam honestam ei concede, conversationem virtute ornatam et irreprehensam, ut in sanctitate vitam agens, illibatum servet quem tua virtute induit habitum : tunica quidem justitiam sibi circumdet; cingulo, corporis mortificationem et castitatem in seipso circumferens : cucullum vero, ceu galeam salutis imponens : analabo vero, ceu cruce, et fide ornatus ; Pallio autem amictus, tanquam immortalitatis stola armatus ; sandaliis denique, ut per viam pacis et salutis incedat : atque ita adversariis tremendus evadat, hostibus inexpugnandus, ab omni voluptate et turpi libidine alienus. Obedientia instruatur, continentiam obeat, Religionis regulis insistat, ut in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus venerandum et magnificum nomen tuum celebret, vestigia magni prophetæ Eliæ et sancti Joannis Præcursoris et Baptistæ, sequatur : ut perfectionis mensuram et modum attingens, cursum consummet, et servet fidem ; Angelorum ornetur incorruptione, sancto tuo ovili annumeretur, sortis dexteræ tuæ compos fiat, et tandem beatam illam vocem audiat : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis a constitutione mundi paratum.* Cujus et nos hæredes fieri concede, Deus, tua bonitate. Quia Deus misericordiæ, miserationum et dilectionis existis ; et tibi gloriam rependimus : Patri, et Filio, et sancto Spiritui : nunc, semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

II. Huc usque Oratio ex Rituali Græcorum, ubi illud notandum censeo, varias esse apud ipsos Monachorum professorum vestes, de quibus videri potest eruditissimus Altaserra, *De origine rei Monasticæ* lib. v, cap. xvii, et Benedictus Haeftenus in libris *Disquisitionum Monasticarum*, in quibus inter alia, allatis veterum scriptorum testimoniis, hæreticos novatores suggillat, egregieque eorum errores confutat, qui peculiarem Monachorum vestem ejusque antiquitatem impugnare et irridere non erubescunt ; quia scilicet ex iis nonnulli, excusso cucullo, e monasteriorum claustris, vulgari thorace, et braccis follicantibus, ad quinti Evangelii, ut aiunt, Cathedram prosilierunt : nimirum probare in aliis nequeunt quod ipsi jam pridem una cum fide et religione deseruerunt.

§ XI.

Quibus dictis, sedet Pontifex, et imponitur sibi mitra; et Electus professionem emissurus, junctis ante pectus manibus, coram eo genuflexus dicit : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.* Circumstantibus, vel Monachis, si sit in suo monasterio, respondentibus : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* ℣. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Et hoc ter tam per Electum quam per circumstantes repetitur. Deinde Electus ante altare et Pontificem se prosternit in terram; et dicuntur sequentes Psalmi per Pontificem sedentem cum mitra, circumstantibus respondentibus : Psalmus xlvii, *Magnus Dominus.* Psalmus l, *Miserere mei, Deus.* Psalmus cxxxii, *Ecce quam bonum.* Quibus finitis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et dicit : *Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

OREMUS.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, sed per pœnitentiam et emendationem vitam semper inquiris; te suppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti, large tuæ pietatis gratiam infundere digneris; quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando, statum vitæ præsentis percurrere valeat: ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat: Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex Ordine antiquo Romano ut, postquam vestem monasticam indutus est Monachus, toto corpore prostratus ante altare dicat hunc versum, *Suscipe me secundum eloquium tuum, etc.* Astantes vero omnes eumdem versum tribus vicibus repetant. Ea verba ex præscripto veterum Ritualium monasticorum dici solebant vel olim post emissam scripto solemnem professionem : « Perlecta professione, » inquit S. Benedictus, incipiat ipse Novitius » mox hunc versum : *Suscipe me, Domine, etc.* » Quem versum omnis congregatio tertio res- » pondeat, adjungens, *Gloria Patri.* » Eumdem ritum legere est in antiquo Cassinensi Ordinario tempore Oderisii abbatis descripto. Vallisoletani præscribunt versum *Suscipe, etc.*, non a solo Novitio, sed etiam a Cantore et Magistro Novitiorum simul decantandum. Quo autem ritu, exponit Lanfrancus, dicens : « Ibique inter » dicendum ter genua flectat. » Idipsum habent Consuetudines Bursfeldenses. Rituale Affligeniense, et alia complura quæ vidimus Monachorum antiquissima Ritualia ritum ita præscribunt : « Faciunt Novitii ad primam et » secundam vicem longam veniam, ita quod ad » mediam istius partem, eorum genua terram » contingant, et ad ejus finem toto corpore » prostrati jaceant in eadem. Ad tertiam vero » vicem super genua quidem procumbunt, sed » tunc manus solummodo ad terram ponentes, » sic versus terram inclinantes ante et retro » faciunt, ita quod ad finem versus ad orientem » gyrando redeant, ibique, ut prius, longam » veniam perficiant, et sic jaceant, donec Abbas » orationes suas expleverit, et cucullas bene- » dixerit eorumdem. »

II. Ex Consuetudinibus S. Benigni, ter dicunt omnes insimul, *Suscipe me, Domine*, petentes venias super genua sua; respondet Conventus tertio eumdem versum; et in fine dicitur *Kyrie* cum *Gloria Patri.* Quo tempore, omnes, sicut sunt, gyrum faciunt, poplitibus flexis, et prosternunt se ad Orationem. Tunc dicto ab omnibus *Pater noster*, dicit Abbas : *Et ne nos*, et Psalmum L, id est, *Miserere mei, Deus.* Quo finito cum *Gloria Patri*, prosequitur capitula cum collectis, in quarum extrema, cum dicit : *Per Dominum nostrum*, finem faciens, spargit super unumquemque aquam benedictam. Deinde, cucullis benedictis, ac sparsa in eis aqua benedicta, accepto thuribulo, incensat tam Novitios quam ipsas cucullas : ad quos accedens, singillatim unumquemque, manum eidem porrigendo, elevat, et exuens eum tunica, induit cuculla; eos osculans, mittit in choro ad osculandum Fratres. Inter exuendum quoque, ad unumquemque dicit : *Exuat te Deus, etc.*, et induens eum cuculla subjungit : *Induat te Dominus, etc.*

III. Placuit ritum ad verbum fere describere, ut videas vestium olim mutationem factam fuisse post emissam professionem ; id quod etiam ex aliis innumeris Ritualibus monasticis licet addiscere, in quibus tamen quoad Psalmos et quoad Orationem aliqua est variatio. Consuetudines monasterii Farfensis Psalmum duntaxat *Miserere mei, Deus*, ab omnibus usque ad finem dicendum jubent. Rituale Gemeticensis monasterii, tempore Theodorici abbatis scriptum, nulla facta mentione memorati Psalmi *Miserere mei, Deus*, mandat recitandos Psalmos, *Domine, quis habitabit. Dominus regit me. Domini est terra.* Rituale monasterii Aniensis, Psalmo *Miserere mei, Deus*, adjungit Psalmum *Ad te levavi*, et Psalmum *Legem*

Digitized by Google

pone, usque ad *Memor esto*. Codex manuscriptus monasterii Sancti Georgii in pago Rothomagensi, præter Psalmum *Miserere mei, Deus*, et Psalmum *Ad te levavi*, præscribit etiam dicendum Psalmum *De profundis*.

IV. Quid plura ? Quot Ritualia, tot quidem ritus diversi, non modo quoad memoratos Psalmos, sed etiam quoad Versiculos et Responsoria, et præsertim quoad Orationem, uti videre est in antiquo Romano Ordine, ubi initio quidem professionis Monachorum, prior scholæ, ad nutum Abbatis, imponit primum Antiphonam : *Hic accipiet benedictionem*, Psalmum vero *Domini est terra ;* secundo Antiphonam : *Cor mundum crea in me, Deus*, et Psalmum *Miserere mei, Deus :* tertio Antiphonam : *Dicam Deo : Susceptor meus es, Deus meus, sperabo in eum*, Psalmum autem *Qui habitat ;* deinde Litaniam et *Pater noster, qui es in cœlis*. Et tunc quidem Abbas imponit vestimentorum benedictionem. Cæterum postquam indutus Monachus habitu religionis, toto corpore prostratus ante altare, eum versum pronuntiavit, *Suscipe me secundum eloquium tuum, etc.*; nulli alii dicuntur Psalmi, nulli Versiculi seu Responsoria, sed tantum Abbas, aspersa super eum aqua benedicta, quatuordecim dicit Orationes, quarum quinta et sexta sunt quidem prolixiores, cæteræ vero breviores, et quod mirum videri debet, deest in illis Orationibus illa quam habet nostrum Romanum Pontificale ; quam alioqui legere est in compluribus Monachorum Rituali libris.

§ XII.

His dictis, sedet Pontifex et mitram accipit, ac coram eo genuflexus Electus, emittens professionem ex præscripto cujuscumque Congregationis in charta scriptam, quam in manibus tenet et legit. Qua lecta, ponit chartam ipsam super altare, et iterum ut prius genuflectit coram Pontifice incipiente, et schola prosequente, Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo quod est in Jerusalem.* Ton. VIII.

COMMENTARIUS.

I. Puto omnium primum qui professionem scripto fieri et super altare poni mandaverit, fuisse S. Benedictum, qui in sua Regula, cap. LVIII, inquit : « Suscipiendus autem in » Oratorio coram omnibus promittat de stabi- » litate sua, et conversione morum suorum, et » obedientia coram Deo et sanctis ejus; ut, si » aliquando aliter fecerit, a Deo se damnandum » sciat, quem irridet. De qua promissione sua » faciat petitionem ad nomen sanctorum, quo- » rum reliquiæ ibi sunt, et Abbatis præsentis. » Quam petitionem manu sua scribit, aut certe, » si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat, » et ille Novitius signum faciat, et manu sua » super altare eam ponat. » Hinc satis mirari nequeo cur Ordo vetus Romanus, post S. Benedictum scriptus, nullam de eo ritu mentionem faciat, cujus alioqui passim et prisci scriptores, et vetusta Ritualia, et antiquæ Synodi diserte meminere. « Omnis conversus, inquit S. Isido- » rus Hispalensis, cap. IV *Regulæ Monachorum*, » non est recipiendus in monasterio, nisi prius » ipse scripto se spoponderit permansurum. » Item Joannes Climacus, gradu IV, Monacho suadet ut, si Magistrum, qui animæ ægritudini mederi noverit, forte repererit : Ad eum, inquit, « accede, et auro demissionis, et chirographo » obedientiæ, et tabulis ministerii, et Angelis » testibus vende te ipsum, et instrumentum » proprii arbitrii et voluntatis pro his lacera et » concerpe. »

II. Pontificale Anglicanum, ante annos nongentos scriptum, ritum ipsum ita describit : « Cum Novitius Novitiorum regulæ examina- » tione jam bene probatus fuerit, egrediatur de » ea, pariterque cum suo Magistro veniat in » Capitulo. Ipse vero Novitius, ut sibi traditum » fuerat, prosternat se ante pedes Abbatis, resi- » dentibus fratribus cunctis, et deposcat se so- » ciari sanctæ congregationi. Si autem sibi

Digitized by Google

» concessum fuerit, ocius festinet, et osculetur » pedes Abbatis. Deinde in conspectu omnium » fratrum, flexis genibus et inclinato capite, » vertat se ante et retro. Tunc veniat ante Ab- » batem, et stet ante eum, et multimodam » gratiarum actionem ei vel congregationi sup- » pliciter reddat. Abbas vero jubeat sibi scribere » professionem, aut certe, si non scit scribere, » alius ab eo rogatus scribat qui scit. Jamque » cum hora tertiæ decantata fuerit vel Letania, » præsente Abbate et cunctis adstantibus fra- » tribus, ipse Novitius secum gestans chartulam » veniat ante altare, elevataque voce dicat : » *Ego frater Deodatus promitto stabilitatem* » *meam, et conversionem morum meorum, et* » *obedientiam secundum regulam S. Benedicti* » *abbatis coram Deo et sanctis ejus, in præsen-* » *tia Domni N. abbatis.* Mox ipse manu sua » eam super altare ponat, statimque ante ipsum » altare inclinus vertat se, etc. » Eumdem ritum legere est in antiquo Pontificali Ecclesiæ Conchensis in Hispania, et in aliis plerisque priscis Ritualibus a Martenio allatis, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II; et lib. V, cap. IV, *De antiquis Monachorum Ritibus*. Quibus addi potest locus egregius ex can. IV Concilii Toletani X anni 656. « Vidua, inquit, quæ » sanctæ Religionis propositum obtinere volue- » rit, Sacerdoti, vel Ministro, ad quem aut » ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, » scriptis professionem faciat, a se, aut signo, » aut subscriptione notatam, continentem se » Religionis propositum velle, et hoc perenniter » inviolate servare. »

III. Complures autem rationes sunt ob quas hujusmodi scriptionem in solemni Monachorum professione adhibendam esse præscribitur. Prima est illa quam tradit S. Isidorus, cap. IV *Regulæ Monachorum*, his verbis : « Sicut enim » ii qui ad sæcularem promoventur militiam, » in legionem non transeunt nisi ante in tabulis » conferantur : ita et ii qui in spiritualibus » castris, cœlesti militiæ sunt signandi, nisi » prius professione verbi aut scripti teneantur, » in numerum societatemque servorum Christi » transire non possunt. » Alteram rationem suppeditat S. Benedictus, et Concilium Toletanum X, can. V, ut nimirum, si aliquando suadente diabolo consenserit e monasterio egredi, charta professionis in eo asservata convinci possit. Tertia tandem ratio in eo fundatur, quod passim contractus, ne partes resilire possint, conscribi solent; et in conjugiis dotales tabulæ conscribuntur, uti vel tirones juris civilis norunt. Cum autem professio contractus quidam sit inter profitentem ipsamque Religionem, animæ quoque cum Deo per vota solemnia desponsatio, merito et illa scripto confirmatur : « Legum enim Ecclesiasticarum auctoritas talis » est, ut in causis gestorum semper scripturam » requirant; » uti recte dixit in Concilio apud S. Menardum Hincmarus archiepiscopus Remensis, cujus laudata verba exstant apud Gratianum, can. *Legum* II, quæstione I.

IV. Quod vero S. Benedictus et Ritualia velint ut qui litteras nescit alium roget, qui pro se professionis verba describat, est quidem id legibus consentaneum; uti videre est in Codice *De Testamentis*, et alibi passim, ac præsertim in L. *Scimus*, Cod. *De jure deliberandi*, ubi præcipitur ut, si ab hærede inventarium faciendum sit, ab eodem quidem subscribatur, si litteras sciat; sin autem eas ignoret, id ejus loco per tabularium præstetur, proposito ab hærede venerabilis crucis signo. Lex ita inquit: « Subscriptionem supponere hæredem necesse » est, significantem, et quantitatem rerum, et » quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, » vel facienda, res apud eum remaneat; vel, si » ignarus sit litterarum, vel scribere præpedia- » tur, speciali tabulario ad hoc solum adhiben- » do, ut pro eo litteras supponat, venerabili » crucis signo ante hæredis manu proposito. » Ita in V Synodo Constantinopolitana illi qui aliena manu subscribebant, crucem ipsimet proponebant seu protendebant, nam inter subscriptiones cæteras etiam istæ duæ leguntur. Prima : « Stephanus, presbyter et prior mona- » sterii de Consta, rogatus subscripsi manu » Jacobi diaconi, qui scripsit secundum com- » missionem meam, et ego protendi propria » manu mea venerabilem crucem. » Altera subscriptio hæc est : « Zoticus, presbyter et prior » Monasterii Sancti Andreæ prope Saturniam » Portam, rogatus subscripsi manu Marci pres- » byteri et secundarii, me protendente honora- » bilem crucem. »

V. Est et illud quoque adnotandum, veterem esse Monachorum disciplinam ut professionis charta, aut nominis, aut crucis subscriptione

Digitized by Google

roboraretur. De nominis subscriptione exempla legere est in Diplomate Ludovici Pii, anno Christi 832 quod ex Sirmondo, tomo II *Conciliorum Galliæ*, descripsit Haeftenus *Disquisitionum Monasticarum* lib. IV, tractatu V, disquisitione VI, ejusque verba hæc sunt : « Monachi » regularem vitam resumentes, tres chartas » subscripserunt, ut una earum ad caput glo- » riosissimorum Christi Martyrum fieret, altera » regia custodia asservaretur, tertiam vero » ipsius monasterii Abbas haberet. In quibus » se a beato Patre Benedicto, Spiritu sancto » docente, scriptam Regulam sunt servare velle » professi, et unusquisque eorum nomen pro- » prium, cum gradu et Monachi appellatione » eisdem chartis subter firmavit.

VI. Signum crucis nominis loco subscribere communissimum est. Boerius, professionis formam referens, hanc notam ad finem adjecit : o†o. De Carthusianis testis est Petrus Sutor, l. I *De vita Carthusiana*, c. VIII, ubi ait in ipsius monasticæ professionis calce profitentem crucis signum depingere consuevisse. Tenuit et ea consuetudo apud Canonicos Regulares Windesemenses, de qua sic inquit Buschius in *Chronico*, lib. I, cap. XXVII : « Professionis suæ for- » mam manu propria in membrano pergameni » conscriptam, parvula cruce, in ultima riga » consignatam singuli fratres profitentes in facie » Ecclesiæ, ante summum altare, alta voce pu- » blice lectam, ad altare obtulerunt. » Testatur Jacobus Cujacius in *Paratitlitis*, lib. I Codicis, tit. VIII, adeo fuisse sanctum Christi signum ac venerabile, « ut in instrumentis pro fide et » subscriptione cederet. » Unde et Theodorus Balsamon in can. XIII Synodi Carthaginensis scripsit : « Septuagesima secunda imperatoris » Domini Leonis Sapientis Novella statuit, ut » quodcumque scriptum in quo venerandæ et » vivificæ crucis figura per manum ejus, qui » ipsum composuit, scripta est, firmum et im- » mutabile maneat. » Non ergo mirum si majoris venerationis ac firmitatis causa ii olim qui scripto alicui aut decreto subscribebant, signum crucis nomini suo præponere aut subjungere consuevere. Huc pertinet subscriptio Pragmatii episcopi, quæ in Epistola Fausti Reiensis inter alias subscriptiones habetur, et est hunc in modum concepta : « Pragmatius in Christi signo » episcopus relegi et subscripsi. » Complura, quæ ad crucis signum spectant et ejus antiquum usum, videri possunt apud eruditum Gretserum in lib. *De Cruce;* et ex ipso apud laudatum Benedictum Haeftenum loco citato.

VII. Quod vero spectat monasticæ professionis formulam, varia ea profecto pro varietate religiosorum Ordinum fuit; quinimo in variis ejusdem instituti monasteriis diverse componebatur, ut liquet ex auctore manuscripti codicis Bigotiani ante annos quingentos scripti, ubi agit de professione Monachorum, editusque est hodie codex a Martenio, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II in fine. Recte itaque admonet Rubrica nostri Pontificalis emittendam esse professionem ex præscripto propriæ Congregationis seu Ordinis. Verba Antiphonæ *Confirma hoc, Deus,* quæ ex eadem nostra Rubrica a Præsule incipi debet postquam Professus chartam professionis suæ legit et super altare posuit, exstant quidem in manuscripto Pontificali antiquo Ecclesiæ Mimatensis, et in aliis Ritualibus libris compluribus. Qui ritus quidem satis est commendabilis; rogatur enim Deus ut Professi promissionem confirmet, suaque gratia roboret, ne, suadente diabolo, datam postea fidem fallat, et in sui damnationem a Religione, quam rite professus est, aliquando resiliat.

§ XIII.

Qua dicta, Pontifex adhuc cum mitra sedens, accipit eum in congregationem et societatem aliorum Monachorum Ordinis sui, dicens : *Omnes, quamvis per gratiam baptismi fratres simus in Christo, et unum Patrem habeamus in cœlo, si ejus præceptis, prout possumus, obsequimur, procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus et beneficiis invicem nos copulamus; quemadmodum in primitiva Ecclesia sancti Patres, quibus cor unum et anima una erat, fecisse leguntur, quorum plures Christi amore, mente accensi, possessiones et facultates rerum ven-*

Digitized by Google

dentes, congregatis in unum pretiis, ad Apostolos ferebant gaudentes. Quæ Apostoli accipientes tribuebant omnibus, prout opus erat. Sicque iste nihilominus, Deo inspirante, eorum exemplo commonitus, Religiosorum Ordinis sancti N. optat conjungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi cum illis, quantum a Domino possumus promereri et nostrum est largiri; quatenus cum electis a remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Qua dicta, Pontifex, et omnes Monachi præsentes recipiunt eum ad osculum pacis.

COMMENTARIUS.

I. Dicta Antiphona *Confirma hoc, Deus, etc.*, ut supra in § XII, ex præscripto antiqui Pontificalis Ecclesiæ Mimatensis, « Prælatus dat Professo communem societatem congregationis, » dicens hanc exhortationem sancti Augustini : » *Quamvis per gratiam baptismi fratres, etc.*, » ut in nostro Pontificali, si ea verba excipias, *Religiosorum Ordinis sancti N.*, quæ quidem addititia sunt, et in Mimatensi Pontificali desiderantur ubi eorum vice verborum, vox solum *nostris*, legitur. Expleto autem illo sermone hortatorio, quem edita antiqua Romana Pontificalia sancto Augustino etiam tribuunt, ex ritu certe antiquissimo, tum Abbas, cum reliqui Monachi præsentes Professum recipiunt ad osculum pacis. Quem ritum non esse sui expertem mysterii, docet nos S. Dionysius, *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* cap. VI, his verbis : « Quod tam » Sacerdos quam circumstantes reliqui viri san- » cti sic dicatum consalutant, sacram intelligo » Dei præferentium speciem, societatem, qua » sibi invicem cum lætitia et charitate gratulan- » tur. » Ex Pontificali et Missali Anglicanis manuscriptis, quorum primum est annorum nongentorum, alterum annorum circiter septingentorum, ut testatur Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, expleta professionis functione, Religiosus jam professus « secundum regulæ præceptum, singulorum » prostratus pedibus, pacis accipit osculum, » sicque in ultimo constituitur gradu. » In omnibus fere Pontificalibus seu Ritualibus libris reperi quidem hunc ritum recipiendi Professum ad osculum pacis : non dicunt tamen quod ipse Professus debeat esse prostratus : « Prælatus et » omnes Fratres, » inquit Pontificale Ecclesiæ Mimatensis, « osculantur eum successive. » Apud Græcos, ut in *Euchologio* videre est in Officio magni et angelici habitus, professionis ritus salutatione osculi quidem finitur : « Et » continuo fit per osculum salutatio et dimissio; » ante eam tamen cæremoniam tradit Sacerdos Professo crucem, sic dicens : « Dixit Dominus : » *Qui vult me sequi, abneget semetipsum, et se- » quatur me :* » tradit illi et cereum accensum, et ait : « Dicit Dominus : *Sic luceat lux vestra » coram hominibus, ut videant opera vestra bo- » na, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis » est :* » Et confestim, inquit *Euchologium*, osculatur Monachus detonsus crucem; ut ostendat, inquit Simeon Thessalonicensis, « se » jam Christum secutum, et amplius secutu- » rum. »

II. Ritus quoque apud Latinos frequentissimus fuit ut, post religiosam illam deosculationem, recens Professi caputium sub mento consueretur; tribusque ipse diebus servare silentium in choro etiam debebat, et sacram quotidie Eucharistiam percipere; idque ex constanti ac universali monasteriorum præscripto, et consuetudine quam legimus in antiquissimis Pontificali et Missali Anglicanis, in Ordinario seu Rituali Cassinensi, in Statutis Lanfranci apud Udalricum, in Rituali Anianensi et Beccensi, et alibi passim. Hujus autem ritus mysterium ita exponit Rupertus abbas Tuitiensis, lib. III *in Reg.* V *Bened.*, cap. IX, ut nimirum « Mona- » chus Christo quodammodo commoriatur et » consepeliatur, videlicet triduano silentio, » capite cooperto, mortificationis vel susceptæ » pœnitentiæ circumferens testimonium, spe- » ctaculumque factus est angelis et hominibus,

Digitized by Google

» tertia tandem die, deposito capite reveletur ab » Abbate dante sibi osculum pacis, in similitudi- » nem resurrectionis Domini, qui discipulis suis » post triduanam eorum tristitiam redivivus ap- » parens, dixit eis : Pax vobis. » Porro quanta sit ejus ritus antiquitas perspicue apparet ex c. xxxv Concilii Aquisgranensis, ubi præscriptum legimus, « ut Monachus, professione facta, tribus » diebus coopertum habeat caput. » Juxta *Eucologii* præscriptum in Officio parvi habitus, Monachus ab omni opere vacans, etiam lectione, si litteras novit, debet quinque dierum spatio in ecclesia perseverare ac permanere.

III. Denique, ut ritus omnes perstringam, mos olim fuit in professione nomen mutari, quasi ea novi hominis natalis sit et regeneratio, sive novum baptisma. Scio has voces ab hæreticis suggillari, ac præsertim a Calvino, lib. IV *Institutionum*, cap. CCXIII, § XIV, cum ait Patres toto pectore abhorruisse ab illa blasphemia et sacrilego dogmate, quo professio Monastica secundum baptisma nominatur. Sed quis non videat effrænatam hominis impudentiam, cum id sancti Patres tum veteres cum recentiores constanter asserant. S. Hieronymus, Epistola XXV, de obitu Blesillæ ita scribit : « Cum propitio » Christo, ante quatuor fere menses secundo » quodammodo se propositi baptismo laverit, » et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo sem- » per monasterium cogitaverit, etc. » Et, ut alios omittam quos lato calamo affert Haeftenus, *Disquisitionum Monasticarum* libro IV, tractatu VIII, disquisitione II, S. Bernardus eam rem diserte affirmat, et rationem docet cur professio alter baptismus vocetur. Sic enim inquit in lib. *De præcepto et dispensatione*, cap. XVII : « Audire et hoc vultis a me, unde, » inter cætera pœnitentiæ instituta, monasteria- » lis disciplina meruerit hanc prærogativam ut » secundum baptisma nuncupetur : arbitror ob » perfectam mundi abrenuntiationem, ac sin- » gularem excellentiam vitæ spiritualis, qua » præeminens universis vitæ humanæ generi- » bus, hujuscemodi conversatio professores et » amatores suos angelis similes, dissimiles ho- » minibus facit, imo divinam in homine effor- » mat imaginem, configurans nos Christo in- » star baptismi, et quasi denique secundo bap- » tizamur, dum per id quod mortificamus » membra nostra, quæ sunt super terram, Chri- » stum induimus, complantati denuo similitu- » dini mortis ejus. » Huc usque S. Bernardus.

IV. Si itaque secundus baptismus appellatur professio monastica, non mirum videri debet si in ea nomen mutetur. Non me latet carpi hunc ritum ab impio Erasmo in nefandis colloquiis suis ubi ita scribit : « Ut quoque sit evidentior » (in monasteriis) servitus, commutant vestem, » quam dedere parentes, et ad exemplum pri- » scum eorum qui olim servos essent mercati, » commutant nomen in baptismo inditum, ac » pro Petro, sive Joanne, vocant Franciscum, » aut Dominicum, aut Thomam. » An non tibi videtur hæc scribens Erasmus omnium impudentissimus ? quippe qui inditum ipse sibi in baptismate nomen commutavit ; cum enim batavico more dictus esset *Gerardus Gerardi*, ut scribit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, voluit Latino Græcoque nomine appellari, *Desiderius Erasmus*. Sed omissa hujus hominis impudentia, ritus est plane antiquus in professione mutari nomen tum apud Græcos, tum apud Latinos. Scribit enim Balsamon ad Canonem V Synodi Constantinopolitanæ I et II : « Cum » aliqui monasteria ingressi essent, et rasa in- » duti, et cum trisagio in templo, et nomen » mutavissent, et ut semel dicam, instar Mona- » chorum, et intra, et extra versarentur, etc. » Scribit de Andronico seniore, lib. IX, Nicephorus Gregoras : « Volentem nolentem tondent, » et cucullo induunt, atque Antonium nomi- » nant. » Et de Alexio Comneno narrat Nicetas, quod « invitus Christi lacernam induit, nec » summis auribus decantato attendens officio, » ex comato solum, et intonso, ad cutem rasus, » Athanasii nomen accepit. » Illud quoque de Edrano refert Metaphrastes, quod Danielis Stylitæ hortatu Monachus effectus, « mutato no- » mine, pie vocatus est Titus. »

V. De Latinorum more celebre est testimonium Leonis Ostiensis, qui lib. III *Chronici Cassinensis*, cap. IV, de Gregorio abbate scriptum reliquit : « Is desiderium multa hilaritate » suscipiens, quia cunctis desiderabilis erat ; » tunc primum mutato ejus nomine, Deside- » rium appellari jussit, nam usque ad id tempus » Dauferius vocabatur. » Cæterum constat ex lege *Sicut*, lib. IX Codicis, tit. XXV, permissum esse cuilibet homini libero nomen sibi mutare, quod primum acceperat, nisi hoc fraudulenter

Digitized by Google

fieret : « Sicut in initio, inquit, nominis, co-
» gnominis, prænominis recognoscendi singulos
» gratia, impositio libera est privatis; ita eorum
» mutatio innocentibus periculosa non est. Mu-
» tare itaque nomen, vel pronomen, sive co-
» gnomen sine aliqua fraude, licito jure, si liber
» es, minime prohiberis. » Constat denique hæc disciplina mutandi nomen in professione monastica et Dei exemplo, qui in Lege veteri indita quibusdam a nativitate nomina mutavit, ut Abrahæ, Saræ et Jacob; quin et in Testamento novo, Christus Dominus, Joannis capite I, versiculo XLII, Simonem *Cepham* seu *Petrum* appellavit; filiis vero Zebedæi, Joanni et Jacobo, *imposuit nomina Boanerges, quod est, filii tonitrui*, uti habetur Marci cap. III, versiculo XVII.

§ XIV.

Deinde Electus vadit ad Capellam suam, in qua paratur amictu, alba, cingulo, et stola in modum Presbyteri, ac pluviali; et associatus medius inter duos Abbates, indutos superpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici, si benedicendus sit de mitra, alias inter priorem et seniorem, aut duos seniores Religiosos, sui, si adsint, aut alterius monasterii, indutos superpelliceo et pluviali, ducitur ad Pontificem in faldistorio ante altare sedentem, cui, deposito bireto, se humiliter inclinans, facit reverentiam : Assistentes etiam detectis capitibus, illa inclinantes, Pontificem venerantur. Tum sedent omnes eo ordine, prout in consecratione Episcopi supra dictum est. Et postquam parum quieverint surgunt omnes, capitibus detectis, et senior Assistentium, stans detecto capite versus ad Pontificem, dicit : *Adest, etc.*, ut infra.

COMMENTARIUS.

I. Quoniam, ut alibi ostensum fuit, Abbates non ratione dignitatis, sed ex Romanorum Pontificum indulto, Pontificalibus insignibus uti possunt, recte admonet Rubrica nostri Pontificalis alio apparatu benedicendum Abbatem, quem vocant *De mitra*, alio vero humiliori Abbatem, qui Pontificalium insignium exercitio et usu caret. Fateor eum apparatum nobiliorem vix inveniri in antiquis Pontificalibus libris; ex Canone tamen Theodori (quem affert vetus Ordo Romanus in eo titulo qui inscribitur *Ordinatio Abbatis*, et manuscriptus Codex Sancti Remigii Remensis ante annos quingentos agens de ipsa Ordinatione Abbatis) « in Ordinatione
» Abbatis Episcopus debet Missam cantare, et
» eum benedicere inclinato capite, cum duobus
» vel tribus de fratribus suis, et dat ei baculum,
» et pedules, etc. » Pontificale insignis Ecclesiæ Moguntinæ ante annos quadringentos scriptum, benedicendi Abbatem ritum enarrans, ingenue fatetur quod, « licet solum sine coassistentia
» aliorum Abbatum, die feriata, vel non feriata
» Abbatem benedici sacris Canonibus non re-
» pugnet, universalis tamen omnium quodam-
» modo Ecclesiarum usus induxit, ut coassisten-
» tibus duobus Abbatibus, die Dominica, et hora
» tertia inter Missarum solemnia id fieri debeat
» cum solemnitate infra notata debita et con-
» sueta. » Et statim eam solemnitatem explicare aggrediens : « Die ergo Dominica, inquit, hora
» tertia, ubi Abbas benedici debet, disponatur
» mensa in medio chori, superposita Mensali
» (*forte* Missali), et ponantur duo panes albi,
» et duæ flaccæ plenæ vino, et habeantur duo
» honesti cerei; et Episcopus indutus Pontifica-
» libus, Missam celebraturus cum debito ordine
» ministrorum, si fieri potest, ad altare proce-
» dat; et ipsi Abbates induti albis, et desuper
» cappis choralibus, in medio eorum Electum
» ducentes, accedant ad chorum, et Episcopus
» dicat, *Confiteor Deo.* Abbates, *Misereatur ve-
» stri.* Episcopus, *Amen.* Item ipsi, *Confiteor
» Deo.* Item Episcopus. *Misereatur vestri. In-
» dulgentiam.* His dictis, incipiatur Introitus ad
» Missam, *Spiritus Domini, etc.*, vel aliud Offi-
» cium juxta devotionem Episcopi, et conclu-

Digitized by Google

» datur cum Collecta Officii ista quæ sequitur, » sub eodem *Per Dominum, etc.* » Hoc est certe Pontificale antiquius quod ipse viderim, ubi luculentius quidem quam in quovis alio enarretur Ritus nostro Romano hodierno Pontificali conformior, etsi in aliquibus ab eo differat, ut suo loco ostendetur. Interim admonendum censeo, in benedictione Abbatis, ex Romanis vel ante annos ducentos editis Pontificalibus, illius diei Missam esse celebrandam, in qua novus Abbas benedicitur, non vero Missam de Spiritu sancto, quam Moguntinum Pontificale innuit, vel aliam juxta devotionem Episcopi. Cæterum cum Abbates vel Episcopi jurisdictioni, vel Apostolicæ Sedi immediate subjecti sint, merito sequens subditur titulus.

TITULUS XVI.

DE BENEDICTIONE ABBATIS AUCTORITATE APOSTOLICA.

§ I.

Adest, Reverendissime Pater, Electus monasterii N. Ordinis sancti N. diœcesis N., quem ad vestram Reverendissimam Paternitatem ex parte conventus ejusdem monasterii duximus præsentandum; humiliter postulantes a vobis ut ipsum in Abbatem dicti monasterii auctoritate Apostolica vobis commissa dignemini ordinare. Pontifex interrogat eos dicens : *Habetis mandatum Apostolicum?* Respondet ille : *Habemus.* Pontifex dicit : *Legatur.* Tunc Notarius Pontificis accipiens mandatum a præsentante, illud legit a principio usque ad finem. Interim omnes sedent tectis capitibus. Quo totaliter perlecto, Pontifex dicit : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Benedicuntur auctoritate Apostolica Abbates exempti, ii nempe qui Apostolicæ Sedi subjecti sunt, servaturque in eorum benedictione ritus non parum ab eo diversus qui in benedictione Abbatum auctoritate Ordinarii usurpatur. De qua infra suo loco dicendum erit. Est in præsenti autem adnotandum, neque in antiquis, neque in recentioribus manuscriptis adhuc inveniri eum, qui in editis Pontificalibus legitur, ritum benedicendi Abbatem auctoritate Apostolica ab alio distinctum, quo benedici solent nonnulli Abbates auctoritate Ordinarii. Eam quoque verborum formulam, qua senior Assistentium surgens detecto capite petit a Pontifice ut Electum velit ordinare in Abbatem, et illo interrogante si habeant mandatum Apostolicum, ambo assistentes respondent : *Habemus*, una cum aliis cæremoniis, quæ in hoc § continentur, fateor equidem me non invenisse in aliquo e manuscriptis Pontificalibus, sed solum in editis. In Pontificali quidem manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, quod putamus annorum circiter quadringentorum, Episcopum super faldistorium ante altare sedentem alter ex Abbatibus Electum præsentantibus alta voce in modum lectionis sic alloquitur : « Adest, » Pater Reverende, Electus monasterii talis, » quem ad vestri Pontificatus celsitudinem ex » parte conventus ejusdem loci ducimus præ- » sentandum, humiliter supplicantes vobis, ut » ipsum in Abbatem prædicti monasterii digne- » mini ordinare. »

Digitized by Google

§ II.

Vel si benedictio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti receptio committitur, litteris lectis, antequam Pontifex aliquid dicat, Electus de scabello suo veniens, coram Pontifice genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta formam juramenti, prout infra :

Ego N. Electus monasterii N. Ordinis sancti N. diœcesis N., ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut nuntios suos, seu litteras ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo Ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo, honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, et successorum prædictorum, conservare, defendere, augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse : et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica, totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hac edita constitutione, eo ipso incurrere volo. Quo per eum lecto, Pontifex supra gremium suum librum Evangeliorum apertum tenens, inferiori parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo dicente : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Et textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Pontifex : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Reverentiam Episcopo debere omnes Abbates ipsius diœcesis præstare, docent nos sacri Canones passim, ac sancti Ecclesiæ Patres frequenter inculcant. Quod spectat professionem, et obedientiam quam in sua ordinatione jurejurando Abbas promittit Episcopo, eam certe

Digitized by Google

ægre admodum, et non sine contradictione præstabant olim Abbates subjectionis impatientes. De ipsa benedictione ab Abbate recipienda, si in eam, quam ab initio detrectabat, consenserit, Coepiscopum suum hortatur Fulbertus episcopus Carnutensis, ita scribens Epistola XLI : « Igitur si Abbas Sancti-Benedicti de vestro » contemptu culpam suam recognoverit, et » illam deinceps subjectionem promiserit quæ » vobis canonice debetur, hortor et suadeo ut » recipiatis; sacramenta vero et cætera quæ ad » mundanam legem pertinent, propter amorem » regis Domini missa faciatis, ut religionem » magis quam sæcularem ambitionem vos se- » ctari cognoscat. At si Abbas in tantam super- » biam intumuerit, ut ipsam quoque subjectio- » nem canonicam vobis derogare contendat, » superbiæ cui non parcit Deus, Dei servus » quomodo parcat nescio. » Ubi notat duplicem hic distingui a Fulberto subjectionem; unam quæ Episcopo *canonice debetur*, obedientiam scilicet salvo ordine, ac reverentiam, nec non ordinationes, consecrationes ecclesiarum aliaque id genus involvens; alteram, quæ ad mundanam legem pertinent, spectantque sacramentum, et fidem clientelarem ob beneficia domino exhiberi solitam.

II. Bernardo etiam Majoris-Monasterii abbati culpæ datum a suis Monachis fuit, quod benedictionem accepturus, Turonensi Archiepiscopo subjectionem promisisset, de qua tamen re eum egregie tuetur Ivo episcopus Carnutensis in Epistola sua LXXIII : « De cætero quod calum- » niantur non recte vos fecisse, quod ante » benedictionem promisistis obedientiam sedi » Metropolitanæ, vana vel nulla calumnia est; » quomodo enim connexa sibi ad invicem po- » terunt esse membra corporis Christi, nisi » dispensatores canonicarum vel monasticarum » congregationum eam obedientiam exhibeant » Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt a » subditis suis? Præterea quæ culpa est, si exi- » gitur quod debetur, et quod debetur exhibe- » tur? Unde Augustinus ad Simplicianum, » lib. I : « Quis non videat iniquitatis neminem » argui posse, qui quod sibi debetur, exegerit? » hoc autem non esse in eorum qui debitores » sunt, sed in eo cui debetur arbitrio. » Debitores » autem esse, qui ad dignitates promoventur, » testatur Concilium Toletanum XI, capitulo XI. » Ita ille qui, recitatis mox ejus capituli verbis, subjungit ipsum Summum Pontificem, antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ et decreta prædecessorum suorum se inviolabiliter servaturum profiteri : reliquos etiam Episcopos ante consecrationem examinari quidem, et omnem veterum morum honestatem, et debitam obedientiam se exhibituros suis Ordinatoribus polliceri. Porro scripsit Ivo hanc Epistolam LXXIII Bernardo Majoris-Monasterii abbati, eumque monuit futiles esse et vanas illorum opiniones qui censebant Abbates consecrandos nullam debere jurare obedientiam Episcopis : de qua re multum altercatus fuit cum Vindocinensi abbate Goffrido, ut videre est in ejusdem Ivonis Epistola CXCV : « Noveris, inquit, vanas esse excusationes quas » obtendis, te propter obedientiam Romanæ » Ecclesiæ, Carnotensis Ecclesiæ professionem » refutasse : cum Ecclesia Romana a Deo nul- » lam injustam acceperit potestatem, fidem vio- » landi videlicet, debita sua cuique non red- » dendi. »

III. Non teneri autem Abbates exemptos hujusmodi professionem edere Episcopo, quia jus professionis est contrarium libertati, diserte edicit Innocentius III episcopo Colubriensi sive Colubricensi rescribens in cap. *Cum olim* XIV, *De privilegiis*. Certe jam longe ante Innocentium, Urbanus II, Pontifex Maximus, apud Goffridum seu Gaufridum, Vindocinensem abbatem, lib. II, epistola XXVII, irritam declaravit eam professionem quam ab eo exempto Ivo Carnotensis episcopus extorserat, vetuitque præterea ipse Urbanus ne in memorati Goffridi successoribus aliquid hujusmodi attentare deinceps præsumeret. Sed audiamus, quæso, Goffridi querelas, qui in Epistola sua CCV hæc habet :

IV. « Sunt quidam Episcopi qui pro benedi- » ctionibus Abbatum, sub nomine professionis, » ab eis exigunt quod est Christianæ professioni » valde contrarium; nam cum professio alia in » divina laude sit, alia pro peccatorum deposi- » tione : ista Dei laudem non facit, sed minuit; » nec deponit peccata, sed apponit; nec sacræ » fidei professio recto nomine dicitur, sed » exsecranda promissio, quæ claves Eccle- » siæ agitare, et unicum ac singulare ejus » ostium violare conatur. Itaque neque aucto- » ritate, neque veritate inventa, sed consuetu-

Digitized by Google

» dine et hominum cupiditate reperta, triplici » genere simoniæ contra sanctam Ecclesiam ja- » culatur; quoniam simonia a lingua, simonia » a manu, simonia ab obsequio ibi committitur. » Est a lingua, cum publice recitatur illa pro- » missio; fit a manu, quando charta qua con- » tinetur scripta, ponitur super altare; fit ab » obsequio, cum ipsum malum promissum sub- » jectionis obsequium servatur. Qui sic agit, » forsitan dicit : Pro benedictione non quæro » pecuniam. Imo satis amplius exigit, quia ho- » minis personam. Sicut anima plus est quam » corpus, ita corpus simul et anima, tota vide- » licet hominis persona, multo plus est quam » ejus pecunia. Divina lege et manifesta ratione » probatur, quia benedictio minime datur gra- » tis, quam præcedit Abbatis illa præscriptio, ut » quod desiderat assequatur. Non enim faceret » illam, si repulsam non pateretur. Illud etiam » quod bonum est, sit perniciosum cum pro- » mittitur; nam bene vel male suscipitur; nam » pecunia quam Simon Magus obtulit Petro, » bona quidem erat, sed quia male obtulit illam, » damnatus a Petro prædicatur; et ideo nec » Evangelica, nec Canonica, sed navicularia est » illa, quæ dicitur benedictio, quam quæ falso » nomine vocatur professio præcedit sive subse- » quitur. Ibi venditur simul et emitur primum » Ecclesiæ Sacramentum. Christus etenim pri- » mus hoc Sacramentum per semetipsum fecit, » consecrationem scilicet Episcoporum..... » Caveant igitur Episcopi et Abbates, qui ideo » dicuntur Christi Vicarii, quoniam Christi cre- » duntur agere vices, ne contra Christi aucto- » ritatem, qui gratis tribuit, et ejus vocem, qui » gratis dari monet et præcipit, cupiditatum » consuetudinem sequantur, qua fides, Eccle- » siæ libertas, et castitas simul corrumpitur. » Non mediocriter utique delinquit Episcopus, » nisi gratis dederit; et Abbas, nisi gratis ac- » ceperit, similiter peccat, quia facientem et » obsequentem par pœna constringit; et facinus » quos inquinat, æquat. »

V. In hac prolixa recitata Epistola obiter illud equidem adnotabo, consuevisse olim chartam ipsam professionis, quam Episcopo in sua benedictione Abbates præstabant, super altare imponi : « Est, inquit, a lingua (scilicet simonia), » cum publice recitatur illa promissio; fit a » manu, quando charta, qua continetur scripta, » ponitur super altare. » Meminit et ejus ritus ponendi chartam ipsam professionis super altare Pontifex Innocentius III, lib. I, registro III, epistola LVII. Cæterum in eo quod Goffridus in memorata Epistola contendat professionis illius exactionem simoniam esse, et a manu, et a lingua, quod et publice promissio illa recitari, et scripta super altare poni soleret, vel turpiter fallitur, si universim intelligatur; vel certe de professione Abbatum exemptorum duntaxat intelligendus est; qui si consecrationem suam obedientiæ minime debitæ juramento promereri satagant, simoniæ labe inficiuntur æque ac Episcopi qui per benedictionem, quam præstant, indebitum obsequium exposcunt, et ideo non gratis benedicunt, sed temporali pretio æstimabilem obedientiæ professionem in benedictione paciscuntur. « Et quamvis, » ut ait ibidem Goffridus, « pro benedictione non quærant » pecuniam, imo satis amplius exigunt, puta » hominis personam. » Goffridum autem de iis intelligi posse, ex eo præsertim adducor cum doctissimo Hallierio, *De sacris Ordinationibus*, pag. 247, ut cum eodem illustri auctore credam quod quæstionem istam præsertim Goffridus ipse moverit, occasione obedientiæ quam a se dicit, lib. II, epistola II et alibi, Ivonem Carnotensem extorsisse, qui cum alodiarius, ut ejus utar vocabulo, esset Sancti-Petri, ad istam obedientiam exhibendam illi Episcopo minime tenebatur.

VI. Inanis autem Goffridi argumentatio est, si generatim de omnibus Abbatibus sermo sit; nam qui debitæ obedientiæ sponsionem a non exemptis Episcopi exigunt, ii, cum nihil ex ea non suum acquirant, non pretio benedictionem mercari, sed juri suo cavere, nec obligationem novam inducere, sed susceptam videntur confirmandam procurare : quod utique a nemine illicitum judicari potest, præsertim cum, uti laudatus Hallierius sapientissime observat, Honorius III, Epistola sua Decretali, quam supputante viro clarissimo Manrique tomo IV *Annalium Cisterciensium*, anno 1224, universis Abbatibus et Fratribus Cisterciensis Ordinis misit, legiturque in cap. *Ne Dei* XLII, *De simonia*, Episcopis, qui Abbatibus prædictis benedictionem impertiuntur, professionis obedientiæ ab ipsis exigendæ licentiam concedat, ejusque formam his verbis exprimat : « Ego Frater Abbas

Digitized by Google

» Cisterciensis Ordinis, subjectionem, reverentiam et obedientiam a sanctis Patribus constitutam, secundum Regulam sancti Benedicti, tibi, Domine Episcope, tuisque successoribus canonice substituendis, et Sanctæ Sedi Apostolicæ, salvo Ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto. »

VII. Alia præterea ratione Abbates ac Monachi obedientiæ Ecclesiarum Præsulibus debitæ juratam promissionem evitare conati sunt, aientes nimirum sibi juxta Regulam S. Benedicti jurare minime concessum fuisse : eaque superstitiosa excusatione obedientiæ jugum aversabantur : quæ superstitio quidem, vel superstitionis simulatio adeo vel apud ipsos aliquando invaluit, ut Summo ipsi Pontifici eo prætextu obedientiam profiteri non semel renuerint. Hinc cum Honorius II Pontifex Maximus Seniorectum abbatem Casini consecrasset, refert *Chronicum Casinense*, l. IV, c. XCV, quod « postea cœpit ab eo sacramentum vehementer » exquirere, atque ut Romanæ Ecclesiæ fidelitatem faceret omnino insistere; et fratres » modis omnibus reniti, et contradicere, et hoc » Casinenses Abbates nunquam fecisse dicebat : » quibus Pontifex e diverso respondebat, quia » quod omnes fere Episcopi, Archiepiscopi et » Abbates faciunt, Casinensis Abbas agere debet. Cui e diverso nostri dicebant, ideo ab illis » Romanam Ecclesiam fidelitatem extorsisse, » pro eo quod sæpius in hæresim lapsi, contra » Romanam Ecclesiam sensissent. Casinensis » vero Ecclesia nunquam in hæresim decidit, » nunquam contra Sedem Apostolicam sensit. » Qua ratione Papa accepta contacuit. »

VIII. Rursus in eodem *Chronico Casinensi*, lib. IV, cap. CVIII, narratur, instanti Innocentio II, Pontifici Maximo, ut Monachi Casinenses, qui pseudopontificis Anacleti II partes secuti fuerant, fidelitatem et obedientiam ei jurarent, respondisse eos sibi, neque per Evangelium, neque per beati Benedicti Regulam fas esse jurare, idque a sua majorumque abhorrere consuetudine : « Cæterum ubi » Romanus Pontifex Casinensem Electum (nimirum Raynaldum, qui Seniorecto successit » initio XII sæculi) ab imperatore susceptum » esse cognovit, directis Cardinalibus, cœpit » vehementer imperatori instare ut jurejurando filium Petri Leonis (id est Anacleti II) » anathematizari a Casinensibus Monachis » faceret, et per sacramentum fidelitatem et » obedientiam Papæ Innocentio et ejus successoribus promitti faceret, conquerens cur » excommunicati et liminibus Ecclesiæ separati » ab imperatoria essent Majestate recepti. Renuentibus Monachis, atque dicentibus Dominum in Evangelio, et Patrem Benedictum in » Regula præcepisse ne jurarent, et se ac » Priores suos nunquam jurandi consuetudinem » habuisse, fidelitatem vero neque Papæ, » neque alicui se esse facturos, quippe cum » sibimet ipsi fideles esse non possent, faciendo » illa quæ Deus per beatum Benedictum vetuit, » et dimittendo quæ observare præcepit. »

IX. Frigida prorsus et insufficiens jure visa est vana hæc Casinensium excusatio, quod nempe ex Evangelio et ex Regula beati Benedicti eis jurare nefas esset. Etenim cum hæc ipsa postea superstitio Abbati et Monachorum Capitulo Castillionensis monasterii mentibus insideret, prolixa ad eos data Epistola recte docuit Innocentius III, Pontifex Maximus, in cap. *Etsi Christus* XXVI, *De jurejurando*, in causa necessaria etiam religiosis viris fas esse jurare. Hæc pariter forte Monachorum superstitio in causa fuit ut Fulbertus Carnotensis episcopus, in Epistola sua XLI, promissionem ab iis exigendam censens, sacramenta relaxari posse putarit, rege præsertim supplicante. Verba Epistolæ superius recitavi. Suspicor autem cum viro clarissimo Angelo de Nuce in Notis ad laudatum caput CVIII libri IV *Chronici Casinensis*, non illis frivolis rationibus remoratos Casinenses ne juramentum Pontifici præstarent, sed ne imperatori præsenti et pro eis munificentissime agenti præjudicium inferre viderentur. Cæsar enim sibi tantum et imperio fidelitatem a Casinensi cœnobio, ut pote camera imperiali deberi posse existimabat : quod quidem indicari videtur in eodem lib. IV *Chronici Casinensis*, cap. CXII et cap. CXXIV. Cæterum, etsi nemini imprudenter jurare liceat, urgente tamen necessitate, vel ratione suadente, et Episcopi, et Monachi jurare possunt ac debent. Unde post laudatum Innocentium III S. Thomas II, II, quæstione LXXXIX, articulo X, citans Canonem *Si quis Presbyter*, II, quæstione IV, docet quod « licet Sacerdotes ex levi causa jurare non debeant, tamen pro aliqua necessi-

Digitized by Google

» tate, vel magna utilitate licitum est eis jurare, » et præcipue pro spiritualibus negotiis. »

X. Constat autem ex ipso *Chronico Casinensi*, lib. IV, cap. CXV, memoratum Raynaldum, qui Anacleti II antipapæ et Rogerii regis Siciliæ partes fuerat secutus, non prius reconciliatum fuisse Ecclesiæ a legitimo Romano Pontifice, quam hujusmodi juramentum præstaret : « Ego » Raynaldus refuto et anathematizo omne » schisma, et omnem hæresim extollentem se » adversus sanctam Catholicam et Apostolicam » Ecclesiam. Refuto etiam, et abrenuntio fi- » lium Petri Leonis (is est pseudopontifex » Anacletus II) et Rogerium Siciliæ, et omnes » sequaces illorum ; et obediens ero Domino » Papæ Innocentio, et ejus successoribus cano- » nice intrantibus. » Cumque Raynaldus in hæc verba jurasset, reliqui similiter jurare coacti sunt ; licet enim sancto eorum Patri Benedicto et ejus successoribus se juravisse, et idcirco se sacramentum aliud facere non posse dicerent, Raynaldus ex parte ejusdem S. Parentis Benedicti et sua, illis præcipit ut obedientiam quam eatenus B. Patri et successoribus suis sibique exhibuerant, in manu Papæ promitterent ; sicque Monachi illi constricti, quod Electus ad Evangelia, hoc illi juxta tenorem chartulæ in manu Episcopi Ostiensis juraverunt ; adjungentes insuper hoc : « Quod si » Ecclesia Casinensis a Romana Sede divisa » fuerit, ego in monasterio Casinensi non re- » manebo, nec Abbati obediens ero, salva » Romani Imperii fidelitate. » Docet memoratus Angelus Nuceus, in abjuratione Raynaldi, nullam fieri de fidelitate mentionem, quod nimirum in gratiam imperatoris fidelitatem dimiserat Pontifex.

XI. Integram fere professionis formulam, quæ nostræ formulæ in præsenti Rubrica descriptæ consentit in multis saltem capitibus, profecto habemus in electione Joannis abbatis Sancti-Albani apud Spelmannum, et apud Matthæum Parisium *Anglicanæ Historiæ* anno 1235 de Henrico III agentem, et in Vitis XXIII Sancti-Albani Abbatum, ubi ita legimus : « Ego » Joannes monasterii Sancti-Albani abbas ab » hac hora in antea fidelis, et obediens ero » sancto Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ » Ecclesiæ, et Domino meo Papæ G. G. succes- » soribusque ejus canonice intrantibus. Non » ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut » vitam perdant, aut membrum, aut capiantur » mala captione. Consilium etiam quod mihi » credituri sunt per se, aut per nuntios suos, » sive per litteras ad eorum damnum scienter » nemini pandam. Papatum Romanum, et re- » gulam (*alias* regalia) S. Petri, adjutor eis » ero ad retinendum et defendendum, salvo » Ordine meo, contra omnem hominem. Lega- » tum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo » honorifice tractabo, et in suis necessitatibus » adjuvabo : vocatus ad Synodum veniam, nisi » præpeditus fuero canonica præpeditione. » Apostolorum limina singulis trienniis visita- » bo, aut per me, aut per meum nuntium, nisi » absolvar Apostolica licentia. Possessiones » etiam ad monasterium meum spectantes non » vendam, neque donabo, neque impignorabo, » neque de novo infeudabo, vel aliquo modo » alienabo, inconsulto Romano Pontifice, sicut » me Deus adjuvet, et hæc sancta Evangelia. » Hanc prædictus Joannes professionem emisit anno 1235, quemadmodum ex laudato Parisio liquet ; qui etiam docet in Vitis XXIII Sancti-Albani Abbatum de ipso Joanne agens, quod « cum rogasset Abbas ab episcopo Londinensi » Rogero quid Romæ faceret, Episcopus sicut » jucundus exstitit, jocose respondit, subri- » dens : *Amice, ut offeras*. Et veritas in verbo » latitavit. » Addit ex tunc Abbatem plenarie constitutum cepisse homagia, et juramenta, et fidelitates omnium abbatiæ subditorum. Desumpta autem pene ad verbum esse videtur hujusmodi apud Parisium professionis formula, ab illa quam olim præstabant hodieque Romano Pontifici Episcopi consecrandi præstant.

XII. Porro docet vir clarissimus Joannes Mabillonius, Præfatione I in *Sæculum* VI *Ordinis Sancti Benedicti*, num. XXVI, Abbates Abbatissasve a communi jure exemptos Pontifici Romano id genus professionis facere solitos fuisse, qualis est professio Nicolai abbatis Corbeiensis, in manuscripto codice Corbeiensi sub hac forma : « Ego Nicolaus nunc ordinandus Abbas » ad titulum Sancti-Petri Corbeiæ, subjectionem » et reverentiam a sanctis Patribus constitutam, » et obedientiam secundum præceptum S. Be- » nedicti, sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, et » Domno Papæ Innocentio ejusque successori- » bus, in præsentia Domni Milonis Tarvanensis

Digitized by Google

» episcopi perpetuo me exhibiturum promitto, » et propria manu firmo. » Certe insignis est professio illa Joannis monasterii Sancti-Albani abbatis anno 1235 facta, quam supra descripsimus, ac legere est apud Matthæum Parisium in Vitis XXIII Abbatum, pag. 91. Tradit autem idem scriptor *Historiæ Anglicanæ* ad annum Christi 1241, pag. 565, quod « cum in consecra» tione Nicolai de Feraham in Episcopum » Dunelmensem mota fuisset quæstio ab ali» quibus volentibus dissidium ventilare, noluit » idem Nicolaus illicitam sibi usurpare liber» tatem, ut ad insolentiam prorumperet recal» citrando; talemque in propatulo suam so» lemniter in consecratione sua coram cunctis » Prælatis et magnatibus in præsentia sui » Metropolitani dicti archiepiscopi Walteri fecit » professionem distincte, et articulatim elevata » voce in hunc modum : *Ego Nicolaus Ec» clesiæ Dunelmensis electus profiteor Ebora» racensi Ecclesiæ, tibique, Pater Waltere, » archiepiscopo et successoribus tuis canonice » substituendis canonicam subjectionem, reve» rentiam et obedientiam, et hoc propria manu » subscribo.* Et in continenti (verba sunt memo» rati auctoris), coram omnibus subscripsit » crucem in capite chartulæ incausto, et tradi» dit Archiepiscopo penes se in thesauro reser» vandam. »

XIII. In exemptis Abbatibus gravis exorta est lis olim apud Anglos inter Episcopum Lincolniensem et Abbatem Sancti-Albani, referente eodem Parisio, *De Vitis Abbatum*, pag. 49 et seqq. Episcopum inquit asseruisse quidem, « ab initio nascentis Ecclesiæ, Ecclesiam beati » Albani subjectam fuisse Lincolniensi, in tan» tum ut omnes Abbates Sancti-Albani a Do» mino Lincolniensi benedictionem accepissent » et professionem fecissent; quæ professio, » inquiebat, vinculum est quo filia matri obli» gatur. Unde et in principio professionis crux » subscribitur, vera et stabilis promittitur » obedientia, lecta etiam professio altari super» ponitur. » Ubi nota obiter eos qui professionem Episcopis faciebant, in principio professionis crucis signum, eamque lectam altari superponere consuevisse. Cæterum, ne ab Anglia discedamus, benedictionem quidem, sine professione, ab Archiepiscopo Cantuariensi accepit Abbas Sancti-Augustini Cantuariensis tanquam exemptus, sed in ecclesia sua benedici voluit, in argumentum exemptionis, teste laudato Matthæo Parisio ad annum 1163. « Eodem » anno, inquit, Clarembaldus Sancti-Augustini » electus benedictionem a Thoma Cantuariensi » archiepiscopo accipere quærebat, sed in sua » ecclesia, et sine professione, ut suspicio sub» jectionis in posterum prorsus adempta esset. » Anno iterum 1177, eadem lis recruduit inter Richardum archiepiscopum Cantuariensem, et electum Abbatem monasterii Sancti-Augustini; Abbate electo contendente se benedicendum a Cantuariensi in propria ecclesia, non in Metropolitana; hac de causa ab Abbate apellatum ad Sedem Apostolicam, et ab Alexandro III impetratum rescriptum ut ipse et successores in propria ecclesia benedictionem acciperent a Metropolitano, sine professione obedientiæ; rescripto significato Cantuariensi quadem die, captato tempore absentiæ Abbatis, accessit ad monasterium Sancti-Augustini, contestatus se eo venisse electi Abbatis benedicendi causa; cumque is non appareret, appellavit ad Apostolicam Sedem : Electus Romam profectus ab Alexandro III munus benedictionis accepit. Rem fusius narrat Hovedenus in Henrico II.

XIV. Morem fuisse ut exempti Abbates Romam benedicendi venirent, liquido constat ex multis locis *Chronici Casinensis*. De Abbate Oderisio II ita inquit, lib. IV, cap. LXXVIII, Leo Ostiensis ejus operis scriptor : « Mense itaque » Martio adveniente, præparatis his quæ itineri » necessaria erant, prout a Pontifice (Calixto II) » ei directum fuerat, Romam consecrandus ad» venit, ibi ab eodem Papa, qui tunc forte » Synodum celebrabat, honorifice satis conse» cratus : et a Cardinalibus nobilibusque Ro» manis in magna gloria est habitus. » De S. Eberhardo archiepiscopo Salisburgensi scribit auctor ejus Vitæ, cap. I, apud Bollandianos ad diem XXII junii, fuisse ipsum Romæ consecratum in Abbatem ab Innocentio II, eique ita dixisse Pontificem : « Confortare, et esto robu» stus; in omnibus tecum sum. » Aiunt consecratum fuisse sanctum virum circa annum 1138, creatumque postea Archiepiscopum Salisburgensem, sancte obiisse anno 1164, Episcopatus sui XVIII, mense II. Testatur præterea Innocentius III, Monachis Sancti-Leufredi de Cruce scribens, se electo ab ipsis munus benedictionis

Digitized by Google

exhibuisse. Idem Pontifex, litteris conventui Sancti-Salvatoris de Tilesio datis, Monachos monet ut canonice Electum Romam mitterent benedictionem ab ipso recepturum. Cæterum de Seniorecto abbate refert *Chronicon Casinense*, lib. IV, cap. XCV, fuisse ipsum Casini benedictum ab Honorio II, Pontifice Maximo : « Interea Apostolicus Urbem egrediens, venit ad » hoc monasterium a quo idem Abbas primus » in hac ecclesia Abbatiæ consecrationem suscepit. » Quia scilicet mos erat ut Romam exempti Abbates, non modo benedictionis, sed aliquando etiam confirmationis causa proficiscerentur, ibique professionem Papæ facerent,

XV. Testatur id quidem Matthæus Parisius *Historiæ Anglicanæ* anno 1257, ubi agit de Henrico III. « Eodemque, inquit, anno statutum est Romæ a Domino Papa, et fratribus » Cardinalibus, qui vigilanter sua temporalia » procurant commoda et emolumenta aliena, » ut quilibet qui in Abbatem exemptum ex » tunc eligeretur Romanam Curiam adiret » confirmandus et benedicendus. » Addit mox auctor maledicus, per hoc enorme statutum Religionem patuisse discrimini, et Ecclesiam prosperitate temporali destitutam fieri : « Non » enim, ait, Religiosis necesse est maturam et » religiosam personam eligere, sed aliquem » semisæcularem virum cui plus æquus, quam » æquitas ; plus lex Justiniani quam lex Domini » convertens animas placuerit, in animarum » suarum Pastorem. » Ipsum præterea morem ut irent exempti Abbates Romam causa confirmationis et benedictionis, expressum profecto legimus in manuscripto codice D. Le Dellier Rothomagensis Sancti-Audoeni monasterii magni Prioris, *De modo et forma eligendi Abbatem* : « Si ista Ecclesia, inquit, reservata est a Summo » Pontifice, oportet ire ad Curiam, et facere processum electionis, si ita quod electio facta sit, » et supplicare quod nostra electio teneat : et » illi qui commissi erunt de isto negotio, faciant » secundum consilium peritorum Cardinalium » et aliorum. Si Electus obtineat quod sit pronuntiatus in consistorio, oportebit solvere servitium Domino Papæ et Cardinalibus, et solvere bullas, videlicet unam pro Electo, secundam pro Archiepiscopo, tertiam pro conventu, » quartam pro aliquocumque Episcopo pro benedictione sua facienda, quintam pro juramento quæ legitur ad populum. Omnes solemnitates » et subhastationes, tam de vita, et moribus, etc., » factæ erunt ad Curiam. » Et statim hanc juramenti formam subdit, quam vocat de Curia.

XVI. « Ego N. abbas monasterii Sancti-Audoeni Rothomagensis Ordinis S. Benedicti, ab » hac hora in antea fidelis, et obediens ero » S. Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, et Domino meo Domino N. Papæ ejusque successoribus canonice intrantibus : non » ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut » vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala » captione. Consilium vero quod mihi tradituri » sunt per se, aut per nuntios, sive litteras, ad » eorum damnum, me sciente, nemini pandam. » Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, » salvo meo Ordine, contra omnem hominem. » Legatum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum, » veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina, Curia Romana existente citra, singulis annis, ultra vero » montes, singulis bienniis visitabo, aut per me, » aut per nuntium, nisi Apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad monasterium » meum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo » infeudabo, neque aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

XVII. Hanc formulam ideirco descripsimus, quod nonnulla in ea exstant, quæ in aliis superius recitatis desiderantur ; promittit autem in iis Abbas, ut cætera omittam juramenti capita quæ inferius explicabuntur, vocatum se ad Synodum venire quidem, nisi præpeditus canonico impedimento fuerit. Certe ex quo Monachi in Clerum admissi sunt, Abbates Conciliis interfuerunt. In Ephesino primum Eutyches abbas fortiter disputavit adversus Nestorium, et Dalmatius archimandrita Synodi Epistolas publice recitavit. In Synodo Chalcedonensi Eutychis abbatis damnationi post Episcopos subscripsere plures quam duo et viginti Archimandritæ sive Abbates, sed non prius quam invitati essent ab Episcopis ut subscriberent ; imo in actione I ejusdem Synodi abbas

Digitized by Google

Martinus a Constantino quodam requisitus ut ipse subscriberet Actis Concilii Ephesini II, respondit : « Non est meum subscribere, sed Epi» scoporum tantum est. » Ad Synodum VI universalem Constantinus Pogonatus ab Agathone Papa petiit mitti de quatuor monasteriis Byzantinis, ab unoquoque Monachos quatuor, ut patet ex Epistola imperatoris, quæ Actis ipsius Synodi præfixa est : tum in consessus ordine Abbates post Episcopos locantur, primumque ante alios locum tenent. Synodo VII, quæ est Nicæna II generalis, interfuere quamplurimi Abbates et Monachi ; et cum sacrarum Imaginum cultus omnium Episcoporum sententia et subscriptione firmatus esset, sancta Synodus dixit : « Æquum est ut et venerabiles Monachi » pronuntient ; » et venerabiles Monachi dixerunt : « Si Ordo ita exigit, pronuntiabitur a » nobis, ut mandatis ; » quemadmodum legitur in actione II ejusdem Synodi. Puto cum erudito Altaserra, lib. VII *De Origine rei Monasticæ*, cap. XVI, ab eo tempore Abbates ad Concilia generalia cœpisse una cum Episcopis sententiam dicere, et eisdem subscribere. Lupus in Leonis IX Remense Concilium, cap. IV, involutam ait esse hanc quæstionem, quo primum scilicet tempore Abbates in generalibus aut provincialibus Synodis sedem et suffragium habere cœperint.

XVIII. Ut ut sit ea quæstio, coguntur quidem Abbates venire ad Synodum Episcopalem, id quod nos abunde probavimus nostro primo tomo *Conciliorum*. Concilium Aurelianense I, canone XIX, ita de ea re statuit : *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum humilitate consistant, qui semel in anno in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.* Exemptos etiam Abbates teneri Concilio provinciali et diœcesano interesse, ex multis liquet sacris Canonibus, ac novissime ex Concilii Romani constituto, sub Benedicto XIII Pontifice Maximo. Quod ex Concilio Turonensi in can. *Episcopus*, XVIII distinctione, apud Gratianum legimus, Abbates non esse cogendos venire ad Synodum, nisi rationabilis causa adfuerit, cautius intelligendum est juxta monitum eruditissimi Altaserræ, lib. II *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. XIX. Quam enim causam glossographi confingunt de Abbatibus qui habebant parochiales Ecclesias annexas suis monasteriis, non convenit istis temporibus, cum vix tunc Monachi haberent decimas, vel Ecclesias parochiales, quæ serius concessæ sunt, ex donatione Episcoporum, sicut et aliæ Presbyterorum Ecclesiæ ob eorum oscitantiam atque improbitatem, ut alio loco dicemus. Erant quidem tum Abbates in potestate Episcoporum, et semel in anno tenebantur venire ad Synodum *pro humilitate Religionis*, ut ait laudata Aurelianensis I Synodus, id est in argumentum subjectionis et obedientiæ Episcopo debitæ. Abbates etiam exemptos Synodo adesse juris fuit ; ex quo ipsi habuere Ecclesias et decimas, quarum nomine respondere Episcopo de spiritualibus, id est de animarum cura tenebantur, ex can. *Sane quia* XVI, quæstione II. Londinensi Episcopo mandavit quidem Joannes archiepiscopus Cantuariensis ut Abbates exemptos, qui vocati defuissent Concilio provinciali, ratione non exemptarum Ecclesiarum quas in usu proprio obtinebant, coerceret captis pignoribus, id est Ecclesiæ sequestro depositis, quemadmodum narrat Matthæus Westmon ad annum 1281, et ex eodem laudatus Altaserra. Vide etiam Tamburinum *De jure Abbatum*, disputatione XXIV, quæsito I et seqq.

§ III.

Deinde Electo et Assistentibus sedentibus, Pontifex intelligibili voce legit sequens examen : *Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et præcipit, ut is qui ad regimen animarum eligitur, examinari et interrogari debeat de diversis causis et moribus quæ huic regimini congruunt ac necessaria sunt. Eadem igitur auctoritate te, Frater charissime, interrogamus.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Morem fuisse in Ecclesia pervetustum, ut is qui ad regimen animarum eligitur, prius examinari deberet, fuse ostendimus supra ubi de sacris Ordinationibus egimus. In antiquis Ritualibus libris passim præscriptum legimus examen in ordinandis Abbatibus. Vetus Ordo Romanus hanc refert allocutionem Episcopi Abbatem benedicentis : « Ecclesiæ nostræ, » Fratres charissimi, Pater electus suum adest » Ordinem ad suscipiendum. Unde Apostolica » prius censemus eum auctoritate examinan- » dum, suum propositum et S. Benedicti Re- » gulam si velit ipse observare, sibique subje- » ctos, ut id ipsum faciant, diligenter instruere, » res quoque Ecclesiæ ubique locorum hactenus » dispersas injuste, quantum prævalet, congre- » gare, easque in usus Ecclesiæ et fratrum, » pauperum etiam et peregrinorum observare, » sicque dignum esse ad Ordinem suscipere. » Idipsum legimus in codice manuscripto S. Remigii Remensis ante annos quingentos scripto; in quo tamen, sicut et in aliis plerisque Pontificalibus seu Ritualibus libris, ut Bisuntino annorum sexcentorum, et Conchensi in Hispania annorum quingentorum, antequam Episcopus electum Abbatem de nonnullis speciatim interroget quæ ipse se observaturum promittit, sic eumdem alloqui solet : « Charissime frater, quia » gratia Dei, et electio fratrum, priorisque vitæ » tuæ conversatio ad hoc te provocavit officium, » volumus per te ipsum scire utrum velis cum » illis bene esse, et mores tuos ab omni malo » temperare, et ad omne bonum, quantum de- » derit Deus, commutare. » Respondere autem Electus jubetur : « Volo. »

II. In duobus manuscriptis Pontificalibus insignis Ecclesiæ Senonensis, uno annorum quingentorum, altero annorum circiter tercentorum, ritus examinandi Abbatis ita describitur : « *Dicant Monachi :* Adest electus noster » ad benedictionem suam suscipiendam. *Et Epi-* » *scopus* : Est electus secundum regulam beati » Benedicti a fratribus ? *Et fratres* : Canonica » in eum fratrum consensit electio. *Et Episco-* » *pus :* Habetis inde scriptum ? *Respondent :* » Habemus. *Et Episcopus :* Legatur. *Quo le-* » *cto, dicat Episcopus :* Quia ergo in eum fra- » trum vota consentiunt, prius eum censemus » Apostolica auctoritate examinandum si suum » propositum et S. Benedicti regulam velit ipse » tenere, vel observare, etc., » ut in antiquo Romano ordine. Porro tradit Pontificale Ecclesiæ Conchensis, faciendum hujusmodi examen in Missa, « antequam legatur Evangelium; » Moguntinum autem, post recitatas Orationes, antequam dicatur Epistola.

§ IV.

Interrogatio I. *Vis tuum sanctum propositum et sancti N. Regulam observare, tibique subjectos, ut idipsum faciant, diligenter instruere?* Respondet Electus, *Volo,* assurgens detecto capite ad istam, et ad omnes alias responsiones sequentes respondet, *Volo.*

COMMENTARIUS.

I. Ritum hunc, ut assurgat Abbas detecto capite ubi ad Episcopi interrogationes respondet, etsi in antiquis Ritualibus libris minime invenerim, referunt tamen eumdem ritum omnes libri Pontificales Romani longe ante annos ducentos editi. Illud plane constat, ex omnibus pene antiquis Ritualibus, primam omnium interrogationum eam esse quam habet nostrum Pontificale Romanum. Verum ex manuscripto codice monasterii Casinensis, in eo titulo qui inscribitur *Qualiter Casinensis Abbas a Romano Pontifice confirmandus sit*, edito a Martenio, ubi agit de benedictione Abbatis, ea interrogatio sexto loco legitur hunc in modum : « Vis » observare Regulam sancti Benedicti usque ad » iota unum et unum apicem, secundum tuum » scire et posse ? ℟. Volo. » In Pontificali Moguntino annorum quadringentorum et ex Re-

Digitized by Google

mensi annorum quingentorum Episcopus primo loco electum Abbatem ita interrogat : « Vis » beati Benedicti Regulam custodire, per te ip» sum operari et alios docere ? ℟. Volo. » Consentit quidem nostro Romano Pontificali Moguntinum, in quo etiam primo loco dicit Episcopus : « Vis propositum tuum, et sancti Be» nedicti, vel sancti Augustini Regulam obser» vare, tibique subjectos, ut idipsum faciant, » regulariter instruere ? » Respondet Electus : « Volo. »

II. Abbatum benedictio alia est Monachorum, alia Canonicorum Regularium. Horum nulla est mentio apud antiquos scriptores, nullus in Pontificalibus aut Ritualibus libris Ordo, quorum character sexcentos paululum excedat annos. Nec mirum, inquit laudatus Martenius, *De Benedictione seu Ordinatione Abbatum*, c. I, cum ad illa tantum tempora, Canonicorum Regularium, quales modo videmus, origo repetenda sit. At vero Abbatum Monachorum Ordinatio et Benedictio antiquissima est, cujus certe reperimus argumenta ab annis circiter mille ducentis. Nam in Regula S. Benedicti exstat integrum caput LXIV *De ordinando Abbate,* et cap. LXV dicit, in quibusdam monasteriis, « ab » iisdem Sacerdotibus, » id est Episcopis, ordinari Præpositum, a quibus et Abbas. Acta S. Maximini abbatis Miciacensis, qui circa annum 520 diem clausit extremum, cap. V, testantur Eusebium episcopum « benedictionem, » qua Patres Abbatesque Monachorum confir» mari solent, » eidem impendisse. Ita ille; verum fateri cogimur ritum, quo hodie Abbates benedicuntur, non parum ab illo diversum esse qui antiquitus in plerisque monasteriis servabatur, ut ex priscis Ritualibus libris liquido constat, qui a nobis sparsim in hisce Commentariis recensentur.

§ V.

Interrogatio II. ***Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum, adjuvante Domino, poteris ad omne bonum commutare?*** ℟. ***Volo.***

COMMENTARIUS.

I. Deest hæc interrogatio in cunctis quos vidi antiquis Ritualibus libris; exstat tamen iisdem verbis descripta in laudato codice Casinensi, in quo prima interrogatio ea est quam quidam libri Pontificales, ut Bisuntinus, Conchensis et Remensis secundo loco referunt : « Vis ea quæ intellexeris ex divinis per te ser» vare, et alios instruere ? » Quod nostram rem spectat, debent profecto Abbates, vel ex hac sua promissione mores ab omni malo temperare, et ad omne opus bonum commutare. Si enim in Monacho vitæ sanctitas est necessaria, quanto magis in ejus Prælato, qui aliis suo exemplo prælucere debet, juxta illud Pauli monitum in Epistola I ad Timotheum, cap. IV : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Simile huic est monitum quod Tito inculcavit idem Apostolus in Epistola ad ipsum Titum, cap. II : *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Puritatem quidem cordis in Abbate desiderat S. Bernardus, Sermone XXXV de diversis, sed cum intentione pura irreprehensibilem quoque necessariam in eo esse conversationem docet, « ut » forma factus gregis, incipiat facere et docere, » et secundum Magistri nostri Regulam (id est » S. Benedicti, cap. II), « quæcumque docuerit » discipulis esse contraria, hæc in suis actibus » indicet non agenda, » ne forte submurmurare » possit frater quem arguit, et dicere : *Medice,* » *cura teipsum.* Talis enim occasio, plurima » damnatio Prælati, plurima subditorum perdi» tio est. » Et paulo post : « Oportet irrepre» hensibilem esse eum qui præest, ita ut secura » conscientia cum Domino respondeat expro» brantibus sibi verbum : *Quis ex vobis arguet* » *me de peccato?* Non quod sine peccato penitus » esse possit in hac misera vita, sed quod ea » quæ arguit in discipulis, oporteat summopere » vitare Magistrum. » Erat sane haud admodum christiana Abbatum Regularium vita tempore S. Bernardi; imo sæculo Christi X quanta esset ipsorum vitæ enormitas, satis quidem significa-

Digitized by Google

vit S. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi, cap. L, sic inquiens : « Erat beato viro tam » odiosa ista, quam cernimus, Abbatum con- » versatio, ut non minus gauderet, si de manu » cujusquam Abbatiam potuisset evellere, quam » si ei datum fuisset potentissimum quemlibet » sæcularium ad sanctæ conversationis ordinem » convocare. »

§ VI.

Interrogatio III. *Vis castitatem, sobrietatem, humilitatem et patientiam cum Dei adjutorio in te ipso custodire, subditosque tuos talia docere?* ℟. *Volo.*

COMMENTARIUS.

I. Compacta videtur hæc interrogatio ex duabus interrogationibus, quæ exstant in laudato Rituali codice Casinensi, ubi primum tertio loco novum Abbatem Papa, qui ipsum confirmat, ita interrogat : « Vis castitatem et sobrieta- » tem cum auxilio custodire et docere Dei ? » Quarto vero loco hunc in modum eumdem interrogat : « Vis humilitatem et patientiam in » temetipso custodire, et Monachos similiter » docere ? » In Pontificali Bisuntino annorum sexcentorum et in Remensi annorum quingentorum tota interrogatio his verbis concluditur : « Vis castitatem et sobrietatem servare ? » Pontificale Ecclesiæ Conchensis inquit : « Vis casti- » tem, et honestatem, et sobrietatem servare ? » In compluribus manuscriptis Pontificalibus penitus ea interrogatio deest, habentur tamen aliæ nonnullæ quas longum esset enumerare. Certe juxta Moguntinum Pontificale quarto loco sic interrogat Abbatem Episcopus : « Vis claustra- » lem disciplinam et Ecclesiasticum officium » instaurare ? » Ut ut sit ea varietas, nihil sane in præsenti interrogatione novus Abbas promittit quod simplex Monachus non observare debeat, præsertim si de castitate loquamur, quæ una est ex illis virtutibus quas in solemni monastica professione se servaturum spondet : « Neque » enim, » inquit S. Bernardus, *De officio Episcopi,* cap. IX, « quia Prælati Monachis, ideo non » Monachi ; nempe Monachum facit professio, » Prælatum necessitas. Ut autem non præjudi- » cet necessitas professioni, accedat, non suc- » cedat Prælatio Monachatui. Alioquin quo- » modo illud implebitur : *Principem te consti-* » *tuerunt : esto inter illos tanquam unus ex illis.* » Quomodo tanquam unus ex illis, manens in- » ter humiles superbus, inter subditos rebellis, » immitis inter mansuetos ? » Dignum lectu est totum capitulum, quo præsens noster § mirifice illustratur.

II. Quod ad sobrietatem attinet, quam se Abbas servare ac suos subditos docere spondet, quid elegantius afferri potest quam Fastredi abbatis Claravallensis tertii ad quemdam Ordinis sui Abbatem aurea Epistola ? Sic enim inquit : « Non hæc vita est quam me et te do- » cuit Pater et prædecessor noster Bernardus » felicis recordationis, nec modus quem nostri » sacri Ordinis Abbates et Monachi sequuntur, » qui nos pane ex avena confecto, et herbis sine » oleo et abdomine coctis enutrierunt, et fabis, » pisisque, ipso etiam Paschatis festo die : quæ » austeritas, vel similis in omnibus Ordinis do- » mibus observatur. Et tu quasi hujus Ordinis » non fores, cibos tibi procuras delicatos, et » lautos, ut gulæ facias satis ? Si Abbas, et » tuorum regula, et exemplum es, qui audes » carnes lautas, pisces recentes diversimode » paratos, et panem extra monasterium a mu- » lieribus coctum comedere ? Non sine pudore » dico, quod tamen dicendum, quod multi sunt » in via Dei, subditi suo Abbate navigantes » nauclero, milites duce perfectiores : quodque » tuo in monasterio multi reperiantur qui, eo » tempore, quo tu horas noctis cœnis opiparis » et superfluis transigis, ipsi orationi vacant, » et ad expiandas culpas et earum remissionem » disciplinas sumunt. Quam procul abes, Pater » et Frater mi, a socii nostri perfectione, qui » ipso novitiatus anno obiit, quemque absti- » nentiæ rigor ad finem usque comitatus est ! » Magna enim nausea captus, et ovi cocti de- » siderio affectus, indicare noluit ne voluntatis » et appetitus negati merito excideret, nisi ultimo » vitæ puncto, dumque jam animam ageret, » Abbate prius promittente illum ad hoc desi-

Digitized by Google

» derium explendum non adactum iri. Abbas » ergo in Religione, homo ad ejus exemplum » statute, ubi est tuum meritum tali novitio » comparandum ? Si Christus prædicaturus je- » junat; si Elias, ut curru igneo levaretur, » jejunat; si Ninivitæ excidium suum jejunio re- » dimunt; si Esther jejunio populum servat, et » Assueri indignationem sedat; si sanctus » Joannes Baptista totam vitam jejunio transigit » ad viam Evangelio sternendam, quam tu tibi » viam ad cœlum sternis, tam diversam viam » ingrediens, etc. » Legenda est integra Epistola, quæ est CDXLIII inter S. Bernardi Epistolas novæ editionis.

III. Ab humilitate, quæ præ cæteris propria Monachorum esse debet, quam alieni fuerint Abbates nonnulli tempore ejusdem S. Bernardi, satis ipse lacrymis potius quam atramento expressit in *Apologia* ad Guilelmum abbatem, ubi inter alia sic scribit, cap. XI : « Quod enim, ut » cætera taceam, specimen humilitatis est, cum » tanta pompa et equitatu incedere, tantis ho- » minum crinitorum stipari obsequiis; quatenus » duobus Episcopis unius Abbatis multitudo » sufficiat ? Mentior, si non vidi Abbatem sexa- » ginta equos et eo amplius in suo ducere co- » mitatu. Dicas, si videas eos transeuntes, non » patres esse monasteriorum, sed dominos ca- » stellorum; non rectores animarum, sed prin- » cipes provinciarum. Tunc deinde gestari ju- » bentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, » et manticæ suffarcinatæ non stramentis, sed » ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor » leucis a sua quispiam domo recedit, nisi cum » tota supellectili sua, tanquam sit vel iturus » ad exercitum, vel transiturus per desertum, » ubi non valeant inveniri necessaria. An non » posset eodem vasculo et aqua manibus vergi » et vinum bibi ? An non posset ardens lucere » lucerna, nisi in tuo quod portas candelabro, » et hoc aureo vel argenteo ? An non possit » dormiri, nisi super varium stratum, aut sub » peregrini coopertorio ? An non unus aliquis » minister posset, et jumentum ligare, et ad » mensam servire, et lectulum præparare ? » Ita S. Bernardus nimium Abbatum fastum sugillans, cui malo non semel Summi Pontifices variis editis constitutionibus remedium afferre conati sunt. Concilium Lateranense IV anni 1215, can. XII, certum quidem Abbatibus equorum numerum comitumque præfixit. « Nullus, in- » quit, eorum plusquam sex evectiones et octo » personas adducat. » Qualis fuerit Canonis hujus effectus, colligi potest ex bulla Nicolai IV, qui superfluitatem amputare volens, Abbati Cluniacensi sexdecim equos, aliis Abbatibus equos octo permisit. Sed de hoc Abbatum ac Monachorum luxu satis loquuntur Annales Ecclesiastici.

IV. Patientia denique jure ac merito in Abbate exigitur : *Qui enim patiens est*, ait Salomon Proverbiorum cap. XIV, *multa gubernatur sapientia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Unde Apostolus in Epistola ad Romanos, cap. XV : *Debemus*, inquit, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Et rursus in Epistola ad Galatas, cap. VI : *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate.* « Hoc onus, » scribit in Epistola LXXV ad Prælatum quemdam S. Bernardus, « animarum est, et infirmarum. Nam quæ » sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc » nec onus sunt. Quoscumque igitur de tuis » inveneris tristes, pusillanimes, murmuriosos, » ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse » Abbatem. Consolando, exhortando, incre- » pando, agis opus tuum, portas onus tuum, et » portando, sanas quos sanando portas. » Docet in altera parte *Pastoralis* sui, cap. VIII, S. Gregorius hanc patientiam a Prælatis quoque servandam, cum juste arguuntur a subditis. Verum et patientia opus est quidem ipsis Prælatis, cum injuste arguuntur, ut notavit S. Joannes Chrysostomus Homilia XV in Epistolam ad Timotheum : « Est enim, inquit, Prælatus linguis » innumeris propositus ad lacerandum : alius » culpat, alius laudat, alius detrahit, alius com- » positionem in jus trahit, magnaque illi con- » stantia ad ista toleranda opus est. »

Digitized by Google

§ VII.

Interrogatio IV. *Vis res monasterii tibi commissi fideliter custodire, et in usus Ecclesiæ, Fratrum, pauperum et peregrinorum distribuere?* ℟. *Volo.*

COMMENTARIUS.

I. Referunt hanc interrogationem omnes antiqui libri : Casinensis ultimo loco eam habet hunc in modum : « Vis res monasterii intus ac » foris, ac si altaris vasa sacrata custodire, con» servare, non dispensare, vel alienare ? » Fortasse hanc nostram spectat interrogationem alia ejusdem codicis Casinensis, sexto loco posita, his verbis : « Pauperibus, et peregrinis, omnibus» que indigentibus vis esse propter nomen Do» mini affabilis et misericors ? » Pontificale Bisuntinum, Conchense et Remense hac utitur formula : « Ea quæ per incuriam vel negligen» tiam a loco sunt imminuta intus, vel exterius, » vis restaurare secundum scire et posse ? » Juxta duo Pontificalia Ecclesiæ Senonensis et Moguntinæ unum, Episcopus ita interrogat : « Vis rebus Ecclesiæ tuæ inibi coadunatis fide» liter custodiam adhibere, et injuste dispersas, » quantum prævales, colligere, easque in usus » Ecclesiæ et fratrum, pauperum et peregri» norum fideliter distribuere ? » Atque, ut alia omittam ea de re testimonia, morem fuisse antiquum ut novus Abbas in sua professione juraret se res monasterii dispersas recollecturum, testatur Ivo episcopus Carnotensis in Epistola sua XLIII ad Robertum Mellentinum comitem; loquens enim de Richardo Pratellensis monasterii abbate, quem illi commendat, inter alia sic inquit : « Quod enim in revocandis mona» sterii sibi commissi possessionibus elaborat, » professionis suæ debito coactus facit; quia ab » unoquoque Abbate. quando benedictionem » accepturus est ab Episcopo, hoc exigitur, » quatenus profiteatur, res monasterii sui hac» tenus male dispersas se recollecturum, et ad » usus fratrum pauperumque dispensaturum. »

II. Certe fuit olim tam singularis Monachorum humanitas in suscipiendis peregrinis atque pauperibus, ut monasteria potius xenodochia et hospitalia, quam Monachorum habitacula viderentur : « Nobis in monasterio, » inquit S. Hieronymus in *Apologia* adversus Ruffinum, « hospitalitas cordi est, omnesque ad nos ve» nientes læta humanitatis fronte suscipimus; » veremur enim ne Maria cum Joseph locum » non inveniat in diversorio, ne nobis Jesus » dicat exclusus : *Hospes eram, et non susce» pistis me.* Solos hæreticos non suscipimus. » Hinc S. Benedictus in sua Regula, cap. LIII, jubet omnes supervenientes hospites tanquam Christum suscipiendos, eisque congruum honorem exhibendum, maxime domesticis fidei et peregrinis. Ritus in eo capite suscipiendi hospitem ita describitur : « Ut ergo nuntiatus fuerit » hospes, occurratur ei a Priore vel a fratribus » cum omni officio charitatis, et primitus orent » pariter, et sic sibi socientur in pace : quod » pacis osculum non prius offeratur, nisi ora» tione præmissa, propter illusiones diabolicas. » In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur » humilitas. Omnibus venientibus, sive disce» dentibus hospitibus, inclinato capite, vel pro» strato omni corpore in terram, Christus in iis » adoretur, qui et suscipitur. Suscepti autem » hospites ducantur ad orationem; et postea » sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. » Legatur coram hospite Lex divina, ut ædifi» cetur, et post hæc ei omnis exhibeatur hu» manitas. Jejunium a Priore frangatur propter » hospitem; nisi forte præcipuus sit dies jejunii, » qui non possit violari. Fratres autem consue» tudines jejuniorum prosequantur. Aquam in » manibus Abbas hospitibus det; pedes vero » omnibus hospitibus tam Abbas quam cuncta » congregatio lavet : quibus lotis, dicant hunc » versum : *Suscepimus, Deus, misericordiam » tuam in medio templi tui.* Pauperum autem » et peregrinorum maxime susceptionis cura » sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Chri» stus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi » exigit honorem. » Plura in hosce ritus fuse quidem ac erudite adnotavit vir clarissimus Haeftenus *Monasticarum Disquisitionum* lib. XI, tractatu I et seqq.

Digitized by Google

III. Omitti hic autem non debet id quod in Statutis sub Hugone, v° Cluniacensi Abbate, conscriptis observatum est, decrescere scilicet et pessum ire monasteria Ordinis, quod in eis contemptui esset hospitalitas, ex qua incrementa olim incredibilia quædam proficiscebantur : « Cum oculata fide hac de causa loca religiose » decrevisse videamus, erubescendum nobis est, » quod hanc minus honeste observamus, et oc- » casione qua creverunt, modo decrescunt. Sta- » tuimus ergo ut religiosæ personæ, sæculares, » et pauperes, singuli suis modis secundum » facultatem locorum benigne recipiantur, etc. » Cæterum etsi in Conciliis universim commendata sit hospitalitas, præsertim vero in pauperes ac in homines religiosos, vix alicubi monasterium invenies ubi egeni hospites vel una nocte recipiantur. « Divitibus quidem in hospitio cum » honore et reverentia susceptis, in omni opu- » lentia deliciæ apponuntur de patrimonio Cru- » cifixi ; Christus autem semel olim Crucifixus » in ligno, foris in pauperibus suis crucifigitur, » et torquetur in luto. » Verba sunt Epistolæ Abbatis cujusdam Epistolis Petri Blesensis intertextæ; estque Epistola CII. Insuper suæ hujus promissionis meminisse deberent nonnulli Abbates, qui res monasterii suas facere, Fratribusque alimenta resecare non erubescunt. « Uni- » versa, » ait S. Gelasius in can. *Nullam* XVIII, quæstione II, « quæ vel ad divini cultus reveren- » tiam, vel ad utilitatem monasterii pertinent, » Abbatis sollicitudo, ad quam potestas tota » pertinere convenit, debeat adimplere. » Sed et Concilium Tolosanum Victoris II, can. VI, statuit « ut Abbates curam Monachorum et » monasteriorum exerceant, et eis victum et » vestitum secundum Regulam S. Benedicti » præbeant. » Duritiem Abbatum in Monachos quam frequentissime exsecrati sunt prisci religiosi scriptores, præsertim vero sacræ Synodi vetustiores.

§ VIII.

Interrogatio V. *Vis sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, ac sanctissimo Domino nostro N. Summo Pontifici ejusque successoribus fidem, subjectionem, obedientiam et reverentiam devote et fideliter per omnia perpetuo exhibere?* ℟. *Volo.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis hujusmodi interrogationem in manuscriptis Pontificalibus minime invenerim, quis tamen adeo impius erit ut ipsam suggillet tanquam rem recens adinventam, nullaque ratione fultam. Constat siquidem omnem christianum hominem divino jure teneri Pontificem Maximum, Jesu Christi in terris Vicarium, revereri eique obedientiam exhibere. Fortasse omittitur hæc interrogatio in antiquis Pontificalibus, quod cuncta quæ in ipsa interrogatione continentur, prolixius novi Abbates in juramento, quod fidelitatis vocant, Romano Pontifici promitterent. Varias ejus juramenti formulas vide supra in Commentario, § II.

§ IX.

Si vero benedicendus exemptus non est, neque auctoritate Apostolica, sed ab Ordinario suo Pontifice benedicitur, post prædictas omnes interrogationes subjungitur etiam sequens, quæ alias omittitur, quando benedicendus est ab Ordinaria jurisdictione exemptus.

Interrogatio VI. *Vis sanctæ Ecclesiæ N.* nominando Ecclesiam Patriarchalem, Metropolitanam, seu Cathedralem, cujus Prælati jurisdictioni Electus Abbas, seu ejus monasterium subjecti existunt, *mihique ejusdem Patriarchæ*, vel *Archiepiscopo*, vel *Episcopo, et meis successoribus fidem, subjectionem, obedientiam et reverentiam devote et fideliter perpetuo exhibere?* ℟. *Volo.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Varii libri antiqui Pontificales varias habent præsentis interrogationis formulas. Bisuntinus hanc refert : « Vis sanctæ N. Ecclesiæ, » mihi et successoribus meis esse subjectus » secundum Regulam beati Benedicti ? » Conchensis in Hispania : « Vis, inquit, S. Ecclesiæ » Conchensi, et mihi, et successoribus meis » obediens esse et subjectus secundum instituta » sanctorum Canonum ? » Ecclesiæ Senonensis libri Pontificales, unus annorum quingentorum, alter circiter tercentorum. « Vis, inquiunt, Se» nonensi Ecclesiæ, et mihi, meisque successo» ribus subjectionem et obedientiam exhibere » secundum canonicam auctoritatem et decreta » sanctorum Pontificum ? » Paulo aliter Moguntinus, ubi hunc in modum ea refertur interrogatio : « Vis Episcopo tuo, in cujus » parochia ordinandus es, ejusque catholicis » successoribus subjectionem et obedientiam » exhibere secundum canonicam auctoritatem » et decreta Summorum Pontificum ? » Tenebantur quippe vel olim Abbates non exempti in sui benedictione edere Episcopo solemnem professionem subjectionis et reverentiæ, « salvo » Ordine suo, » id est regula, qualem præstare soliti erant Abbates Ordinis Cisterciensis, cujus formulam edidit Honorius III, Pontifex Maximus, in cap. *Ne Dei Ecclesiam*, Extra. *De simonia*, his verbis : « Ego frater Abbas Cister» ciensis Ordinis subjectionem, reverentiam et » obedientiam a sanctis Patribus constitutam se» cundum Regulam S. Benedicti, tibi, Domine » Episcope, tuisque successoribus canonice sub» stituendis, et Sanctæ Sedi, salvo Ordine meo, » perpetuo me exhibiturum promitto. » Sane cum Honorii III tempore, Episcopi Archidiaconique renuerent Abbates Cisterciensis Ordinis benedicere, aut installare, nisi prius *palefridum*, id est equum, vel aliud quidpiam sibi donarent, et in professione obedientiæ verba illa, « salvo » Ordine suo, » rejicerentur; quia scilicet iis verbis inutilis quodammodo redderetur professio illa obedientiæ, conquestus est de prædictis duobus excessibus coram Honorio Jacobus abbas Cisterciensis, qui ab ipso Pontifice obtinuit ut nihil Episcopi ejusque Officiales pro benedictione vel installatione a novo Abbate exigerent vel extorquerent; ac rursus, ut ea contenti essent forma professionis, quæ ab origine Ordinis Cisterciensis instituta fuit, cum ea scilicet clausula, « salvo Ordine meo. »

II. Recitatæ professionis formulæ fere omnes consentiunt, quas referunt antiqui libri Pontificales, in quorum tamen nonnullis deest prorsus ea clausula, « salvo Ordine meo. » Juxta Bisuntinum novus Abbas scriptam in schedula legebat professionem suam hoc modo : « Ego » ille N. nunc ordinandus Abbas, subjectionem » et reverentiam a sanctis Patribus constitutam, » et obedientiam secundum præceptum S. Be» nedicti, S. Sedi N. Ecclesiæ in præsentia » Domni Episcopi N. perpetuo me exhibiturum » promitto, et propria manu firmo. » Deest præterea illa clausula in Pontificali Conchensi, Remensi, et in ipsa professione quam Radulphus, abbas monasterii Sancti-Theodorici prope Remos, ut habetur in manuscripta Historia ejusdem monasterii, anno 1337, in hæc verba pronuntiavit : « Ego Radulphus abbas monasterii » Sancti-Theodorici prope Remos, Ordinis » S. Benedicti, confirmatus et Abbas benedictus » a R. Patre Guilelmo Noviomensi episcopo, » vicario generali Domini Joannis archiepi» scopi, promitto obedientiam, reverentiam et » subjectionem matri meæ Ecclesiæ Remensi, » R. Patri, ac Domino Domino Joanni, Dei » gratia Remensi archiepiscopo, et successori» bus canonice instituendis, ejusque vicariis, » officialibus et ministris, et sanctæ Sedi Re» mensi, secundum statuta Patrum et Regulam » sancti Benedicti, et hæc propria manu firmo, » juro et promitto, anno Domini 1337, feria » tertia post festum S. Remigii in vindemiis. » Similem quidem professionem fecere ejusdem Radulphi successores, ut videre est in præfata manuscripta historia. Consuevisse autem alicubi ejusmodi professionem præstari ex scripto, interposito jurejurando super signo sacræ crucis, habemus pro comperto in Epistola Arnulphi Lexoviensis ad Abbatem Sancti-Ebrulfi : « Nosse » siquidem debes, inquit, in eo qui Religionem » professus est, inobedientiam crimen esse, » ipsum ad exactissimam diligentiam teneri, qui » obedientiam Prælato suo, viva voce et scripto,

Digitized by Google

» juramento etiam corporaliter interveniente, » adhibita salutiferæ crucis impressione signa- » vit. » Ex manuscripto Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, tum Abbas cum Abbatissa fidelitatem et subjectionem, ubi benedicebantur, manu propria, super altare, vel super sacrosancta Evangelia jurejurando firmabant. Cæterum, quam Abbas Episcopo, eamdem Abbati benedicto Monachos promisisse obedientiam, pluribus allatis exemplis tradit Martenius, lib. v *De antiquis Monachorum Ritibus*, c. i, n. xxxvi.

III. Adnotandum superest quod, etsi professionem hujusmodi a novo Abbate, cum benedicitur, Episcopo suo præstandam esse libri Pontificales passim præscribant, eam tamen supervacaneam aliquando duxit Anselmus, lib. ii, epistola lii, pulcherrima hac ratione : « Scimus » enim, quia semper profiteri ore et opere exhi- » bere debemus majoribus nostris regularem » obedientiam, quam scripto repetere, quan- » do eam non abnegasse cognoscimur, super- » fluum certe est. Quod si quis nos vult co- » gere cum ad abbatiæ Prælationem promove- » mur, sine ulla ratione fieri videtur. Cum » enim professi simus conversionem morum » nostrorum, utique promisimus obedientiam » non solum Abbatibus, nec solum quamdiu » essemus sub Abbate, sed omnibus majoribus » nostris, et quamdiu vivemus. » Præteriri etiam hic illud non debet, quod venerabilis Beda refert, in Hibernia Episcopis omnibus aliquando placuisse ut Abbati presbytero Sancti-Columbani successori obnoxios se profiterentur, et subditos : « Habere solet, » inquit laudatus Beda, lib. iii, cap. iv, « ipsa insula semper Ab- » batem presbyterum, cujus juri, et omnis pro- » vincia, et ipsi etiam Episcopi ordine inusitato » debeant esse subjecti, juxta exemplum primi » doctoris illius, qui non Episcopus, sed Pres- » byter exstitit Monachus. » Refert et id cardinalis Baronius ad annum 565, ubi etiam ait Columbanum ipsum esse primum provinciæ illius doctorem. Qui quidem Luxoviense quoque construxit in Burgundia monasterium, e quo pulsus in exsilium a Regina Brunichilde, miraculis ubique claret; ac erecto tandem in Italia monasterio Bobiensi, ibidem sancte obiit circa annum 615. De ejus Vita vide Haræum, die xxi novembris.

§ X.

Si autem benedicendus Abbas non exemptus auctoritate Apostolica, ab alio quam Ordinario suo Pontifice benedicitur, Pontifex benedictionem ei impensurus, loco interrogationis proxime positæ, et illa omissa, sequentem subjungit, dicens : *Vis sanctæ Ecclesiæ N.* nominando Ecclesiam patriarchalem, metropolitanam, seu cathedralem, cujus Pontificis jurisdictioni electus Abbas seu ejus monasterium subjecti existunt, *illiusque Patriarchæ,* aut *Archiepiscopo,* vel *Episcopo, ac suis successoribus fidem, subjectionem, obedientiam et reverentiam devote et fideliter perpetuo exhibere?* ℟. *Volo.* Subjungit Pontifex : *Hæc omnia et cætera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te, atque corroboret in omni bonitate.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cum nonnunquam contingat ut non exemptus Abbas, sicut et alibi de Clericis dictum est, ab alio quam a proprio Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium, benedictionis munus accipiat, recte admonet Rubrica nostri Pontificalis debere tunc Episcopum benedicentem, nomine illius Pontificis, cujus jurisdictioni ille vel ejus monasterium subjectum est, professionem subjectionis et obedientiæ stipulari. Rectissime itaque in Moguntino Pontificali novum Abbatem Episcopus hunc in modum interrogat : « Vis Episcopo tuo, in cujus parochia » ordinandus es, ejusque catholicis successori- » bus subjectionem et obedientiam exhibere » secundum canonicam auctoritatem et decreta » Summorum Pontificum? » Ex eodem Pontificali, peractis cunctis interrogationibus a nobis jam explicatis. Abbas electus, superpositis duo-

Digitized by Google

bus digitis manus suæ dexteræ super Evangelii librum, quem tenet Episcopus, obedientiæ et subjectionis professionem jurat; cui deinde Episcopus ei statim subjungit : « Augeat tibi Deus » in his fidem et constantiam ut adimplere et » conservare ea valeas. » Eamdem formulam habent quidem codices duo manuscripti Pontificales insignis Ecclesiæ Senonensis, alter annorum quingentorum, alter vero circiter annorum tercentorum. Verum ea verba dicit Episcopus, antequam novus Abbas professionem ipsi Pontifici juret.

§ XI.

Tunc Electus ante Pontificem genuflexus, osculatur ejus manum. Deinde, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad altare, facit confessionem, Electo a sinistris sibi respondente. Qua finita, Pontifex ascendens ad altare, osculatur illud et Evangelium in Missa dicendum, atque incensat altare more solito. Deinde accedit ad sedem suam, et procedit in Missa usque ad *Alleluia,* sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive. Si vero Missa legitur, osculato altari et Evangelio, omissa incensatione, omnia prædicta leguntur in altari. Electus vero vadit cum Assistentibus ad Capellam suam, ubi, deposito pluviali, accipit sandalia, dicens Psalmos consuetos ante Missam. Tunc accipit crucem pectoralem, et aptatur ei stola ut ab humeris dependeat; deinde sumit tunicellam, dalmaticam, planetam et manipulum, hoc, si ex privilegio mitra uti possit, qua si uti sibi licet, et prius sit professus ac Missa legatur, potest accipere sandalia, [et dicere Psalmum, *Quam dilecta, etc.*, ac paramenta omnia Sacerdotalia capere, dempta planeta, cujus loco accipit pluviale : ante inchoationem officii, eo tempore quo Pontifex, eum benedicturus, Pontificalia paramenta recipit. Si vero non sit de mitra, deposito pluviali, et retenta stola in modum Presbyteri, accipit planetam tantum. Qua indutus stans in altari suo medius inter Assistentes prosequitur Missam usque ad *Alleluia*, si dicitur sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Et cum dicit *Dominus vobiscum,* non se debet ad populum vertere. Missa dicitur de die cum Collecta pro Electo sub uno *Per Dominum,* cum Collecta diei per Pontificem.

ORATIO.

Concede, quæsumus, Domine, huic famulo tuo, ut prædicando et exercendo quæ recta sunt, per exemplum bonorum operum animos suorum instruat subjectorum; et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Electus vero dicit Orationem.

Concede, quæsumus, Domine, mihi famulo tuo, ut prædicando et exercendo quæ recta sunt, per exemplum bonorum operum animos meorum instruam subjectorum; et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiam. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Inanis profecto esset laboris antiquos libros Pontificales evolvere, ut iis quæ in hoc § continentur antiquitatem conciliemus. Jam non semel testati sumus benedictionem primum Abbatis in certis quibusdam Orationibus constitutam fuisse : progressu temporis additi quidem fuere ritus peculiares tradendi scilicet novo Abbati in sua ipsius benedictione insignia quædam Episcopalia, baculum, annulum, et alia id genus. Quod autem is novus Abbas, cum benedicitur, Missam quam Episcopus ordinator celebrat, in altari suo peculiari dicat, omissis Consecrationibus, et deinde communicet de manu ipsius Episcopi, ut infra dicetur, vix in antiquis manuscriptis Pontificalibus invenitur. Videtur ritus esse circiter annorum tercentorum, cum ipse in editis tantum legatur Pontificalibus. Cui sententiæ suffragari aliquantum potest codex Pontificalis manuscriptus insignis Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4748, circa eam ætatem, vel ut plurimum paulo ante annos tercentos exaratus, ubi legimus : « Debet Electus » dicere submissa voce totum officium Missæ » usque ad Evangelium. » Et paucis interjectis : « Deinde revertitur Abbas ad sedem suam, et » ibi dicit submissa voce Evangelium, *Credo in* » *unum Deum*, et Offertorium. » Integrum hunc manuscriptum codicem exhibebimus infra in Appendice.

§ XII.

Dicto Graduali, si *Alleluia* est dicendum, alioquin dicto etiam Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra in faldistorio suo ante altare, et ante eum reducitur Electus per Assistentes; et facta Pontifici reverentia ut prius, surgit Pontifex, et genuflexus cum mitra procumbit in faldistorio suo. Assistentes genuflectunt ante scabella ; Electus vero ad sinistram Pontificis prosternit se. Tunc incipiunt, Choro respondente, vel si non sint Cantores et Chorus, dicit Pontifex, cæteris sibi respondentibus, Antiphonam toni IV : *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris, Domine Deus noster.* Psalmus VI. *Domine, ne in furore tuo, etc.* Psalmus XXXI. *Beati quorum remissæ sunt, etc.* Psalmus XXXVII. *Domine, ne in furore tuo, etc.* Psalmus L. *Miserere mei, Deus, etc.* Psalmus CI. *Domine, exaudi orationem meam, etc.* Psalmus CXXIX. *De profundis clamavi, etc.* Psalmus CXLII. *Domine, exaudi orationem meam, etc.* Deinde repetitur Antiphona : *Ne reminiscaris, Domine, etc.*, supra ante Psalmos posita. Et subjunguntur immediate Litaniæ quæ habentur in Ordinatione Subdiaconi. Cumque in iis dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos,* surgit ab accubitu Pontifex, et in manum sinistram accipit baculum pastoralem, et conversus ad Electum dicit : *Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Deinde dicit : *Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos;* producendo singulis vicibus super Electum manu dextera signum crucis. Et mox redit ad accubitum, et perficiuntur Litaniæ.

COMMENTARIUS.

I. Fuit vel priscus ritus ut, postquam Abbas servare se velle spopondisset quæ illum Episcopus interrogabat, ambobus ante altare prostratis Litaniæ dicerentur. Tradit hæc vetus Ordo Ro-

Digitized by Google

manus ubi agit de Ordinatione Abbatis : « Eo » autem profitente pro viribus se hæc adimplere, » prosternat se Episcopus ante altare, et Abbas » sacris vestibus indutus; fiantque ibi Litaniæ. » Ordini antiquo Romano consentit profecto vetus Casinensis codex his verbis : « Hoc expleto, » præparet se Pontifex ad Missam celebrandam. » Completa autem Epistola prosternat se Ponti- » fex ante altare, et Abbas electus sacris vestibus » indutus, et Paraphonista incipiat Litaniam. » Ubi nota Litaniam dici consuevisse post Epistolam, quemadmodum hodie nostrum Pontificale præscribit. Paraphonista in pervetustis Cæremonialibus libris Magistrum capellæ, qui musicam dirigit, significat, ut notat Macrius in suo *Hierolexico*. De septem Pœnitentialibus Psalmis una cum Litania in Ordinatione Abbatis post ejus tamen electionem et confirmationem dicendis, egregium habemus locum in Pontificali Ecclesiæ Conchensis annorum quingentorum. Sic enim inquit : « Cum autem fuerit laudata et » confirmata ab universis utriusque sexus (ele- » ctio), tunc stratis ante altare tapetibus, pro- » sternant se simul Pontifex et qui ab eo bene- » dicendus est. Similiter et virga pastoralis debet » poni juxta Abbatem supra tapetum et cum » ipso sit consecrata. Tunc incipiant in choro » stantes VII Psalmos, subjungentes Letaniam » sub brevitate, non prolixas. Quibus decursis, » cum novissimum *Kyrie eleison* dixerint et » Orationem Dominicam compleverint, erigat » se solus Pontifex : prostrato tamen eo qui be- » nedicendus est, dicat Episcopus hoc capitu- » lum : *Salvum fac servum tuum*, etc. » Hic nota primo Psalmos Pœnitentiales, qui alias flexis genibus ex veteri Ecclesiæ more dici consueverunt, recitatos stando fuisse : secundo, baculum pastoralem novo Abbati tradendum, juxta ipsum supra tapetum poni debuisse : id quod etiam liber Pontificalis Ecclesiæ Arelatensis docet : « Teneat, inquit, Episcopus ba- » culum suum in manu sua, et idem baculus, » quem Abbati debet dare, sit juxta Abbatem in » tapeto, dum prostratus jacet ad consecran- » dum. »

II. Traditur quidem in eo Pontificali ut septem Psalmi Pœnitentiales cum Litania in choro recitentur, nulla habita ejus ritus mentione genua flectendi, vel standi. In Pontificali Moguntino de recitandis Psalmis Pœnitentialibus in benedictione Abbatis nihil prorsus invenies; de Litania vero ita ritum præscribit : « Post hæc » Episcopus et Abbates prosternant se super se- » des suas, et dicatur Litania a duobus Clericis, » et cum perventum fuerit ad illum locum : *Ut* » *pacem nobis dones*, erigat se Episcopus, et ac- » cepto baculo in manu sua, conversus ad Abba- » tem dicat : *Ut electum et confirmatum istum* » *benedicere* ✠, *sanctificare* ✠ *et consecrare* ✠ » *digneris*. Clerus : *Te rogamus*. Hæc ter repe- » tente Episcopo, Clerus sibi totiens respondeat: » *Te rogamus*, etc. » Pontificale manuscriptum Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria illud quidem præscribit, ut cum in Litania dicitur, *Ut Abbatem istum benedicere digneris*, bis repetatur versiculus ille ab eo qui Litaniam cantat, « et Episcopus in singula responsione » quæ fit a Choro, signet super illum. » Ex memorato codice Bibliothecæ Vaticanæ : « Stratis » ante altare tapetis accumbit se Pontifex super » faldistorium, ille vero qui benedicendus est » Abbas prosternitur totus, et extenditur in pa- » vimento tapetum coram altari ad sinistrum » latus Episcopi, et baculus, qui ei debetur dari, » ponitur in terra juxta eum, ad sinistrum ejus » latus. Tunc Cantores incipiunt septem Psal- » mos Pœnitentiales, subjungentes Litanias. » Cumque dixerint, *Ut obsequium servitutis no-* » *stræ*, etc., et eidem a Choro responsum fuerit, » tunc Episcopus ab accubitu surgens, et se ad » Electum volvens, baculum in sinistra tenens, » dicit primo : *Ut præsentem Electum tuum bene-* » ✠ *dicere digneris*; et secundo dicit, *bene* ✠ » *dicere, et sancti* ✠ *ficare digneris*, producendo » semper signum ✠ crucis super illum, et mox » postquam per illum fuerit repetita, redit ad » accubitum, Cantoribus resumentibus Lita- » niam. » Juxta Pontificale quod Romæ in Bibliotheca Angelica S. Augustini asservatur, tota Abbatis benedictio in quibusdam orationibus, in manuum impositione super caput ipsius ab Episcopo facienda, in traditione Regulæ, baculi pastoralis et annuli omnino consistit.

Digitized by Google

§ XIII.

Quibus finitis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad Electum, prostratum manentem, dicit : *Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Hic accipiet benedictionem a Domino.* ℟. *Et misericordiam a Deo salutari suo.* ℣. *Memor esto congregationis tuæ.* ℟. *Quam possedisti ab initio.* ℣. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum.* ℟. *Ex hoc nunc et usque in sæculum.* ℣. *Dominus custodiat te ab omni malo.* ℟. *Custodiat animam tuam Dominus.* ℣. *Domine, Deus virtutum, converte nos.* ℟. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Concede, quæsumus, Omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum : et hunc famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere; ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Cunctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum, ad gubernandas Ecclesias Præpositos instituisti : tibi supplices fundimus preces, teque devotis mentibus exoramus, ut hunc famulum tuum, quem communis electio famulorum tuorum Abbatem ovium tuarum esse constituit, protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque regere subditos, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cœlorum adipiscatur; quatenus, te, Domine, opitulante, Apostolicis jugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu lætus introeat portas paradisi; atque a te, Domine, collaudante audire mereatur : Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui. *Quod ipse præstare digneris, qui vivis et regnas Deus.*

COMMENTARIUS.

I. Finita Litania, surgens Pontifex, prostrato manente Electo, versus ad illum dicit Dominicam prius Orationem, deinde versiculos quosdam, et binas Orationes quas legere est in antiquo Romano Ordine, in codice Casinensi, in Pontificali manuscripto Bibliothecæ Angelicæ, ac aliis compluribus ; in quibus nihilominus aliqua varietas exstat quoad versiculos. Etenim in laudato Romano Ordine, cui consentit Casinensis codex, et alia quædam Pontificalia consonant, ita leguntur versiculi post Dominicam Orationem : *Salvum fac servum tuum, Domine.* Resp. *Deus meus, sperantem in te. Dominus conservet eum, et vivificet eum.* Resp. *Et beatum faciat eum in terra. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum.* Resp. *Ex hoc nunc. Dominus custodiat te ab omni malo.* Resp. *Custodiat animam tuam Dominus. Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto.* Resp. *Et de Sion. Nihil proficiat inimicus in eo.* Resp. *Et filius*

Digitized by Google

iniquitatis. Esto illi, Domine, turris fortitudinis. Resp. *A facie inimici. Exsurge, Domine, adjuva nos.* Resp. *Et redime nos. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus.* Sequuntur deinde binæ Orationes, quarum altera incipit, *Concede, quæsumus, etc.* altera, *Cunctorum operum, etc.* Utraque, uti jam dixi, in omnibus Pontificalibus libris reperitur. Cæterum non desunt aliqui libri Pontificales, ubi pauciores versiculi habentur, uti videre est in collectione variorum Ordinum a Martenio editorum, ubi agit de benedictione Abbatis, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. I.

§ XIV.

Tum surgit Electus et ante Pontificem genuflectit, et Pontifex, extensis manibus ante pectus, dicit : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, affluentem Spiritum tuæ bene✠dictionis super hunc famulum tuum, nobis orantibus, propitius infunde.* Hic Pontifex imponit ambas manus extensas digitis non disjunctis super caput Electi; et eas sic tenet, dicens : *Ut qui per nostræ manus impositionem hodie Abbas constituitur, sanctificatione tua dignus, a te electus permaneat, et nunquam postmodum a tua gratia separetur indignus.* Hic Pontifex amovet manus de capite Electi, ac eas ante pectus extensas tenens, dicit : *Suscipiat, te, Domine, largiente hodie, in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam : te tribuente, Domine, talis in hoc ministerio perseveret, qualis Levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare : totam ab hac die mundanam conversationem despiciat; tua, Domine, bene✠dictione largiente, contemnat præsentia, diligat cœlestia, desideret sempiterna : sit exemplum et forma justitiæ ad gubernandam regendamque Ecclesiam tuam fideliter; ut speculator idoneus inter suos collegas semper inspiciatur. Sit magni consilii, industria censuræ et efficacia disciplinæ; ita, te, Domine, tribuente, in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde serviens, ut ad bravium supernæ vocationis, multiplicato fœnore cum centesimo fructu, coronaque justitiæ, ad cœlestium thesaurorum dona tua perveniat.* Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus intelligi possit. *Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Monet tum Ordo vetus Romanus, cum sequioris ævi libri Pontificales, dicendam memoratam Orationem in modum præfationis; in omnibus tamen, qui ante annos quingentos exarati sunt, ipsa Oratio, quam dicens Episcopus manus super caput electi Abbatis imponit, ab illis quidem incipit verbis, *Omnipotens sempiterne Deus affluentem, etc.*, omissis prorsus iis versi-

Digitized by Google

culis quæ ipsam Orationem præcedere solent; atque id quidem non modo observare est in antiquo Romano Ordine, et in codice Casinensi, verum etiam in Pontificali manuscripto Bibliothecæ Angelicæ, et in aliis multis. Certe in Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, annorum quadringentorum præscriptum lego id quod hodie nostrum Pontificale Romanum jubet. Post recitatam enim Orationem alteram in § superiori descriptam; « Deinde, inquit, junctis manibus ante pectus mediocri voce dicit: » *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda, etc.,* » ut in nostro Pontificali. Idipsum tradit Moguntinum Pontificale ejusdem fere ætatis. In Pontificali Conchensi annorum quingentorum et in duobus Ecclesiæ Senonensis, uno annorum quingentorum, altero circiter tercentorum, nullum exstat verbum ejus præfationis. In manuscripto Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum, illi versiculi : *Per omnia sæcula sæculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino Deo nostro, etc.*, alteri quam descriptæ Orationi una cum manus impositione præmittuntur. In summa solus memoratus Bibliothecæ Vaticanæ codex, ex multis quos vidi, per omnia fere similis est præscripto Romani hodierni Pontificalis, tam quoad manus impositionem, quam etiam quoad ritum dicendi *plane, ita quod a circumstantibus valeant intelligi et audiri*, postrema verba recitatæ Præfationis.

II. Antiquissimum esse ritum imponendi manum super caput benedicendi Abbatis, deducunt plerique auctores ex Canone XIV Concilii VII generalis, Nicæni secundi, quod anno Christi 787 adversus sacrarum imaginum hostes celebratum est; ejusque meminit Innocentius III, Pontifex Maximus, Archiepiscopo Rhotomagensi rescribens. Cum enim ille Apostolicam Sedem consuleret de prima Clericali Tonsura, quam Abbates Monachis conferebant, ita rescripsit : « Super » quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quod » cum in septima Synodo sit statutum ut lecto» res per manus impositionem licentia sit uni» cuique Abbati in proprio monasterio solum» modo faciendi, dummodo ipsis ab Episcopo, » secundum morem præficiendorum Abbatum, » manus impositio facta noscatur, et constet eum » existere Sacerdotem, per primam Tonsuram, » a talibus Abbatibus juxta formam Ecclesiæ » datam, Clericalis Ordo confertur. » Postremis hisce verbis permoti plurimi ex canonistis, ut testatur Emmanuel Gonzalez in cap. *Cum contingat*, XI *De ætate et qualitate*, primam Tonsuram Ordinem esse asserunt. Id quod, uti alibi dictum est, acriter inter alios propugnat Prosper Fagnanus.

III. At relicta hic ea quæstione, admonendi sumus aliter legi Canonem in VII generali Synodo Nicæna II quam ab Innocentio III refertur in sua Epistola Decretali. Secutus est enim Gratiani versionem, qui in Canone *Quoniam*, distinctione XCV, ita Nicænæ II Synodi Canonem refert : « Lectoris autem manus impositione li» centia est Abbati solummodo in proprio mo» nasterio faciendi, si duntaxat eidem Abbati » manus impositio facta noscatur ab Episcopo » secundum morem præficiendorum Abbatum, » dum constet illum esse Presbyterum. » Qua lectione non obscure specialis ac solemnis Abbatum benedictio ab ipsa Presbyterali ordinatione distincta insinuatur. At omnibus notum est quam parum Gratiano in relatione Canonum fidendum sit, quamque frequenter ab ipso originali Canonum textu recedat. Quod quidem non semel adnotarunt correctores Romani, præsertim quum ad hunc Canonem monent, ea verba « se» cundum morem præficiendorum Abbatum, » non esse in Græco Canone, cujus textus ex regia editione Parisiensi ita restituendus est : « Lecto» res autem tantum per manuum impositionem » licet in proprio monasterio tantum unicuique » monasterii Præfecto facere, si ipsi Præfecto » scilicet ab Episcopo manus est imposita ad præ» fecturam Hegumeni, dum sit et ipse Pres» byter. » His fere verbis refertur is Canon apud Zonaram, Balsamonem et alios Græcos.

IV. Ex quo minime obscurum fit quod docet Zegerus Van Espennius, *Juris Ecclesiastici* parte I, tit. XXXI, cap. VI, num. XII, eo scilicet tempore quo celebrata est VII Synodus, omnibus monasteriorum Præfectis licuisse Lectoratum in suo monasterio conferre, modo manuum impositionem ab Episcopo accepissent, id est modo Presbyteri ab Episcopo essent ordinati. Neque enim de alia manuum impositione hic agi, et contextus Canonis satis insinuat, et Zonaras, Balsamon et alii Græci commentatores uno consensu supponunt. Zonaras quidem, ut cæteros

Digitized by Google

sileam, ipsum Canonem ita explicat : « Et vero » Lectorem, inquit, manuum impositione creare » in suo duntaxat monasterio, si modo ab Epi» scopo præfecturæ characterem accepit, et Sa» cerdotio initiatus fuerit, ipse monasterii Præ» fectus potest. » Circa eumdem Canonem illud quoque observat Balsamon, primum Abbatibus hoc privilegium concessum fuisse, eo quod Monachis, qui in eremo olim ut plurimum habitabant, difficile foret urbes obire et adire Episcopos. Certe Nicænæ II Synodi tempore, id est senescente sæculo VIII quo celebrata est, nondum solemnis illa, quæ postmodum una cum Pontificalium usu invaluit circa sæculum X Abbatum benedictio celebrabatur, neque distinctio Abbates inter et Priores, aliosque similes monasteriorum Præfectos nota erat, ut citatus Van Espennius adnotavit.

V. Verum enim vero, quicquid eruditi autument, cum Innocentii III rescriptum inter Gregorii IX Decretales relatum jam fuerit, in cap. *Cum contingat*, *De ætate et qualitate*, partem profecto juris communis constituit; unde non mirum si uno consensu canonici juris Interpretes passim concluserint duo necessaria esse, ut jure communi Abbas primam Clericalem Tonsuram et quatuor minores Ordines conferre possit, Presbyteratus scilicet ordinem, ac insuper solemnem cum manus Episcopalis impositione benedictionem Abbatialem. Hinc juxta recentiorem disciplinam, si quis non sit Abbas solemniter benedictus, Tonsuram conferre nequit, nisi speciali et expresso Apostolicæ Sedis privilegio munitus sit. Quamobrem cum quæreretur a sacra Congregatione Cardinalium, an Generalis Ordinis Silvestrinorum facultatem haberet conferendi Tonsuram et minores Ordines, responsum fuit de jure ipsi hanc facultatem haudquaquam competere; nam, ut testatur Fagnanus in cap. *Quanto*, *De consuetudine*, ex juris communis dispositione, ad hoc ut Abbas suos subditos Ordinibus minoribus initiare valeat, duo necessaria requiruntur, id est, ut sit solemniter benedictus, et ut sit Presbyter, juxta constitutum in can. *Quoniam*, distinctione sexagesima nona, et in laudato cap. *Cum contingat*.

VI. Etsi autem vel diu ante VII Synodum, cum nullum adhuc vestigium esset solemnis illius benedictionis, qua sequioribus sæculis Abbates inaugurari cœperunt, indultum eisdem fuisset ut Clericatus Ordinem conferre possent, quippe cum testis sit S. Gregorius Turonensis de *Vitis Patrum*, cap. VI, S. Gallum, qui postea Arvernorum sub Theodorico rege Francorum factus est Episcopus, ab Abbate monasterii Cremonensis, sexto ab urbe Arverna milliario, puerum, Clericum factum fuisse; pro certo nihilominus illud hodie haberi debet ex laudato can. *Quoniam* et cap. *Cum contingat*, Abbatibus solum benedictis privilegium datum esse ut Clericalem Tonsuram et minores Ordines conferre valeant. Unde ab erudito Hallierio *De sacris Ordinationibus*, pagina 561, auctores illi suggillantur, qui etiam non benedictis Abbatibus eamdem prærogativam contra prædictos Canones attribuunt, iis præsertim innixi rationibus : prima quidem, quod ex bullis Pontificum Eugenii IV et Julii II pro Ordine Cisterciensi, et Congregatione Montis-Oliveti et Sanctæ-Justinæ seu Montis-Casini, et Leonis X pro Congregatione Camaldulensi, « licet munus benedictionis » iisdem Abbatibus non impendatur, omnibus » tamen honoribus, præeminentiis, privilegiis, » prærogativis, juribus, et insigniis Abbatibus » benedictis competentibus fungi possunt. » Ex quo inferunt, cum Abbates benedicti haud dubie Tonsuram minoresque Ordines conferre queant, idem posse virtute earum bullarum etiam non benedictos. Altera, quia non obscure in favorem Cisterciensium Alexander III in capite primo, *De supplenda negligentia Prælatorum*, edicit ut si Episcopus tertio cum humilitate ac devotione, sicut convenit, requisitus, subditos Abbates Cistercienses benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, et alia quæ ad officium ejusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, et Abbates benedicere non recusent. Ex qua Decretali Epistola colligunt Doctores post Glossam verbo *Alia*, Abbatibus, quorum benedictio ab Episcopis irrationabiliter differtur, Lectoratus conferendi potestatem inesse : quidni ergo, inquiunt adversarii, quibuslibet Abbatibus similiter non benedictis, quibus eadem quæ benedictis privilegia conceduntur, suos ad Lectoris gradum promovere liceat?

VII. Hasce ac similes rationes infirmas ac parvi momenti esse, pluribus contendit laudatus Hallierius. Primum quidem, quia generalem istam concessionem, qua Abbatibus non benedictis

Digitized by Google

eædem quæ benedictis prærogativæ asseruntur, non derogari speciali isti exceptioni, qua nonnisi benedictis Abbatibus privilegium istud vendicatur, juri omnino consentaneum est : neque enim putandum in generali concessione speciales omnes semper contineri, cum infinitis prope ex jure tum Pontificio, tum Cæsareo petitis exemplis falsum id esse pateat. Deinde rationem desumptam ex cap. I *De supplenda negligentia Prælatorum*, suam inquit potius quam adversariorum sententiam confirmare. Cum enim in odium Episcoporum, qui officii sui partes negligunt, vel officio abutuntur, cautum fuerit, secundum Glossam, ut Abbates, quorum benedictio ab Episcopis differtur, post trinam supplicationem, Lectoris gradum conferre possint suosque Monachos benedicere, e contrario arguitur Abbates non benedictos, quorum benedictio nulla Episcoporum negligentia differtur, id juris non habere ut minores Ordines vel suis conferre possint : sublata enim causa, privilegium utique tollendum est, quod ob hanc causam subsistit. Puto equidem sustineri posse hanc sententiam laudati scriptoris, quippe qui intactum relinquit privilegium speciale, si quod habent a Summis Pontificibus Abbates non benedicti, ad conferendam primam Clericalem Tonsuram et minores Ordines subditis suis.

VIII. Ergo regulariter ea facultas Abbatibus solum benedictis in jure conceditur; eratque vel olim limitata ad cujuslibet Abbatis monasterium, id est cuilibet Abbati licebat in proprio solum monasterio ea facultate uti. At vero cum deinde magis magisque ad Pontificalem auctoritatem dignitatemque aspirarent, limitata illa facultate non contenti, ejusdem extensionem a Sede Apostolica sensim obtinuerunt, ut non tantum in proprio monasterio suis subditis Tonsuram conferre possent, sed omnibus in quos Ecclesiasticam et quasi Episcopalem jurisdictionem habebant; obtentis insuper sæpenumero privilegiis, omnibus indifferenter eam impertiendi, uti videre est in cap. *Abbates*, *De Privilegiis in* VI. Cum autem hæc extensio progressu temporis non parum Episcopale regimen et hierarchicum ordinem perturbaret, Patres Concilii Tridentini, sessione XXIII, cap. X *De Reformatione*, pristinam disciplinam renovantes, providentissime statuerunt ut Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam regulari, qui subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre : nec ipsi Abbates et alii exempti, aut Collegia vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedralium litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium Ordinatio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existant, pertineat : non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

IX. Hæc sunt ipsissima verba Concilii Tridentini, ex quo duo præcipue addiscimus : primo quidem, Abbatem non posse Tonsuram Monachis alterius monasterii conferre, etiam de Abbatis illius consensu, nec sæcularibus habentibus dimissorias sui Episcopi; secundo, comprehendi in eo decreto Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, sive nullius diœcesis. Sed de hac re vide Fagnanum, in cap. *Aqua*, *De consecratione Ecclesiæ*, et in cap. *Cum contingat*, *De foro competenti*. Atque hæc dicta sint occasione impositionis manus Episcopalis in Abbatis benedictione.

§ XV.

Deinde dicit : OREMUS.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da huic famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum, in qua semper te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnium, Domine, fons bonorum, justorumque provectuum munerator, tribue,

Digitized by Google

quæsumus, huic famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras, quas in conspectu tuæ majestatis super hunc famulum tuum fundimus, qui vice tui nominis ad gubernationem ovium tuarum statuitur; ut cum respicere, et, interveniente beato N., bene✠dicere digneris; et qui ad redemptionem, et protectionem nostram de cœlo descendisti, et mundo te verum et summum Pastorem exhibuisti, dicens: Ego sum Pastor bonus; *te invocamus, te suppliciter deprecamur ut huic famulo tuo, quem pastoralis officii culmen subire voluisti, tua bonitas adsit et bene✠dictio omnibus diebus vitæ suæ. Protege eum, Domine, et defende ab omnibus visibilium et invisibilium adversitatibus inimicorum; dirige gressus ejus in viam pacis et justitiæ; et largire tuarum dona virtutum, justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, charitatem, sobrietatem, patientiam, longanimitatem, constantiam insuperabilem, fidem non fictam, spem inconcussam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modestiam, unanimitatem, pacem, concordiam, castitatem, abstinentiam, vigilantiam, discretionem, rectitudinem, scientiam, pietatem, consilium, et in cunctis actibus bonis inviolatam perseverantiam. Aufer, Domine Jesu Christe, ab eo quicquid pravum et distortum est, quicquid saluti contrarium, quicquid animæ nocivum; superbiam, jactantiam, vanam gloriam, elationem, et quicquid ad ultimum tibi displicens esse potest. Circumda eum interius et exterius tuæ protectionis auxilio; ut, te defensore, sit tutus; te protegente, securus; te docente, scius. Ostende ei viam per quam ambulet; tribue ei thesaurum sapientiæ, ut sciat et habeat unde nova et vetera proferat. Fac eum in omnibus tua sequi vestigia, et de sua administratione gaudium bonum adipisci; ut post hujus sæculi excursum, cum ante tribunal tuum venerit, cum multiplici fructu animarum, illud ei præmium largiaris cum omnibus quos tibi præsentabit, quod fidelibus dispensatoribus tuis, pro tuo nomine laborantibus in terris, te promisisti daturum esse in cœlis. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Parum conveniunt libri Pontificales circa tres hasce Orationes in benedictione Abbatis ab Episcopo recitandas. Vetus Ordo Romanus, manuscriptus codex Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum, et Pontificale Moguntinum recentioris ætatis, post Orationem in modum Præfationis, de qua in superiori § dictum est, eam subjiciunt: «Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum, quem » Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius re» spice: da ei quæsumus, verbo et exemplo qui» bus præest proficere, ut ad vitam una cum » grege sibi commisso perveniat sempiternam. » Per. » In Pontificali Bibliothecæ Angelicæ manuscripto et in aliis compluribus statim post ipsam Præfationem tradit Episcopus novo Abbati Regulam. In Pontificali tandem manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744 referuntur quidem tres memoratæ Orationes: admonet tamen tertiam illam prolixam Orationem, quæ incipit, *Exaudi, Domine, preces, etc.*, a quibusdam duntaxat dici.

Digitized by Google

§ XVI.

Postea sedens Pontifex accepta mitra dat ei ambabus manibus tangenti et accipienti Regulam, dicens : *Accipe Regulam a sanctis Patribus traditam ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, et fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Dominici paternam providentiam et animarum procurationem, et per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cœlestis hæreditatis pascua, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Regulam novo Abbati in sua ipsius Ordinatione traditam omnes uno consensu tum veteres, tum recentiores libri Pontificales docent; qui tamen in ejusdem tradendæ formula non parum discrepant. Juxta Ordinis antiqui Romani præscriptum, Pontifex tradens Regulam, ita inquit : « Accipe Regulam a sanctis Patribus » nobis traditam ad regendum custodiendum- » que gregem tibi a Deo creditum, quantum » Deus ipse te confortaverit, et fragilitas hu- » mana permiserit. Accipe monasticæ conver- » sationis Regulam, ad quam propriam et sub- » ditorum corrigere debes vitam ; et vide ut non » solum auditor, sed etiam satagas esse illius » operator. » Certe conflata est nostri hodierni Pontificalis Romani formula ex duabus formulis ; quarum prima quidem exstat in Pontificali manuscripto Bibliothecæ Angelicæ, in duobus insignis Ecclesiæ Senonensis, in codice manuscripto Sancti-Remigii Remensis, et in aliis multis : altera vero in Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, in Bisuntino et in quibusdam aliis reperitur. Pontificale quod in Bibliotheca Vaticana asservatur, num. 4744, utramque formulam refert. Ex Casinensi codice Rituali, finita Præfatione Paraphonista incipit Responsorium : *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum ;* respondente Choro : *facere judicium, et justitiam.* Quo expleto, tradit Papa Regulam in manus novi Abbatis, dicens : « Accipe Regulam Spiritu sancto » inspirante dictatam, et sacratissimis mani- » bus Patris Benedicti descriptam ad regen- » dum custodiendumque gregem, etc., » ut in prima Romani Pontificalis formula. Tum sequitur : « Accipe monasticæ conversationis Re- » gulam, etc., » ut in secunda formula Ordinis antiqui Romani.

II. Sane dictatam fuisse S. Benedicti Regulam a Spiritu sancto, pluribus allatis testimoniis diserte ostendit Benedictus Haeftenus *Disquisitionum monasticarum* lib. II, tractatu III, disquisitione I. Appellari ipsam sancti Benedicti Regulam consuevisse jam olim *Regulam sanctorum Patrum*, sive *a sanctis Patribus traditam*, fuse ac erudite ostendit Mabillonius in Præfatione ad *Sæculum* II *Ordinis sancti Benedicti*, pag. 63, num. XX, et in Præfatione II ad *Sæculum* III ejusdem Ordinis, pagina 180 et seq., num. XXXVII, adversus Cointium scribens : additque ibidem eis nominibus appellari ipsam Regulam, ob sanctimoniam illorum qui eam profitebantur. Hanc quippe rationem suggerit Eigil abbas Fuldensis in Actis Sturmii abbatis, dum ait Sturmium in Italiam missum a Bonifacio fuisse, ut perfectam Regulæ Benedictinæ observationem, « et omnium fratrum mores » traditionesque monasteriorum disceret ; » eumdemque Fuldam reversum, opere complevisse ea quæ in Italiæ partibus et Tusciæ monasteriis a sanctis Patribus didicerat.

III. Ostendit præterea Lupus eruditissimus, in scholio Canonis VI Concilii Tolosani Victoris II, ipsam sancti Benedicti Regulam, antonomastice dictam Regulam, et sanctam Regulam, ubique fere locorum invaluisse, in Italia, in Hispania, in Anglia, potissimum vero in Galliis, adeo ut in interrogatorio Caroli Magni Capitulari hæc exstet quæstio : « Utrum aliqui Mona- » chi esse possint præter eos qui Regulam » S. Benedicti observant ? Inquirendum etiam

Digitized by Google

» si in Gallia Monachi fuissent, priusquam tra-
» ditio Regulæ S. Benedicti in has parochias
» pervenisset ? » Posteriorem hanc quæstionis partem inutilem esse ac imperitam scitissime observat laudatus Lupus. Quis enim nesciat S. Antonii institutum ex Italia in Gallias deportatum a S. Martino, ac ibidem a S. Victricio Rothomagensi episcopo, Joanne Cassiano, sanctis Cæsareo et Aureliano Arelatensibus archiepiscopis, sancto Ferreolo episcopo Ucetiensi, et aliis pluribus ante sanctum Benedictum Patribus fuisse per eas regiones propagatum ? Hinc puto posteriorem illam quæstionem in subsequenti Capitulorum brevi correctam deinde fuisse ab ipso Carolo per hanc aliam quæstionem : « Qua regula Monachi vixissent in
» Gallia, priusquam Regula S. Benedicti in
» ea tradita fuisset, cum legamus S. Martinum,
» et Monachum fuisse, et sub se Monachos ha-
» buisse, qui multo ante sanctum Benedictum
» fuit ? » Hanc quæstionem Episcopis quidem et Abbatibus imperator proposuit, sed quid ad eam responsum fuerit ignoratur. Respondendum certe fuerat Monachos istos vixisse juxta aliquam ex Regulis laudatorum Patrum.

IV. Sed ut præsentem Commentarium absolvam, post traditam novo Abbati Regulam, juxta veterem Romanum Ordinem, hanc Pontifex Orationem pronuntiabat : « Te, omnipotens et
» piissime, deprecamur, Domine, hunc famu-
» lum tuum propitius intuere, ut, gratia tua
» auxiliante, in sua et subjectorum conversa-
» tione, præcepta sanctæ Regulæ efficaciter stu-
» deat adimplere, ut transacto villicationis suæ
» tempore, una cum commisso grege perpetua
» potiatur beatitudine. Per. » Ex codice Casinensi, cum Romanus Pontifex Abbatem Casinensem confirmabat, eumdem inter alia sic admonebat : *Regulam beati Benedicti, quam ille Spiritu sancto dictante composuit, usque ad iota unum et unum apicem per omnia et in omnibus serva; quam si toto animo et tota virtute non observaveris, a Pontifice Sedis Apostolicæ de Abbatia dejicieris. Esto confidens et fortiter tolera labores, qui ibi mercedem et præmia pro omnium salute suscipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris. Itaque si te aliqui ex fratribus propter rigorem justitiæ et conservationem sanctæ Regulæ odio habuerint, ex hoc quidem non læderis, sed ex hujusmodi odio amor tibi conciliabitur Dei.* In conventu Aquisgranensi anni 817, cap. I, statutum legimus, *ut Abbates mox ut ad monasteria sua remeaverint, Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, et intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum Monachis suis implere studeant.* Et cap. sequenti præscriptum constat ut non tam ipsi Abbates quam etiam et Monachi eamdem Regulam memoriter discant. Utinam hæc hodie disciplina a Religiosis omnibus observaretur !

§ XVII.

Deinde deposita mitra surgit Pontifex, et stans benedicit baculum Pastoralem, si non sit benedictus, dicens :

OREMUS.

Sustentator imbecillitatis humanæ, Deus, bene✠dic baculum istum; et quod in eo exterius designatur, interius in moribus hujus famuli tui propitiationis tuæ clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergit illum aqua benedicta. Tum sedens accipit mitram, et stans tradit baculum Abbati coram se genuflexo ambabus manibus illum capienti, dicens : *Accipe baculum pastoralis officii, quem præferas catervæ tibi commissæ; ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, et cum iratus fueris, misericordiæ memoreris.*

COMMENTARIUS.

I. De benedictione baculi pastoralis abunde jam disseruimus supra, ubi egimus de consecratione Electi in Episcopum ; de ritu itaque ac formula hic disputabimus, quibus olim novo

Digitized by Google

Abbati pastoralis baculus traderetur. Juxta præscriptum Romani Ordinis, Episcopus tradit novo Abbati chirothecas et baculum, dicens : « Accipe » baculum pastoralitatis, quem præferas catervæ » tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis » et correptionis. » Et mox hæc alia subditur formula : « Accipe prælationis virgam, pasto- » ralis custodiæ curam significantem et diligen- » tiam, quatenus in commissis tibi ovibus, tam » in coercendis earum erratibus, quam in om- » nibus providendis utilitatibus omnino sis sol- » licitus. » Ubi nota nullam hic haberi formulam in tradendis chirothecis, etsi dari eas ab Episcopo Abbati dicatur. Ex Bisuntino quidem Pontificali et Remensi, de manu Episcopi accipit Abbas non solum *wantos,* id est chirothecas, sed etiam baltheum sub ista verborum formula : Baltheo veræ castitatis et gratia sancti » Spiritus præcingat renes tuos Dominus : » mundet manus tuas, ut acceptabiles hostias » offeras Deo omnipotenti, cujus est honor et » gloria in sæcula. » In Casinensi codice antequam tradatur baculus, tribus hisce versibus benedicitur :

Tu baculus nostræ et rector per sæcula vitæ,
Istum sanctifica pietatis jure bacillum,
Quo mala sternantur, quo semper recta regantur.

Post hanc benedictionem dicto a Choro : *Virga æquitatis, alleluia ; virga regni tui, alleluia,* Summus Pontifex Casinensi Abbati baculum tradens, præter recitatas Ordinis antiqui Romani formulas, hasce alias subjicit : « Ac- » cipe baculum pastoralis officii et monastici » regiminis, et sis in corrigendis vitiis sæviens, » in ira judicium sine ira tenens, cum iratus » fueris, misericordiæ reminiscens. Accipe, in- » quam, baculum, sacri moderaminis signum, » ut imbecilles consolides, titubantes confirmes, » pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis » æternæ, præstante Domino nostro Jesu Chri- » sto, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et » regnat Deus. » Laudatum Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ hanc refert formulam : « Accipe ba- » culum pastoralem, et animarum tibi commis- » sarum gere sollicitudinem, pro quibus Deo » redditurus es rationem. Per. » Pontificale Ecclesiæ Conchensis hanc prodit : « In nomine » Dei nostri Jesu Christi, accipe baculum pa- » storalem ad custodiendos greges et reddendos » Pastori pastorum. Amen. » Longum esset alia Pontificalia recensere in quibus diversæ a recitatis huc usque leguntur formulæ ; non omittam tamen Pontificale Bibliothecæ Angelicæ, cujus formula hæc est : « Accipe baculum » pastoralem, ut sis in corrigendis malis pie » sæviens, et, cum iratus fueris, misericordiæ » memoreris. » Quæ quidem formula fere consentit nostri Romani Pontificalis formulæ.

II. Quamvis autem in multis priscis Pontificalibus benedictio Abbatis, uti alibi etiam adnotavimus, in quibusdam solis orationibus consistat, nullis aliis præscriptis ritibus tradendi Regulam et baculum pastoralem novo Abbati : præter memorata quidem Pontificalia, in Moisacensi libro *Sacramentorum* expressa fit mentio traditionis non modo Regulæ, sed etiam baculi, cujus meminit Theodorus, quem proinde constat ab antiquo traditum fuisse Abbati in sua ipsius Ordinatione, eoque aliquando investiri solitum passim tradunt scriptores ecclesiastici. Ita S. Galterus abbas Pontisarensis a fratribus electus, baculum a Philippo Francorum rege accepisse dicitur in prima ejus Vita, num. v, apud Bollandum ad diem VIII mensis aprilis. Et, ut alios omittam, de baculi et annuli controversia inter Regnum et Sacerdotium, seu de investituris Ecclesiarum, videri potest Willelmus Tyrius, lib. XII, cap. XXV. Ergo, ut id agamus quod ad præsentem Commentarium spectat, singularis fuit ritus Cœmeriacensis monasterii, in quo Abbas electus de tumulo S. Martini Turonensis episcopi baculum accipiebat ex decreto Urbani II, Pontificis Maximi, in Concilio Turonensi edito, uti videre est tomo VI *Spicilegii* Dacheriani. « Electus, inquit, de beati Martini » sepulcro baculum sumat, itemque defuncto » Abbate, semper ad eumdem locum baculus » referatur, ut super illa sanctissima Confesso- » ris Apostolici membra, communi Decani et » Capituli jussu, signum illud pastoralis regi- » minis accipiatur. »

III. Si quis vero curiose interroget quid baculus pastoralis denotet, egregie id explicat ille versiculus quem ex incerto auctore affert Innocentius III, lib. I *De Mysteriis Missæ*, cap. LXII :

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

id est collige vagos, sustenta debiles, et punge pigros. Baculus enim pastoralis, uti docet Hugo Victorinus in *Speculo Ecclesiæ*, cap. VI, rectitudine sua rectum regimen significat. Quod

Digitized by Google

autem una pars curva est et altera acuta, monstrat præesse subjectis, et debellare superbos. Unde dictum est :

Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles.

Curæ olim fuisse veteribus ut aliqua in pedo pastorali exararetur parœmia, liquido constat ex iis quæ Vitæ S. Annonis archiepiscopi Coloniensis a Surio editæ ad diem IV decembris subjiciuntur : « In pedo, inquit, seu baculo » pastorali ligneo, qui adhuc in monasterio Si- » bergensi reliogiose asservatur, in superiore » parte in cupro incisi sunt versus sequentes :

« Tytire, coge pecus, cæcos ac ducito cæcus.
» Moribus esto gravis, rector fore disce suavis.
» Astu serpentis, volucris rege simpla gementis. »

Sed audiendus est Honorius Augustodunensis, qui de eo ritu aliquas scribendi litteras in baculo pastorali ita inquit in sua *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCXX : « In curvatura est scriptum : » *Dum iratus fueris, misericordiæ recordaberis;* » ne ob culpam gregis superet ira mentem pa- » storis; sed verbo et exemplo revocet peccan- » tes ad misericordiam Redemptoris. In sperula » est scriptum : *Homo;* quatenus se hominem » memoretur, et de potestate collata non eleve- » tur. Juxta ferrum est scriptum : *Parce ;* ut » subjectis in disciplina parcat, quatenus ipse » a Summo Pastore gratiam inveniat : unde et » ferrum debet esse retusum, quia judicium » Sacerdotis per clementiam debet esse delibu- » tum. » Plura scitu digna de baculi pastoralis nomine et significatione videri possunt apud clarissimum virum Benedictum Haeftenum, *Disquisitionum monasticarum* lib. III, tractatu V, disquisitione V, et supra in nostris Prolegomenis.

IV. Lubet ad calcem hujus Commentarii, ne in eo quicquam desiderari possit, binas ex manuscripto codice Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum Orationes subjicere, quas eo tempore Episcopi dicebant ad baculi benedictionem, antequam illum novo Abbati traderent. Prioris Orationis verba hæc sunt : « Deus, » sine quo nihil potest benedici vel consecrari, » hunc baculum benedicere dignare, ut quo- » tiescumque famulus tuus illum gestando et te » in corde tenendo, per hunc sustentatur, tuæ » benedictionis ubertate repleatur. Per. » Alia Oratio sic inquit : « Omnipotens et misericors » Deus, qui ineffabili bonitate voci supplican- » tium assistis, quique ex tuæ pietatis abundan- » tia affectum petendi attribuis; baculo huic » quem ad pastoralis officii signum in tuo no » mine dedicamus , benedictionis vim copiose » infunde, ut eo Pastor insignitus, sic populum » tuum sollicite custodiat, quatenus ab unitate » Ecclesiæ nullatenus deviare permittat, sed » infractum redintegret, quassatum consolidet, » seque una cum grege suo integrum tibi atque » immaculatum conservet. Per. » Sequitur mox traditionis ipsius baculi formula, ac tandem Oratio quæ etiam in Ordine antiquo Romano legitur hunc in modum : « Deus, cui omnis po- » testas et dignitas famulatur, da famulo tuo N. » prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te » semper timeat tibique jugiter placere conten- » dat. » Ex præscripto codicis Casinensis hæc Oratio dici debebat post annuli traditionem, de qua mox in § sequenti plura dicemus.

V. Scire quoque et illud præstat, quod, etsi inter ornamenta Pontificalia complures auctores enumerent baculi usum, quem etiam aiunt aliquibus Abbatibus ex privilegio Apostolicæ Sedis concessum, Benedictus tamen Haeftenus, lib. III *Disquisitionum monasticarum*, tractatu V, disquisitione V, postquam ostendit jam pridem variis nominibus appellatum fuisse Insigne, quod hodie *Baculum* aut *Pedum* dicimus, luculentissime tandem demonstrat veteres jam olim Monachos gestasse baculos « ad imitationem » eorum qui professionis hujus præfiguravere » lineas in veteri Testamento, » ut scribit Cassianus, lib. I *Institutionum,* cap. VII. Id quod etiam probat Rupertus abbas Tuitiensis, lib. III in *Regulam S. Benedicti,* dicens : « Ut Patres » quoque Monachorum baculo insignirentur, » ab Eliseo sumpsit exordium. » Quicquid autem sit de hac quæstione, an ex veterum Monachorum consuetudine Abbatibus relictus sit baculus, an ex similitudine, et participatione quadam Episcopalis sollicitudinis auctoritatisque eisdem communicatus sit; hoc sat constat baculum pastoralem Abbatibus competiisse, antequam alia Pontificalia insignia, ut sunt mitra, annulus, sandalia et similia, ipsis fuerint communicata. Unde S. Bernardus, aliique ejus temporis scriptores, ut scite observat Van Espennius, dum loquuntur de Insignibus Pontificalibus quæ Abbates a Sede Apostolica sollicitabant, quæque sibi in Abbatibus haud placere aiebant, nequa-

Digitized by Google

quam baculum enumerant; quem quasi jure Pastorali Abbatibus competere supponebant. Hinc quoque videmus Abbatibus, imo et Abbatissis, nullam aliorum Pontificalium communicationem habentibus, baculum pastoralem competere. Admodum proinde verisimile est hoc ornamentum primitus fuisse simplex Abbatiale seu Pastorale ornamentum, ac processu temporis Pontificalibus fuisse annumeratum.

VI. Abbatiali denique baculo apponendi jam pridem solitum fuit Sudarium, ad differentiam baculi Episcopalis. Quod etiam in *Actis* Ecclesiæ Mediolanensis exprimitur : « Orario, » inquit sanctus Carolus loquens de baculo pastorali, « aut sudario non ornatur, si Episcopalis est : » quo insigne Abbatialis ab illo distinguitur. » Notat hæc Haeftenus loco laudato ; additque hoc sudarium seu velamen appendi solitum in signum subjectionis, quemadmodum mulieri datur velamen supra caput, subjectionis indicium sub viro. Quare Abbatissæ etiam hodie baculo hujusmodi velamen appensum habent. At Abbates exempti, uti observat memoratus Haeftenus, hoc sudarium prætermittunt; moxque subjicit : « Significat porro hoc sudarium » multo labore et sudore Dominicum gregem » pasci. »

§ XVIII.

Deinde deposita mitra surgit Pontifex, et benedicit annulum, si non sit benedictus, dicens :

OREMUS.

Creator et consecrator humani generis, Domine, emitte bene✠dictionem tuam super hunc annulum, ut quicumque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam sibi proficiat salutem. ℟. *Amen.* Post hæc aspergit annulum aqua benedicta; sedet cum mitra, et annulum in digitum annularem dexteræ manus Abbatis immittit, dicens : *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide ornatus, illibate custodias.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis in antiquo Romano Ordine et in multis Pontificalibus etiam recentioris ævi, de traditione annuli in Ordinatione Abbatis nulla mentio habeatur, constat tamen ex Casinensi codice fuisse ipsum annulum, antequam novo Abbati traderetur, a Pontifice prolixa Oratione benedictum, præmissa Antiphona quam imponebat Paraphonista, id est Magister capellæ, hunc sane in modum : *Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus.* Mox Papa hanc longam super annulum benedictionem pronuntiabat : « Deus cœlestium terrestriumque creaturarum, » atque humani generis benignissime reparator, » dator spiritualis gratiæ, omniumque benedi- » ctionum largitor, qui justitiam tuæ legis in » cordibus credentium digito tuo, id est Unige- » nito tuo, scribis, cui magi in Ægypto resistere » non valentes, concinnabant, dicentes : *Digi- » tus Dei est hic :* tu immitte Spiritum sanctum » tuum Paraclitum de cœlis super hunc annu- » lum arte fabrili laboratum, et sublimitatis » tuæ potentia ita eum emundare digneris, ut » omni nequitia lividi venenosique serpentis » procul expulsa, metallum a te bono conditore » creatum, immune a cunctis sordibus inimici » maneat. Benedic, Domine, et sanctifica annu- » lum istum, et mitte super septiformem Spi- » ritum sanctum tuum, quo famulus tuus eo » fruens, annulo fidei subarrhatus, virtute Altis- » simi sine peccato custodiatur, et omnes bene- » dictiones, quæ in Scripturis divinis reperiun- » tur, super eum copiose descendant. Circumda

Digitized by Google

» eum, Domine, ubique potentia dexteræ tuæ, » quo sanctissimi Patris Benedicti insigniis re- » dimitus et vitæ merito decoratus, tibi in om- » nibus actibus suis complaceat, et per tramitem » recti itineris inoffenso gradu incedendo, te » opitulante, in Patris Benedicti cathedra col- » locatus, diu hic incolumis, postque succeden- » tia tempora perhennibus bonis locupletari » mereatur per eum, cui cum cohæterno Patre » manet honor et perpetuitas per immortalia » seculorum secula. »

II. Dabat deinde Papa Abbati annulum jam benedictum sub ista verborum formula : « Ac- » cipe annulum discretionis et honoris integræ » fidei signaculum, ut quæ signanda sunt, si- » gnes, et quæ aperienda sunt, prodas; et ut » credentibus per fidem baptismatis, divinæ » misericordiæ viscera pandas, lapsis autem et » pœnitentibus per ministerium reconciliationis » januas regni cœlestis aperias; tibi vero com- » missis fratribus, simul et cunctis fidelibus de » thesauro Dominico nova et vetera proferas ad » æternam salutem, omnibus tota consolatione » consolatis, largiente gratia Domini nostri Jesu » Christi, qui cum Patre. » Hactenus Casinensis codex. Cæterum tam Pontificale Barense quam Moguntinum diserte memorant annuli traditionem in Ordinatione Abbatis faciendam.

§ XIX.

Tum deposita mitra surgit Pontifex, et stans versus ad illum coram se genuflexum, dicit :

OREMUS.

Te, omnipotens et piissime Domine, deprecamur, hunc famulum tuum propitius intuere, ut gratia tua auxiliante, in tua subjectorumque conversatione, præcepta sanctæ Regulæ efficaciter studeat adimplere, ut una cum commisso sibi grege perpetua potiatur beatitudine. Per Christum Dominum nostrum.

COMMENTARIUS.

I. Antiquam esse hanc Orationem et jam olim in Ordinatione seu Benedictione Abbatis, post traditam ei Regulam, recitatam, constat ex Ordine antiquo Romano quem supra laudavimus. In multis Pontificalibus nulla de ea mentio, excepto Bibliothecæ Vaticanæ manuscripto Pontificali, num. 4744, quod nostro hodierno consentit. In codice Casinensi post annuli traditionem, Pontifex hanc dicit Orationem : « Deus, » cui omnis potestas et dignitas famulatur, da » famulo tuo N. prosperum suæ dignitatis effe- » ctum, in qua te semper timeat, tibique jugiter » placere contendat. » Porro in ea Oratione nostri Romani Pontificalis, Deum Pontifex deprecatur pro novo Abbate, ut præcepta sanctæ Regulæ efficaciter studeat adimplere; ut enim ait S. Isidorus Pelusiota, lib. II, epistola CCIX, « ita natura comparatum est, ut ad ejus qui » præest similitudinem, ii qui parent sese ef- » fingant. » Et Velleius Paterculus, lib. II *Historiæ :* « Facere recte cives suos princeps optimus » faciendo docet. » Rationem ejus rei sapientissime tradit S. Ephræm in tractatu *De vita spirituali*, cap. XXXVII : « Nihil æque hominis » animum ducit ad salutem junioresque ad la- » borandum incendit, quam si doctorem reipsa » et exemplo ad virtutem cohortatorem invene- » rint. » Cæterum pro certo habemus quod docet S. Leodegarius in Canonibus Augustodunensibus, tom. I *Conciliorum Galliæ*, anno 670 : « Si Abbas et Monachi Regulam observarent, » et numerus Monachorum augeretur, et mun- » dus omnis per eorum orationes assiduas, malis » careret contagiis. » Luctuosam quippe Ordinum a primævo fervore defectionem et miserandam totius religionis ruinam, spirituales magistri in regularum neglectum referunt. « Magnum animarum naufragium, in quo Ca- » nones et rectæ vitæ institutiones non vigent, » ait S. Ephræm Syrus in *Doctrina varia*. c. XXXII.

Digitized by Google

§ XX.

His expeditis, Pontifex accipit Abbatem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes. Tum surgens Pontifex accedit ad altare, si Missa legitur; si vero cantatur, accedit ad sedem suam vel ad faldistorium, et ibi prosequitur Missam usque ad Offertorium inclusive.

COMMENTARIUS.

I. Nullibi adhuc reperi inter complures libros Pontificales quos legi, tum antiquos, cum recentiores, ritum in præsenti Rubrica præscriptum, ut Pontifex scilicet novum Abbatem ad osculum pacis accipiat. Nihil sane de eo ritu in Ordine antiquo Romano, nihil in codice Casinensi, nihil in aliis sequioris ævi manuscriptis Pontificalibus, nihil insuper in Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, quod, ut arbitror, vix attingit annos quadringentos, et in duobus manuscriptis libris Pontificalibus insignis Ecclesiæ Senonensis, quorum alter est annorum quidem quingentorum, alter vero annorum circiter tercentorum, ut testatur Martenius. In editis quidem omnibus ritus eodem modo exprimitur, quo in nostra hac Rubrica hodierni Romani Pontificalis.

II. Apud Græcos, uti videre est in eo *Euchologii* titulo qui inscribitur, *Ordo solitus observari in Superioris promotione*, Episcopus ipsum Superiorem monasterii osculo excipit, sicut et cuncti Monachi; eamque post cæremoniam sequitur traditio baculi hunc in modum : « Pe» dumque illi exhibet Pontifex dicens : Accipe » baculum hunc quo fulcitus ovile tuum re» gas : quia rationem ejus in die judicii Deo » nostro redditurus es. » Ex antiquo Cryptoferratensi Bessarionis, et Barberino Sancti-Marci codice apud Gortium, pag. 396 editionis Venetæ, ubi legitur Oratio in promotione Superioris in venerando Patriarchio, Pontifex, finita Oratione, « impositum ab eo Abbate tollit Pal» lium, et aliud circumponit, eumque oscula» tus, dimittit. » Quid autem osculum hujusmodi significet, facile ex iis intelliget quæ alibi fuse explicuimus.

§ XXI.

Abbas autem redit cum Assistentibus ad capellam suam, et ibi in altari suo similiter Missam prosequitur usque ad Offertorium inclusive; quo dicto, Pontifex sedet ante altare in faldistorio cum mitra, et Abbas ante eum medius inter Assistentes reducitur, et coram eo genuflexus, offert ei duo intorticia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena, et Pontificis prædicta recipientis manum reverenter osculatur; deinde surgit Abbas; Pontifex vero lavat manus, et accedit ad altare, ac prosequitur Missam; Abbas vero ante scabellum, super quod coram se habeat Missale in loco convenienti, medius inter Assistentes suos genuflexus, legit totam Missam, exceptis verbis consecrationis, quæ non proferet.

COMMENTARIUS.

I. Tametsi nonnulli ritus in hac Rubrica describantur quos manuscripta Pontificalia ignorant, liquido nihilominus constat ritum esse in Ecclesia vetustum ut novus Abbas suo ordinatori Episcopo offerat panem, vinum, et binos cereos accensos statim post Evangelii lectionem : « Completo Evangelio, » inquit Casinensis codex, « offerat Abbas Papæ duas oblationum » coronas, et duas faculas accensas. » Corona oblationis dicebatur olim panis pro sacrificio Missæ oblatus, ut testatur Macrius. Ritum nostrum egregie comprobat Pontificale Ecclesiæ

Digitized by Google

Conchensis in Hispania annorum circiter quingentorum, dum ita inquit : « Lecto Evangelio, » Abbas ordinatus ex consuetudine S. Romanæ » Ecclesiæ offerat Episcopo duos panes et duos » ardentes cereos. Et communicet de manu » Episcopi, etc. » Pontificale Moguntinum expresse mandat una cum duobus cereis ac panibus offerendas etiam esse binas phialas vini : « Hic legitur Epistola, et procedatur usque ad » Offertorium modo consueto. Tunc Abbas be- » nedictus offerat illi duos cereos, duos panes » et duas fialas de vino. » Cui consonat Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, dicens : « Debet autem Electus offerre duos cereos ac- » censos, duos panes et duas amphoras vino ple- » nas. » Idem tandem ritus in Ecclesiæ Senonensis Pontificali annorum circiter tercentorum hunc in modum describitur : « Post hæc legatur » Epistola, et perficiatur Missa usque ad Offer- » torium, et tunc debet novus Abbas accedere, » et ibidem offerre, videlicet duas torchias cum » pecunia ad voluntatem ipsius in ipsis depicta, » cum duobus magnis panibus et duobus potis » vini. »

II. Ex Pontificali codice manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4748, quem in Appendice ad hunc titulum integrum exhibebimus, ista cereorum, panis ac vini oblatio certo quodam ritu fieri solebat ab Abbate, qui a Summo Pontifice benedictionem suscipiebat : « Dum » cantatur Offertorium, Abbas offerat Pontifici, » primo duos magnos panes, tobaleis cohoper- » tos, manum ejus osculando, secundo duas » fialas vini duabus malis cohopertas, et oscu- » letur manum ejus ; tertio duos magnos cereos, » manum ejus osculando, et post pedem Papæ, » qui oblata leniter tangat. » Habetur tandem in eodem Pontificali, quod « Acoliti debent » habere panem et vinum oblatum Ordinatori » ab Abbate ; Cardinalis, vel alter qui dicit » Evangelium, unum de torticeis cereis, et » Subdiaconi aliud. » Ex quibus omnibus illud profecto intelligimus ritum esse omnino recentem, ac in editis duntaxat Pontificalibus memoratum, ut vini barilia et panes magni ornentur, « duo videlicet videantur argentea, » et duo aurea, hinc et inde insignia Pontificis » et monasterii, seu Electi habentia, cum ca- » pello, vel cruce, vel mitra, pro cujusque » gradu et dignitate ; » uti habetur in § VI, supra, *De benedictione Abbatis*, *tit.* XV.

§ XXII.

Pro Abbate benedicto cum Secreta diei sub uno *Per Dominum* per Pontificem dicitur :

SECRETA.

Munera nostra, quæsumus, Domine, suscipe placatus; et hunc famulum tuum semper et ubique misericorditer protege. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Per Abbatem dicitur :

SECRETA.

Munera, quæsumus, Domine, suscipe placatus; et me famulum tuum semper et ubique misericorditer protege. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XXIII.

Dicta Oratione, *Domine Jesu Christe, qui, etc.*, per Pontificem et Abbatem, Abbas accedit ad altare ad dexteram Pontificis, et ambo osculantur altare. Tum

Digitized by Google

Pontifex dat pacem Abbati, dicens : *Pax tecum.* Cui Abbas respondet : *Et cum spiritu tuo.* Et redit ad suum scabellum, et dat pacem Assistentibus suis, primum seniori, tum alteri, singulis dicens : *Pax tecum.* Et illi respondent : *Et cum spiritu tuo.* Deinde, postquam Pontifex se de corpore et sanguine, quem totum sumere debet, communicaverit, et antequam se purificet, communicat Abbatem genuflexum de corpore tantum. Tum Pontifex, accepta mitra, lavat manus, et prosequitur Missam usque ad finem. Abbas etiam in scabello suo Missam perficit.

§ XXIV.

Postcommunio quæ dicitur sub uno *Per Dominum* cum Postcommunione diei per Pontificem.

POSTCOMMUNIO.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et hunc famulum tuum benigna pietate conservet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Per Abbatem dicitur :

POSTCOMMUNIO.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et me famulum tuum benigna pietate conservet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Celebratam vel olim Abbatum benedictionem inter Missarum solemnia, liquet ex codice vetere Casinensi, et ex multis Pontificalibus libris, Conchensi, Senonensi, Sancti-Remigii, et aliis qui annos superant quingentos. Codex Pontificalis Bibliothecæ Vaticanæ, num. 5714, Missam in benedictione Abbatis eam quidem dicendam præscribit, quæ in consecratione Episcopi dicitur, vel illam quæ eo die currit, cum peculiaribus hisce Orationibus in nostro hoc hodierno Pontificali descriptis, sub uno *Per Dominum*, cum Collecta, et Secreta, et Postcommunione diei. Ritus ille mihi certe recens videtur, quippe qui in editis tantum Pontificalibus legitur, ut Abbas, qui benedicitur, una cum Episcopo benedicente Missam recitet, more Episcoporum ac Sacerdotum, a quibus tamen in eo differt, quod ipsi una cum ordinante Antistite verba etiam consecrationis proferant; Abbas vero, etsi totam Missam legat, non potest tamen illa consecrationis verba pronuntiare, ut diserte in § XXI cautum legimus. Cæterum, etsi Abbas, instar Episcopi, Pontifici offerat duos cereos, duos panes et duo barilia vini, non tamen communicat sicut Episcopus, sed de manu Pontificis sacram Eucharistiam sub specie solum panis genuflexus ac reverenter sumit : « non tamen debet sumere de sanguine, sicut facit Consecratus in Episcopum, » juxta præscriptum laudati Pontificalis insignis Vaticanæ Bibliothecæ et aliorum codicum Ritualium.

Digitized by Google

§ XXV.

Pontifex in fine dat benedictionem solemnem : qua data, si Abbas est de mitra, reponitur faldistorium ante medium altaris, et Pontifex cum mitra in eo sedet. Abbas vero biretum in capite tenens coram eo genuflectit. Tum Pontifex deposita mitra surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens :

OREMUS.

Domine Deus, Pater omnipotens, cujus præclara bonitas est et virtus immensa, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum, bene✠dicere et sancti✠ficare dignare hanc mitram hujus famuli tui Abbatis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXVI.

Et mox eam aspergit aqua benedicta : deinde sedens cum mitra, imponit eam capiti Abbatis, dicens : *Imponimus, Domine, capiti hujus famuli tui Abbatis galeam munitionis et salutis, quatenus decorata facie et armato capite cornibus utriusque Testamenti, terribilis appareat adversariis veritatis; et, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam lucidissimis tuæ claritatis, ac veritatis cornibus insignisti, et capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Etsi veteri Maximorum Pontificum beneficio, ut alibi dictum est, inter alia ornamenta Pontificalia concessus fuerit Abbatibus mitræ usus, in nullo tamen vetustiorum Pontificalium adhuc legi mitram tradi novo Abbati in sua ipsius Ordinatione : altum de eo ritu silentium in editis a Martenio manuscriptis Pontificalibus, excepto Moguntino, in quo post annuli traditionem ita scriptum reperio : « Si Abbas fuerit, » qui mitra uti consueverat, Episcopus mitram » sibi tradat, et dicat : Accipe, Frater charissime, » veteris et novi Testamenti signum figurativum, » et per scientiam utriusque Testamenti, gre- » gem tibi creditum sic illibatum custodias, ut » simul cum eo lætus introeas portas paradisi; » in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Amen. » Porro hæc mitra, juxta præscriptum laudati Moguntini Pontificalis, traditur quidem initio Missæ ante Orationem ac Epistolæ lectionem. Nulla denique mentio ejus ritus tradendi mitram exstat in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis et Canusinæ; nulla in Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, quod putamus annorum quadringentorum, nulla in sequioris ævi codicibus manuscriptis. Insignis enim Ecclesiæ Senonensis Pontificale alterum manuscriptum, quod est annorum circiter tercentorum, nullum profecto memorati ritus indicium exhibet : quamobrem recentem illum putamus, et universim saltem a tercentis circiter annis præscriptum.

§ XXVII.

Deinde, si chirothecæ non sint benedictæ, surgit Pontifex mitra deposita, et eas benedicit, dicens :

Digitized by Google

OREMUS.

Omnipotens Creator, qui homini ad imaginem tuam condito manus discretione insignitas tanquam organum intelligentiæ ad recte operandum dedisti; quas servari mundas præcepisti, ut in eis anima digne portaretur, et tua in eis digne consecrarentur mysteria : bene✠dicere et sancti✠ficare dignare manuum hæc tegumenta, ut quicumque ministrorum tuorum sacrorum Pontificum his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Et aspergit eas aqua benedicta.

§ XXVIII.

Deinde accepta mitra sedet, et imponit illas manibus Abbatis, extracto prius illi annulo Pontificali, dicens : *Circumda, Domine, manus hujus ministri tui munditia novi hominis, qui de cœlo descendit, ut, quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hædorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit; sic et iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum.* ℟. *Amen.* Et statim imponit ei annulum.

COMMENTARIUS.

I. Traditas olim fuisse novo Abbati una cum baculo chirothecas, supra ostendimus ex Ordine antiquo Romano, ubi post Regulæ traditionem præscriptum legimus, ut Episcopus « tunc tra- » dat ei chirothecas et baculum. » Qui locus desumptus est ex canone Theodori archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690. In Pontificali Bisuntino ante Evangelii lectionem et ante traditionem Regulæ, cautum est ut novus Abbas « de manu Episcopi accipiat baltheum et wan- » tos inconsutiles ad cantandam Missam, dicente » sibi Episcopo : Baltheo veræ castitatis et » gratia sancti Spiritus præcingat lumbos tuos » Dominus : mundet manus tuas, ut acceptabiles » hostias offeras Deo omnipotenti, cujus est honor » et gloria in sæcula. » Idipsum legitur in manuscripto codice Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum. In plurimis quidem Pontificalibus ritus ipse desideratur, etsi constet una cum aliis ornamentis jam olim Abbates chirothecis donatos fuisse a Romanis Pontificibus. Certe earum usum a Leone IX concessum Abbatibus Casinensibus, testatur in suo *Chronico* Leo Ostiensis, lib. II. Sed de Abbatum hujusmodi ornamentis abunde alibi disputavimus.

§ XXIX.

Si Abbas non sit de mitra, omnia quæ post benedictionem, finita Missa, per Pontificem datam, posita sunt, prætermittuntur. Tum Pontifex mitram in capite tenens, campanis pulsantibus, si sit in monasterio Abbatis, ducit illum etiam mitram in capite tenentem, si sit de mitra, ad chorum; et statuens eum in sede prædecessoris sui, et dans ei baculum pastoralem in manu sinistra, dicit : *Accipe plenam et liberam potestatem regendi hoc monasterium, et congregationem ejus,*

Digitized by Google

et omnia quæ ad illius regimen interius et exterius, spiritualiter et temporaliter pertinere noscuntur.

§ XXX.

Si vero benedictio sit extra monasterium suum, Pontifex statuit illum in faldistorio quo ipse usus est, ante medium altaris posito, dicens : *Sta in justitia et sanctitate, et tene locum a Deo tibi delegatum; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam suam.* Et Abbas, si non sit de mitra, biretum sibi ipsi reponit.

COMMENTARIUS.

I. Nullum profecto tam nostris hisce Rubricis consentit, quam toties memoratum Bibliothecæ Vaticanæ manuscriptum Pontificale : « Missa, inquit, finita, Episcopus, campanis » pulsantibus, ducit illum ad chorum, et statuens eum in sede sui prædecessoris, dicit » illi : Accipe plenam, etc. Vel si hoc fit (*in* » *margine*, benedicitur) in ecclesia Cathedrali, » statuit illum in aliquo stallo alicui Dignitati » deputato, secundum morem cujusque, dicens: » Sta in justitia, etc. » In Moguntino ejusdem ferme ætatis cum Vaticano codice manuscripto nihil de eo ritu exstat; nihil præterea in aliis compluribus. Non desunt tamen antiquioris ævi libri Pontificales in quibus ritum ipsum præscriptum legimus, ut in Pontificali manuscripto Sancti-Remigii annorum quingentorum, cujus verba post traditionem baculi hæc sunt : « Hic » ponatur in sede, dicente sibi Episcopo : Sta et » retine locum a Deo tibi delegatum; potens est » autem Deus ut augeat tibi gratiam. Qui vivit et » regnat per omnia secula seculorum. Amen. » In Pontificali etiam Conchensi annorum circiter quingentorum in eo titulo qui inscribitur *Ordo electionis vel consecrationis Abbatis*, lego equidem constitutum, « ut mittat eum (Abbatem) » dominus Pontifex in sedem, ubi consistere » debet, et dicat ipse et Clerus Antiphonam » istam : Sit Dominus Deus tuus benedictus, » cui complacuit ut daret tibi sedem honoris, et » benedicat tibi in æternum Deus noster. ℣. Lon» gitudinem dierum et annos vitæ apponat tibi » Dominus, et misericordia, et veritas non te de» serat. » In eodem Pontificali, ubi agitur de Ordine ad Abbatem Canonicorum vel Monachorum faciendum, idem ritus, postquam Abbas de manu Episcopi communicavit, ita describitur : « His » rite peractis deducatur in locum suum, et in » choro per campanas ecclesiæ investiat eum » Episcopus dicens : Accipe potestatem regendi » hanc Ecclesiam, et Congregationem ejus, et » omnia quæ ad eam intus et exterius pertinent. » Post hæc reverenter statuatur in sede ubi an» tecessor ejus solitus erat stare, nihilominus » dicente sibi Episcopo : Sta in justitia et » sanctitate, et retine locum, etc. »

II. Ex Casinensi antiquo codice, qui prolixe quidem ritum benedicendi Abbatem per summum Pontificem describit, inthronizatur etiam novus Abbas post annuli acceptionem, hoc modo: « Post hæc, inquit, incipiat Paraphonista res» ponsorium : *Vos qui secuti estis me, dicit* » *Dominus, sedebitis super sedes.* Et sic ducatur » Abbas a Diaconibus ex præcepto Pontificis, et » ponatur in sede, quæ est juxta chorum, tenens » in manu sua cambuttam, et regulam, etc. » Cambutta, quæ vox etiam in Ordine antiquo Romano occurrit, sive cambucca, vel cambuca, ut alibi legitur, est baculus pastoralis, qui variis nominibus a priscis scriptoribus appellari consuevit, uti videre est apud Benedictum Haeftenum, *Disquisitionum Monasticarum* lib. III, tractatu V, disquisitione V. Vita S. Isidori episcopi Cadurcensis, cap. XIX, hæc habet : « Dum baculus beati viri, qui a Gallis cambucca » vocatur, ad caput sepulcri illius sedulo de» penderet, etc. » Denique huic Latinorum ritui ex parte consentire videtur ritus Græcorum, apud quos, ut ex *Euchologio* constat in eo titulo qui inscribitur *Ordo solitus observari in Superioris promotione*, Pontifex « in sella in ecclesiæ » medio locat illum; tolliſque ab eo pallium, et » novo illum induit, dicitque : Locatur in so» lio servus Dei N. et fit Superior et Pastor vene-

Digitized by Google

» randi monasterii N.. Et elevant eum cuncti » Monachi, dicentes ter : Dignus. Dignus. » Dignus. Et Episcopus Superiorem osculo exci- » pit, sicut et cuncti Monachi. »

§ XXXI.

Deinde Pontifex stans a dextris Abbatis, versus ad altare, mitra deposita, incipit Hymnum, Schola vel Clericis prosequentibus, *Te Deum laudamus*. Et manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni. Dicto primo versu, surgit Abbas, si sit de mitra, et circuiens per ecclesiam, associatus a suis Assistentibus cum mitris, benedicit populo : rediens ad sedem seu faldistorium in quo sedet, et si sit in suo monasterio, recipit omnes Monachos suos ad manus et oris osculum, qui tamen omnes prius ei reverentiam exhibeant. Si vero non sit de mitra, manet sedens in sede seu faldistorio, cooperto capite, a principio Hymni prædicti usque ad illius finem, et recipit omnes Monachos suos ad osculum, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. Ritum esse Græcorum ut novus monasterii Præses ab Episcopo æque ac Monachis osculo excipiatur, ex *Euchologio* in calce Commentarii superioris demonstratum est. Apud Latinos non in omnibus quidem Pontificalibus habetur ritus in hoc præsenti § nostri Romani hodierni Pontificalis descriptus. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Conchensis nulla prorsus mentio Hymni *Te Deum laudamus;* solum edicit, « ut dent ei cuncti fratres pacis osculum cum » omni reverentia paterna, genua flectentes. » Ex adverso in Pontificali Sancti-Remigii annorum quingentorum mentio habetur quidem memorati Hymni post Ordinationem Abbatis dicendi, nihil vero de aliis ritibus, accipiendi scilicet Monachos ad manus et oris osculum, procedendi per ecclesiam, benedicendi populo, etc. Atque ut alios omittam Rituales libros, Pontificalis quidem codex Vaticanæ Bibliothecæ utrumque ritum amplectitur. Sic enim inquit : « Tunc Archidiaconus incipit voce alta Hym- » num, *Te Deum laudamus;* et Episcopus re- » dit ad altare, illo ibi dimisso. Cumque dici- » tur versus, *Te æternum Patrem*, etc., tunc » si sit in proprio monasterio fratrum suæ con- » gregationis, per ordinem osculantur eum re- » verenter flexis genibus. » Juxta antiquas consuetudines monasterii Farfensis apud Martenium, *De antiquis Monachorum Ritibus,* lib. v, cap. I, numero XLVI, Episcopus, aut unus ex Abbatibus qui Ordinationi novi Abbatis adfuerant, excelsa voce incipiebat *Te Deum laudamus*, statuentes eum in statione vel loco qui Abbati in choro deputatus est : ad secundum autem versiculum, ubi dicitur *Te æternum Patrem omnis terra veneratur*, incipiebant eum osculari cuncti fratres congregationis per ordinem, reverenter petentes ei veniam. Denique, quod novus Abbas circumeat per ecclesiam et benedicit populo, nullibi id certe vel in recentioribus manuscriptis Pontificalibus præscriptum reperi. Sed vide quæ in Commentario ultimi § hujus tituli dicemus de ritu quo novus Abbas solemnem populo benedictionem impertitur.

§ XXXII.

Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra a dextris Abbatis cum mitra (si sit de mitra, alioquin cum bireto) sedentis, dicit super eum : ℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* ℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℟. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et*

Digitized by Google

filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum Spiritum tuæ bene✠dictionis emitte; ut cœlesti munere ditatus, et tuæ majestatis gratiam possit acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Expleto Hymno, *Te Deum laudamus, etc.*, consuevisse Episcopum memoratos versiculos et Orationem recitare, constat ex Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, cui etiam consentire videtur Pontificale Ecclesiæ Conchensis annorum circiter quingentorum, itemque Pontificale insignis Ecclesiæ Arelatensis, in quibus tamen prior versiculus, *Confirma hoc, Deus, etc.*, omnino desideratur. Ex Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, Episcopus ante Communionem varias benedictionis formulas super novum Abbatem effundebat : « Cum in Missa, inquit, perventum fue» rit ad illum locum, *Et pax ejus*, Diaconus » conversus ad populum dicat : Humiliate vos » ad benedictionem. *Clerus :* Deo gratias. » *Episcopus :* Benedicat te Deus cœli, adjuvet » te Christus Filius Dei vivi, corpus tuum in » servitio suo custodire et conservare digne» tur. *Clerus :* Amen. *Episcopus :* Mentem » tuam illuminet, sensum tuum custodiat, gra» tiam suam ad profectum animæ tuæ tibi por» rigat. *Clerus :* Amen. *Episcopus :* Ab omni » malo te liberet, dextera sua te defendat, et » qui sanctos suos semper adjuvat, ipse te ad» juvet, et ad cœlestia regna perducat. *Clerus :* » Amen. *Episcopus :* Quod ipse præstare, etc. » *Episcopus det benedictionem, dicens :* Bene» dictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, » et Spiritus ✠ sancti descendat super vos et » maneat semper. *Clerus* : Amen. *Postea ac» cedat Abbas, et dicat :* Confiteor Deo. » *Episcopus :* Misereatur tui. *Item Episco» pus :* Indulgentiam, et absolutionem. His » peractis compleatur Missa, et concludatur » complementum officii cum ista (oratione) » quæ sequitur : Hæc nos communio, Domine, » purget a crimine, et famulum tuum benigna » pietate conservet. Per. »

II. Hasce easdem benedictionis formulas una cum ipsa Oratione, quam Postcommunionem appellant, legere est in Pontificali Sancti-Remigii Remensis, annorum circiter quingentorum, et in aliis quibusdam. Verum, juxta ritum quo olim Abbas Casinensis a Romano Pontifice benedicebatur, ante expletionem quidem Missæ, dabat Papa super eum prolixam hanc benedictionem cujus priores versiculos profecto exscripserunt laudati libri Pontificales, Moguntinus et Sancti-Remigii. Ergo in Rituali codice Casinensi hæc exstat benedictio : « Benedicat te Deus » cœli, adjuvet te Christus Filius Dei, corpus » tuum in servitio suo custodire et conservare » dignetur. Mentem tuam illuminet, sensum » tuum custodiat, gratiam suam ad profectum » animæ tuæ tibi porrigat; ab omni malo te li» beret, dextera sua te defendat, et qui sanctos » suos semper adjuvat, ipse te adjuvet, et ad » cœlestia regna perducat. Adspiciat, et benedi» cat te Dominus Rector æternus, et in omni » parte conservet. Det tibi Dominus Angelum » suum lucis, ut conservet te in gratiam quam » profudit. Mentem regat, vias dirigat, actus » probet, cogitationes sanctas instruat, opera » confirmet, vota perficiat, præterita indulgeat, » præsentia emundet, futura moderetur. Quie» tem nutriat, prospera tribuat, charitatem mu» niat, et ab omnibus diabolicis et humanis in» sidiis sua te semper protectione et virtute » defendat. Et ita devotionem tuam placatus » semper suscipiat, ut quæcumque ab eo postu» laveris, clementer concedat. Sit manus Do» mini auxiliatrix tui, et brachium sanctum

Digitized by Google

» illius opituletur tibi : sit misericordia ejus su-
» per te, et pietas illius subsequatur te. Bene-
» dictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti
» descendat super te, et pax Domini sit semper
» tecum. »

§ XXXIII.

His dictis, Pontifex accepta mitra, vadit ad cornu Evangelii altaris, apud quem stant Assistentes cum mitris. Abbas vero, si sit de mitra, surgit cum mitra et baculo pastorali, et accedens ante medium altaris, populo solemniter benedicit, dicens : *Sit nomen, etc.* Postea accedit ad cornu Epistolæ altaris, et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Pontificem dicit cantando : *Ad multos annos.* Si vero non sit de mitra, omissa benedictione dicit : *Ad multos annos,* ut supra dictum est. Quo dicto, Pontifex recipit eum surgentem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes, qui deinde Abbatem Evangelium sancti Joannis, *In principio erat Verbum, etc.*, dicentem, inter se medium ad ejus Capellam reducunt cum mitra, si ea utitur, et baculo pastorali incedentem. Pontifex vero pacis osculo, ut præmittitur, Abbati dato, dicit submissa voce : *Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.* Signat altare et se, et apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes. Quibus depositis, Abbas Pontifici et Assistentibus pro more gratias agit, et vadunt in pace omnes.

COMMENTARIUS.

I. Postquam Abbas ab Episcopo in fine Missæ peculiari Oratione benedictus est, ipse Abbas solemniter populo, Episcopo etiam præsente, benedicit, hac nimirum duntaxat vice cum alias de jure communi nequeant quidem Abbates, præsentibus Episcopis, vel aliis majoribus Ecclesiæ Prælatis benedictionem solemnem populo impertiri, probantque id passim auctores ex eo quod minor majorem benedicere haud debet, uti habetur in can. *Denique*, distinctione XXI, ubi citatur Epistola Pauli ad Hebræos, in qua, prout legitur cap. VII, Melchisedech quidem benedixit Abrahæ, qui eo longe minor erat. Cæterum privilegia ipsa Abbatibus ab Apostolica Sede concessa, ut possint solemniter in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis populum benedicere, profecto consona sunt juri communi, cum in eisdem addita semper clausula sit : « Dummodo in » benedictione hujusmodi aliquis Antistes, vel » Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit. » Quemadmodum docet Ascanius Tamburinus, *De jure Abbatum*, tomo I, disputatione XXI, quæsito IX, et ex eo Van Espennius, parte I, *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXXI, num. XXVII. Vide etiam Choppinum, lib. I *Monast.*, tit. II, num. XVIII, referentem simile privilegium Pauli III in favorem Vallischolarium cum eadem clausula, addita tamen hac disjunctiva : « Vel si » præsens fuerit, ejus ad id expressus accedat » assensus. »

II. Tradit autem ipse Tamburinus ex speciali privilegio posse Abbates benedicere solemniter populo, etiam præsentibus quibuscumque Ecclesiæ Prælatis, vel etiam Sedis Apostolicæ Legatis; sicut concessit Sixtus IV sub datum Romæ apud Sanctum-Petrum, anno Domini 1483, XVII kal. octobris, Pontificatus sui anno XIII. Præposito sive Abbati Sanctæ-Mariæ Pacis Romæ Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium, ut libere et licite posset mitra, baculo, annulo et aliis Pontificalibus insignibus uti, nec non in dicto Pacis templo, ac intra septa dicti monasterii, benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum et Matutinarum laudum solemnia elargiri, etiamsi in benedictione hujusmodi aliquis Antistes Cardinalis vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens fuerit. Et legitur per extensum in libro

Digitized by Google

privilegiorum ejusdem Congregationis, p. 369, testaturque Gabriel Pennottus in sua tripartita *Historia*, lib. III, cap. XXXIII, hoc privilegium praxi demandatum fuisse coram duodecim S. R. E. Cardinalibus, anno Domini 1614, die II julii, in festo Visitationis beatissimæ Virginis, post capellam solemniter habitam in sacello Beatæ Mariæ Pacis per reverendissimum Joannem Chrysostomum Neapolitanum ejus loci abbatem, post Missam solemniter cum insignibus Pontificalibus decantatam.

III. Porro illud advertere oportet, quod licet Abbas usum mitræ et baculi habeat, et solemniter populo benedicere possit, privatam tamen benedictionem more Episcoporum per vias minime dare potest, ut respondit sacra Congregatio Ritibus sacris præposita in una nullius, provinciæ Burgensis, die XXIV augusti, anno 1609, teste Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. XXVII, num. LI. Id quod consentaneum est Decretali Alexandri IV relatæ in cap. III *De privilegiis* in VI, ubi Summus Pontifex postquam edixit : « Abbates, quos Apo- » stolica Sedes in exhibitione benedictionis su- » per populum speciali privilegio insignivit, in » Ecclesiis quæ ad eos pertinent pleno jure, » quando in eis divina Officia celebrant, posse » post Missarum solemnia, et vespertinas ac » matutinas laudes benedictionem solemnem » super populum elargiri ; » hanc statim limitationem subjicit : « Alibi autem » (id est extra Ecclesias sibi pleno jure subjectas, ut explicat Glossa canonici Juris) « publice, aut per vias, » civitates, castra et villas populis et plebibus » benedictionem facere non valeant, nisi hoc eis » expresso Apostolico privilegio sit concessum. » Solemnem benedictionem docet eadem canonici juris Glossa, eam esse quam faciunt Episcopi, solemniter dicendo : *Sit nomen Domini benedictum, etc.*, quia scilicet privatam benedictionem exhibent etiam Presbyteri simplices, ex Canone *Ecce ego*, distinctione XCV, absente scilicet Episcopo, ut expresse cautum est in Concilio Aurelianensi, can. XXVIII. « Cum ad celebrandas, » inquit, Missas in Dei nomine convenitur, » populus non ante discedat, quam Missæ so- » lemnitas compleatur, et ubi Episcopus non » fuerit, benedictionem a Sacerdote accipiat. »

IV. Hinc vides, circa medium sæculum XIII, quo memoratus Alexander IV Pontificatum gerebat, consuevisse Abbates ex Apostolicæ Sedis privilegio solemnem populo benedictionem elargiri; primitus enim nequaquam annexa fuerat solemnis ipsa benedictio privilegio utendi ornamentis Pontificalibus, quemadmodum liquido constat ex sancto Bernardo, qui in Epistola XLII, sive in tractatu ad Henricum Senonensem archiepiscopum, *De moribus et officio Episcoporum*, adversus Abbates infulatos declamans, inter alia, cap. IX, sic ait : « Si ita oportet ut emancipati a subjectione Pontificum, » pari cum successoribus Apostolorum gloria, » pari cathedra, iisdemque solemnium indu- » mentorum insignibus attollamini; cur non et » sacros Ordines et benedictiones datis in popu- » lis ? » Longe plura scribit ibidem Bernardus; verum utrumque postea in usum venisse constat quoad benedictiones, et collationem minorum Ordinum; imo, ut quidam auctores tradunt, etiam Subdiaconatum aliquando Abbates contulerunt.

V. His omissis, illud notandum hic censeo, in manuscriptis Pontificalibus annorum circiter quadringentorum minime exstare hunc ritum, ut novus Abbas per ecclesiam eat, sicut nec illum, ut ibidem solemnem populo benedictionem elargiatur, ac tandem, ut ad cornu Epistolæ altaris accedens, et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, dicat cantando : « Ad multos an- » nos. » Certe in editis ante Clementem VIII Pontificalibus acclamatio ter a novo Abbate cantari debebat hoc modo : « Accedit, inquiunt, » ad cornu Epistolæ altaris, et ibidem cum mi- » tra et baculo genuflexus, versus ad Pontificem » dicit cantando : *Ad multos annos.* Deinde ac- » cedens ante medium altaris, ubi iterum ge- » nuflexus, versus ut prius dicit altius cantando : » *Ad multos annos.* Postea accedit ad pedes » Pontificis, ubi tertio genuflexus, ut supra, » iterum altius cantando dicit : *Ad multos an- » nos.* » Is idem acclamationis ritus ita in *Euchologio* exprimitur in fine ejus tituli qui inscribitur *Ordo solitus observari in Superioris promotione :* « Deinde multos annos precantur » Pontifici et Superiori, et incipit Missa. » Ubi nota apud Græcos Superioris promotionem ante Missam peragi consuevisse, cum alias apud Latinos intra Missarum solemnia, imo ante Epistolam ex plurimis Pontificalibus ipsa Abbatis benedictio celebrari solita fuerit. Cæterum ex

Digitized by Google

alio Pontificali codice Vaticano manuscripto ante annos tercentos, numero 4748, « Multos » annos » ter quidem dicit Abbas, ubi eum benedixit Pontifex Maximus. « Si vero, inquit, » alter quam Papa ordinaverit, benedictione a » Pontifice data, tantum manus ejus osculatur, » *Multos annos* non dicendo. »

TITULUS XVII.

DE BENEDICTIONE ABBATIS AUCTORITATE ORDINARII.

Benedicendus Abbas, si non sit provisus a Sede Apostolica, sed per Ordinarium suum aut ejus auctoritate benedicitur, die statuta pro ejus benedictione, ordinantur omnia quæ supra in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica posita sunt. Deinde Pontifex accipit omnia Pontificalia ornamenta, et sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris præparato. Electus vero in sua Capella indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali ac sandaliis, si illis ex privilegio uti possit, et Missa legenda sit, ducitur medius inter duos Abbates assistentes, superpelliceo, stola, pluviali et mitra indutos, si sint ad hoc privilegiati, coram Pontifice, cui facta reverentia debita, Electus prosternit se in terram ante medium altaris, et Pontifex deposita mitra surgit, et incipit, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII, *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Jerusalem.* Qua finita, incipit et dicit cum Assistentibus usque ad finem Psalmum LXVII, *Exsurgat Deus, etc.;* quo incepto, sedet cum mitra. Deinde repetitur Antiphona. Tum deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad Electum, dicit : ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Memor esto congregationis tuæ.* ℟. *Quam possedisti ab initio.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum, et super congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris; et, ut in veritate tibi placeat, perpetuum ei rorem benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quæ huc usque recitata sunt, pertinuerunt profecto olim ad ritum quo olim Abbas Regularis confirmabatur; uti constat ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, numero 4744, in quo sic legimus : « Confirmatio Electi » in Abbatem Regularem fit hoc modo : Exa- » minata enim, et approbata, et confirmata ejus » electione, Episcopo amictu, stola et pluviali, » et mitra parato, Confirmandus prosternit coram » altari. Tunc Pontifex incipit Antiphonam : » *Confirma hoc, Deus.* Responsio supra de cris- » mandis in fronte; (id est : *A templo sancto* » *tuo quod est in Jerusalem.*) Psalmus : *Exur-* » *gat Deus.* Et repetitur Antiphona. Finito Psal- » mo et Antiphona, dicit Episcopus versum : » ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus, » sperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxi- » lium de sancto. ℟. Et de Sion tueatur te. » ℣. Memor esto Congregationis tuæ. ℟. Quam » possedisti ab initio. ℣. Domine, exaudi ora- » tionem meam. ℟. Et clamor meus ad te ve- » niat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu » tuo. *Oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, » qui facis mirabilia magna solus, etc. Sequi- » tur alia Oratio : Actiones nostras, quæsumus, » Domine, aspirando præveni, etc., » ut in nostro Romano Pontificali, deinde vero ritus benedicendi Electum in Abbatem Regularem confirmatum.

II. Eumdem ritum huc usque descriptum, paulo aliter fuisse in monasterio Farfensi servatum, liquet ex antiquis ipsius monasterii consuetudinibus, in quibus ita scriptum legimus apud Martenium, lib. v *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. I, num. XLVI. « Primum eligitur ab omni congregatione in præsentia Episcopi ejusdem diœcesis, et senioris ad quem Abbatia pertinet, absque ullo munere, vel persona, quia maledictus qui dat, maledictus qui accipit. Tunc percepta ab eo donatione, et roborata ab omnibus electione, incipit Episcopus Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, quod, etc.*, quam subsequitur omnis Chorus canentium, canendo excelse Psalmum *Exurgat Deus* : sicque cum tanto triumpho tenens Episcopus eum qui ordinandus est, manu deducat eum in secretarium, remanentibus aliis in choro atque psallentibus. Cum vero *Exurgat Deus* fuerit cantatus, dicatur Oratio. *Oremus. Actiones nostras.* Tum vestiant se Episcopus et Electus, veniant uterque ante altare, et legitur iterum electio in ambone ut audiatur, et roboretur a Monachis, et a Clero, et ab universis utriusque sexus. Tum stratis ante altare tapetibus, prosternant se simul Pontifex et qui ab eo benedicendus est Abbas, etc. » In aliis antiquis Monachorum libris Ritualibus diversus quoque recensetur Ritus, uti videre est apud laudatum Martenium.

§ I.

Deinde surgit Electus, et una cum Assistentibus coram Pontifice genuflectit, et prior Assistentium dicit Pontifici : *Adest, Reverendissime Pater, Electus monasterii N., quem ad vestram Reverendissimam Paternitatem ex parte conventus ejusdem monasterii duximus præsentandum, humiliter postulantes a vobis ut ipsum in Abbatem dicti monasterii dignemini ordinare.* Tunc Pontifex interrogat eos dicens : *Scitis illum esse dignum?* ℟. *Scimus et testificamur ipsum dignum esse.* Interrogatio : *Fuit ejus electio canonice et concorditer celebrata?* ℟. *Fuit.* Pontifex dicit : *Deo gratias.* Quo dicto surgunt omnes et sedent in suis scabellis, et Pontifex prosequitur examen, dicens : *Antiqua sanctorum Patrum, etc.;* et omnia alia fiunt, prout supra in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica posita sunt.

Digitized by Google

§ II.

Finito examine, et manu Pontificis per Electum osculata, idem Electus ante Pontificem genuflexus, coram se tenens schedulam scriptam, et suo pendenti sigillo sigillatam, debitæ fidelitatis juramentum Pontifici ordinario suo præstat in hunc modum : *Ego N. monasterii N. ordinandus Abbas promitto coram Deo et sanctis ejus, et hac solemni fratrum congregatione, fidelitatem dignamque subjectionem, obedientiam et reverentiam matri meæ Ecclesiæ N.* (nominando ecclesiam cujus jurisdictioni ordinariæ subjectus existit), *tibique N. Domino meo ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ* (vel *Archiepiscopo,* aut *Episcopo*) *et successoribus tuis, secundum sacrorum Canonum instituta, et prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum.* Deinde librum Evangeliorum, quem Pontifex super genua sua tenet apertum, inferiori parte ejusdem libri Electo versa, quem ipse Electus, ambabus manibus supra scripturam positis, tangit, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Tum schedulam ipsam Pontifici tradit; qui illa recepta, et mitra deposita, surgit, et facit confessionem, et proceditur in omnibus et per omnia, prout supra ordinatum est.

COMMENTARIUS.

I. Pauca hic dici possunt, quum multa ad hos §§ pertinentia in superiori titulo dicta jam fuerint. In Pontificali manuscripto insignis Vaticanæ Bibliothecæ ritum hunc iisdem fere verbis ac in nostro hodierno Romano Pontificali habentur, sic expressum reperi : « Tunc Electus » paratus amictu, alba, stola et pluviali, præ» sentatus ab electoribus, vel ab aliis Abbatibus » ejusdem ordinis, Episcopo super faldistorium » ante altare sedenti, et alter præsentantium » flexis genibus dicit hoc modo alta voce in mo» dum Lectionis : Adest, Pater Reverende, Ele» ctus monasterii talis, quem ad vestri Pontifi» catus celsitudinem ex parte conventus ejusdem » loci ducimus præsentandum, humiliter suppli» cantes vobis ut ipsum in Abbatem prædicti mo» nasterii dignemini ordinare. Tunc Episcopus » interrogat eos dicens : Scitis ipsum esse di» gnum ad Abbatis officium? ℟. Scimus et testifi» camur ipsum idoneum atque dignum. Inter» rogatio : Fuit ejus electio canonice et con» corditer celebrata ? Responsio : Fuit. Et » Episcopus dicit : Deo gratias. Tunc Epi» scopus alloquitur eis dicens in modum Lectio» nis : Antiqua sanctorum Patrum institutio do» cet, etc. » Porro in aliis manuscriptis Pontificalibus vix reperies quæ de ritu benedicendi Abbatem ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ protulimus, quanquam multa etiam in hoc desint, quæ in nostro hodierno Romano a tercentis circiter annis addita sunt, ut vel ex Romanis Pontificalibus longe ante annos ducentos editis liquido constat.

II. Ergo, si sit benedicendus Abbas auctoritate Ordinarii, omnia fiunt, ut supra dictum est in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica ; et Electus insuper, ab Assistentibus ductus ante Pontificem, prosternit se in terram ante altaris medium, et Pontifex, deposita prius mitra, incipit Antiphonam : *Confirma hoc, Deus, etc.*, quam Chorus prosequitur ; sedet deinde, et mitra redimitus dicit cum Assistentibus Psalmum *Exurgat Deus, etc.* Et repetita Antiphona, stans, deposita mitra, versus ad Electum, dicit versiculos et Orationes : quibus completis, Electus surgens coram Pontifice genuflectit, omissa mandati Apostolici lectione ; primus autem Assistentium Pontificem rogat ut dignetur Electum ordinare; unde factis a Pontifice interrogationibus, Electus coram ipso Pontifice genuflectit, et ante se tenet schedulam scriptam sigillo pendente, juramentum Pontifici ordinario præstat, schedulam ipsam eidem tradit, præstitoque juramento, surgens Pontifex sine mitra, facit cum Electo

Digitized by Google

confessionem, et proceditur omnino sicut in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica præscriptum est. Atque hic est nudus ritus, qui a tercentis circiter annis in benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii in Romana Ecclesia servatur. Ab initio autem non fuit sic; cum, uti alibi dictum fuit, in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, unica duntaxat legatur Oratio *ad faciendum Abbatem;* et in Pontificali manuscripto Egberti Eboracensis archiepiscopi, ac in Gellonensi Missali annorum nongentorum, tres tantum Orationes habeantur, nullis aliis præscriptis ritibus; licet alicubi saltem Regula et baculus ante eam ætatem novo Abbati tradi consueverint, ut liquet ex Canone Theodori; qui licet natione Cilix, domo Tarsensis, instituto Monachus, Romæ tamen dum ageret anno 668, cum prius more Romano Tonsuram accepisset, a Vitaliano Papa ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus est et ab ipso Pontifice consecratus; pluribus tandem coactis Synodis ac editis constitutionibus, obiit die XIX septembris, anno 690, ætatis suæ 88.

III. Dies demum ipse, quo solemniter per Episcopum Abbas benedicebatur, dies ordinationis veteribus dictus est, eo quod multa in eo fierent quæ in Episcoporum ordinatione adhibentur; et quomodo Episcopi anniversarium consecrationis suæ diem ex antiquissima consuetudine festive coluerunt, ita etiam fecisse Abbates, ex Actis S. Euphrosynæ in *Vitis Patrum*, ex editione Roseydi tradit eruditus Laurentius Landtmeter Ordinis Præmonstratensis, lib. II *De vetere Clerico-monacho*, cap. IV in fine: in his enim ait legi Paphnutium Euphrosynæ Patrem invitatum ad anniversariam solemnitatem Ordinationis Abbatis. Apud Bollandianos in *Vitis SS.* plura ejus rei exempla invenies.

APPENDIX

In qua varii Ordines tum manuscripti et nondum publici juris facti, tum editi ad benedicendum Abbatem, tum juxta ritum Latinum quam Græcum referuntur.

ORDO I.

Ex Pontificali insignis Ecclesiæ Barensis, et Canusinæ, quod exstat Romæ in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini.

Ad Abbatem faciendum, vel Abbatissam, dicit Episcopus Orationem istam:

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequaris, ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

Cunctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias Præpositos instituisti, tibi supplices preces effundimus, teque devotis mentibus exoramus, ut hunc famulum tuum *Ill.* quem conventus et electio famulorum tuorum Abbatem ovium tuarum esse instituit, protectionis tuæ gratia munire digneris, sicque regere subditos concedas, ut cum illis omnibus regna cælorum adipiscat quatenus, te opitulante, Domine, Apostolicis fultus doctrinis, centesimo cum fructu lætus introeat portas paradisi, atque a te, Domine, collaudante audire mereatur: *Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Quod ipse præstare digneris, qui vivis et gloriaris Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Tunc imponit manus super caput ipsius, et dicit hanc Orationem in modum Præfationis.

Omnipotens sempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis super hunc famulum tuum *Ill.* nobis orantibus propitiatus infunde, ut qui per manus nostræ hodie impositionem Abbas instituitur, sanctificatione tua digne a te electus permaneat, ut nunquam postmodum de tua gratia separetur indignus. Suscipiat, te largiente, Domine, hodie in bono opere perseve-

Digitized by Google

rantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitatibus principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam. Te tribuente, Domine, talis in hoc monasterio perseveret, qualis levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare : totam ab hodie diabolicam conversationem despiciat. Tua, Domine, benedictione largiente contempnat præsentia, diligat cælestia, desideret sempiterna. Sit exemplum et forma justitiæ ad gubernandam regendamque Ecclesiam tuam fideliter, ut speculator ydoneus inter suos collegas semper efficiatur. Sit magni consilii, industriæ, censuræ et disciplinæ; ita, te, Domine, tribuente ut in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde serviens, ad bravium supernæ vocationis, multiplicato fœnore, cum centesimo fructu, coronaque justitiæ, et ad cælestium thesaurorum dominativa perveniat, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem.

Tunc tradat ei regulam dicendo : « Accipe Regulam a sanctis Patribus nobis traditam ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, et fragilitas humana permiserit. »

Tunc dat ei baculum pastoralem, dicens : « Accipe baculum pastoralem, ut sis in corrigendis malis pie sæviens et cum iratus fueris, misericordiæ memoreris. »

Hoc modo fit de annulo in retro in consecratione Episcopi.

ORDO II.

Ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744.

De Confirmatione et Benedictione regularis Abbatis Rubrica.

Confirmatio Electi in Abbatem Regularem fit hoc modo. Examinata enim, et approbata, et confirmata ejus electione, Episcopo, amictu, stola, et pluviali, et mitra parato, Confirmandus prosternitur coram altari. Tunc Pontifex incipit Antiphonam : *Confirma hoc, Deus.* Responsio, ut supra, de chrismandis in fronte. Psal. *Exurgat Deus.* Et repetitur Antiphona. Finito Psalmo et Antiphona, dicit Episcopus versum : ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Syon tueatur te.* ℣. *Memor esto Congregationis tuæ.* ℟. *Quam possedisti ab initio.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* « *Oremus.* Omnipotens sempiterne Deus, qui facis » mirabilia magna solus, prætende super hunc » famulum tuum, et super cunctas congregatio- » nes illi commissas, spiritum gratiæ salutaris, » et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum » ei rorem bene ✠ dictionis infunde. Per Chri- » stum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Oremus.* » Actiones, nostras, quæsumus, Domine, adspi- » rando præveni, et adjuvando prosequere, ut » cuncta nostra oratio et operatio a te semper » incipiat, et per te cepta finiatur. Per Christum » Dominum nostrum. ℟. Amen. »

Benedictio vero Electi in Abbatem Regularem confirmati, quæ fieri debet in diebus Dominicis vel festivis, fit hoc modo. Die ad hoc eis statuta, Pontifex celebraturus in Pontificalibus procedit in Missa usque ad *Alleluia* vel Tractu. Tunc Electus, paratus amictu, alba, stola et pluviali, præsentatus ab electoribus, vel ab aliis Abbatibus ejusdem Ordinis Episcopo super faldistorium ante altare sedenti, et alter præsentantium flexis genibus dicit hoc modo alta voce in modum Lectionis : « Adest, Pater reverende, electus » monasterii talis, quem ad vestri Pontificatus » celsitudinem ex parte conventus ejusdem loci » ducimus præsentandum, humiliter suppli- » cantes vobis ut ipsum in Abbatem prædicti » monasterii dignemini ordinare. »

Tunc Episcopus interrogat eos dicens : « Scitis ipsum esse dignum ad Abbatis offi- » cium. ℟. Scimus et testificamur ipsum ido- » neum atque dignum. »

Interrogatio : « Fuit ejus electio canonice et » concorditer celebrata ? ℟. Fuit. » Et Episcopus dicit : « Deo gratias. »

Tunc Episcopus alloquitur eis dicens in modum Lectionis : « Antiqua sanctorum Patrum » institutio docet et præcipit ut is qui ad regi-

Digitized by Google

» men animarum eligitur, examinari et inter-
» rogari debeat de diversis causis et moribus,
» quæ huic regimini congruunt et necessaria
» sunt. Eadem igitur auctoritate te, frater, in-
» terrogamus (*in margine*, caritate sincera,
» si omnem prudentiam tuam, quantum tua
» capax est natura, divinæ Scripturæ sensibus
» accommodare volueris.) »

Interrogatio : « Vis tuum sanctum propositum
» et sancti Benedicti Regulam observare, tibi-
» que subjectos, ut idipsum faciant, instruere ?
» ℟. Volo. »

Interrogatio : « Vis mores tuos ab omni malo
» temperare; et quantum, adjuvante Domino,
» poteris, ad omne bonum commutare ?
» ℟. Volo. »

Interrogatio : « Vis castitatem, sobrietatem,
» humilitatem et patientiam cum Dei adjutorio
» in te ipso custodire, subjectosque tuos in iis
» docere ? ℟. Volo. »

Interrogatio : « Vis res monasterii tibi com-
» missi fideliter custodire, et in usus Ecclesiæ,
» fratrum, pauperum et peregrinorum distri-
» buere ? ℟. Volo. »

Interrogatio : « Vis huic sanctæ matri Eccle-
» siæ, mihique ejusdem Episcopo meisque suc-
» cessoribus fidem subjectionis, obedientiam et
» reverentiam devote et fideliter perpetuo ex-
» hibere ℟. Volo. »

Tunc electus coram illo flexis genibus facit hanc professionem. In quibusdam tamen ecclesiis fit finita Missa, omnibus expeditis.

« Ego enim S. talis monasterii ordinandus
» Abbas, vel Abbatissa, promitto coram Deo et
» sanctis ejus, et fratribus hac congregatione
» solempni, fidelitate, dignamque subjectionem,
» obedientiam, et reverentiam matri meæ Ec-
» clesiæ tali, tibique P. Domino meo, ejusdem
» Ecclesiæ Episcopo, et successoribus tuis se-
» cundum sacrorum instituta Canonum, et
» prout præcipit inviolabilis auctoritas Roma-
» norum Pontificum. Et hæc manu propria
» super hoc altare, *vel* super hæc sacrosancta
» Evangelia jurejurando firmo. »

Tunc Episcopus dicit in pristino tono : « Om-
» nipotens Deus in iis et in totis bonis sit cle-
» mens cooperator tuus, reverendissime fili. »
Et respondeant omnes : « Amen. »

Deinde stratis ante altare tapetis, accumbit se Pontifex super faldistorium, ille vero qui benedicendus est Abbas, prosternitur totus; et extenditur in pavimento tapetum coram altari ad sinistrum latus Episcopi, et baculus, qui ei debetur dari, ponitur in terra juxta eum ad sinistrum ejus latus. Tunc Cantores incipiunt septem Psalmos Pœnitentiales, subjungentes Letanias. Cumque dixerint : « Ut obsequium
» servitutis nostræ, » et eidem a Choro responsum fuerit, tunc Episcopus ab accubitu surgens, et se ad Electum volvens, baculum in sinistra tenens, dicit primo : « Ut præsentem Electum
» tuum bene ✠ dicere digneris. » Et secundo dicit : « bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digne-
» ris; » producendo semper signum ✠ crucis super illum. Et mox postquam per illum fuerit repetita, redit ad accubitum, Cantoribus resumentibus Letaniam.

Qua finita, surgens, prostrato manente Electo, versus ad illum dicit : *Pater noster.* ℟. *Et ne nos inducas in tentationem, etc.* ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Emitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Syon tueatur te.* ℣. *Hic accipiet benedictionem a Domino.* ℟. *Et misericordiam a Deo salutari suo.* ℣. *Memor esto congregationis tuæ.* ℟. *Quam possedisti ab initio.* ℣. *Dominus custodiat introitum tuum.* ℟. *Ex hoc nunc, et usque in seculum.* ℣. *Dominus custodiat te ab omni malo.* ℟. *Custodiat animam tuam Dominus.* ℣. *Domine Deus virtutum, converte nos.* ℟. *Ostende faciem tuam, et salvus ero.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* « *Oremus.* Concede, quæsumus, omnipotens
» Deus, affectui nostro, etc. »

Oratio quæ dicatur adhuc illo prostrato : « Cunctorum honorum institutor, Deus, qui per
» Moysen, etc. »

Deinde junctis manibus ante pectus, mediocri voce dicit : « Per omnia secula seculorum.
» ℟. Amen. Dominus vobiscum et cum spiritu
» tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum.
» Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum
» et justum est. Vere dignum et justum est,
» æquum et salutare, nos tibi semper et ubique
» gratias agere, Domine sancte, Pater omni-
» potens, æterne Deus, affluentem Spiritum, etc.
» Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui
» cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat
» Deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

Digitized by Google

» Deus cui omnis potestas et dignitas fa-
» mulatur, etc.

» Omnium, Domine, fons bonorum, etc. »

Alia Oratio quam quidam dicunt : « Exaudi,
» Domine, preces nostras, quas in conspec-
» tu, etc. »

Postea dat ei genua flectenti Regulam, dicens : « Accipe Regulam a sanctis Patribus ad
» regendum custodiendumque gregem tibi a
» Deo traditum, quatenus Deus ipse te confor-
» taverit, ac fragilitas humana permiserit.
» Accipe gregis Dominici paternam providen-
» tiam, et animarum procurationem, et per
» divinæ legis incedendo præcepta, sis eis dux
» ad cœlestis hæreditatis pascua : adjuvante Dño
» nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu
» sancto vivit et regnat Deus in secula seculo-
» rum. ℟. Amen. »

Deinde dat ei baculum pastoralem, dicens : « Accipe baculum pastoralis officii, quem præ-
» feras catervæ tibi commissæ, ut sis in corri-
» gendis vitiis pie sæviens, et cum iratus fueris,
» misericordiæ memoreris. ℟. Amen. »

Oratio : « Te, omnipotens et piissime Do-
» mine, deprecamur, hunc famulum tuum, etc. »

His omnibus expletis, cantatur *Alleluia*, vel Tractus, si tempus requirit; et Electus ducitur ad sedem in choro, vel alibi, ubi audiat totam Missam, et procedit in Missa ordine suo. Debet autem Electus offerre duos cereos accensos, duos panes, et duas amphoras vino plenas; et postquam Episcopus communicaverit, ipse Benedicendus communicare debet, non tamen debet sumere de sanguine, sicut facit Consecratus in Episcopum. Missa finita, Episcopus, campanis pulsantibus, ducit illum ad chorum, et statuens eum in sede sui prædecessoris, dicit illi : « Accipe plenam et liberam potestatem regendi
» hoc tuum monasterium, et congregationem
» ejus, et omnia quæ ad illud exterius et inte-
» rius, spiritualiter et temporaliter pertinere
» noscuntur. » Vel si hoc fit (*in margine legitur*, benedicitur) in ecclesia Cathedrali, statuit illum in aliquo stallo alicui Dignitati deputato, secundum morem cujusque, dicens : « Sta in
» justitia et veritate; tene locum a Deo tibi de-
» legatum; potens est enim Deus ut augeat tibi
» gratiam suam. »

Tunc Archidiaconus incipit alta voce hymnum *Te Deum laudamus;* et Episcopus redit ad altare, illo ibi dimisso; cumque dicitur versus, *Te æternum Patrem, etc.*, tunc si sit in proprio monasterio fratrum suæ Congregationis, per ordinem osculantur eum reverenter flexis genibus. Postea coram illo ymno finito, dicit Episcopus. ℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* ℟. *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.* ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Benedictio. Exaudi, Domine, preces nostras, etc.*

Et postea dicatur Missa quæ in consecratione Episcopi dicitur, vel sequens Secreta et Postcommunio dicatur sub uno *Per Dominum* cum Collecta, et Secreta, et Postcommunione diei. Oratio. « Concede, quæsumus, Domine, huic fa-
» mulo tuo, ut prædicando, et exercendo, etc. »
Secreta. « Munera nostra, quæsumus, Domine,
» etc. » Post communionem. « Hæc nos com-
» munio, Domine, purget a crimine, etc. »

ORDO III.

Ex alio Bibliothecæ Vaticanæ Pontificali manuscripto codice, num. 4748, notis a nobis illustrato, quem putamus, ex charactere et ritibus quos continet, ante annos tercentos usui fuisse Romano Pontifici.

Benedictio Abbatis vel Abbatissæ.

In benedictione Abbatis habentis Pontificalia, sunt ista necessaria quæ sequuntur. Et debent in una parte ecclesiæ, in qua fieri debet Ordinatio, longe a sede Pontificis, præparari, videlicet duo tapetia vel tria, faldistorium, aqua et tobalea ad lavandum manus : alia tobalea ad tergendum os et vultum, quam tenet Clericus unus sibi assistens. Item alia tobalea ad ponendum super genua sua, postquam paratus est. Item duo magni panes tobaleis duabus cohoperti, due fialæ vini, una albi, et altera rubei, duobus malis, seu pomis cohoperte, et duo magna torticea cerea. Item necessaria sunt ornamenta, videlicet succa (*a*), amictus, alba,

(*a*) Quid *Succa* sit, ignotum videtur Carolo Dufresne; ait enim in suo Glossario, verbo *Succa*, quod sit cujus-

Digitized by Google

cingulum, manipulum, stola et pluviale, quæ debent habere induta antequam incipiatur Missa. Debet etiam habere caligas, sandalia, tunicellam, dalmaticam, cirothecas, annulum, mitram regularem sui ordinis, et baculum pastoralem, et Missale ad dicendum officium. Et debet equus albo bocharano (*a*) cohopertus ante ecclesiam præparari, post elevationem corporis Christi factam.

His ita præparatis Missaque a schola vel Pontifice incepta, debet Electus dicere submissa voce totum officium Missæ usque ad Evangelium, et post residet in suo faldistorio, et schola sive cantor prosequitur officium Missæ usque ad penultimum versum Tractus, vel ad repetitionem *Alleluia*, quod dicit immediate ante Evangelium. Tunc duobus Acolitis præcedentibus, et duobus Clericis indutis superpeliceis, portantibus Regulam, et baculum pastoralem, ac annulum, sequentibus, ducitur Electus coram Pontifice, et ab eo tunc benedicitur; et Regula sui ordinis, baculus pastoralis, et annulus sibi datur : quo facto pedem et os Domini Papæ ipsum benedicentis osculatur, vel manum, et os alterius benedicentis.

Deinde revertitur Abbas ad sedem suam, et ibi dicit submissa voce Evangelium, *Credo in unum Deum*, et Offertorium; schola vero sive cantor prosequitur penultimum versum Tractus, vel repetitionem *Alleluia*, quod dicit immediate ante Evangelium, ac totum Officium Missæ usque ad post Offertorium. Et, dum cantatur Offertorium, Abbas offerat Pontifici, primo duos magnos panes tobaleis cohopertos, manum ejus osculando; secundo duas fialas vini duobus malis cohopertas, et osculatur manum ejus; tertio duos magnos cereos, manum ejus osculando, et post pedem Papæ, qui oblata leniter tangat.

Deinde revertitur Abbas ad sedem suam, et ibi post elevationem corporis Christi factam, calciatis caligis et remoto pluviali, induitur tunicella et dalmatica, et resumit pluviale, et sic paratus residet in sede sua, donec Pontifex fecerit corporis et sanguinis Christi perceptionem. Et nota quod interim, dum residet in sede sua, debet providere juramentum scriptum in libro Evangeliorum, quod postea præstare tenetur.

Post perceptionem a Pontifice factam, ducitur Abbas ante eum in sede sua sedentem, et de manu ejus recipit Eucharistiam, manum ejus osculando, antequam ipsam recipiat; et cum ipsam recipit, os ipsius. Deinde revertitur Abbas ad sedem suam, et Pontifex prosequitur

dam vestis species. Meminit inter alios ejus vocabuli Nicolaus III Pontifex Maximus in quadam sua constitutione, quam pro divini cultus amplificatione in Basilica Vaticana edidit anno Christi 1278, ubi inter alia de indumentis Canonicorum inquit : *Nunquam appareant in eadem, quin saltem succas habeant.* Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. LII, num. V, legendum ibidem putat potius *saccos*, quam *succas;* eaque voce significari scribit superpelliceum manicis truncatum alicubi etiam nunc usitatum, licet a Concilio Aquensi anno 1585 damnatum fuerit. Puto equidem *Succam*, si non est ipsum Rochetum, seu Camisia linea, ei tamen simillimam esse videri. Etenim ex Romano Ordine Jacobi cardinalis Cajetani, cap. LXXXVII, Cardinalium habitus ad mensam cum Pontifice accumbentium Feria V in Cœna Domini ita describitur : *Cardinales vero omnes tam seculares quam Regulares habebunt cottas cum succis, sive camisiis albis, et mitris simplicibus de guarnello in capite, etc.* Exstat laudati Jacobi Cajetani codex manuscriptus in celeberrima Bibliotheca bonæ memoriæ Cardinalis Imperialis, qui anno elapso octogenario major in Domino obiit. Cæterum de voce *Succa* fuse ac erudite disserit vir clarissimus Dominicus Georgius, lib. II *De Liturgia Romani Pontificis*, cap. II, num. XV, ubi etiam tradit ex quodam Chronico Nonantulano manuscripto *De institutis et ritibus* sub Federico I Imperatore, cujus verba refert memoratus Dufresne verbo *Subtaneum*, arbitrari se *Succæ* vocabulum *Xoca* manasse, quæ barbaris temporibus lineum erat indumentum.

(*a*) *Bochanarum*, quod apud Carolum Dufresne, alii *boquerannum* alii *buchiranum*, alii alias vocant, telæ subtilis species est. Vincentius Belvacensis, lib. III. *Speculi histor.*, cap. LXXXV : « Aliæ mulieres, inquit, bogue- » ranno stricto sub cingulo multis plicis sumptuosis operato, et insuto..... vestiuntur. » Idem, lib. XXXII, cap. IV : « Tunicas miro modo formatas portant de buccarano. » Et, cap. VII; *bucaranum* habet. Paulus Venetus, lib. III, cap, XLV, *buchiranum*. Vide gesta Guillelmi Majoris episcopi Andegavensis, cap. XXII. Occurrit ea vox quoque apud veteres Italiæ nostræ scriptores. Joannes Boccacius in Novella sua LXXX ita scribit : « Una coltre di buche- » rame cipriana bianchissima. » Item Joannes Villanus, lib. X, cap. CLXVIII, ejus quidem vocis in hunc modum meminit : « L'altro (pallio) fu di panno sanguigno, che lo corsono i Fanti a pie, e l'altro di bucherame bambagino, » che lo corsono le meretrici dell' oste. » Marcus tandem Polus, in historia quæ vulgo dicitur *Milione*, sic ait : » Nel Cominmento è una città che ha nome Arzinga, dove si fa il miglior bucherame del mondo. » Atque hæc satis esse possunt pro explicando illo Vaticani Pontificalis loco : « Debet æquus albo bucherano coopertus, etc. »

Digitized by Google

officium Missæ usque ad finem ultimæ Orationis. Tunc idem Abbas redit ad altare, et benedictione a Pontifice data, si Papa ordinaverit, dicit Abbas ter coram ipso in tono lectionis : « Multos annos; » ita quod secunda vice dicat altius quam prima, et tertia altius quam secunda, qualibet vice genua flectendo; et deinde osculatur pedem ejus. Si vero alter quam Papa ordinaverit, benedictione a Pontifice data, dictus Abbas tantum manum ejus osculatur, « Multos annos » non dicendo. Post immediate recedit Papa de altari, et reducunt eum duo Dyaconi Cardinales usque ad sedem suam; qui deinde revertentes ad altare, ab ipso Abbate, prout moris est, recipiunt juramentum, et ipsum ad osculum recipiunt.

His ita peractis, Abbas ad sedem suam reversus, assumens cirothecas, annulum pontificalem, mitram, et baculum pastoralem in manu sinistra, vadit extra ecclesiam (*a*) signando cum dextra; et ascendens equum albo bocharano cohopertum, vadit usque ad domum Pontificis, ab utroque latere cum dextra manu signando, Clerico uno cum eo equitante, induto superpeliceo, et portante baculum pastoralem ante ipsum usque ad domum Pontificis, eundem Abbatem per viam præcedente. Et nota quod si inmediate post Pontificem veniat per eandem viam, a benedictione danda per viam debet Abbas se penitus abstinere.

Cum autem venerit ad domum Pontificis, descendit de equo, et ad aliquam cameram declinat, ubi deponit vestimenta sua sive ornamenta, habitum suum consuetum resumendo. Deinde Pontificem venientem ad mensam addexterato (*b*) et de aqua ad lavandum manus ei servit : quo facto reddit Pontifici annulum suum, osculando ejus manum. Deinde cum inchoatur, *Benedicite*, recipit Abbas armutiam Pontificis, manum ejus osculando, et facta benedictione mensæ, reddit ei armutiam (*c*) suam, manum ejus osculando. Tunc Pontifex vadit ad mensam suam, et eo sedente, Abbas vadit ad mensam suam similiter. Et primo cibo dato, Abbas per aliquem sibi familiarem præsentet Pontifici (*d*) neu-

(*a*) Abbatem per vias non posse populis benedicere, testatur in Epistola XLII ad Henricum Senonensem archiepiscopum S. Bernardus. « Cur non et sacros Ordines celebratis, et datis benedictiones in populis? » Videtur omnino loqui non de Presbyterali, sed Episcopali benedictione. Ipsam non minus quam factorum Ordinum collationem censet Episcopali dignitati reservatam, uti observat eruditus Lupus in septimum S. Gregorii VII Concilium Romanum. Primum hujus benedictionis dandæ privilegium Petro Cavensis, in nostro regno Neapolitano apud Salernum, celeberrimi monasterii Abbati donavit Urbanus II, uti constat ex ejus diplomate apud Baronium ad annum millesimum nonagesimum secundum. Cæterum etsi facultas hæc benedicendi adeo tandem invaluerit, ut facta sit commune jus omnium Abbatum, tenenda nihilominus sententia Alexandri IV in cap. *Abbates*, *De priviligiis* in Sexto, ubi ita ait : « Alibi autem publice, aut per vias, civitates, castra, et villas populis et plebibus benedi- » ctionem facere vel impertiri non valeant, nisi hoc eis expresso Apostolico privilegio sit concessum. »

(*b*) Addexterare idem est ac tegere latus dextrum, ad dexteram cujuspiam stare, incedere, considere. Occurrit ea vox frequentissime in Ordinibus antiquis Romanis, ut apud Mabillonium in *Museo Italico* videre est, tom. II, et apud scriptores Ecclesiasticos passim. Cæremoniale Cencii Camerari sic ait : « Deinde duo de majoribus Cardina- » libus addextrant usque ad altare. » Apud Raynaldum ad annum millesimum trecentesimum undecimum, num. XIII, Clemens V, Pontifex Maximus, ea item voce usus est ubi dixit : « Cum ipse Pontifex equum ascenderit, tenent stapedium sellæ ejus..... et arrepto fræno aliquantum ipsum addextret. » Certe Etrusca lingua *addestrare*, proprie est principi ad equum inservire.

(*c*) Fuit vel olim armutia, seu almucia, amictus, quo Canonici caput humerosque tegebant. Vide Concilium Ravennense anni millesimi trecentesimi decimi quarti, can. X.

(*d*) Neulæ, quas alii *neblas*, alii *nebulas* vocant, ut ait Bernardus, monachus sæculi XI scriptor, in *Consuetudinibus Cluniacensibus* manuscriptis, cap. LXXVII, et ex eo Udalricus, lib. I, cap. XLIX, sunt « quæ in ferramento ca- » racterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt. » Addit idem Bernardus eas quidem ab hominibus Romanæ linguæ *nebulas*, a popularibus suis appellari *Oblatas*. Verum aliter constat ex veteribus statutis Canonicorum Sancti-Quintini; aiunt enim quod « debet habere unusquisque privatus decem nebulas et quinque oblatas. » Tempus, quo nebulæ a Monachis ederentur, ita describit laudatus Bernardus apud Marquardum Herrgott benedictinum in eo libro quem inscribit : *Vetus disciplina monastica*, parte prima, cap. VII, pag. 151 : « A festivitate omnium » Sanctorum usque ad Natale Apostolorum Petri et Pauli, cum Dominico, et omni die, in qua sumus omnes in » cappis ad Missam, per consuetudinem facit fieri neblas ad cœnam fratrum, et quisque debet habere quinque, nisi » forte aliquem fructum habeat aliquando Cellerarius, unde eis inserviat, etc. » Sane curiosus est ritus qui habetur in Ordine manuscripto Ecclesiæ Rothomagensis, ubi de festo Pentecostes sic inquit : « Dum incipitur, *Veni*, » *Creator*, projicientur per familiares thesaurarii existentes in deambulatoriis inferioribus turris, ante crucifixum

Digitized by Google

las, vinum clarentum (*a*), et species (*b*).

Sumpto prandio præparatur aqua ad lavandum manus, etAb bas, surgens de mensa, servit de aqua Pontifici : quo facto reddit ei annulum suum, osculando ejus manum. Deinde bibit Pontifex, et dat siphum Abbati sibi a dextris assistenti, quem debet Abbas recipere, manum ejus osculando, et tradere immediate domicello (*c*) Pontificis, et ad sedem, in qua sedit in prandio, reverti. Et sedens in eadem, siphum recipit de manu domicelli Pontificis, et bibit.

Postea hæc, omnibus surgentibus, recipit Abbas armussiam Ordinatoris, osculando ejus manum; et referuntur gratiæ : quibus redditis, reddet Abbas armusciam suam Pontifici, manum ejus osculando. Deinde addexterat Pontificem ad cameram suam revertentem, et cum intraverit cameram, Abbas cum licentia ejus descendit, et vadit ad visitandum Cardinales, si ipsa Ordinatio facta fuerit in Curia. Nota quod Acoliti debent habere panem et vinum oblatum Ordinatori ab Abbate : Cardinalis, vel alter, qui dicit Evangelium, unum de torticeis cereis, et Subdiaconus aliud. Item Mappularii (*d*) ser-

» scilicet inferius, et quam poterunt infra chorum, folia quercuum, nebulas, et stuppas ardentes in magna quanti-» tate, et a *Gloria in excelsis*, emittent volare versus Chorum aves parvas et mediocres cum nebulis ligatas ad » tibiam in competenti numero, et continuabunt præmissa usque ad officium Missæ, nec cessabunt, nisi dum » dicetur Evangelium. Et hæc omnia fiant expensis thesaurarii et capituli, æquis partibus. » Recitat hunc locum in suo Glossario Carolus Dufresne, verbo *Nebulæ*, ubi etiam testatur descriptum ritum ad exprimendum sacræ solemnitatis mysterium in aliquot apud Gallos Ecclesiis etiamnum obtinere. Laudant hunc ritum Galli, et quidem recte; sed miror tamen cur ipsi aliarum regionum ritus præstantiores irridere non vereantur. Vide etiam de nebulis Martenium *De antiquis Monachorum Ritibus*, lib. III, cap. VIII.

(*a*) Vinum clarentum. Bartholomæus Anglicus, lib. XIX, *De proprietatibus rerum*, cap. LVI. « Claretum, inquit, » ex vino, et melle, et speciebus aromaticis confectum : nam species aromaticæ in subtilissimum pulverem conte-» runtur, et in sacco lineo vel mundo cum melle vel zucara reponuntur. Vino autem optimo species perfunduntur, » et reperfunduntur, quemadmodum fit lixivia, et tamdiu renovatur perfusio, donec virtus specierum vino incor-» poretur, et optime clarificetur; unde a vino contrahit fortitudinem et acumen ; a speciebus autem retinet aroma-» ticitatem et odorem; sed a melle dulcedinem mutuatur et saporem. » Meminit et vini clarenti, quod tamen claretum appellat, ut etiam eo nomine alii vocant, Cencius Camerarius in suo *Cæremoniali* apud Baronium ad annum millesimum centesimum nonagesimum primum : « Pincerna insuper et Marescallus tam de comestione » quam de aliis donariis remunerantur similiter, excepto quod capita porcorum aptata non habent, neque clare-» tum. » Loquitur Cencius de munusculis dari solitis ministris ac officialibus Romanæ Curiæ post consecrationem novi Romani Pontificis. Ergo claretum vinum est factitium, dulce et aromatices.

(*b*) Species aromata sunt, vel quævis res aromatica. Inter statuta Cluniacensia Petri Venerabilis, cap. IX, statutum illud legitur : « Ut ab omni mellis ac specierum cum vino confectione, quod vulgari nomine pigmentum » vocatur..... fratres abstineant. » Occurrit ea vox passim apud scriptores, inter quos Nangii continuator anno 1359 : « Et tunc ad invicem, inquit, in signum pacis vinum et species cum gaudio receperunt. » Est lepidum medicorum proverbium apud Joannem Sarisberiensem, lib. V *Policratici*, cap. X, quod duobus hisce versibus continetur :

Pro solis verbis, montanis utimur herbis.
Pro caris rebus, pigmentis et speciebus.

Testatur inter alia Carolus Dufresne, verbo *Species*, familiarem esse Gallis formulam, *Donner vin, et especies*. Id quod auctor auctoritate complurium scriptorum Gallorum comprobat.

(*c*) Domicellus, quamvis varie accipiatur apud antiquos scriptores, significare hic tamen videtur nobiliorum aliquem Pontificis famulum.

(*d*) Mappularii apud Innocentium III, lib. III *De mysteriis Missæ*, cap. VII, pro quatuor ministris accipiuntur, qui « super Pontificem ferunt Mappulam (id est Baldachinum) quatuor baculis colligatam. » Ait quatuor istos baculos quatuor sacræ Scripturæ sensus significare, Litteralem, Allegoricum, Tropologicum et Anagogicum. Certe hic Mappularii a mappula dicti sunt, quæ instratum equi significat, non vero baldachinum, seu manipulum. Quæ interpretatio contemni nequaquam debet, cum in can. *Constantinus* XIV, distinctione XCIX, ita legamus : « Et ut amplissime » Pontificale decus perfulgeat, decernimus ut Clerici ejusdem Romanæ Ecclesiæ mappulis et linteaminibus, id est » candidissimo colore decoratos equos equitent. » Idem habetur in Lege Unica, Cod. *Nulli licere in frænis, etc.*, lib. XI. Et ut alios omittam scriptores eamdem interpretationem docentes, Torrigius, *De Cryptis Vaticanis*, pag. 386 editionis secundæ, ubi refert instratum ex albo in rubrum Cardinalibus mutare concessum fuisse a Paulo Papa II, sic inquit : « Istituì che le mule de' Cardinali si addobassero di rosso, usandosi prima drappo bianco nelle loro » gualdrappe, chiamate nell' Autentica *Mappæ*, come scrive il Cardinal Papiense, che fu a quel tempo. » Dicti sunt itaque Mappularii qui curam habebant ornamenta super equis sternendi. Erant etenim mappæ, seu mappulæ, equorum strata, de quibus in Constantini Papæ Vita mentionem facit Anastasius Bibliothecarius.

Digitized by Google

vientes in camera equum bacharano cohoperto, et pluviale. Item nota quod Abbas non habens pontificalia, utitur omnibus supradictis, exceptis tunicella, dalmatica, mitra, annulo, cirothecis, caligis et sandaliis. « ℣. Dominus vo» biscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.* » Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulum » tuum N. quem ad regimen animarum eligi» mus, gratiæ tuæ dono prosequaris, et ut, te » largiente, cum ipsa tibi electione placeamus. » Per. *Alia Oratio.* Cunctorum honorum insti» tutor Deus, etc. »

Deinde manum super caput ejus imponendo, dicit hanc Orationem in modum Præfationis. » Oremus. Omnipotens, affluentem Spiritum » tuæ bene ✠ dictionis super hunc famulum » tuum N. nobis orantibus propitiatus infunde, » ut qui hodie per nostræ manus impositionem » Abbas instituitur, sancti ✠ ficatione tua digne » a te electus permaneat, ut nunquam postea » de tua gratia separetur indignus. Suscipiat, » te largiente, Domine, hodie in bono opere » perseverantiam, etc. »

Deinde Regulam tradit ei dicens : « Accipe » Regulam a sanctis Patribus nobis traditam ad » regendum custodiendumque gregem a Deo » creditum, quantum Dominus ipse te confor» taverit, et fragilitas humana permiserit. »

Subsequenter dat ei baculum pastoralem, et ait : « Accipe baculum, etc. »

Deinde annulum, si est dandus, dicens : « Accipe annulum, fidei scilicet signacu» lum, etc. »

Benedictione facta, osculatur Abbas manum et os Pontificis. Post communionem vero Pontificis, communicat de manu ipsius, recipiens Eucharistiam tantum, sine sanguine, osculando manum ejus antequam eam recipiat, et os cum cepit.

Finita Missa, præstat Abbas Pontifici, vel alii cui voluerit pro eo, super altare juramentum fidelitatis, et osculatur recipientem juramentum.

Specialis benedictio Abbatissæ præter prædicta de Abbate. *Oratio* : « Domine, Deus omni» potens, qui sororem Moysi Mariam, etc. »

ORDO IV.

Ex Euchologio, sive ex Rituali Græcorum, apud virum clarissimum Jacobum Goar, pag. 395, et seq. editionis Venetæ, et apud Molinum *De sacris Ordinationibus*, parte II.

Accedit ad monasterium Pontifex, et siquidem celebrare voluerit, Pontificium omnem ornatum assumit, et a benedictione auspicatur, dicit : « Ter Sanctum. » Modulum sancti cujus est monasterium. *Gloria. Et nunc.* Tum vero a Monachis Sacerdotibus monasterii illius, coram Pontifice præsentatur Electus hoc pacto : « Re» verendissime, Sacerdos Monachus N. electus, » confirmatus, ad sanctas preces suscipiendas » præsentatur, ut Superior et Pastor venerandi » N. monasterii constituatur. » Et post secundam præsentationem exclamat Pontifex : « San» cti Spiritus divina gratia sit tecum illuminans, » confirmans, et intellectum tibi suggerens om» nibus diebus vitæ tuæ. » Et dicit Sacerdos clara voce : « Attendamus. » Pontifex autem manum impositam tenens, sic precatur :

« Deus, qui salutis humanæ jugiter curam » habes, qui et rationale hoc ovile in unum » colligis : ipse omnium Domine, servum tuum » inculpatum, mandata tua indeficienter custo» dientem, immensa tua humanitate protege, » ut nulla hic ovis pereat aut a lupo corrum» patur : servum, inquam, tuum, quem Supe» riorem huic ovili præfici tibi complacuit, » dignum tua bonitate ostende, et omnibus vir» tutibus exorna, ut per opera propria subditis » bonum exemplum fiat, et ipsi inculpatæ con» versationis illius æmulatores existant, et cum » ipso, tremendo tuo judicio incondemnati assi» stant. » Exclamando : « Quia tuum est re» gnum, et tua est virtus et gloria. »

Et confestim unus Sacerdotum dicit : « In » pace Dominum precemur. Pro superna pace » universi. Pro Episcopo nostro N. et opere » manuum ejus, Dominum precemur. Pro nunc » promoto N. in Præfectum et Pastorem vene» randi monasterii N., Dominum precemur. Ut » benignus Deus noster in pace, et concordia, » et bono statu fraternitatem ejus conservet, » Dominum precemur. Pro fratribus nostris » omnibus, Dominum precemur. Pro sancto » hoc monasterio, Dominum precemur. Ut li-

Digitized by Google

» beremur (*a*). Suscipe. Sanctissimæ. Quia tu » sanctificas omnia : et tibi gloriam. »

Pontifex : « Pax omnibus. Dominum prece- » mur. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi » deprecationem nostram, et servum tuum ve- » nerandi hujus monasterii renuncia Superio- » rem, fidelem, et prudentem œconomum » ovilis ipsi a tua gratia crediti, in omnibus » voluntatem tuam exequentem, et cœlesti re- » gno tuo dignum. » Exclamando. « Gratia, et » miserationibus, et humanitate (*b*). »

Tum vero in sella in ecclesiæ medio locat illum; tollitque ab eo pallium, et novo illum induit; dicitque : « Locatur in solio servus Dei » N. et fit Superior et Pastor venerandi mona- » sterii N. » Et elevant eum cuncti Monachi, dicentes ter : « Dignus. Dignus. Dignus. » Et Episcopus Superiorem osculo excipit, sicut et cuncti Monachi; pedumque illi exhibet Pontifex dicens : « Accipe baculum hunc, quo fulcitus, » ovile tuum regas; quia rationem ejus in die » judicii Deo nostro redditurus es. » Deinde multos annos precantur Pontifici et Superiori; et incipit Missa.

TITULUS XVIII.

DE BENEDICTIONE ABBATISSÆ.

I. Abbatissa Superior est quæ virginibus Deo in monasterio dicatis, sive, uti habetur in Concilio Parisiensi anni 829, lib. III, capite XVIII, sanctimonialibus præest. In Oriente *Amma* quidem dicebatur Præposita, hoc est Mater, et Abbatissa, Syriaco idiomate. Ut enim Syris Hebræisque *Ab* Pater est, ita *Em*, vel *Amm*, Mater. Narrat Palladius in *Historia Lausiaca*, cap. XLII, Pitirionem abbatem cœlesti monitu ad monasterium se contulisse, ubi puella sanctissima a cæteris comitibus *Sala*, id est fatua, vocabatur; cum non alia hæc ejus esset fatuitas quam stultitia crucis, id est sapientia quædam salutis, quæ insanis insania, sanis salus videbatur esse. Ergo huic confestim Pitirion ad genua procidit, ab eaque benedici se petiit, sic inquiens : « Benedic, Amma. » Frequens esse et alibi id nomen apud Palladium, itemque nomine Ammarum matres spirituales a Pelagio intelligi, testatur eruditus Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III, cap. XLIII, num. XIII.

II. Apud Romanos, quum adhuc superstitioni incumberent, virginum maxima, seu virgo maxima dicebatur, quæ virginibus Vestalibus præfecta erat; unde in Domitiano scribit Suetonius, c. VIII, quod ipse imperator *Corneliam virginum maximam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit*, et in Julio Cæsare, c. LXXXIII, loquens de testamento post mortem ipsius recitato : « Postulante ergo, inquit, L. Pisone so- » cero, testamentum ejus aperitur; recitaturque » in Antonii domo, quod idibus septembris » proximis in Lavicano suo fecerat, demanda- » veratque virgini Vestali maximæ, etc. » Sed et refert eruditus Sigonius *De antiquo jure Romano*, cap. XIX, Numam Pompilium quatuor virgines Vestales instituisse cum Vestalium maxima. Apud Christianos, ne sacra miscerentur profanis, et ne sacræ virgines cum Vestalibus confunderentur, monialium Superiores et Abbatissæ dictæ fuerunt; eaque vox in antiquis

(*a*) Apud laudatum Morinum ita hic legimus : *Ut liberemur ab omni tribulatione, ira, periculo, necessitate, Dominum deprecemur.* Et statim : *Auxiliare, salva, miserere, conserva nos, sanctissima, immaculata, præ omnibus benedicta Domina nostra, et semper Virgine. Quoniam tu es qui omnia sanctificas, tibique gloriam reddimus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et in secula seculorum.*

(*b*) Penes ipsum auctorem additur : *Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum sanctissimo, bonoque, et vivifico Spiritu tuo, nunc, et semper, et in secula seculorum.*

Digitized by Google

Synodis et apud scriptores Ecclesiasticos ad eam rem significandam passim occurrit, etsi in Lexico viri clarissimi Caroli Dufresne ultimæ editionis Venetæ, testimonia nonnulla exstent, quibus Abbatissæ perperam pro meretricum lenis accipiuntur.

III. Quod vero ordinationem seu benedictionem Abbatissarum spectat, S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, lib. VI, epistola XXII, ad Respectam Abbatissam Massiliensem scribens, districte præcipit, ut post ejus decessum, ac deinceps defuncta Abbatissa, « non extranea, » sed quam congregatio sibi de suis elegerit, » ordinetur, quam tamen si digna hoc monasterio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus » ordinet. » Erat hoc monasterium in honorem sancti Cassiani consecratum, cui memoratus Pontifex et illud contulit privilegium, ut in rebus, vel in dispositione monasterii ejusdem, nec Episcopus, neque Ecclesiasticorum quispiam aliquam haberet potestatem, sed omnia ad Abbatissæ curam pertinerent, relicta Episcopo facultate in Moniales Abbatissamque animadvertendi, juxta sacrorum Canonum vigorem, si male agerent, seu turpiter viverent.

IV. At vero, ut rem nostram magis magisque dilucidemus, constat ex eodem Pontifice S. Gregorio, lib. VII, epistola VII, Abbatissas tum solemni more ab Episcopo ordinatas fuisse. Scribens enim Caralitano episcopo Januario de Graviniæ abbatissæ sacramento : « Postquam, » inquit, solemni more Abbatissa ab Episcopo » ordinata est, et in monasterii regimine per » annos plurimos usque ad vitæ suæ transitum » præfuit, etc. » Sed et sancta Radegundis ex potentissima Francorum regina, humilis Pictaviensis parthenonis ab ipsa fundati Sanctimonialis, in Epistola, quam legere est apud S. Gregorium Turonensem, lib. IV *Historiæ*, c. XLIII, scribit Agnetem, monasterii sui abbatissam, beati Germani Parisiensis episcopi benedictione consecratam fuisse. Obiit Germanus anno Christi 560, ut vel inde intelligas quam antiqua sit in Ecclesia benedictio seu consecratio Abbatissarum. Ejus ritus fuse describitur in Ordine antiquo Romano ex vetusto Canone Theodori Anglorum episcopi, qui, uti alibi dictum est, obiit anno 690. In quo autem antiquus ritus a recentiori differat, ex iis quæ infra suis locis dicentur, facile intelliges.

§ I.

Electa in Abbatissam et confirmata benedici debet in die Dominico, vel aliis quibus consecrantur virgines, si non est prius consecrata et velata; alioquin fieri potest qualibet die, hoc modo. Pontifex paratus omnibus Pontificalibus ornamentis apud altare majus paratum cum sua credentia, et rebus consuetis, procedit in Missa usque ad *Alleluia*, si dicitur, sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Interim Electa in veste sua audiat Missam in choro, quæ dici debet de die cum Collecta pro Electa sub uno *Per Dominum*, ut infra, Pontifice celebrante.

ORATIO.

Da, quæsumus, Domine, huic famulæ tuæ, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum, et ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Etsi longe ante annum Christi millesimum sæculi principes electionibus Abbatissarum se immiscerent, admoniti tamen non semel fuerunt a sacris Synodis ut rem tanti periculi a se amoverent : « Similiter poscimus, inquit Con » cilium Aquisgranense II, ut in Abbatissis con-

Digitized by Google

» stituendis, et rectoribus monasteriorum, » vestrum specialiter caveatis periculum, sicut » vobis sæpe est dictum, et per divinam aucto- » ritatem crebrius manifestatum. » Hinc libro v *Capitularium regum Francorum*, cap. ccxxxi, jubetur eligi Abbatissam a cuncta congregatione, et ubi juramento firmatum fuerit nulla terrestris cupiditatis instigatione celebratam electionem tunc ab Episcopo quoque confirmari : « Abbatissa eligatur a cuncta congregatione, » non secundum ordinem, sed quam melioris » opinionis esse constiterit, et quam meliores » elegerint. Et qui eam eligunt, proponant san- » ctis Evangeliis dicentes, quod non propter » amicitias, vel gratiam humanam, sed scientes » eam fide rectam, et vita castam, et admini- » stratione dignam, ad omnemque statum mo- » nasterii utilem, et tunc confirmetur ab Epi- » scopo cui subjectum est. » Necesse itaque fuit non modo a tota congregatione eligi Abbatissam sola meritorum contemplatione, sed et ab Episcopo confirmari. Electa enim in Abbatissam et confirmata benedici debet, uti in nostra Rubrica præscriptum est ex veteri Ecclesiæ disciplina, et quidem qualibet die, ut affirmat Glossa canonici juris in Clementina *Attendentes*, § *Statuimus*, verbo *Benedici*, tit. *De statu Monachorum*.

II. Sed discutiamus, quæso, celebrem laudatæ *Clementinæ* locum, qui Abbatissarum benedictionem spectat quam maxime : « Statui- » mus insuper, inquit, ut quævis ad regimen » abbatiarum assumptæ, in monasteriis, in » quibus Abbatissæ sunt solitæ benedici, infra » annum a suæ confirmationis tempore compu- » tandum, munus benedictionis suscipiant; » alioquin a jure suo, nisi subsit rationabilis » causa, se noverint cecidisse. » Ubi nota quod docent passim doctores, non omnes Abbatissas teneri benedictionem suscipere, sed inspiciendam esse monasterii consuetudinem quadraginta annorum spatio roboratam; atque ita intelligendam puto nostri Pontificalis Rubricam, *Electa in Abbatissam, et confirmata benedici debet;* si nimirum hujusmodi benedictionis eo in monasterio usus vigeat; tunc enim si Abbatissa, quæ ex vi consuetudinis sui monasterii benedici consuevit, infra annum a die confirmationis, benedictionem suscipere non curaret, a jure suo excideret aliaque Abbatissa eligeretur, nisi forte rationabili excusationi locum daret, vel ejus infirmitas, vel Episcopalis sedis vacatio, vel aliud legitimum id genus impedimentum ut post Glossam passim docent doctores.

III. Quanquam vero, ex traditis ad initium tituli, Abbatissas Episcopi benedicere consueverint, admonendum hic tamen videtur Abbatissas exemptas, et Abbatibus subjectas, quæ per consuetudinem solitæ sunt benedictionem accipere, ab eisdem esse benedicendas. Non enim obstat, quod Augustinus Barbosa, *De officio et potestate Episcopi*, parte II, allegatione XXVII, num. LI, et alii dicant, ad Episcopum spectare benedictionem Abbatissarum. Nam respondet Tamburinus, tomo I *De jure Abbatum*, disputatione XXII, quæsito VIII, intelligendum id esse de Abbatissis non exemptis, quæ sub Episcopi potestate et jurisdictione sunt, non autem de aliis, ne frustra exemptæ dicerentur. Addi etiam hic potest tum Innocentium VIII cum etiam Clementem VIII concessisse Abbati Cisterciensis Ordinis generali, ut possit non modo ipse Abbates et Abbatissas ordinis sui benedicere, sed etiam deputare vicarios per provincias qui benedictionem novis Abbatibus atque Abbatissis impenderent, uti videre est apud Renatum Choppinum in suo *Monast.*, lib. II, tit. I, num. VII, in margine, et apud laudatum Tamburinum, disputatione XI, quæsito XI. Atque hinc est quod Benedictus XIII, in sua Constitutione qua Abbatibus regularibus perpetuis injunxit ut infra annum a die eorum electionis Episcopalem benedictionem suscipere teneantur, specialia indulta præservans, sic præscripserit : « Quod vero ad Abbates, » quibus a Romanis Pontificibus prædecesso- » ribus nostris indultum fuerit, ut a suis Supe- » rioribus regularibus, vel ab eorum Prælatis » delegatis benedictionem sumere possint, etc. » Cæterum Abbatissæ ordinationem fieri posse a Presbytero, expressum quidem habetur in Capitulo Theodori archiepiscopi Cantuariensis, num. II. « Presbyter, inquit, potest Abbatissam » consecrare cum Missæ celebratione. » Ubi nota veterem fuisse ritum ut non nisi cum Missæ sacrificio, quam ipsa audiret, benedictio Abbatissæ perageretur. Cui ritui plane consentit Rubrica nostri Pontificalis, ubi ait : « Interim » Electa in veste sua audiat Missam in choro. » Qualis autem Missa in benedictione Abbatissæ ab Episcopo diceretur ante emendationem Ro-

Digitized by Google

mani Pontificalis auctoritate Clementis VIII et Urbani VIII factam, vide in editis Pontificalibus ante ipsos Romanæ Sedis Episcopos.

IV. Varias rationes, propter quas Abbatissa benedici solet, egregie complexus est vir æque pius ac doctus Humbertus de Romanis Burgundus, quintus Ordinis Prædicatorum generalis magister, qui obiit circa annum millesimum ducentesimum septuagesimum sextum. Is auctor præclarissimus, lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, cap. XXXVII, de solemni benedictione Abbatissæ disserens, inter alia ita scribit : « Ideo ultra consecrationem virginum datur ei » specialis benedictio postquam electa fuerit » in Abbatissam, ut ipsa superegrediatur uni- » versas. Item notandum quod diabolus, qui » habet speciales inimicitias ad mulieres secun- » dum quod dicitur Genesis III, majorem habet » contra illam quæ præest, quia totum pondus » vertitur super tales. Item onus custodiæ ani- » marum est tantum, quod est ipsis angelicis » humeris formidandum. Item hujusmodi præ- » latio requirit occupationem non solum circa » spiritualia, sed etiam temporalia, in qua de » facili declinatur a bono. Et ideo bene est ne- » cessaria gratia Abbatissæ, ut ejus adjutorio » melius resistere possit diabolo, et onus præ- » dictum melius portare, et inter occupationes » mundanas melius se custodire a malo. Præ- » terea, ad eam quæ præest, pertinet fortiter » in multis agere, prudenter subditas edocere, » sanctitatis exempla in se monstrare. Cum ergo » mulier de sui natura sit debilis, et minus » prudens, et prona ad malum, bene est Abba- » tissæ gratia necessaria, per quam contra na- » turam sexus sui reddatur fortis, et prudens, » et sancta. Præterea Abbatissa habet facere » multa cum superioribus, Deo scilicet et An- » gelis, et cum inferioribus suo regimini sub- » jectis : item cum exterioribus circumquaque » adjacentibus, et inde bene indiget gratia, ut » sit gratia superius per sanctam conscientiam, » inferius per regimen gratiosum, exterius per » bonam famam. Porro virtute benedictionis » creditur, quod datur abundantia gratiæ ; et » ideo cum Abbatissa tot indigeat gratiis, bene » ordinatum est ab Ecclesia ut benedicatur. » Hactenus ipse Humbertus, cujus opera videri possunt tomo XXV *Bibliothecæ Patrum* ultimæ editionis.

§ II.

Dicto Graduali, seu Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra. Electa vero e monasterio egressa, associata a duabus matronis senioribus, ac velo ante faciem demisso, Pontifici præsentata, coram eo genuflexa in manibus habens schedulam scriptam, et suo pendenti sigillo sigillatam, debitæ fidelitatis juramentum præstat Pontifici suo Ordinario in hunc modum : *Ego N. monasterii N. ordinanda Abbatissa, promitto coram Deo et Sanctis ejus, et hac solemni Sororum congregatione, fidelitatem dignamque subjectionem, obedientiam et reverentiam matri meæ Ecclesiæ N.* nominando Ecclesiam cujus jurisdictioni ordinariæ subjecta existit, *tibique N. Domino meo ejusdem Ecclesiæ patriarchæ* (vel *archiepiscopo*, aut *episcopo*), *et successoribus tuis secundum sacrorum Canonum instituta, et prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum.*

§ III.

Si vero fuerit exempta, ita præstabit juramentum : *Ego N. monasterii N. ordinis S. N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. suisque successoribus canonice intrantibus, et tibi, vel pro tempore existenti meæ Religionis Superiori secundum Regulam sancti Patris nostri N., et prædicti Ordinis Constitutiones.*

Digitized by Google

Deinde librum Evangeliorum, quem Pontifex super genua sua tenet apertum, inferiori parte ejusdem libri Electæ versa, quam ipsa Electa ambabus manibus super scripturam positis tangit dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum Abbates qui privilegiorum expertes erant, professionem subjectionis, dum benedicebantur, faciebant Episcopis suis, ita etiam Abbatissæ; adeo ut Episcopus Pictaviensis Abbatissam Fontis-Ebraldi, tametsi contrariis munitam privilegiis huc adegerit, et contra privilegium consuetum, Abbatissam ipsam coegerit professionem sibi et obedientiam promittere, quam sibi Apostolica Sedes retinuerat, ut conquiritur Petrus abbas Cellensis, lib. I, epistola III ad Alexandrum Papam III, juxta editionem viri clarissimi Jacobi Sirmondi, tomo III Operum. Verba Cellensis in ea Epistola hæc sunt : « Ubi causæ postulandæ perorare » per se sufficit prærogativa, solet rogantis etiam » minus idonea recipi persona. Supplet namque » dignitas petitionis insufficientiam postulantis. » Prædecessorum vestrorum privilegiis et be- » neficiis Abbatiam Fontis-Ebraldi sublimatam » et communitam, ubique divulgatum et no- » tum est in partibus nostris. Episcopus autem » Pictaviensis cum rigare debuisset, et fovere » plantationi dextræ Dei et vestræ, nititur liber- » tatem hujus Ecclesiæ diminuere et contra » privilegium consuetum Abbatissam cogit » professionem sibi et obedientiam promittere, » quam sibi Sedes Petri retinuit. Gloriam itaque » vestram alteri non detis, sed omni remoto » mediatore, propria benedictione et prote- » ctione, et Abbatissam, et abbatiam, ut dignum » est, foveatis. » Sane docet in Nota ad eam Epistolam Sirmondus ex Sugerii abbatis Epistola ad Eugenium III, veterem fuisse controversiam ut Episcopi Abbatissas ad professionem sibi faciendam cogerent; additque Hadriani IV exstare in tabulario Fontis-Ebraldi rescriptum, quo statuit ut Abbatissa professionem Episcopo Pictaviensi et obedientiam ea lege præstet, ut Episcopus monasterio nihil oneris imponat. Ex quo quidem patere infert auctor eruditissimus, aut Moniales decreto Pontificis non statim paruisse, aut Epistolam hanc non Alexandro scriptam fuisse, sed Hadriano ante ejus rescriptum.

II. Tradit præterea Mabillonius, Præfatione I in *Sæculum* VI *Ordinis S. Benedicti*, ubi ait Cellensis Sedem Petri hanc sibi professionem retinuisse, id quidem argumento esse Abbates Abbatissasve a communi jure exemptos, Pontifici Romano id genus professionis facere solitos fuisse, qualis est professio Nicolai abbatis Corbeiensis in manuscripto codice Corbeiensi sub hac forma : « Ego Nicolaus nunc ordinan- » dus Abbas ad titulum S. Petri Corbeiæ, sub- » jectionem et reverentiam a sanctis Patribus » constitutam, et obedientiam secundum præ- » ceptum S. Benedicti, sanctæ Dei Romanæ » Ecclesiæ, et Domino Papæ Innocentio ejusque » successoribus, in præsentia Domini Milonis » Tarvanensis episcopi, perpetuo me exhibitu- » rum promitto et propria manu firmo. » Cæterum ubi Abbatissa non exempta benedictionem suscipiebat, professionem obedientiæ ac reverentiæ proprio suo Episcopo facere tenebatur; « Faciat professionem, » inquit manuscriptum Pontificale Bisuntinum, « ut in benedictione » Abbatis Monachi. » Fiebat autem ea professio ex præscripto ejusdem Pontificalis hoc modo : « Ego ille N. nunc ordinandus Abbas, subje- » ctionem et reverentiam a sanctis Patribus » constitutam, secundum præceptum sancti » Benedicti, S. Sedi N. Ecclesiæ in præsentia » Domini Episcopi N. perpetuo me exhibiturum » promitto et propria manu firmo. » Formula certe professionis, quæ nostræ hujus Rubricæ fere omnino consentit, est illa quæ habetur in manuscripto Pontificali Vaticano, numero 4744, in Rubrica de confirmatione et benedictione regularis Abbatis, his verbis : « Ego enim » S. talis monasterii ordinandus Abbas, vel » Abbatissa, promitto coram Deo et sanctis ejus, » et Fratribus hac congregatione solempni, fide- » litatem, dignamque subjectionem, obedien- » tiam et reverentiam matri meæ Ecclesiæ tali, » tibique P. Domino meo ejusdem Ecclesiæ » episcopo, et successoribus tuis secundum sa- » crorum instituta Canonum, et prout præcipit

Digitized by Google

» inviolabilis auctoritas Romanorum Pontifi-
» cum; et hæc manu propria super hoc altari,
» vel super hæc sacrosancta Evangelia jureju-
» rando firmo. »

III. Neque vero mirum videri debet quod Romani Pontifices vel Episcopi ab Abbatissis sibi subjectis juramentum hujusmodi exigant, cum non paucæ ex illis jam olim inventæ sint, quæ vel Episcopis, vel ipsis Romanis Pontificibus infestæ fuerunt. Scribit Baronius ad annum 1120, num. x, nullum expertum esse Callistum II negotium magis arduum, quam quod cum Abbatissa monasterii Sanctæ-Mariæ Capuæ agendum fuit; cum eam refractariam ac inobedientem penitus Apostolicis litteris semper invenerit, adeo ut post omnes adhibitas admonitiones comminationesque opus fuerit eamdem excommunicatione mulctare, et monasterium ejus subjicere interdicto. Verum nec sic quidem ipsam paruisse ait, sed Rinaldum comitem intercessisse, qui Casinense monasterium de bonis amissis, ipsa licet invita, in integrum restituit. « Ut plane, inquit Baronius, eidem
» Callisto contigerit reperire feminam pertina-
» ciorem contumacioremque imperatore schi-
» smatico, quem reddit tandem Romanæ Eccle-
» siæ obsequentem. » Fuit is Henricus V, de quo multa scribunt historici.

IV. Ante professionem debuit Abbatissa ex Pontificali manuscripto Senonensis ab Episcopo examinari : « Antequam, inquit, incipiatur in-
» troitus Missæ, aliquæ Moniales de abbatia,
» cujus est Electa, deducant Electam exami-
» nandam coram Archiepiscopo Pontificalibus
» induto, etc. » Id quod etiam ex Arelatensi manuscripto Pontificali præscriptum est : « Electa vero, antequam dicatur Evangelium,
» interrogetur, ut supra in benedictione Ab-
» batis. » Denique, ut hunc Commentarium absolvamus, præter Moniales, benedictioni novæ Abbatissæ interesse debebant, ex laudato Senonensi Pontificali, duæ vel tres Abbatissæ. Sic enim ait : « Debet Pontifex Missam celebrare,
» et eam benedicere cum duabus vel tribus
» Abbatissis. »

§ IV.

Tum Schedulam ipsam Pontifici tradit qui surgit cum mitra, et super faldistorium procumbit. Electa vero prosternit se super tapete ad ejus sinistram, et Chorus dicat Litanias, prout supra; in quibus cum dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus, etc.*, ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex surgit cum mitra, et baculum pastoralem in sinistra tenens, versus ad Electam dicit : *Ut hanc præsentem Electam bene✠dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Deinde dicit : *Ut hanc præsentem Electam bene✠dicere et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Tum iterum procumbit, et perficiuntur Litaniæ.

COMMENTARIUS.

I. Facto examine, et recitata professionis formula, eaque Pontifici tradita ab ipsa Abbatissa, dicuntur Litaniæ, et quidem hoc ritu juxta præscriptum manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Arelatensis : « Electa vero, antequam
» dicatur Evangelium, interrogetur ut supra in
» benedictione Abbatis, et post prosternat se
» ante altare supra tapetum, et statim sorores
» ejus incipiant Letaniam sub brevitate in
» choro. » Idipsum de Litaniis præscriptum legitur in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744. « Prostrat se ante altare
» supra tappetum, et statim sorores ejus inci-
» piunt Litanias, et proceditur in ejus benedi-
» ctione per omnia, sicut in Abbatis benedi-
» ctione dictum est, etc. » Ubi notandum est mentem esse hujus Pontificalis ut cum dictum fuerit : « Ut obsequium servitutis nostræ, etc., » tunc Episcopus ab accubitu surgens, et se ad Electam volvens, ac baculum in sinistra tenens, dicat primo : « Ut præsentem Electam tuam
» bene✠dicere digneris; » secundo vero : « be-
» ne✠dicere et sancti✠ficare digneris. » Hunc enim ritum in benedictione Abbatis mandat

Digitized by Google

servandum. Etiam juxta edita ante Clementem VIII Pontificalia, ad eum versiculum, « Ut » obsequium, etc., » debebat Episcopus ab accubitu surgere, et super Abbatissam ter signum crucis producere, dicendo : « Ut hanc præsen- » tem electam, etc. »

II. Hodie ex præscripto nostri Romani Pontificalis, is ritus ab Episcopo servatur, cum Cantores ad eum versiculum venerint, « Ut » omnibus fidelibus defunctis, etc. » Cui versiculo olim ille succedebat : « Ut obsequium » servitutis nostræ tibi rationabile facias : Te » rogamus audi nos; » uti constat ex antiquis editis Pontificalibus, in quibus etiam post ipsum versiculum Rubrica hæc legitur : « Hic datur » benedictio, sanctificatio et consecratio per » Pontificem rebus consecrandis, ut infra in » locis propriis dicetur. » Vide Pontificale Lugduni editum anno 1542, pag. 13, et Pontificale Venetiis apud Juntas impressum anno 1572 itemque alia antiquiora. Ut autem videas quam antiquus sit ritus dicendi Litanias in benedictione Abbatissæ, mandat vetus Ordo Romanus, ubi agit de Ordinatione Abbatissæ monasticam Regulam profitentis, ut « post » Antiphonam ad Introitum, et datam Oratio- » nem, et reliquum officium Missæ usque ad » Evangelium, prosternat se Electa ante altare » retro Episcopum, cum duabus vel tribus de » sororibus suis, fiantque ibi Litaniæ. »

§ V.

Quibus finitis, surgit Pontifex, Electa adhuc prostrata manente; et stans versus ad illam, deposita mitra, dicit : *Pater noster, etc.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eam.* ℣. *Hæc accipiet benedictionem a Domino.* ℟. *Et misericordiam a Deo salutari suo.* ℣. *Memor esto congregationis tuæ.* ℟. *Quam possedisti ab initio.* ℣. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum.* ℟. *Ex hoc nunc, et usque in sæculum.* ℣. *Dominus custodiat te ab omni malo.* ℟. *Custodiat animam tuam Dominus.* ℣. *Domine Deus virtutum, converte nos.* ℟. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum; et hanc famulam tuam, quam ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Cunctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias Præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque devotis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam, quam communis electio famularum tuarum Abbatissam ovium tuarum constituit, protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque regere subditas, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cœlorum adipiscatur; quatenus, te, Domine, opitulante, apostolicis jugiter fulta doctrinis, centesimo cum fructu læta introeat portas paradisi; atque a te, Domine, collaudante, audire mereatur : Euge serve bone et fidelis, quia in

Digitized by Google

pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. *Quod ipse præstare digneris, qui vivis et regnas, Deus.*

COMMENTARIUS.

I. Litaniis recitatis, Electa adhuc prostrata manente, dicit Episcopus, ex veteri Ecclesiæ instituto, *Pater noster*, una cum quibusdam Versiculis et Orationibus, uti videre est in Ordine antiquo Romano de Ordinatione Abbatissæ monasticam Regulam profitentis; ubi tamen præscriptum legimus, ut postquam dixerit, *Domine, exaudi orationem meam*, et responsum fuerit, *Et clamor meus ad te veniat*, benedicat eam Episcopus inclinato capite dicens : *Dominus vobiscum, etc.* Item in ipso Ordine statim post Orationem, « Concede, quæsumus, » sequitur hæc alia Oratio : « Exaudi, quæsumus, Domine, » preces humilitatis nostræ, et super hanc » famulam tuam gratiam tuæ benedictionis » effunde, quatenus per nostræ manus impo- » sitionem inter fideles dispensatrices invenia- » tur, et cum subditis sibi gregibus placere tibi » mereatur. Per. » Tum sequitur Oratio : « Cunctorum operum institutor, etc., » quam legere est in omnibus pene manuscriptis Pontificalibus.

§ VI.

His dictis, Electa surgit, et ante Pontificem genuflectit, qui prosequitur, manus ante pectus extensas tenens, dicens : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, affluentem spiritum tuæ bene✠dictionis super hanc famulam tuam, nobis orantibus, propitius infunde.* Pontifex imponit ambas manus extensas, digitis tamen non disjunctis, super caput Electæ, et eas sic tenet prosequendo : *Et quæ per nostræ manus impositionem hodie Abbatissa constituitur, sancti✠ficatione tua digna, a te electa permaneat, et nunquam postmodum a tua gratia separetur indigna.* Pontifex amovet manus de capite Electæ, prosequens, ante pectus eas extensas tenens : *Suscipiat, te, Domine, largiente, hodie in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam. Te auxiliante, Domine, talis in hoc monasterio perseveret, qualis Levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare : totam ab hac die mundanam conversationem despiciat : tua, Domine, bene✠dictione largiente, contemnat præsentia, diligat cœlestia, desideret sempiterna : sit exemplum et forma justitiæ ad gubernandam regendamque Ecclesiam tuam fideliter, ut speculatrix idonea inter suas collegas semper efficiatur : sit magni consilii industria censuræ et efficacia disciplinæ : ita, te, Domine, tribuente, in omnibus mandatis tuis, sine reprehensione tibi mundo corde serviens, ut ad bravium supernæ vocationis, multiplicato fœnore, cum centesimo fructu coronaque justitiæ, ad cœlestium thesaurorum dona tua perveniat.* Quod sequitur. dicit submissa voce, ita

Digitized by Google

tamen quod a circumstantibus audiatur : *Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Desumpta est hæc profecto Oratio una cum ritu, ut imponat Pontifex ambas manus super caput Electæ in Abbatissam, et deinde paulo post, ab ejusdem capite illas amoveat, a benedictione Abbatis auctoritate Apostolica, uti in eo titulo videre est ad § XIV. In ordine antiquo Romano, quemadmodum duplex est ordinatio Abbatissæ, una canonicam Regulam, altera monasticam profitentis, ita etiam duplex habetur formula, diversa quidem ab illa quæ in nostro hoc præsenti § describitur, uti ex quibusdam Pontificalibus liquido constat, et ex ipso Romano Ordine utrumque ritum ad ordinandam Abbatissam, sive canonicam, sive monasticam Regulam profitentem referente.

II. Certe admonendi de illo hic sumus, orationem istam Episcopi, ejusque manus impositionem super Abbatissæ capite, nullum eidem imprimere characterem, vel spiritualem potestatem tradere, sed esse tantum meram ac nudam cæremoniam, in qua Episcopus orat cum Ecclesia, ut electa Abbatissa Monialium familiæ sibi creditæ pie et sancte invigilet. Docemur enim passim ex divina Scriptura, sexum muliebrem nativo quodam pudore, et naturali subjectione ineptum esse docendis fidelibus, aliisque publicis muneribus perfungendis, quæ sacræ Ordinationis sacramento conjuncta sunt : *Mulieres*, inquit S. Paulus in Epistola I ad Corinthios, cap. XIV, *in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sicut et Lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi suos viros interrogent : turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Idipsum docet in Epistola I ad Timotheum, cap. II : *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Ad quæ loca Apostoli attendens Tertullianus, ita scribit in lib. *De velandis virginibus*, cap. VIII : « Non permittitur mulieri in Ecclesia » loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offer» re, nec ullius virilis muneris, nedum sacra» mentalis officii, sortem sibi vindicare. » Hinc hæreticos quosdam idem auctor suggillat in libro *De præscriptionibus*, cap. XI, quod in sua secta mulieribus sacros Ordines et Sacerdotium ipsum concederent : « Ipsæ mulieres hæreticæ, » quam procaces, quæ audeant docere, conten» dere, exorcismos agere, curationes repromit» tere, forsitan et tingere. » Fuisse propriam Pepuzianorum hæresim, admittere feminas ad Sacerdotium, testis est S. Augustinus in libro *De hæresibus* ad Quodvultdeum : « Pepuziani » tantum dantes mulieribus principatum, ut » sacerdotio quoque apud eos honorentur. »

III. His profecto mulieribus similes fuisse videntur nonnullæ Abbatissæ longe ante annum Christi millesimum ; audebant enim non modo proprias Moniales benedicere, sed et ipsarum ac virorum confessiones audire, atque legentes Evangelium publice prædicare. Id sane ex *Capitularibus Caroli Magni* demonstratur libro I, capite LXXVI, ubi interdicuntur Abbatissæ illis Sacerdotii muniis, quæ usurpaverant, ne benedictiones posthac infundant, ne manuum impositione signum crucis imprimant ipsis virorum capitibus ; ne denique sacris virginibus velum imponant : « Auditum est aliquas Abbatissas, » contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ, benedi» ctiones et manus impositiones, et signacula » sanctæ crucis super capita virorum dare, nec » non et velare Virgines cum benedictione Sacer» dotali : quod omnino a vobis, sanctissimi Pa» tres, in vestris parochiis illis interdicendum » esse scitote. » Istas benedictiones, et manuum impositiones eas verisimiliter fuisse autumo, quæ ad sacramentum Pœnitentiæ adhibebantur.

IV. Longe post Carolum Magnum, quod Abbatissæ in monasteriis suis eadem licentia abuterentur, et quid amplius sibi sumerent in Moniales suas, testis est Innocentius III, Palentino et Burgensi episcopis, et Abbati cuidam Cisterciensis Ordinis scribens, lib. XIII, epist. LXXXIV : « Nostris sunt auribus intimata, quod » Abbatissæ Moniales proprias benedicunt, ip» sarum quoque confessiones in criminibus » audiunt, et legentes Evangelium præsumunt » publice prædicare. » Ait id absonum esse et absurdum, monetque, quatenus ne id cætero fiat, curent firmiter inhibere ; eamque rationem assignat : « Quia licet beatissima Virgo Maria

Digitized by Google

» dignior et excellentior fuerit Apostolis uni-
» versis, non tamen illi, sed istis Dominus
» claves regni cœlorum commisit. » Quod etiam quædam Græcorum Abbatissæ voluerint suarum Monialium confessiones audire, constat ex Theodori Balsamonis Antiocheni patriarchæ Responsis ad Quæstiones Marci patriarchæ Alexandrini. Sciscitatur is enim in interrogatione XXXIV, an cum Abbatissæ petunt ab Episcopo potestatem audiendi confessionem Monialium, concedenda illi ea sit. Respondet autem Balsamon, nedum Abbatissis id concedi, sed nec Abbatibus quidem qui ad Presbyteratus Ordinem necdum evecti sunt.

V. Censet Thomassinus, parte I *veteris ac novæ Ecclesiæ Disciplinæ*, lib. II, cap. XII, num. XVII, in fine, quod, duce et auspice Jacobo Apostolo, sancti Patres hortarentur laicos fideles ut confiterentur invicem peccata sua, ut alii pro aliis orarent ac sibi invicem condonarent, his fortasse natam olim fuisse occasionem Abbatibus et Abbatissis ut confessiones istiusmodi audirent, confitentibus salubria insusurrarent monita, denique preces pro iis funderent, qui his humilitatis exercitiis leviores et quotidianas culpas abstergere satagebant. Tum addit laudatus auctor id prorsus inculpatum fuisse, si nihil hæc ad sacramentum pœnitentiæ persuasum sibi habuissent. Tradit vero Christianus Lupus in scholio ad caput tertium libri Tertulliani *De præscriptionibus contra Hæreticos*, apud Gallos femineam audaciam occasionem originem sumpsisse ex Caroli Martelli in Ecclesiasticas facultates violenta rapina, quod nempe is homo nequissimus omnes Francici regni per Galliam ac Germaniam Ecclesias redegerit ad extremam inopiam, atque ita plures tandem Episcopis ac Clericis orbarit. Ex tunc, inquit, quasdam Abbatissas, quod Episcopos non haberent, cœpisse suas Moniales velare et consecrare; abusumque transiisse in firmam adeo consuetudinem, ut non solummodo per Magnum Carolum, sed et per ejus filium successorem Ludovicum Pium, et varias sub ipsis Synodos debuerit impugnari et aboleri. Vide *Synodum Parisiensem* VI, lib. I, cap. XLIII.

VI. Ego abusum inde natum autumo, quod Abbatissæ de benedictione sibi collata superbirent certis quibusdam orationibus ac cæremoniis, ac præsertim manus Episcopalis impositione, perperam sibimetipsis suadentes eam benedictionem esse quamdam ordinationem sacram, per quam valerent Moniales benedicere, earum confessiones excipere, publice Evangelium prædicare, et complura alia Episcopalia munia invadere et exercere. Scio multa a Romanis Pontificibus concessa, sive potius extorta in gratiam Abbatissarum privilegia, ac in iis proferri Honorii III rescriptum, quo Abbatissæ monasterii Quidliburgensis, sive alterius (nam corruptum hoc nomen fuisse editionum diversitas suspicionem facit) in Canonicas suas et Clericos jurisdictio Ecclesiastica videtur conferri : « Dilecta » (inquit Honorius in cap. XII, *De majoritate et obedientia*, ad Abbatem Sancti-Michaelis Abradensis scribens) « in Christo
» filia Abbatissa Quidliburgensis, transmissa
» nobis petitione, monstravit quod cum ipsa
» plerumque Canonicas suas et Clericos suæ ju-
» risdictioni subjectos, propter inobedientias et
» culpas eorum, ab officio et beneficio suspen-
» dat; et iidem confisi ex eo quod eadem Abba-
» tissa eos communicare non potest, suspensio-
» nem hujusmodi non observant, propter quod
» ipsorum excessus remanent incorrecti. Quo-
» circa discretioni tuæ mandamus, quatenus
» dictas Canonicas et Clericos ut Abbatissæ
» præfatæ obedientiam et reverentiam debitam
» impendentes, ejus salubria monita et mandata
» observent, monitione præmissa, per censuras
» ecclesiasticas, appellatione remota, compel-
» las. » Hæc Honorius, ex quo inter alios Emmanuel Gonzalez Commentario ipsius capitis XII, potestatem Ecclesiasticam amplam Abbatissis concessam infert, adeo ut etiam ab officio et beneficio Clericos sibi subditos suspendere possint : « Abbatissa, inquit Gonzalez, subditos
» excommunicare non potest; suspendere autem
» ab officio et beneficio valet, si sibi obedientiam
» et reverentiam non præstent. »

VII. Verum ut recte docet post Glossam, verbo *Jurisdictioni* in dicto capite, eruditus Hallierius *De sacris Electionibus et Ordinationbus*, pagina 518, neque hoc inferri potest; quippe cum non definiat Papa utrum Abbatissæ suspensionis proprie dictæ, quæ violata irregularitatem induceret, ferendæ auctoritatem habeant, quinimo videtur eis hanc auctoritatem denegare, dum contemptores sententiæ ab Abbatissa profectæ, ad ejus observationem, si sa-

Digitized by Google

lutaris fuerit, per censuras Ecclesiasticas, ab Abbate compelli jubet : adeo ut præcipiendi quidem auctoritatem Abbatissæ concedere, compellendi autem per censuras potestatem denegare, et in alium transferre videatur. Porro Cupersani, quæ civitas est in nostro Neapolitano regno, exstat inter alia celeberrimum Sanctimonialium monasterium Ordinis Cisterciensis, Apostolicæ Sedi immediate subjectum, multis opibus ac magnis privilegiis decoratum, cui fere in tota Italia aliud simile minime reperitur, teste Ughello, *Italiæ sacræ* tomo VII, ubi agit de Conversanis seu Cupersanis Episcopis; adeoque a jurisdictione Episcopi Cupersani Ordinarii exemptum est, ut Abbatissa, quæ usum baculi habet, in eodem monasterio, ac in oppido Castellanæ suæ diœcesis jurisdictionem quasi Episcopalem per suos tamen vicarios in Clericis et laicis, tam in spiritualibus quam in temporalibus exerceat, ac beneficia omnia conferat.

VIII. Aiunt plerique scriptores hoc monasterium sub S. Benedicti titulo a S. Mauro, ejusdem discipulo, in Monachorum usum constructum, ac deinde Rodolphum episcopum cardinalem Albanensem Apostolicæ Sedis in regno Siciliæ Legatum, auctoritate Clementis IV Romani Pontificis anno 1266, uti ex ejusdem litteris liquet, cum malitia temporum Abbate et Monachis destitueretur, accedente prece Philippi Constantinopolitani imperatoris illud cum omnibus juribus suis tradidisse Monialibus Sanctæ-Mariæ de Verge Ordinis Cisterciensis, Motonensis diœcesis, provinciæ Romanæ, Græcorum potentia a proprio monasterio una cum Demeta Palæologa abbatissa ejectis. Cum autem anno 1274, Stephanus episcopus Clericos Castellanæ absque Abbatissæ ejusque Vicarii commendatitiis litteris promovere niteretur, auctoritate Caroli I regis, causa Henrico Tarentino archiepiscopo demandata, atque discussa, jussus Episcopus abstinere, privilegio Abbatissæ illæso remanente, quod quidem Pius V, anno 1569, suo diplomate confirmavit indulsitque Isabellæ de Aquaviva præfati monasterii abbatissæ, ut opera quidem vicarii sui jurisdictionem, quam ex jure, vel consuetudine, aut Apostolico privilegio in Clericos Castellanæ habebat, exerceret, uti videre est apud Ughellum, tomo VII *Italiæ sacræ*, in Episcopis Cupersanis.

IX. Concessis a Romanis Pontificibus in gratiam aliarum Abbatissarum privilegiis, qualia sunt quæ monasterio Fontis-Ebraldi et aliis indulta narrantur, nolim cum laudato Hallierio vel fidem abrogare, vel auctoritatem adimere. Multa ait ex iis quæ proferuntur, esse dubia, multa dolo ac fraudibus obtenta, multa difficillimis Ecclesiæ temporibus tantum non violenter extorta, multa absque matura discussione gratiæ aut favori data : œconomicum inquit quoddam imperium Abbatissis in Clericos concedi potuisse, cum et matres in filios suos Sacerdotes maternam et œconomicam auctoritatem retineant; imperiumque istud ad imitationem potestatis beatæ Virginis in sanctum Joannem Evangelistam institutum fuisse, ad Monachorum humilitatem probandam permissum, ad commendandam posteritati egregiam quarumdam Monialium virtutem ab Ecclesia probatam, et in aliquorum beneficiorum, quæ Clerici a Monialibus quibusdam recepissent, recordationem, æquum visum fuisse; quod si lapsu temporis aliquid amplius sibi Abbatissæ hujusmodi arrogarunt, usurpatam fuisse hanc potestatem, non legitimam, quæ quacumque temeritate inoleverit, quacumque desidia vel adulatione fota fuerit, nulla poterit ratione defendi. Tandem concludit de benedictione Abbatissæ non esse opus fusiori discussione, quod nimirum satis pateat eam solum esse solemnem pro ea deprecationem, non sacram Ordinationem; in cujus rei argumentum binas citat Ivonis Carnotensis episcopi Epistolas, LXXIII et LXXXIX, unam Bernardo Majoris-Monasterii Abbati missam, alteram Paschali Summo Pontifici.

X. Illustranda insuper nobis superest præfatio Episcopi, qui in præsenti § Deum exorat ut electa Abbatissa Monialium familiæ sibi creditæ pie et sancte invigilet, suo bono exemplo ac religiosis operibus. « Sane monasterii puellaribus tales, » inquit Concilium Cabilonense secundum anni 813, canone LII, « præesse debent » feminæ, et Abbatissæ creari, quæ et se, et » subditum gregem cum magna religione et » sanctitate custodire norint, et his quibus præ» sunt, prodesse non desinant : sed et se, et » illas ita observent, ut pote vasa sancta in mi» nisterio Domini præparata. Talem enim se » debet Abbatissa exhibere subditis in habitu, » in veste, in omni convictu, ut eis ad cœlestia » regna pergentibus ducatum præbeat. Sciat

Digitized by Google

» etiam se pro his, quas in regimine accepit, in » conspectu Domini rationem reddituram. » Et can. LIV mandat ut Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, et provideat ut in lectione, et in Officio, et in Psalmorum modulatione, ipsæ Sanctimoniales strenuæ sint, et in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, ut pote pro animabus earum rationem in conspectu Domini redditura, et stipendia Sanctimonialibus præbeat necessaria, ne forte per indigentiam cibi et potus peccare compellantur. Vide sis ejusdem Synodi Canonem LIV et sequentes, qui vitam, honestatem ac bonum regimen Abbatissarum spectant. Vide Concilium Moguntinum anni 813, c. XIII, et Francfordiense anni 747, ubi jubent Patres « ut de Abbatissis, quæ canonice aut regula» riter non vivunt, Episcopi requirant, et regi » annuntient, ut ab honore priventur. »

XI. Latissime ea de re profecto disserit Concilium Aquisgranense anno 816 celebratum, lib. II, cap. VII, in quo inter alia sic inquit : « Nosse eas oportet, quia non ideo prælatæ sunt » ut se solummodo, sed potius ut se subditasque » pascant, carnaliter videlicet et spiritualiter; » nec ut præsint tantum, sed ut prosint, a Do» mino sunt aliis prælatæ. Ergo necesse est ut » se sibique subditas in proposito sanctæ reli» gionis solerter constringant. Et sicut alias » præcedunt prioratus honore, præcedant etiam » piæ conversationis exemplo; et quæ aliis » facere prohibent, nullatenus perpetrent. » Et paulo post, ut ostendat magis magisque quales esse debeant Abbatissæ animarum ductrices, Epistolam sancti Cæsarii laudat, quam ad Oratoriam Abbatissam scripsit, ex qua quædam capitula ob instructionem ipsarum Abbatissarum excerpere etiam curavit, et Canoni huic adnectere ; quæ utinam una cum plurimis præfati Concilii anonibus ab Episcopis, et ab Caliis sacris monasteriorum Præfectis, Abbatissis ipsis ac Monialibus assidue inculcarentur, pro earum bono regimine, animarum profectu ac populorum ædificatione.

§ VII.

Tunc Pontifex adhuc sine mitra, ut supra, stans dicit :

OREMUS.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da huic famulæ tuæ prosperum suæ dignititas effectum, in qua semper te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnium, Domine, fons bonorum, justorumque provectuum munerator, tribue, quæsumus, huic famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, famulæ tuæ, ut ostendendo et exercendo quæ recta sunt, per exemplum bonorum operum, animas suarum instruat subjectarum, et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas undas, cum tympanis et choris lætam ad littus maris

Digitized by Google

venire fecisti; te supplices deprecamur pro hac fideli famula tua, quæ hodie super universas sibi subditas Abbatissa constituitur, ut ita monastica vel canonica norma tueatur cunctas famulas tuas sibi commissas, quatenus ad æternam gloriam, te auxiliante, cum omnibus illis introeat læta, ibique exsultans cum angelis, canens cantica nova, sequatur agnum quocumque ierit, Jesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Abbatissam adipisci ex sua benedictione dignitatem, liquido constat non modo ex vetusta prima hujus § Oratione, verum ex cap. *Indemnitatibus, De electione* in Sexto. Exstant autem hæ quatuor Orationes in Ordine antiquo Romano ad eum titulum qui inscribitur : *Ordinatio Abbatissæ monasticam regulam profitentis*, dicendæque præscribuntur post Regulæ quidem traditionem, diverso ordine, ac in nostro hodierno Pontificali Romano habentur. Ibi enim prima Oratio incipit : *Domine, Deus omnipotens, qui sororem Moysi, etc.* Secunda, *Concede, quæsumus, etc.* Tertia, *Omnium, Domine, fons bonorum, etc.* Quarta demum pro adepta dignitate, *Deus cui omnis potestas, etc.* In recentioribus manuscriptis Pontificalibus, una vel altera Oratione tota Abbatissæ benedictio absolvitur, servatis tamen ritibus impositionis manuum, traditionis Regulæ, etc., etsi in manuscripto insignis Ecclesiæ Barensis Pontificali hæc duntaxat Oratio specialis legatur in benedictione Abbatissæ : *Domine, Deus omnipotens, qui sororem Moysi, etc.* Porro in hisce Orationibus orat Deum Episcopus ut, quemadmodum alibi dictum est, Abbatissa Monialium familiam sibi creditam exemplo vitæ ac bonorum operum instruat. « In omnibus » inquit S. Cesarius in Epistola ad Oratoriam Abbatissam, relata in laudata Aquisgranensi Synodo anni 816, libro II, cap. VII, « juxta Apostolum, temetipsam præbe » exemplum bonorum operum; vitaque tua, » velut pennatum animal, ad altum semper per » desiderium evolet, per verbum resonet, luceat » per exemplum. Cum vero ad annuntiandum » verbum Dei te sororibus affectaveris, prius » cauta consideratione pensa, ut quod ore pro- » mis, factis impleas, et quod aliis prædicas, » operibus præbeas, etc. »

II. In postrema tandem hujus § Oratione duo profecto notanda occurrunt. Primum, alludere ejus initium ad locum Exodi, cap. XV, ubi de Maria sorore Aaron ac Moysis legimus : *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt... mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat dicens : Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare;* Pharaonem scilicet et exercitum ejus, qui Moysen ac Dei populum persequebantur. Alterum vero est, postremam ipsius Orationis partem respicere locum Apocalypsis, cap. XIV, ubi de virginibus una cum Agno cantantibus, sic inquit Joannes versiculo IV : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Pulchre sanctus Augustinus in libro *De Virginitate*, capite XXVII : « Quo putamus, inquit, hunc agnum ire ? in » quos saltus et prata ? Ubi, credo, sunt gramina, » gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insa- » niæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso » regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a » cæterorum omnium gaudiorum sorte distin- » cta. Gaudium virginum Christi, de Christo, » in Christo, cum Christo, post Christum, per » Christum, propter Christum, etc. » Vide plura in illum Apocalypsis locum apud Cornelium a Lapide, insignem Societatis Jesu scriptorem, et apud alios sacræ Scripturæ Expositores.

§ VIII.

Tum sedet Pontifex accepta mitra, et tradit Abbatissæ coram se genuflexæ in manibus Regulam, dicens : *Accipe Regulam a sanctis Patribus traditam ad re-*

Digitized by Google

gendum custodiendumque gregem tibi a Deo commissum, quantum Deus ipse te confortaverit, et fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Dominici maternam providentiam et animarum procurationem; et per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cœlestis hæreditatis pascua, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Regulam Abbatissæ in sua benedictione traditam, non modo recentiores, sed et pervetusti libri Rituales docent. Vetus Ordo Romanus de Ordinatione Abbatissæ Canonicam regulam profitentis : « Tunc, » inquit (id est post recitatam Præfationem, in aqua sit manus impositio), « det ei Regulam dicens : Accipe Regu- » lam sanctæ conversationis, simulque gratiam » divinæ benedictionis, et ut per hanc cum grege » tibi credito, in stricti judicii die, Domino » incontaminata repræsentari valeas, ipse te » adjuvare dignetur qui cum Patre et Spiritu » sancto vivit et regnat Deus. » Ubi vero agit de Abbatissæ Ordinatione Regulam monasticam profitentis, ex duabus nostri hodierni Romani Pontificalis formulis primam duntaxat exhibet.

II. In plerisque libris manuscriptis Pontificalibus, ut Arelatensi, et Senonensi ante annos tercentos scripto, immediate post Regulæ traditionem, dari etiam baculum Abbatissæ consuevisse constat : « Consecrata (Abbatissa), » inquit Pontificalis codex Arelatensis, « accipiat » Regulam et baculum de manu Episcopi, di- » catque Episcopus : *Accipe Regulam*, ut supra » in benedictione Abbatis. Postea det ei bacu- » lum, dicens : *Accipe baculum*, ut supra. » Senonensis vero sic ait : « Tunc det ei Regulam, » et dicat legendo : *Accipe Regulam sanctæ* » *conversationis, simulque gratiam divinæ con-* » *versationis, et ut per hanc cum grege tibi* » *credito in districti die judicii Domino incon-* » *taminata repræsentari valeas, ipse te adju-* » *vare dignetur, qui vivit et regnat cum Deo* » *Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per* » *omnia sæcula sæculorum.* Electa. *Amen.* » Tunc det ei baculum, legendo dicens : *Accipe* » *baculum pastoralitatis, quem perferas catervæ* » *tibi commissæ ad exemplum justæ severitatis* » *et correctionis.* Electa. *Amen.*

III. Præter allata Pontificalium testimonia, usas jam olim fuisse Abbatissas baculis, sive ex veteri consuetudine, sive ex privilegio Apostolicæ Sedis, testantur non semel scriptores Ecclesiastici. Constat nobis inclyti monasterii Cupersani Abbatissam, de qua supra locuti fuimus, a sæculo XIII usum baculi habuisse.

§ IX.

Deinde, si prius dum erat monialis non fuit velata, Pontifex, deposita mitra, surgit, et benedicit velum, quod per unum ex ministris coram se tenetur, dicens :

OREMUS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hanc vestem ancillæ tuæ capiti imponendam bene✠dictio tua benigna descendat, et sit vestis hæc benedicta, consecrata, immaculata et sancta. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Caput omnium fidelium, Deus, et totius corporis, Salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque Genitricis beatissimæ Virginis Mariæ amorem suo capiti est impositura, dextra tua sancti✠fica, et hoc quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore pariter, et animo in-

Digitized by Google

contaminato custodiat, ut quando ad perpetuam Sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus et ipsa virginibus præparata, te perducente, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereatur. Qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde aspergit velum ipsum aqua benedicta : tum sedens accepta mitra, imponit illud super caput Abbatissæ, ita ut dependeat super scapulas, et ante pectus, et usque ad oculos, sic dicens : *Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Christo Jesu veraciter humiliterque toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam.* ℟. *Amen.*

Si vero Abbatissa prius velata fuit, omittuntur prædicta.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis de hac veli benedictione ac traditione Abbatissæ facienda, nulla in Ordine Romano, nulla etiam in manuscriptis Pontificalibus recentioribus habeatur mentio, fortasse quia supponunt benedictum datumque fuisse velum, ubi primum virgo consecrata fuit; exstat nihilominus celeberrimum ejus ritus monumentum in benedictione Abbatissæ, quam legere est in antiquo manuscripto codice quem litteris quidem majusculis ante annos mille exaratum in Bibliotheca Bobiensi reperit Joannes Mabillonius, vocatque Sacramentarium Gallicanum, tomo I *Musæi Italici*, pag. 388, ubi hanc fundit Orationem is qui Abbatissam benedicit : « Omnipotens Domine Deus, apud quem non » est discretio sexuum, nec ulla sanctarum dis- » parilitas animarum, qui ita viros ad spiritalia » certamina corroboras, ut feminas non dere- » linquas : pietatem tuam humili supplicatione » deposcimus, ut huic famulæ tuæ *ill.*, quam » sacrosancto gregi virginum nostrarum impo- » sitione manuum et hoc velaminis tegumento, » in Cænobio *ill.* matrem fieri optamus, cle- » mentia tua roboratrix perpetua non recedat. » Da ei, Domine, fortitudinem spiritalia bella » gerendi, ut nec honesta delaceret, nec inho- » nesta delectet; atque ita a te inluminata sibi » creditam multitudinem animarum, tuo sancto » nomini, jugiter admonendo, faciat inservire, » ut de nullius perditione confusa, tuæ Genitricis » adjungatur cætibus lætabunda, cum suis om- » nibus feliciter coronanda. Per, etc. » Ubi nota fieri in hac Oratione mentionem non modo veli traditionis, sed et impositionis manus ad Abbatissam benedicendam. Puto desumptam esse formulam tradendi velum ex consecratione virginum, ut suo loco ostendetur. Sciendum tamen est, juxta Pontificalia ante Clementem VIII edita, hac usum fuisse formula episcopum, cum velum Abbatissæ capiti imponebat : « Accipe » velamen sacrum, quod perferas sine macula » ante tribunal æterni Judicis, cui flectitur om- » ne genu cælestium, terrestrium et infernorum, » quo cognoscaris mundum contemsisse, et te » Christo Jesu veraciter humiliterque toto cor- » dis annisu sponsam perpetualiter subdidisse, » qui te ab omni adversitate defendat, et ad vi- » tam æternam perducat. »

§ X.

His finitis, surgunt omnes, et Pontifex procedit in Missa, quam Abbatissa in loco ad partem audit. Incepto a Choro Offertorio, et per Pontificem lecto, sedet Pontifex in faldistorio ante medium altaris, accepta mitra; et Abbatissa, præcedentibus eam duobus famulis, duo intortitia accensa portantibus, venit de loco suo, associata a duabus matronis, et coram Pontifice genuflectit, ac ei successive dicta duo intortitia offert, et Pontificis ea recipientis manum osculatur; tum ad

Digitized by Google

locum suum revertitur. Pontifex vero manus lavat, surgit deposita mitra, et Missam prosequitur.

SECRETA.

Oblatis hostiis, quæsumus, Domine, præsenti famulæ tuæ perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis summi Regis adventu, regnum cœleste cum lætitia mereatur intrare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XI.

Postquam Pontifex se communicaverit, Abbatissam communicet. Tum accepta mitra lavat manus; deinde prosequitur Missam usque ad benedictionem exclusive.

POSTCOMMUNIO.

Respice, Domine, famulæ tuæ tibi debitam servitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Missam in benedictione Abbatissæ celebrandam, superius demonstratum est, et quidem complurium Pontificalium et scriptorum veterum testimoniis; in ea ad Offertorium debere Abbatissam duos cereos Pontifici tradere, nullibi adhuc expresse legi præscriptum; si nimirum loquamur de manuscriptis Pontificalibus, etsi in nonnullis quidem dicatur, ut in Vaticano num. 4744, ubi agit de benedictione Abbatissæ, procedi in eadem « per omnia, sicut » in Abbatis benedictione dictum est, usque ad » finem, verbis masculini generis in feminino » mutatis. » De communione item ab ipsa percipienda, nec verbum quidem in eisdem reperitur; videntur nihilominus id supponere, ob eam rationem, quod idem ritus in Abbatissæ benedictione servari debet, qui in illa Abbatis usurpatur. Quod spectat ritum osculandi manum Pontificis, cum ipsi tradit Abbatissa cereos, non est quod suggillare possit quispiam, licita enim feminis fuere semper manuum sacrarum oscula ex testimonio atque exemplo sanctorum Patrum, inter quos audire præstat quid de S. Ambrosio Paulinus scripserit : « Cum » adolevisset, inquit, et esset in urbe Roma » constitutus cum matre vidua et sorore, quæ » virginitatem jam fuerat professa, comite alia » virgine, cujus virginis soror Candida, et ipsa » ejusdem professionis, quæ nunc Carthagine » degit jam anus; cum videret Sacerdotibus a » domestica sororis, vel matris, manus osculari, » ipse ludens offerebat dexteram, dicens et sibi » id ab eis fieri oportere, siquidem Episcopum » se futurum esse memoraret. Loquebatur enim » in illo Spiritus sanctus, qui illum ad Sacer- » dotium nutriebat; illa vero, ut adolescentem » et nescientem quid diceret, respuebat. » Et inferius subdit laudatus scriptor : « Post aliquot » annos ordinationis suæ ad urbem Romam, id » est ad proprium solum perrexit, ibique san- » ctam puellam, de qua supra memoravimus, » cui manum offerre solitus erat, in domo pro- » pria cum germana sicut reliquerat, invenit, » jam matre defuncta. Atque cum illa dexteram » illius oscularetur, subridens ait illi : Ecce, ut » dicebam tibi, Sacerdotis manum oscularis. » Atque, ut omittam celebre exemplum sanctæ Mariæ Œgniacensis, quæ, referente cardinali

Digitized by Google

Vitriaco lib. I ejus Vitæ, capite VI, Sacerdotum manus vel pedes præ eximia devotione osculabatur. Quod orationem spectat *Secretam*, et aliam quæ ad Postcommunionem dicitur, variant quidem libri Pontificales manuscripti inter quos Vaticanus, num. 4744, hanc dici orationem Secretam jubet : « Respice, Domine, propitius, etc. » Ad Postcommunionem vero Orationem istam recitandam mandat : « Purificent nos, quæsumus, Domine, sacramenta » quæ sumpsimus, et famulam tuam ab omni » culpa liberam esse concede, ut quæ conscien- » tiæ suæ reatu constringitur, cœlestis reme- » dii plenitudine glorietur. Per Dominum no- » strum, etc. » Quæ Oratio habetur quidem in editis etiam ante Clementem VIII Pontificalibus.

§ XII.

Dicto, *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, et *Placeat, etc.*, Pontifex cum mitra inthronizat Abbatissam in sede; et, si sit in proprio monasterio, dicit : *Accipe plenam et liberam potestatem regendi hoc monasterium, et Congregationem ejus, ac omnia quæ ad illius regimen interius et exterius, spiritualiter et temporaliter pertinere noscuntur.* Si vero benedictio fit extra monasterium suum, Pontifex dicit : *Sta in justitia et sanctitate, et tene locum a Deo tibi delegatum; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.*

NOTA.

I. Nihil prorsus de eo ritu habemus in Ordine antiquo Romano; desumptus autem videtur a benedictione Abbatis, ut ad eum titulum legere est. Innuit eum ritum manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ. Sed vide sis quæ in sequenti Commentario dicemus.

§ XIII.

Tunc Pontifex stans a dextris Abbatissæ, versus ad altare, mitra deposita, incipit cantando, Schola prosequente, Hymnum *Te Deum laudamus;* et dicitur totus, et Pontifex manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni. Interim, dum cantatur Hymnus, Abbatissa revertitur ad monasterium, associata, ut supra; et a Monialibus senioribus excipitur intra portam, atque ad chorum perducitur, ubi Moniales omnes faciunt ei reverentiam, singulariter genuflexæ ante illam, et recipiuntur ab ea benigne ad osculum. Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra, sedente Abbatissa in sede sua in choro, super eam dicit : ℣. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* ℟. *A templo sancto tuo quod est in Jerusalem.* ℣. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Famulam tuam, Domine, custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

§ XIV.

Deinde Pontifex, assumpta mitra, benedicit solemniter populo, dicens : *Sit nomen Domini, etc.*, et benedictione data, vadant omnes in pace.

COMMENTARIUS.

I. Ritus ipse paulo aliter in Ordine antiquo Romano, de Ordinatione Abbatissæ monasticam Regulam profitentis, describitur hunc in modum : « Si ordinatio Abbatissæ intra monaste- » rium suum facta fuerit, imponatur *Te Deum* » *laudamus*, populo acclamante *Kyrie eleison.* » Postea dicatur hæc Oratio pro adepta digni- » tate : *Deus, cui omnis potestas et dignitas* » *famulatur, da famulæ tuæ prosperum suæ* » *dignitatis effectum, in qua te semper timeat* » *tibique jugiter placere contendat. Per.* Item si » alibi consecrata fuerit Abbatissa, regressæ ad » monasterium omnis chorus Monacharum ho- » norifice obviam procedat, cum crucibus, aqua » benedicta, incenso et Evangelio, et in ipso » ecclesiæ introitu imponatur *Te Deum lauda-* » *mus*, turba acclamante *Kyrie eleison*, et Pre- » sbytero prosequente Orationem, ut supra, » *Deus, cui omnis potestas*, etc. » Ubi nota ritum accipiendi novam Abbatissam in monasterium, eique obviam fieri Monachas cum crucibus, aqua benedicta, incenso et Evangelio. Ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, si alibi quam in proprio monasterio Abbatissa benediceretur, ei ad monasterium venienti omnis chorus virginum cum processione accurrebat, cantando : *Dilexisti justitiam, etc.* Deinde ponebatur in cathedra, et dicebatur Oratio : *Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, etc.*

II. Tandem juxta ritum Pontificalis Ecclesiæ Arelatensis in eo titulo qui inscribitur : *Ordo ad Abbatissam faciendam*, post traditionem quidem Regulæ et baculi, Consecrator incipiebat *Te Deum laudamus ;* statuebatque eam in statione, vel loco qui Abbatissæ in choro deputatus erat, dicendo : « Sta in justitia et sancti- » tate ; et retine locum a Deo tibi delegatum ; » potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam. » cum vero ad secundum versum ventum fuerat, ubi dicimus, *Te æternum Patrem*, incipiebant eam osculari Sorores Congregationis, et quidem per ordinem, petentes reverenter veniam. Finito *Te Deum*, dicebat has preces Consecrator : *Salvam fac ancillam tuam. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. Nihil proficiat inimicus in ea. Memor esto congregationis tuæ. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* Postea hanc Orationem subdebat : « Concede, quæsu- » mus, omnipotens Deus, famulæ tuæ Abbatis- » sæ, ut ostendendo et exercendo quæ recta sunt, » exemplo bonorum operum animas suarum » et instruat subditarum, et æternæ remunera- » tionis mercedem a te piissimo pastore perci- » piat. Per. » Monet insuper laudatum Pontificale Arelatense, consecratæ Abbatissæ ad monasterium regressæ, si alibi nempe quam in proprio monasterio benedictionem suscepisset, omnem virginum chorum cum plenaria processione occurrere debuisse.

Digitized by Google

TITULUS XIX.

DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM.

I. Duplex fuisse vel primis Ecclesiæ sæculis virginum genus, dictum a nobis jam fuit in Commentario ad can. XVI Chalcedonensem, nostro tomo I *Conciliorum*. Tertullianus in celebri libro *De velandis Virginibus*, quasdam *Virgines hominum* vocat, quæ libere nubere poterant, virisque aliquando desponsandæ a parentibus destinabantur. Alias nuncupat *Virgines Dei*, quæ cœlesti Sponso carnem suam sanctificare proposuerant. Harum aliæ intra ædes paternas in interiori domus parte a conspectu virorum alienæ manebant, aliæ in collegiis, quæ nos monasteria dicimus; earumque originem, ut notavi in laudato Canone, jam inde ab Apostolorum ævo ducit cardinalis Baronius ad annum Christi 57, ex quibusdam veterum SS. Patrum locis, Ignatii Martyris episcopi Antiocheni, Clementis Romani Pontificis, ac præsertim maximi Ecclesiæ doctoris Hieronymi, qui lib. I *adversus Jovinianum* demonstrat, in quatuor filiabus Philippi diaconi, quarum in Apostolorum Actis, cap. XXI, S. Lucas meminit, post crucem Christi consecratas esse primitias virginitatis.

II. Ante Christi mortem B. Virginem omnium primam perpetuam vovisse virginitatem, passim affirmant sancti Ecclesiæ Patres, inter quos sanctus Ambrosius, *De institutione Virginis*, cap. V. « Egregia, inquit, Maria, quæ signum » sacræ virginitatis extulit, et intemeratæ inte- » gritatis pium Christo vexillum levavit. » S. Augustinus, ut alios omittam, in lib. *De sancta virginitate*, cap. IV, idipsum profecto docet, probatque ex ejusdem Virginis ad Archangelum Gabrielem responso : « Ipsa quoque virginitas » ejus (Mariæ) ideo gratior et acceptior, quia » non eam conceptus Christus viro violaturo, » quam conservaret ipse, præripuit; sed prius- » quam conciperetur, jam Deo dicatam, de » qua nasceretur, elegit : *Quomodo, inquit, fiet* » *istud, quoniam virum non cognosco?* Quod » profecto non diceret, nisi Deo virginem se » ante vovisset. » Scio hoc votum a nonnullis negari, sed vide sis Eminentissimum cardinalem Baronium in *Apparatu ad Annales Ecclesiasticos*, Christianum Lupum in Scholio capitis III libri Tertulliani *De præscriptionibus contra hæreticos*, et novissime eruditum Antonium Sandinum in *Historia Familiæ sacræ*, de Maria Virgine, cap. III.

III. Omissis itaque vanis moderni scriptoris novitatibus, quas non modo docti auctores libris editis solide confutarunt, sed et Apostolica Sedes suo non semel decreto proscripsit; sciendum est virginum Dei, de quibus in præsenti agimus, sive in domo paterna manerent, sive in communi domicilio monasticum institutum amplecterentur, duplicem vel olim fuisse consecrationem; unam per habitus immutationem, virginitatisque propositum Deo sponte promissum; alteram per Pontificalem manus et veli impositionem, solemnemque Episcoporum benedictionem; ut scite post eruditissimum Lupum observat Martenius, libro II *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. VI, *De consecratione seu benedictione solemni Virginum*, num. II, ubi affert luculentissimum S. Innocentii I testimonium, qui in Epistola ad Victricium Rothomagensem episcopum utriusque consecrationis meminit, ita inquiens cap. XII : « Quæ in Christo » spiritualiter nupserunt, et velari a Sacerdote » meruerunt, si postea vel publice nupserint, » vel clanculo corruptæ fuerint, non eas ad- » mittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi » is cui se junxerant, de sæculo recesserit, etc. » Capite autem XIII, sic ait : « Hæ vero, quæ nec- » dum sacro velamine tectæ, tamen in propo- » sito virginali se simulaverunt permanere (*sive*

Digitized by Google

» *ut alibi legitur*, semper manere promiserant) » licet velatæ non sint, si forte nupserint, his » agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia » sponsio earum a Deo tenebatur, etc. »

IV. Duplicis ergo ordinis sacras virgines distinguit Pontifex, alias « quæ Christo spiritaliter » nupserunt, » et velari a Sacerdote, seu ab Episcopo consecrari meruerunt; alias « quæ » necdum sacro velamine tectæ, tamen in pro» posito semper se permanere promiserunt. » Clarius de eadem re profecto scribit S. Leo in Epistola ad Rusticum Narbonensem episcopum: « Puellæ, inquit, quæ non coactæ parentum » imperio, sed spontaneo judicio virginitatis » propositum atque habitum susceperunt; si » postea nuptias eligunt, prævaricantur, etiamsi » consecratio non accessit, cujus utique non » fraudarentur munere, si in proposito perma» nerent. » Ubi nota primam consecrationem a laudato Pontifice *propositum* appellari, secundam vero simpliciter consecrationem dici. De ætate qua prior et altera consecratio celebrantur, sicut et de utriusque consecrationis ministro, tum apud Græcos cum apud Latinos mox in sequenti Commentario disputabimus.

V. Quod ergo spectat originem consecrandi virgines, sunt qui eam repetunt a temporibus Apostolorum: « Consecratio virginum, » inquit Ivo Carnotensis episcopus in Epistola XLI ad Gofredum Vindocinensis monasterii abbatem, « ex Apostolica auctoritate Episcoporum privi» legio reservatur. » Certe quod S. Matthæus Epigeniam, seu Ephigeniam filiam regis Æthiopum ad virginitatem induxerit, eamque plusquam ducentis virginibus præfecerit, dans eis sacrum velamen, et sacratissimam orationem super easdem fundens, quæ etiam hodie in quibusdam manuscriptis Pontificalibus reperitur, præter alios scriptores, Humbertus de Romanis affirmat lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, cap. XXX. Item quod S. Clemens S. Petri Apostoli discipulus, ac in Romano Pontificatu successor, sanctam Flaviam Domitillam, virginem ac martyrem, sacro velamine consecravit, ad diem VII maii testatur Romanum Martyrologium. Quod ipsum ad XXIII novembris diem affirmat Martyrologium sancti Adonis Viennensis.

VI. Hanc consecrationem ex tunc tanti quidem fuisse ponderis, ex eo probat laudatus Lupus, quod eamdem laudavit in libris adversus Parmenianum Donatistam Carthaginensem episcopum S. Optatus episcopus Milevitanus, qui de impio Idicrensi in Numidia apud eamdem factionem episcopo Felice ita scribit lib. II: « Interea supra memoratus Felix inter crimina » sua et facinora nephanda ab eo comprehensa, » puellam cui mitram ipse imposuerat, a qua » paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare » minime dubitavit. » Ubi scite observat eruditus Altaserra, *De jurisdictione Ecclesiastica*, lib. II, cap. VII, etiam Donatistas suas habuisse virgines, quæ ab ipsorum pseudo-Episcopis tertio fere Christi sæculo solemniter velabantur. Erat enim, uti scriptores docti docent, mitra apud Afros sacri veli species, quod per solemnes preces solitum erat ab Episcopo imponi, ejusque impositio profecto erat ipsa virginis consecratio. Hinc ad Demetriadem scribens S. Hieronymus de servanda virginitate, sic inquit: « Scio quod » ad imprecationem Pontificis, flammeum vir» ginale sanctum operuit caput. » Hinc S. Ambrosius in *Exhortatione ad Virgines*: « Venit » Paschæ dies, ait, in toto orbe baptismi sacra» menta celebrantur, velantur sacræ virgi» nes, etc. » Et ut videas quam sit antiqua hæc sacri veli solemnis impositio, adeoque et virginis consecratio, pervetustus scriptor Tertullianus in libro *De velandis Virginibus* sacrilegos quidem appellat, qui hoc velum detraxerint: « O sa» crilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum » detrahere potuerunt! » Sed de hoc ritu imponendi velum sacris virginibus, vide quæ infra suo loco dicemus.

VII. Quæri hic et illud potest, quodnam potissimum esset discrimen inter virgines quæ per habitus immutationem virginitatisque propositum sponte promissum Deo dicabantur, et illas virgines quæ per Pontificalem manus et veli impositionem, solemnemque Episcoporum benedictionem consecrabantur. Respondent nonnulli quod, licet sive illæ, sive istæ non nisi continentiæ, non autem obedientiæ, vel paupertatis voto priscis sæculis se illigarent, et primarum votum non esset nisi simplex tantum, et implicita castitatis professio, ac tandem licet neutræ possent nubere, quin ex sancto Cypriano, essent adulteræ Christi; ex Tertulliano, sacrilegæ; ex Concilio Illiberitano et aliis compluribus, ut adulteræ; veræ tamen primarum nuptiæ etsi illicitæ a sanctis Patribus censeban-

Digitized by Google

tur, aliarum vero irritæ ac penitus nullæ. Tradit hæc Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III. Sed vide eruditum Lupum, qui ad laudatum Tertulliani caput III *De præscriptionibus contra hæreticos*, in ea quæstione, quam inscripsit : « Quod et quale vinculum consecratio profes- » sioni addiderit ? » sic respondet : « Quod ad- » diderit aliquod vinculum, manifeste affirmant » adducta sancti Leonis verba; » in Epistola utique ad Rusticum archiepiscopum Narbonensem, cui ita scribit : « Ambigi vero non potest » crimen magnum admitti, ubi et propositum » deseritur, et consecratio violatur. Nam si hu- » mana pacta non possunt impune calcari, quid » manebit eos qui corrumpunt fœdera divini » sacramenti ? » Loqui ait Lupus S. Leonem ex S. Innocentio, qui in laudata ad S. Victricium Epistola scribit, simplicem professionem esse duntaxat bonæ fidei contractum ; quia nempe per consecrationem sigillata professio est contractus novo vinculo vestitus. Quod ipsum aut edicunt aut palam supponunt et alii Canones.

VIII. Etsi autem in sua laudata Epistola S. Leo asserere videatur hanc virginum consecrationem esse verum novi Testamenti sacramentum, ipsique a non nullis putetur in ea sententia præivisse vetustus *Apostolicarum Constitutionum* auctor, ipsam consecrationem *chirothiniam* seu impositionem manuum appellans ; quæ vox, ut aiunt, sacramentum Ordinationis importat ; pro certo nihilominus tenendum est fuisse in Ecclesia semper sacram quamdam inaugurationem mere cæremonialem, ac ritum duntaxat Ecclesiasticum, non vero divinum sacramentum. Quod quidem ostenditur, tum quod ritus ipse nequaquam est institutionis divinæ, tum quod ad sacrificium nullo modo refertur, ut scite docet Juninus, *De Sacramentis*, dissertatione VIII *De sacramento Ordinis in communi*, quæstione V, cap. I, et longe ante ipsum Hallierius *De sacris Ordinationibus*, sectione IV, cap. II *De sexu idoneo sacræ Ordinationi*, ubi diserte ostendit eam manus impositionem esse mere cæremonialem, quia scilicet multæ ejusmodi manus impositiones admittuntur ad quamlibet orationem, ut ejus efficacia Deique protectio ostendatur, quemadmodum ex S. Augustino, lib. III *De baptismo contra Donatistas*, Hincmaro, *De variis capitibus Ecclesiasticis*, cap. XXVI et aliis scriptoribus colligere est.

IX. Quod vero S. Ambrosius consecrationem virginum, sacramentum vocet, nil nobis officit, cum constet sacramenti nomine varia a Patribus explicari, non modo scilicet sacramentum novæ legis, « invisibilis gratiæ visibile signum » ad nostram justificationem institutum, » ut a theologis passim definitur, sed etiam juramentum, itemque rem sacram abditam atque occultam, uti videre est cap. XI Sapientiæ, versiculo XXII, in Epistola I ad Timotheum, cap. III, versiculo XVI. Quin et rem arcanam etsi nefariam, sacramenti nomine aliquando significari, liquet ex c. XVII Apocalypsis, versiculo VII : *Et dixit mihi Angelus : Quare miraris ? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ, quæ portat eam.* Porro cum apud scriptores profanos æque ac Ecclesiasticos juramentum per rei sacræ constitutionem editum, Deo scilicet in testem promissionis, seu veritatis alicujus vocato, sacramentum appellitetur, puto consecrationi virginis nomen illud sacramenti ideo convenire, quod in ipsa consecratione virgo Deo ad obsequium se magis obliget, seque vicissim Deus eidem virgini ad majorem gratiam, amicitiam et patrocinium quodammodo obstringat. Sed et dici etiam potest, idcirco consecrationem virginum a S. Ambrosio fœdus divini sacramenti nuncupari, quod per ipsam virgo sit sponsa Christi, juxta illud Apostoli in Epistola II ad Corinthios, cap. XI : *Desponsi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

X. Ne quid autem in hoc titulo prætermittere videamur, de quo forte quispiam instrui cupiat, investigandum est nobis cur sanctissimus æque ac vetustissimus ritus consecrandi virgines, summo studio a præstantibus Episcopis olim servatus usque ad sæculum fere XV, hodie ubique pene locorum abolitus sit, ut testari suo tempore videtur Barbosa, lib. I *Juris Ecclesiastici universi*, cap. LXIV, num. XXI, ubi ita scribit : « Et advertas quod consuetudo benedicendi » virgines non amplius est in usu. » Eruditus Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III, c. XXXXIX, num. VI et VII, paulatim ait Episcopos minus fuisse sollicitos de consecrandis Sanctimonialibus, tum quod earum numerus mirum in modum excresceret, tum quod satis vallatæ viderentur tum professione, tum claustro, ut minus jam opus esset quasi novo consecrationis munimento. Posse et aliam intervenisse inquit

Digitized by Google

causam oblitterandæ hujus consecrationis, quod nempe prisco Patrum ævo solemnior esset ejus pompa, ut hæc videri tum possent fuisse priscæ disciplinæ vota solemnia; at jure novo convaluit, ut habeantur vota solemnia quæ emittuntur in illa Religione, quam Prima Sedes approbaverit. Denique ubi in claustra sua abditæ fuerunt Sanctimoniales, solemnitatem illam ait antiquæ pompæ vix jam locum habere potuisse, ut quæ celebrari jam non deberet nisi in interiori monasterii Oratorio, ex præscripto S. Caroli in Concilio Mediolanensi.

XI. Verum quicquid sit de iis causis, præcipit quidem in suo Mediolanensi VI Concilio memoratus Ecclesiasticæ collapsæ disciplinæ reparator sanctus Carolus, ut « ubi religiosus ipse et » vetus Moniales solemniter velandi mos his » temporibus antiquatus est, ad pristinum usum » ex veteri instituto et ritu revocetur, dummodo » intra monasterium id fiat. » Quamobrem non facile crediderim quod refert Piasecus in *Praxi*, parte I, cap. II, num. III, et Gavantus in *Manuali*, verbo *Monialium consecratio*, quod sive ratione profusorum sumptuum, sive periculorum spiritualium, sive alterius respectus, sacra Congregatio negotiis Episcoporum præfecta die V decembris 1575 responderit, consecrationem virginum in desuetudinem abiisse, et sicubi viget, esse tollendam. Addit Pax Jordanus episcopus Traguriensis, tom. I *Elucubrationum*, lib. V, tit. V, Vicentiæ quidem, Veronæ, Brixiæ, Bergomi, ac in Archiepiscopatu Mediolanensi Moniales non consecrari, sed in professione dari eis velum nigrum; Patavii quoque pluries actum fuisse de tollenda hujusmodi gravium expensarum, scandalorum, et jacturæ temporis occasione; quinimo archiepiscopum Stella Patavinum omnino eam consecrationem abrogare voluisse, sed morte præventum voti compotem esse nequisse narrat Jordanus; perperam quoque Piasecus et Gavantus decretum sacræ Congregationis referunt. Quis enim facile credat Eminentissimos Patres nulla antiquitatis totius, nulla Conciliorum, nulla sanctorum Patrum habita ratione, voluisse sacrum ac pervetustum ritum consecrandarum virginum oblitterari? Quod vero spectat Episcopi Patavini votum, melius putasset abusum eliminare quam Ecclesiasticam ordinationem abolere. Cæterum si qua fides ei quod refert Gavantus in suo *Manuali*, verbo *Monialium consecratio*, ex decreto sacræ Cardinalium Congregationis, quæ negotiis Episcoporum præfecta est, die XXX septembris anno 1616, dictum fuit fieri debere virginum consecrationem « ad fenestellam commu- » nionis. »

XII. Cum autem constet Episcopalis muneris esse suæ diœcesis virgines consecrare, frustra quidam Episcopus, cujus nomini parco, hanc sibi elapsis annis facultatem dari a sacra Congregatione petiit, quæ tamen ipsi Episcopo sapienter respondit ut jure suo uteretur. Jure quidem suo usus est, ritumque Ecclesiæ pervetustum religiose servavit sanctæ memoriæ Benedictus XIII, qui cum esset Episcopus solemni ritu non semel virgines consecravit. Quem etiam morem Romæ tenuit factus Pontifex Maximus, ubi complures Moniales benedixit monasterii Sancti-Ambrosii Benedictinas, adeo ut consecratarum ab ipso numerus ad CLXXXI ascenderit. Est et in hoc nobis summopere commendandus zelus eximius Hieronymi Crispi jam archiepiscopi Ravennatis, qui anno 1721 Sanctorum Innocentium Festo tredecim Moniales Ordinis S. Benedicti monasterii Sancti-Andreæ solemni cum pompa sacravit in civitate Ravennate. Huic eximio Metropolitæ vigilantissimum Præsulem adjungimus Dionysium Pieragostini, dum et ipse semel ac iterum in sua urbe Septempedana virgines monasterii Sanctæ-Catharinæ Ordinis sancti Benedicti solemniter consecravit, uti videre est in ejus Synodo anni 1733, pag. 149.

[Videtur tamen hunc ritum, ab ætate luculentissimi auctoris magis ac magis in desuetudinem abiisse: quod valde dolendum est. Testatur Benedictus XIV, *Institutione* octogesima quinta, § VIII, suo tempore solemnem illam consecrationem virginum ab iis Monialibus quæ sancti Benedicti disciplinam sequuntur adhuc frequentari, innuitque pro aliis quibusdam in usu mansisse. Quidquid sit, hodiernis temporibus, necesse fuit ut a Romano Pontifice confirmaretur jus ad hunc ritum Monialibus Clarissis Tarentinæ civitatis; quod indicare videtur præfatam consecrationem non omnibus Monialibus de jure communi hodiedum competere. Hæc concessio a Gregorio XVI, ad preces Tarentini Archipræsulis, facta fuit, die 18 novembris 1831.]

Digitized by Google

XIII. Adnotandum insuper superest titulum nostrum in multis pene antiquis recentioribusque manuscriptis Pontificalibus libris, iisdem inscribi verbis, *De benedictione et consecratione Virginum;* in aliquibus vero, ut in manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemeticensis, annorum circiter nongentorum, et Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356, aliisque, mentionem duntaxat fieri benedictionis, omissa voce *consecrationis;* cujus alias, nulla benedictionis habita mentione, complura meminere manuscripta Pontificalia, cujusmodi sunt Sancti-Gatiani ante annos octingentos scriptum; Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum; Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria; monasterii Sancti-Victoris Parisiensis annorum quingentorum; Cameracense ejusdem ætatis; Antissiodorense; Senonense annorum circiter tercentorum, et alia complura manuscripta Pontificalia, quæ hic omittere parum refert.

§ I.

Benedictio et Consecratio virginum fieri debet in Epiphania, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum, seu in diebus Dominicis. Die vero præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Pontifex ad Missam se paret, in loco convenienti præsentantur ei virgines benedicendæ, qui de earum ætate et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vigesimum quintum compleverint, si voluntatem et propositum servandæ virginitatis habeant, diligenter inquirit, et insuper seorsum cum qualibet de vita, et conscientia, et carnis integritate. Quo facto, super altari in cornu Epistolæ locantur pro virginibus benedicendis vestes, vela, annuli et torques, sive coronæ, tempore suo virginibus tradenda. Deputantur paranymphæ matronæ seniores, et propinquæ earum, quæ virgines associant et præcedunt, collocant, ac deducunt ad Pontificem et reducunt. Ordinatur etiam in ecclesia papilio, aut alius locus conveniens paratur, in quo virgines ipsæ conveniunt, et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Post hæc, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus paramentis, procedit more consueto ad Missam, et in ea usque ad *Alleluia,* sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Missa dicitur de die cum Collecta pro virginibus sub uno *Per Dominum.*

OREMUS.

Da, quæsumus, Domine, his famulabus tuis, quas virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum; et, ut perfectam tibi offerant plenitudinem, initia sua perducere mereantur ad finem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. ***Amen.***

COMMENTARIUS.

I. Ut cum solita quam nobis præfiximus methodo procedamus, plura sunt in præsenti hoc Commentario diligenter investiganda. Primo quidem, quinam primum consecrationi virginum assignati dies, qui vero progressus temporis. Secundo, quis ejus tum apud Latinos, tum apud Græcos minister. Tertio, quæ ætas consecrandis virginibus necessaria. Quarto, de quibus interrogari debeant, et an eas esse corpore integras opus sit. Quinto, quæ res pro ipsarum conse-

Digitized by Google

cratione parandæ, ac super altari locandæ. Sexto, quæ matronæ assistere debeant ei functioni. Septimo, ritus explicabitur construendi papilionem, aliumve locum, in quem primum virgines conveniant. Octavo, quæ Missa eo die ab Episcopo celebranda sit.

II. Quoad primum, omnium primus qui consecrationem virginum *in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum,* celebrandam præscripserit, fuisse profecto videtur sanctus Gelasius Pontifex Maximus, qui in Epistola IX ad Lucaniæ Episcopos, cap. XII, sic inquit : « Devotis quoque Deo Virginibus, nisi in Epiphaniarum die, aut in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum Natalitiis sacrum maxime velamen imponant (Episcopi) : nisi forsitan, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de ecclesia exeant, implorantibus non negetur. » Aiunt plerique auctores, uti sacris Clericorum Ordinibus, ita et virginum consecrationi sua assignasse tempora S. Gelasium, et quidem tanto rigore, ut non nisi ob urgentis mortis periculum permiserit dispensari. Porro quod hæc tempora consecrandis virginibus a sancto Gelasio affixa fuerint, testis est Regino Prumiensis abbas in suo *Capitulari,* lib. II, cap. CXVII, ita inquiens : « Virgines, ut Gelasius Papa dicit, nisi in Epiphania, et in Albis Paschalibus, et in Apostolorum Natalitiis, non sunt consecrandæ, nisi causa mortis urgentis. »

III. Verba Gelasii non modo citat Egbertus archiepiscopus Eboracensis, sed et eosdem dies in eo capite laudatæ Epistolæ assignatos designant passim antiqui libri tum editi, tum manuscripti Pontificales. In antiquo Romano Ordine ritui consecrandarum virginum hæc initio, velut titulus, præmittuntur : « Consecratio sacræ virginis, quæ in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Apostolorum Natalitiis celebratur. » Idem fere asseritur in manuscripto codice Sancti-Gatiani Turonensis, cujus verba hæc sunt : « Incipit de sacris virginibus consecrandis, id est, in Epiphania, sive in feria Paschali, nec non in Natali Apostolorum. » Pontificale Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum expresse assignat feriam secundam Paschatis : « Consecratio, inquit, sacrarum virginum, quæ in Epiphania, vel in secunda feria Paschæ, aut in Apostolorum Natalitiis celebratur. » Idipsum edicunt Sacramentarium Romanæ Ecclesiæ annorum circiter mille, ab eruditissimo et pientissimo cardinale Thomasio editum, et complures alii Rituales libri, quorum loca hic recensere supervacaneum puto, ac nullius utilitatis. Sane cur in Apostolorum Natalitiis consecrationem virginum fieri sanxerit S. Gelasius, exponit in *Gemma animæ* Honorius Augustodunensis, lib. I, cap. CLXXXXII, ubi ita inquit : « Virgines ideo in Apostolorum Natalitiis velantur, quia per Apostolicos viros, quasi per paranymphos, sponsæ Christo consecrantur : et quia morem virginitatis primum Apostoli Ecclesiæ servandum tradiderunt, quem a perpetua Virgine Maria acceperunt. » Etiam aliis diebus sua non deest ratio. Unde S. Ambrosius, in lib. III *De Virginibus,* rationem quæ suam sororem Marcellinam in Christi Domini die Natali suasit, eam reddit : « Quo melius die, quam quo Virgo posteritatem acquisivit ? »

IV. Progressu temporis, præscriptis temporibus adjectos fuisse dies Dominicos, et saltem alicubi cæteras Christi Domini festivitates, beatæque Mariæ Virginis, ac præcipuas sanctorum Martyrum solemnitates, constat ex manuscripto Pontificali Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria, sic aiente : « Ordo ad consecrandam sacram virginem, quæ in Dominicis diebus, et cæteris festivitatibus Domini, sive in festivitatibus beatæ Mariæ, aut in Natalitiis Apostolorum, vel in præcipuis festivitatibus Martyrum consecrari debet. » Pontificale manuscriptum Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, rem profecto aliquantum restringit ; ait enim ipsam virginum consecrationem fieri debere « in Epiphania, vel in Natalitiis Apostolorum, vel in Albis Paschalibus, vel in Ascensione, vel in Pentecoste, vel in solemnitatibus beatæ Mariæ Virginis, vel, si necesse sit, in Dominicis diebus extra Adventum et Quadragesimam. » Ubi nota non omnes Domini festivitates, non omnes dies Dominicos admitti, excludi autem penitus solemnitates Martyrum, nisi scilicet periculum immineat : tunc enim ait omni tempore posse fieri ipsam virginum consecrationem. Tandem, ut alia omittam, manuscriptus codex monasterii Sancti-Victoris Parisiensis annorum quingentorum faciendam inquit con-

Digitized by Google

secrationem virginis « in diebus solemnibus. » Observat autem Abelardus in sua Epistola VII solitam peragi consecrationem festis duntaxat solemnioribus.

V. Dominicis diebus jam ante Alexandrum III consecrari virgines potuisse, liquido constat ex ejusdem Pontificis litteris, quas ad Bathoniensem in Anglia episcopum scripsit, uti videre est in cap. I *De temporibus ordinationum, etc.*, ubi ait Alexander in quavis Dominica quemvis Episcopum, sicut minores Ordines conferre, ita et virgines posse consecrare. Ejus verba hæc sunt : « Subdiaconos autem nulli, nisi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare, » quamvis Deo dicatas virgines consecrandi et » minores Ordines his diebus habeant licentiam » celebrandi. » Sæculo Jesu Christi XII, consecrationem virginum Dominicis diebus celebrari solitam, abunde nos docent Epistolæ Fontis-Ebraldi Abbatissæ, et abbatis Suessionensis Sancti-Crispini ad Suessionensem Episcopum : qui habentur apud Franciscum Chesnium *Historiæ Francorum* tom. IV, ubi pag. 724 præfata Abbatissa Suessionensi Episcopo ita scribit : « Quoniam per litteras vestras maximum virgines » nostras consecrandi vestræ mentis desiderium » nobis significastis, idcirco multum in partibus » istis moram fecimus. Et quia ulterius immorari non possumus, petimus ut in proxima » Dominica illud quod filiæ vestræ a vobis præstolantur, impleatur. » Pagina autem 742 scriptam inter alias continet Epistolam S. Crispini ad ipsum Episcopum Suessionensem, ejusque verba hæc sunt : « Noverit Paternitas vestra » Portuensem Episcopum consecrationem Sanctimonialium de Charmo facere noluisse. » Abbatissa vero in eadem domo, unde sorores » pauperrimæ gravatæ sunt, consecrationem » earumdem exspectans, usque ad proximam » Dominicam manebit. »

VI. Hæc quidem, quæ huc usque narravimus, locum in iis habent virginibus, quæ per Pontificalem manus et veli impositionem, solemnemque Episcoporum cæremoniam consecrabantur, cum aliarum, quæ per habitus immutationem virginitatisque propositum Deo dicabantur, quolibet die consecratio susciperetur per simplicem etiam, ut aiunt, Presbyterum apud Latinos : quinimo, uti scite observat Martenius, quælibet puella sui ipsius consecratrix esse poterat, facta Deo perpetuæ virginitatis conservandæ promissione, assumptoque eo, quo indui solebant virgines, habitu. At vero si de solemni consecratione loquamur in Ecclesiis Occidentis, consecrationis minister solum Episcopus esse poterat, uti ad initium tituli num. III, ex Ivonis Carnotensis testimonio dictum est : « Consecratio virginum, inquit, ex Apostolica » auctoritate, Episcoporum privilegio reserva» tur. » Rationem eam reddit S. Thomas in IV, distinct. XXXVIII, quæstione I, articulo V, quia hæc consecratio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia quoad illius incorruptionem ; ideo solus Episcopus, cui Ecclesiæ cura committitur, virgines desponsat, velando non sibi, sed Christo, quasi Sponsi paranymphus. Certe cum in secundo Carthaginensi Concilio, can. III, Fortunatus episcopus (quem alii Fortunatianum vocant, notatque in margine Labbæus fuisse Numidium Episcopum Maxulitanum) a Patribus peteret, ut, quemadmodum in præteritis Synodis constitutum fuerat, « chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, » nec non et puellarum consecratio a Presby» teris non fiant, » eamdemque petitionem Aurelius Carthaginensis episcopus, ac totius diœceseos primas Synodo iterum retulisset, omnes tunc Episcopi responderunt : « Chris» matis confectio et puellarum consecratio a » Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quem» quam in publica Missa Presbytero non licere, » hoc omnibus placet. » Ubi nota Canonem auctoritate anterioris Concilii, audaciam nescio quorum Presbyterorum comprimere, qui consecrationem virginum attentabant. In Concilio tandem Wormatiensi in Germania habito anno 868, canone VIII, expresse edicitur, et consecrationem Virginum, sicut et alia complura Episcopalis Ordinis minime fieri a Presbyteris : « Consecratio ergo virginum et benedictio, vel « unctio altaris a Presbyteris minime fiat. »

VII. Quantus fuerit apud Gallos Canonis Carthaginensis contemptus, sat ostendunt Patres Concilii VI Parisiensis anni 829, lib. I, cap. XLI, dolentes, « quosdam Presbyteros » suæ mensuræ immemores, imo canonicæ » auctoritati resultantes, in tantam audaciam » prorupisse, ut sacrarum virginum consecra» tores existerent. » Aiunt hoc ad negligentiam

Digitized by Google

Episcoporum pertinere; tum vero ita statuunt : « Quod quia canonicæ auctoritati (id est laudato » Carthaginensi Canoni) minime concordat, » ne ulterius quisquam Presbyterorum id facere » præsumat, prorsus inhibemus. Quod si forte, » quod non optamus, aliquis Presbyterorum id » facere præsumpserit, ut pote canonicæ aucto- » ritatis transgressor, irretractabiliter feriatur. » Chorepiscopis vetitum fuisse id apud ipsos Gallos, constat ex Caroli Magni *Capitulari* anni 799, num. IV, quia scilicet antiquus qui in Gallicana ecclesia plenissime viguit Romanus Ordo ita ait : « Presbyteris liceat viduas velare, Epi- » scopis solis virgines. » Hinc Armentario Ebreodunensium degradato episcopo Regensis Synodus hanc fecit gratiam, ut jus haberet » consecrandi virginem, sicut confirmandi neo- » phytum. » Ei has duas Episcopales functiones permittit, quod ambæ, uti observat Lupus, in Gallicana Ecclesia privative spectarent ad Episcopos.

VIII. At non solum Presbyteros, sed et Abbatissas in Gallia suarum Monialium consecrationem attentasse, alibi jam ostendimus ex *Capitulari* Caroli Magni, lib. I, cap. LXXVI, cujus verba hic iterum recensere inutilis non erit laboris; sic enim ad Episcopos et Abbates scribit : « Auditum est aliquas Abbatissas con- » tra morem sanctæ Dei Ecclesiæ, benedictiones, » et manus impositiones, et signacula sanctæ » crucis super capita virorum dare, nec non et » velare virgines cum benedictione Sacerdotali, » quod omnino a vobis, sanctissimi Patres, in » vestris parochiis, illis interdicendum esse, » scitote. » Eumdem abusum non sine animi sensu refert damnatque laudata Synodus VI Parisiensis, veluti a christiana religione penitus alienum, sic inquiens lib. I, cap. XLIII : « In- » ter cætera, quæ contra Religionem christianam » in Ecclesia Christi cognovimus, non minus » emendatione et congrua correctione dignum » invenimus, quod quædam Abbatissæ et cæteræ » Sanctimoniales non solum viduas, sed etiam » virgines puellas velare solitæ sint. Quod » quantum sexui femineo illicitum et a Reli- » gione christiana sit alienum, omnis qui sanum » sapit, facile advertit. » Addit grassari hunc abusum in omnibus monasteriis, ob quorumdam Episcoporum segnitiem. Tum vero demum statuit ut si forte Abbatissa, aut alia quælibet Sanctimonialis, post hanc definitionem in tantum audaciæ proruperit, ut viduam aut puellam virginem velare præsumat, congrua ab Episcopo suo correctione coerceatur, et pœnitentiæ canonicæ usque ad satisfactionem subdatur. Nec tacendum illud, quod paulo ante hanc sanctionem Concilii hujus Patres dixerant, Moniales vanissima illa spe interim nutritas fuisse, quod leviores futuræ essent earum culpæ, ubi macularent sanctimoniam veli non ab Episcopo, sed a se ipsis accepti : « Idcirco etenim hujusmodi » hoc modo potius quam a Sacerdote velari » volunt, quia dum clanculo se corrumpunt, » nihil sibi obesse ad peccandum tale velamen- » tum putant. » Exstat Eutychiani Papæ decretum, si in ipso Eutychiani nomine error non est, quod apud Ivonem et Gratianum, Canone *Statuimus* XX, quæstione II, legitur, ubi id ipsum constitutum legitur.

IX. Etiam tempore Innocentii III fuisse Abbatissas quæ Moniales benedicerent, earumque confessiones audirent, et legentes Evangelium præsumerent publice prædicare, tradit laudatus Pontifex, qui abusum ipsum damnavit lib. I, epistola CLXXXVII ad Valentinum et Burgensem Hispaniarum episcopos; exstatque hodie in c. X *De pœnitentiis et remissionibus*. De quo abusu vide quæ dixi in Commentario § VI superioris tituli. Viguisse denique pravam hanc consuetudinem sub Innocentio IV, ut Abbatissæ consecrationis velum virginibus suis imponerent, testatum habemus ex Raynaldo ad annum Christi 1244. Cum enim ipso anno Innocentius IV a rege et regina Castellæ certior factus esset quod, cum filia virgo regia professionem editura esset in monasterio regio Cisterciensis Ordinis, in suburbano urbis Burgensis, Abbatissa prævertisset, et dum Missarum solemnia Episcopus celebraret, ipsamet velum regiæ puellæ imposuisset; damnavit illico Pontifex Abbatissæ audaciam tanquam omnino sacris Canonibus dissonam, qui prohibent ne ipsæ vel viduas unquam velo donent, vel virgines : « Ne viduam, aut puellam virginem velare » præsumant. » Edixitque ut deinceps Abbatissæ et Moniales virgines a diœcesanis Episcopis consecrarentur. « Abbatissis et virginibus » firmiter injungas, ut a diœcesanis suis con- » secrationis velum recipiant. »

X. Munus itaque Episcoporum, non vero

Digitized by Google

Presbyterorum, et multo minus Abbatissarum, esse ut solemniter virgines consecrarent, præter laudatos Canones, multa nobis sancti Patres ac alii scriptores Ecclesiastici exempla suppeditant, quibus ea de re plenissime edoceri quis potest. Sanctus Ambrosius, in libro I quem *De Virginibus* scripsit, ingenue fatetur de variis partibus virgines suo tempore Mediolanum confluere consuevisse, ut ab ipso solemniter velarentur : « De Placentino sacrandæ virgines » veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur. » S. Hieronymus, ad Demetriadem scribens de servanda virginitate, ita inquit : « Scio quod ad impre» cationem Pontificis, flammeum virginale » sanctum operuit caput. » Idem in Epistola ad Oceanum, cap. IX, quorumdam Episcoporum genus sui ævi suggillans, idipsum non obscure innuit, cum ita scribit : « Heri catechumenus, » hodie Pontifex : heri in amphitheatro, hodie » in Ecclesia : vespere in circo, mane in altario; » dudum fautor histrionum, nunc virginum » consecrator. » Arborii præfecti prætorio Galliarum natam virginem, offerente patre, consecravit sanctus Martinus, Turonensis episcopus, teste S. Paulino, de Vita ejusdem S. Martini, lib. II :

Consecrat Antistes, Pater offert, virgo sacratur.

S. Genovefam virginem nummo æreo cruce insigni collo appenso in sponsam Christi subarrhavit S. Germanus episcopus Antissiodorensis, uti videre est in utriusque Vita apud Surium ad diem III januarii et ad diem XXXI julii ; et apud Stephanum Tornacensem in Epistola CLXXVIII. Quid multa ? Constat ab hæreticis ipsis Donatistis servatum hunc ritum ineunte sæculo IV. Hoc enim probrum, ut alibi etiam notatum est, objectat S. Optatus episcopo Donatistæ, quod incesto adulterio contaminasset unam harum puellarum, cujus pater evaserat per impositionem mitræ, quæ erat velum sacrum : « Cui » mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante » Pater vocabatur, nefarie incestare minime » dubitavit. » Fuit is Felix Idicrensis in Numidia episcopus scelestissimus.

XI. Inficiari certe illud nequeo quin in quibusdam, ut aiunt, casibus Presbyter Latinus potuerit virgines consecrare. Synodus III Carthaginensis anno 397 celebrata, can. III, ita inquit : « Presbyter, inconsulto Episcopo, vir» gines non consecret, Chrisma vero nunquam » conficiat. » Licebat itaque per Africanos Canones Presbyteris eo fungi munere, si illud ipsis ab Episcopo delegebatur, utique ex gravibus causis, quæ etiam solemnem pœnitentium reconciliationem, basilicarum dedicationem et sacramenti Confirmationis collationem permittant illi delegari, uti scite observat laudatus Lupus in scholio ad caput III libri Tertulliani *De præscriptionibus contra hæreticos*. Ubi etiam docet istam Episcopi delegationem debere esse singularem et ad singulos actus, ac dari posse a solo Episcopo, non vero ab ejus Vicario, vel, vacante Sede, a Vicario capitulari. Scio nonnullos, quos Canonistas vocant, ob ignorantiam veterum Canonum et priscæ Ecclesiæ disciplinæ, et tantum oculos ad Fori praxim habentes, obstinate contendere consecrationem virginum esse adeo Ordinis Episcopalis, ut alteri qui non sit Episcopus delegari non possit. Certe etiam hodie quidem Abbates habent privilegium consecrandi Moniales sui Ordinis, modo eisdem subjectæ sint; et, ut omnes Episcopales ritus tunc adhibeant, sanxit sacra Congregatio Cardinalium. Vide Ascanium Tamburinum *De jure Abbatum*, disputatione XXII, quæstione VI.

XII. Ego certe tenendam puto sententiam Ivonis episcopi Carnotensis, qui, in Epistola sua XLI ad Goffredum Vindocinensem abbatem, diserte docet non esse ab Episcopo iterandam consecrationem virginis a Presbytero imprudenter factam, etsi ipsi Presbytero consecrare virgines nequaquam licitum sit : « Consecratio » virginum, quæ ex auctoritate Apostolica » Episcoporum privilegio reservatur, si ali» quando a Presbyteris usurpetur, propter » sacramentum Christi et Ecclesiæ, quod ibi » continetur, nullatenus ab Episcopis iteratur. » Ubi nota I. Istam reservationem, de qua Ivo loquitur, actum, si is a Presbytero attentetur, facere duntaxat illicitum, non vero invalidum. II. In consecratione virginum contineri Christi et Ecclesiæ sacramentum. Est enim spirituale conjugium inter consecratam virginem et Christum Dominum, uti post veteres sanctos Patres docet etiam S. Thomas in IV, distinctione XXXVIII, quæstione I, articulo V. Unde, ut suo loco ostendetur, ipsi virgini annulus ac nuptiale flammeum imponitur. III. Demum, istud con-

Digitized by Google

jugium ideo appellari etiam Sacramentum, quod, sicut carnale, matrimonium Christi Domini cum Ecclesia significat.

XIII. Hæc quidem, quæ hactenus dicta sunt, Latinam Ecclesiam spectant. Nam « secundum » Græcos Presbytero licet virginem sancto ve- » lamine consecrare..., secundum Romanos » non nisi Episcopis solis. » Verba sunt Theodori archiepiscopi Cantuariensis, qui utriusque Ecclesiæ Græcæ pariter ac Latinæ ritibus abunde fuerat imbutus. Exstat ejus testimonium tomo IX *Spicilegii* Lucæ Dacherii. Sunt qui de hoc Theodori Canone non parum dubitent, quod alius ei similis nullibi inveniatur ; ac præsertim quod Synodus Trullana Græcorum, Carthaginensem Canonem, quem superius retulimus, suo codici inseruerit : tandem vero, quod secundæ Carthaginensis Synodi Canonem III ita scribit sacrorum Canonum summus apud Græcos Theodorus Balsamon : « Puellarum conse- » cratio non est Diaconissarum per manuum » impositionem ordinatio, sed mos erat puellas » ad Ecclesiam adduci virginitatem profitentes; » et eas Episcopi per preces consecrabant, ut » Deo dedicatas, et illi earum custodiæ curam » gerebant. Hæc ergo a Presbyteris fieri prohi- » buit Synodus, quemadmodum et templorum » consecrationem, et dedit eorum facultatem » Antistitibus. » Et infra : « His ita se habenti- » bus, dicunt aliqui quod, quoniam ab Antisti- » bus sit puellarum consecratio, non licebit » monasterii Præfecto, qui est sacratus, quemvis » Monachum tondere sine Episcopali permis- » sione. Idem enim est puellarum consecratio » et Monachorum tonsura. Mihi autem videtur » Sacerdotes Præfectos posse citra ullum impe- » dimentum tondere, etiam sine Episcopali » permissione. » Ita ille, qui palam videtur affirmare, apud Græcos, ut olim, et apud Afros, consecrationem virginum fuisse Episcopis reservatam. Cæterum, si nolimus de Theodori Canone an authenticus et genuinus sit addubitare, dici potest cum eruditissimo Lupo, variis Græcorum locis ac temporibus fuisse varias consuetudines ; earumque Ecclesias, quæ Presbyteris permiserunt confirmationis collationem, virginum etiam consecrationem posse permittere credidisse, quia scilicet, uti constat ex sacris Canonibus, summa est inter utramque connexio.

XIV. Quod spectat tertiam nostræ Rubricæ partem, quæ est de ætate consecrandarum virginum, sciendum est quod, quemadmodum duplex fuit olim professio virginum, solemnis scilicet et non solemnis, ita ætas utrique professioni fuit diversa. Ad primam, quæ scilicet nec ab Episcopo nec Episcopali pompa fiebat, S. Basilius in Epistola II ad Amphilochium Ichonii episcopum, cap. XVIII, ætatem sexdecim aut septemdecim annorum requirit, quod nimirum ea sit plena adulta ætas : « Professiones, » inquit, ab eo tempore judicamus, quo ætas » rationis complementum habuerit ; non enim » pueriles voces omnino in his esse ratas exi- » stimare oportet, sed ea quæ supra sexdecim » aut septemdecim annos nata fuerit, rationisque » compos, et diu examinata probataque perse- » veraverit, et, ut admittatur, precibus conten- » dit, tum oportet in sacrarum virginum cata- » logum referri. » Posteriores Græcos hanc ætatem coarctasse ad annum undecimum profecto constat ex Canone XLI Concilii Trullani, quod habitum est anno Christi 692 : « Qui ergo » monachicum jugum est subiturus, ne sit mi- » nor quam decem annorum natus. » Professionis species manifestæ hic sunt ; testanturque Zonaras ac Balsamon in suis ad hunc Canonem Commentariis, suo ævo illum viguisse. Cumque sua Constitutione VI Leo Sapiens statuisset ne pueri puellæque, qui in ea ætate profitebantur, possent pariter de rebus suis disponere, ab eis id præstari posse Balsamon scribit, cum annos quindecim nati erunt. Hactenus de Ecclesiæ Orientalis disciplina, ubi etiam, si qua fides Actis S. Euphrasiæ a S. Joanne Damasceno laudatis, sancta hæc virguncula in monasterium admissa est, Deoque, monastico assumpto habitu, se devovit ab anno ætatis suæ septimo.

XV. Si autem mores Latinorum spectemus, post annum duodecimum factam a virginibus primam professionem, testis est luculentissimus sanctus Hieronymus, qui in Epistola ad Marcellam diserte docet Asellam virginem Deo se devovisse post annum ætatis suæ decimum : « Vix » annum decimum ætatis excedens, honore » futuræ beatitudinis consecratur. » Et infra : « Post duodecimum annum cellulæ clausa an- » gustiis, jejunium pro ludo habuit. » Omitto alias probationes, quas ex S. Ambrosio, et aliis sequioris ævi Conciliis, et Summis Pontificibus

Digitized by Google

fuse affert Ludovicus Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III, cap. LII et seqq., ubi ostendere conatur duodecim annorum ætatem, qui tamen essent completi, sufficientem fuisse usque ad tempora Tridentinæ Synodi, quæ exspectari deinceps voluit annum decimum sextum : uti videre sessione XXV, *De Regularibus et Monialibus*, cap. XV. Ejus est sane opinionis Thomassinus, sed proferri possent sexcenta Canonum et Patrum loca, quæ ostendant diversam fuisse pro diversis temporibus ac provinciis disciplinam, circa ætatem primævæ professionis virginum.

XVI. Hanc præterea difficultatem reperiri in secunda ipsarum virginum consecratione, quæ solemni ritu ac pompa ab Episcopo peragebatur, ex sacris Conciliis manifeste apparet. Placuit quidem Carthaginensi Synodo tertiæ, can. IV, « ut ante viginti quinque annos ætatis » Diaconi non ordinentur, nec virgines conse- » crentur. » Placuit idipsum compluribus aliis Conciliis ; plerique nihilominus Canones vetant ne consecratio prædicta virginum quadragesimum annum præcedat : « Sanctimoniales, » inquit Agathensis Synodus, can. XIX, « quan- » tumlibet vita earum et mores probati sint, » ante annum ætatis suæ quadragesimum non » velentur. » Consentit Concilium Cæsaraugustanum, can. VIII, his verbis : « Item lectum est » non velandas esse virgines quæ se Deo vo- » verint, nisi quadraginta annorum probata » ætate. » Consentit S. Leo Magnus Pontifex Maximus, de quo ita in libro Pontificali legitur : « Leo constituit ut Monacha non acciperet vela- » minis capitis benedictionem, nisi probata » fuerit in virginitate sexaginta annis. » Legendum docent eruditi, « quadraginta annos. » De quo mende vide virum clarissimum non sine elogio memorandum Franciscum Blanchinum in *Notis* ad Anastasium *De Vitis Romanorum Pontificum*. Consentiunt tandem variæ leges imperiales, ac præsertim *Novella* imperatorum Leonis et Majorani ad Palladium Italiæ prætorio præfectum, anno 458 edita, cujus verba hæc sunt : « Edictali lege sancimus filias, » quas pater materve a sæculari permixtione » translatas, christianæ fidei servare præcepta, » continuata virginitate censuerint, in beatæ » vitæ proposito permanentes, non ante suscepto » honorato capitis velamine consecrari, quam » quadraginta annos ætatis emensæ, talibus » infulis inoffensa meruerint observatione de- » corari. »

XVII. Scio equidem in Synodo Romana II, quam aiunt a S. Silvestro Papa celebratam anno 324, exstare Canonem decimum quo cautum est « ut nullus etiam Episcoporum » virginem sacratam (forte sacrandam), si ma- » ritale expetierit consortium, benedicere at- » tentet, nisi eam probaverit septuaginta duo- » rum annorum esse constitutam, ubi probabitur » judicium veræ pudicitiæ, ut septuaginta duo- » bus annis requirens verum Christum pudicitia » custodita, uncto vertice, introducatur ad nu- » ptias Christi, velamen capitis ferens, non » cordis. » Si vera esset hæc Synodus, jam haberemus non solum ritum velandi, sed etiam ungendi capitis virginis consecrandæ. Sed cum dicat probari virgines annis septuaginta duobus ante consecrationem, quis vel somniet hujusmodi silicernia nupturire ? Quibus annis quod amplius est, laborem et dolorem, atque calamitatem prædicat Regius Psaltes in Psalmo LXXXIX, ut scite observat Espencæus, lib. IV *De continentia*, cap. III. Quæ demum stulti hominis intemperantia, vel intemperies potius tales decrepitas ageret ?

XVIII. Negari certe illud nequit, voluisse ut plurimum Canones ut, nonnisi completis XXV annis, sacris cæremoniis ab Episcopo virgines velarentur : exceptis tamen causis ob quas eam ætatem contrahere oporteret. Quænam autem eæ essent causæ, edicit Concilium Milevitanum, Innocentio I Pontifice Maximo, anno 416 habitum, can. XXVI : « Item placuit ut quicumque » Episcoporum, necessitate periclitantis pudi- » citiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel » raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam » mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, » ne non velata moriatur, aut exigentibus pa- » rentibus, aut his ad quorum curam pertinet) » velaverit virginem, seu velavit intra viginti » quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, » quod de ipso annorum numero constitutum » est. » Intelligit Concilium Carthaginense III, ubi can. IV statutum est ne virgines ante viginti quinque annos consecrentur. Fuit sane quarto quintoque Christi sæculo prudens alicubi Episcoporum consilium imponendi sacrum velum mitramque virginibus, eoque ritu ipsas conse-

Digitized by Google

crandi, ut illius ornamenti sanctitate deterriti nefarii homines, sacras virgines vel ambire sibi sponsas, vel rapere abstinerent. Quod quidem liquido constat ex Optato Milevitano, cujus prolixum locum, ubi agemus de corona imponenda virginibus, explicabimus. Certe cessantibus memoratis in Milevitano Canone, vel aliis id genus causis, nefas erat virgines ante ætatem XXV annorum consecrare. Tenacissima est autem hodie Sedes Apostolica præfatæ ætatis, vetuitque idcirco Hieronymo Crispo archiepiscopo Ravennati, in solemni consecratione Monialium monasterii Sancti-Andreæ Ordinis S. Benedicti, consecrari virginem D. Mariam Constantiam Santacruciam, cui ad ætatem XXV annorum dies LIV deerant. Recte itaque eam ætatem libri Pontificales præscribunt ubi agunt de consecratione virginum : « Die præcedenti, » inquit codex manuscriptus Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, « hora vespertina, vel etiam » mane, antequam Episcopus Missam incipiat, » præsentantur ei virgines benedicendæ, qui de » earum ætate et proposito, si videlicet XXV » annorum fiant, et voluntatem, et propositum » servandæ virginitatis habuerint, diligenter » inquirat. »

XIX. Sensim jam ad eam Rubricæ nostræ partem pervenimus, quæ est de interrogationibus ab Episcopo virginibus seorsim faciendis, si voluntatem et propositum servandæ virginitatis habeant, et si corpore integræ sint : « Seorsim, » inquit laudatus Bibliothecæ Vaticanæ codex, « cum qualibet de vita, et con» scientia, et carnis integritate Episcopus dili» genter inquirat. » Certe non leviter nec temere virgines consecrari debere, passim tum Synodi, tum SS. Patres docent. S. Basilius, Regulæ suæ cap. X, quærenti utrum omnes venientes oporteat cum probatione suscipere, et qualis hæc esse debeat, cum divina clementia omnes ita vocet, Matthæi XI : *Venite ad me omnes*, respondet non convenire ut quivis illotis pedibus in sanctimoniam Domini mandatorum ingrediatur; sed quemadmodum Dominus noster Jesus Christus adolescentem illum, qui ad ipsum accesserat, de superiore ejus vita percontatus est, cumque recte actam fuisse illam comperisset, quod ad perfectionem amplius præterea desiderabatur, id illum jussit adjungere, quod ubi fecisset, tum demum sequendi se ipsi potestatem fecit; sic quoque faciendum nobis est, ut videlicet illorum, qui ad nos mansuri nobiscum accedant, diligenter quæ superior vita fuerit inquiramus. Hæc et alia plura in eo loco Basilius. Et S. Ambrosius, lib. III *De Virginibus*, nonnullis respondens, qui aiebant maturioris ætatis virgines esse velandas : « Neque ego » abnuo, inquit, sacerdotalis esse cautionis, » debere ut non temere puella veletur. Spectet » plane, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei, vel » pudoris, spectet et maturitatem verecundiæ, » examinet gravitatis canitiem, morum sene» ctam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Ta» men deinde si matris tuta custodia, comitum » sedula sobrietas, si hæc præsto sunt, non » deest virgini longæva canities. Non ergo ætas » rejicitur florentior, sed animus examinatur. »

XX. Ergo antequam virgines sacro ritu ab Episcopo velarentur, ab ipso Episcopo earum vita ac mores examinabantur, et quæ corpore non esset integra, sive sua sponte, sive aliorum vi corrupta, a consecratione repellebatur; uti constat ex can. *Si quis non iratus*, causa XV, quæstione I, et ex aliis multis, ubi virgo per vim oppressa, etsi virginitatem coram Deo non amittit, lege tamen quasi corrupta repudiatur. Hinc passim theologi ac canonici juris Consulti docent stupratam virginem non posse velum consecrationis accipere. Scio aliter asseri a Lessio, lib. IV, cap. II, dubio XVI, num. CXV, et a Castropalao in *Tractatu de prudentia, fortitudine et temperantia*, disputatione III, puncto VI, et a nonnullis aliis inferioris notæ scriptoribus : verum magni facio auctoritatem omnium facile theologorum magistri, sancti Thomæ Aquinatis, qui in IV *Sententiarum*, disputatione XXXVIII, quæstione I, ad articulum V : « Utrum virginibus voventibus continentiam » debeatur speciale velum præ aliis quæ conti» nentiam voverunt et corruptæ sunt, » ad IV diserte ait, quod illæ quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam quoad Deum quidem non perdunt; sed cum valde difficile sit quod in tali delectatione aliquis placentiæ motus non insurgat, ideo, inquit, Ecclesiam quæ de interioribus judicare non potest, cum exterius corrupta sit, eam inter virgines non velare. Id quod S. Doctor auctoritate etiam S. Leonis comprobat, qui in Epistola LXXXVII ad Episcopos Africanos per

Digitized by Google

Mauritaniam Cæsariensem constitutos, cap. v, ita scribit : « Illæ autem famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate et verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. »

XXI. Inane profecto illud est, quod quidam obtendunt, non debere virginem innocentem quæ vi oppressa est, pœna puniri, ut nequeat inter cæteras virgines consecrari. Id quidem objicit Rupertus abbas Tuitiensis, in libello *De læsione virginitatis*, ubi nescio cui Stabulensi Monacho respondet, qui ab ipso quæsierat « si in virginitatis proposito corrupta consecrari debeat vel possit ? » sic ergo inter alia inquit : « Sed rursus, et ratio sentit, et Lex sacra decernit, puellam nihil debere pati, quæ corrupta est per vim. Sic enim scriptum est in libro Deuteronomii : *Si in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis. Quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, ita et puella perpessa est. Sola erat in agro, clamavit, et nullus adfuit qui liberat eam.* Virgo quoque fidelis (utique S. Lucia) in sua passione et Christi confessione dicit : *Nunquam inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Nam si me invitam feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Nam sic patitur violatorem castitas, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. Igitur saltem de ejusmodi, id est, de illa quæ vim passa est, et corrupta, concedendum est quod coronari possit, et ideo liceat illam sicut incorruptam consecrari. » Citat mox Rupertus S. Hieronymi locum, quem quidem non recte intelligit, ut scite observat Lupus in laudatum cap. III libri Tertulliani, *De præscriptionibus contra hæreticos ;* deinde vero ita concludit : « Mihi videtur inæqualitas esse misericordiæ, ut non ita infirmiori femineo sexui, sicut fortiori, id est virili, condescendatur ; in eo videlicet, ut Clericus secreto lapsus ex concessione Canonum etiam ad Sacerdotium suscipiatur, et puella secreto lapsa ad consecrationem suo proposito usitatam non admittatur. »

XXII. Possem hic alia loca S. Thomæ describere, quibus egregie ostendatur quanta sit Ruperti allucinatio, sed satius puto eumdem confutare præclarissimo magni Augustini argumento ; ut unusquisque vel hinc agnoscat quanta sit in omnibus sacræ Theologiæ capitibus S. Thomæ cum ipso Augustino consensio. Docet is quidem in lib. *De bono conjugali*, c. XVIII, successivam bigamiam non damnari ab Evangelio, et tamen ex ipsa non posse creari Episcopum, ob defectum sacramenti, seu sacræ significationis : quia nempe Episcopus debet in suo corpore habere characteres quibus spirituale ac perpetuum unius Christi cum una omnium gentium Ecclesia conjugium repræsentetur, aut certe per quos ipsa repræsentatio non evertatur. Deinde hæc adjungit : « Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram uxorem, ordinandum esse, censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter virgines consecrari, ita non absurde visum est cum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad bonæ vitæ meritum, sed necessarium ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum. » Non ergo delicti gravitas (subdit Lupus), sed sacramenti defectus quodvis vitiatum feminæ corpus reddit incapax hujus consecrationis. Cæterum ad id quod de lapso Clerico ait Rupertus responderi potest, quod Apostolicus circa clericalem castitatem vigor jam diu sit relaxatus, Apostolicus tamen circa bigamiam Canon adhuc hodie integer vivit. Hinc etiam vivit et vivere debet idem Canon circa integrum corpus virginis consecrandæ. Hæc enim consecratio repræsentat virgineum virginis Christi cum virgine Ecclesia conjugium : quæ repræsentatio hærere non potest in corpore vitiato. Hinc tandem, ut Episcopus hanc integritatem secreto inquirat a consecranda virgine, ac se de ipsa certificet, Rubrica nostra recte præscribit. Vide S. Thomam superius laudatum in responsione ad V.

XXIII. Sunt qui perperam etiam contendunt virginem etiam sponte corruptam, si pœnituerit, posse ab Episcopo consecrari ; objiciuntque testimonium S. Petri Damiani, qui lib. II, epistola XVII ad Desiderium abbatem, probare nititur posse virginem suscitari post lapsum,

Digitized by Google

non solum juxta meritorum plenitudinem, sed etiam juxta carnis integritatem; et juxta meritum quidem reparari virginitatem, ex illo Pauli loco ostendere conatur, qui est in Epistola II ad Corinthios, cap. II : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo;* dicens, quod in illo populo quem alloquebatur Paulus non omnes erant virgines, verum et aliquæ erant nuptæ; deinde alia etiam Scripturæ loca recenset, ut cum Ezechielis cap. XXXIII dicitur : *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua;* et cap. XVIII : *Omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor amplius.* Juxta carnem vero etiam posse reparari virginitatem ait, quia si Deus reparat manum aut pedes amissos, ita potest reparare clausulam virgineam. Hoc autem dicit contra sanctum Hieronymum qui in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis scribit : « Audenter loquor : cum omnia possit Deus, » suscitare virginem non potest post ruinam ; » valet quidem liberare de pœna, sed non vult » coronare corruptam. » Verum præter Hieronymum, etiam sanctus Basilius in libro *De vera virginitate*, diserte docet virginitatem semel amissam nunquam posse recuperari : « Cæterum, inquit, si hoc amittas patrimonium » integerrimæ castitatis, quamvis illa omnia » facias quæ dixi, cœlumque, ac terras, et ma- » ria, et abyssos, immensumque aerem perva- » gata fueris, nulla hoc omnino ratione recu- » perare jam poteris. Quo enim pacto, quod » corruptum semel est, jam incorruptum fiet ? » Qua ratione, quæ cognovit virum, quasi quæ » non agnoverit, existimabitur ? »

XXIV. Ad id tandem quod objici solet, Deum non posse hoc agere, ut quæ facta sunt, facta non fuerint, respondet laudatus S. Petrus Damiani id non esse verum, asseritque Deum id posse, sed id quomodo possit intelligi a nobis non posse. Sane quis non videt labi hic sanctum scriptorem, cum ait Deum posse facere, ut quod factum est, factum non sit; involvit enim contradictionem, ut loquuntur theologi et sancti Ecclesiæ Patres, inter quos S. Augustinus, lib. XXVI contra Faustum manichæum, cap. V, hæc habet : « Quisquis itaque dicit : Si omni- » potens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, » facta non fuerint (ut virgo quæ corrupta est, » non fuerit corrupta), non videt hoc se dicere : » Si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, » eo ipso quod vera sunt, falsa sint, etc. » Unde S. Thomas in prima parte, quæstione XXV, articulo IV : « Omnem, inquit, corruptionem » mentis et corporis Deus auferre potest a mu- » liere corrupta, hoc tamen ab ea removeri non » poterit.... Sub omnipotentiam enim Dei non » cadit aliquid quod implicat contradictionem : » præterita autem non fuisse, implicat, etc. » Esto insuper posset a Deo reparari virginitas, sicut oculus amissus; ea tamen virginitas vel non erit eadem, vel erit restituta. Esto suscitari posset virgo pœnitens post lapsum suum, semper nihilominus recte post sanctum Augustinum docet Angelicus Doctor, non ob delicti gravitatem, sed ob sacramenti defectum, non posse virginem corruptam consecrari.

XXV. Hinc non mirum si, juxta ipsius S. Thomæ sententiam, nec etiam occulte violata inter virgines velari et consecrari valet; ob eam rationem quam in responsione ad V assignat : quia scilicet gravis deordinatio est consecrationem virginum corruptæ aptari, cum preces et orationes quæ ibi proferuntur, nullatenus corruptæ conveniant, et consecrationis significatio omnino deficiat : « Ad quintum dicendum quod » nullo modo illæ quæ sunt corruptæ occulte, » sive a viris, sive alio modo, sunt velandæ; » quia propter vitandum scandalum, non debent » Ecclesiæ sacramenta vel sacramentalia va- » riari. » Mox addit esse quorumdam opinionem posse aliquam adhiberi cautelam ad vitandum scandalum, ut scilicet illa, quæ non sunt de substantia virginalis veli, ut accensio candelarum, et alia hujusmodi, fiant, mutatis occulte his quæ sunt de substantia virginalis veli, puta ut quod nomen virginitatis in castitatem varietur. Sic ille; etsi Petrus Paludanus dicat istam cautelam esse fictionem in facto rei sacramentalis, et non licere; quamobrem non immerito suggillatur a Silvestro in sua *Summa*, verbo *Consecratio*, quæsito I. Notandum est tamen quod juxta ipsum Paludanum licita esset ista cautela, ubi Episcopus hoc sciret solum occulte in confessione, quia eo casu non tenetur, nec debet talem publice repellere, sed admittere, licet ipsa peccet; et similiter quæ illam scienter ad hoc sollicitant, non autem si permittant, cum est occultum. Posse autem se excusare addit, non manifestando peccatum, sed se ex

Digitized by Google

humilitate excusando. Porro docent plerique auctores corruptam virginem etiam occulte, tum ante, tum post consecrationem, abstinere ab officiis debere, quæ secundum consuetudinem monasterii solent consecratis virginibus competere, donec cum ea super hoc fuerit per Episcopum dispensatum. Vide laudatum Silvestrum et S. Raymundum in sua *Summa*.

XXVI. Græci, quod nullum in ista consecratione sacramentum agnoscere videantur, sed solum virtutem exquirere et dignitatem personæ, ideo non fornicatione corruptam, in Abbatissam aut virginem consecrant, sed solam viduam : « Græci, » inquit Theodorus Cantuariensis episcopus, cap. III, « simul benedicunt » viduam et virginem : et utramque Abbatissam » eligunt; Romani non velant viduam, sed vir» ginem tantum. » Istam esse Græcorum antiquissimam disciplinam, non modo ex laudato Theodori testimonio liquet, verum ex celebri S. Joannis Chrysostomi Epistola II quam olim ad sanctam viduam Olympiadem scripsit, sic inquiens : « Nec sermones meos propterea » carpo, quod te in virginum chorum et classem » adscripserim, quæ in sanctarum illarum » chorea vixisti. Sæpe enim me, tum privatim, » tum publice audisti, cum explicarem quæ » esset virginitatis definitio, illudque contende» rem, nihil unquam impedimento fore quo » minus ea in virginum numerum et ordinem » referretur, imo etiam eas longo intervallo » superaret, quæ in cæteris rebus ingentis Phi» losophiæ specimen edidisset. » Mox morem Ecclesiæ suæ probare non tantum ex Apostolo, sed etiam ex Evangelio nititur, sic dicens : « Eaque de causa Paulus etiam, cum virginem » discuteret, non eam duntaxat, quæ matrimonii » et virilis commercii expers esset, virginem ap» pellavit, verum et illam cui ea quæ ad Dei » cultum pertinent, curæ essent. Quin ipse » quoque Christus ostendens quantum eleemo» syna virginitatem antecellat, ex virginum » choro dimidiam partem ejecit, quoniam abs» que hac virtute ingressæ fuerant. Contra, » eos qui sine virginitate accesserunt, quod » misericordia ornati essent, perhumanissime » excepit. » Ergo Olympiadem, quod licet non corpore, esset tamen virgo mente, Chrysostomus inter virgines consecravit, virtutem ejus, non actum attendens. Id quod minime nostræ Latinæ Ecclesiæ consuetudini adversatur : ut enim scite scripsit S. Hieronymus in Epistola XXVIII ad Licinianum : « Unaquæque » Provincia abundet in suo sensu, et præcepta » majorum leges Apostolicas arbitretur. » Recte etiam docet S. Augustinus in Epistola LXVI, ubi id scriptum reliquit : « In his rebus, de quibus » nihil statuit divina Scriptura, mos populi Dei » vel instituta majorum pro lege tenenda sunt : » de quibus si disputare voluerimus, et ex alio» rum consuetudine alios improbare, orietur » interminata luctatio. »

XXVII. Age nunc accedamus ad quintam nostræ Rubricæ partem; quæ res scilicet pro virginum consecratione parandæ, et super altari locandæ. « Super altari, inquit, in cornu Epi» stolæ locantur pro virginibus benedicendis » vestes, vela, annuli, et torques sive coronæ, » tempore suo virginibus tradenda. » Sane constat ritum esse in Ecclesia pervetustum, ut hæc ornamenta virginibus in sua ipsarum consecratione tradantur, ut suis locis ostendetur. Verum in nullo adhuc reperi manuscripto Pontificali etsi inferioris ævi, in quo præscriptum legatur ut ornamenta ipsa super altari locentur; nisi in manuscripto Pontificali codice Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4748, quem puto vix annos quingentos attingere : « Induto, inquit, et præ» parato Episcopo, virgo dedicanda, priusquam » Missa incipiatur, ante altare veniat, habitum » Religionis propriis manibus gestans, quem » super altari positum Episcopus benedicat. » Cæterum Pontificalis codex manuscriptus Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos hoc unum mandat, ut « sanctimonialis virgo cum ad » consecrationem sui Episcopo offertur, in tali» bus vestibus applicetur, quibus semper usura » est, professioni et sanctimoniæ aptis. » Et statim subjicit : « In primis offerat illa vestimenta » ante altare Episcopo ad benedicendum. » Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Antissiodorensis præscribit quidem ut præparentur cuilibet consecrandarum annulus et corona, eis suo loco ab Episcopo imponenda, sed de ponendis iis super altari nec verbum ullum facit. Ex Pontificali tandem manuscripto Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter tercentorum, cautum est ut immediate ante Evangelii lectionem « offerantur vestimenta » religionis et velamina ante altare ab Episcopo » ad benedicendum in conspectu omnium, etc. »

Digitized by Google

XXVIII. Ad sextam Rubricæ partem quod attinet, ut deputentur paranymphæ matronæ seniores et propinquæ earum, quæ virginibus in sua ipsarum consecratione assistant, ita edicit manuscriptum Pontificale Sancti-Remigii quingentorum annorum : « Virginem Episcopo pa» rentes cum oblatione offerant, et ille involu» tam manum ejus in palla altaris recipiat, etc. » Idipsum totidem prorsus verbis habetur in antiquo Romano Ordine apud Hitorpium. Cui consentire videtur Pontificale Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria, sic inquiens : « Ipsa igitur virgo, cum ad consecrationem sui » Episcopi offertur, debet præsentari Episcopo » ab ipsis parentibus, qui eam proximiori gradu » consanguinitatis tangunt, et ille manum ejus » involutam in palla altaris recipiat. » Quod mirum videri debet, cum ex Soteris decreto, qui fuit a S. Petro XII Romanus Pontifex Maximus, mandatum sit ne sacratæ Deo feminæ vel Monachæ « sacra vasa vel sacratas pallas, » contingant, ut videre est apud Gratianum, can. XXVI, distinctione XXIII, vel saltem ex can. XXXVII Concilii Antissiodorensis, ubi ita legimus : « Non licet mulieri manum suam ad » pallam Dominicam mittere. » Puto ritum hunc offerendi liberos ad altare, manu palla ipsius altaris involuta, originem suam trahere ex Regula S. Benedicti, cap. LIX, ubi loquens sanctissimus Legislator de filiis nobilium vel pauperum, qui Deo in monasterio a parentibus offeruntur, hæc habet : « Si quis forte de nobi» libus offert filium suum Deo in monasterio, » si ipse puer minori ætate est, parentes ejus » faciant petitionem quam supra diximus, et » cum oblatione ipsam petitionem et manum » pueri involvant in palla altaris, et sic eum » offerant. »

XXIX. Oblationem hic præscriptam docet Boerius intelligi, ut aliquid conferatur ad stipem templi, vel ut panem, aut vinum, vel lumen, vel utrumque cum puero offerant. Lanfrancus vero in *Statutis* suis, cap. XVIII, de hac cæremonia ita scribit : « Offerendus puer, facta sibi » prius corona, manibus portans hostiam et ca» licem cum vino, sicut mos est, post Evange» lium, Sacerdoti, qui Missam celebrat, a pa» rentibus offeratur. Qua oblatione a Sacerdote » suscepta, involvant prædicti parentes manus » pueri in palla qua altare coopertum est, et » cujus pars anterius pendet, et tunc suscipiat » eum Abbas. » Cui consonat consuetudo quam apud suos servari testatur laudatus Boerius in cap. LIX Regulæ, sic inquiens : « Facta rece» ptione in Capitulo, et habitu induto per pa» rentes et amicos puer offertur ad altare, et » super ipsum genibus flexis et capite inclinato, » duos fratres imponunt pallam seu pallium, » quod ante altare dependet. » Aliter vero docet Paulus Diaconus, cum quid per pallam intelligatur, hanc suam affert sententiam : « Non in palla altaris sacrata, sed in illa tobalia, » in qua portatur calix, quando debet ad sacri» ficium offerri, quæ dicitur esse altaris, eo » quod altari servitur in ea. » Huc fortasse spectat quod in ipsum Regulæ caput LIX scribit Ruthardus, eremi Sanctæ-Mariæ in Helvetia monachus : « Debet ponere in dextera manu » filii sui oblatam cum mappula, in sinistra » autem ampullam vini. » Ubi plura observat Benedictus Haeftenus, *Disquisitionum Monasticarum* lib. IV, tractatu I, disquisitione IV. Demum Bernardus Casinensis secundum litteram putat intelligi debere de palla sacrata, quæ semper est in altari, et ita de facto servari ait.

XXX. Moris itaque fuit a parentibus liberos offerri ad altare, manu involuta palla altaris, quasi jam hinc auspicarentur ejus ad aras immolationem. Unde hoc argumento Lamberti pater probabat professionem filii nullam esse, quod absque patris oblatione et Abbatis benedictione monachus esset effectus, uti habetur in can. *Præsens* XX, quæstione III. Qui Canon desumptus est ex Epistola Nicolai I Papæ ad Episcopos Galliæ, ubi inter alia legitur : « Neque » ego pater pallio altaris indutum illum obtuli. » Eodem argumento professionem Roberti nepotis sui apud Cluniacenses, quod petitio pro eo non fuisset facta a parentibus, involuta manu in palla altaris, nullam et irritam esse dicebat S. Bernardus in Epistola I, ultimæ editionis num. VIII : « Videant et judicent quid potius » stare debuerit, an votum patris de filio, an » filii de se ipso, præsertim cum filius aliquid » majus devoverit. Videat et famulus tuus legis» lator noster Benedictus quid regularius fuerit, » utrum quod factum est de infantulo, nesciente » patre, an quod ipse per se postmodum pru» dens et sciens fecit, cum jam ætatem haberet,

Digitized by Google

» ut de se loqueretur, quanquam dubium non » sit promissum illum fuisse, non donatum : » nec enim petitio, quam regula præcipit, pro » eo facta fuit a parentibus; nec manus illius » cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut » sic offerretur coram testibus. »

XXXI. Pari etiam ritu apud altare fiebat traditio sponsæ, id est pallio quo altare obtegitur, uti quidam scriptores docent. Ejus rei singularis est locus in Vita S. Aichardi apud Surium ad diem xv septembris : « Tum herus, apprehensa » mulieris dextera, manu pallio obvoluta, ut » habet mos nuptiarum, coram adstantibus » conservis, conjuge et prole, hilari vultu col- » locavit eam illi in matrimonium. » Sponsos etiam ac sponsas, cum a Sacerdote benedicendi essent et in matrimonium conjungendi, fuisse eidem in Ecclesia a parentibus seu paranymphis oblatos, liquido constat ex Concilio Carthaginensi iv, anni 398, can. xiii, ut hinc colligas eosdem fere ritus servatos olim in matrimonio carnali hominum, ac in spirituali virginum cum Jesu Christo conjugio. Cæterum non nisi alicujus prædii traditione, quasi pro dote factam olim fuisse a parentibus ipsam puerorum oblationem, docet Leo Ostiensis in *Chronico Casinensi*, lib. i, cap. xvi. « Quidam etiam vir dives » Waco nomine, Beneventanus, in expeditione » constitutus, obtulit monasterio filium suum » nomine Wachipertum cum xx possessionibus » suis variis in locis constitutis. » Hoc quidem jure Cluniacenses dicebant memoratum superius Robertum monasterio oblatum, et prædium pro illo traditum, uti videre est in laudata Epistola i S. Bernardi : « Ostenditur, inquit, deinde » terra, quæ cum illo et pro illo dicitur data » fuisse; sed si cum terra eum receperunt, cur » non et cum terra eum retinuerunt ? » Vide in ipsam Bernardi Epistolam fusiores Horstii et Mabillonii Notas. Cur autem, quandove hæc puerorum oblatio sublata sit, docet idem Mabillonius in Præfatione i ad *Sæculum* vi *Ordinis S. Benedicti,* pag. 480, num. xxxvi.

XXXII. Quantum ad papilionis constructionem, seu alterius loci, in quem virgines ipsæ consecrandæ convenire debent, et suo tempore ibidem benedictis vestibus induendæ (quod quidem ad septimam Rubricæ partem attinet), ritus certe est omnino recentior, ac fere in editis solum Pontificalibus præscriptus, cum alias ex manuscripto Pontificali Barensi et multis aliis antiquioris ævi constet in Sacrario debuisse primum consistere, et in eodem loco postea se vestire : « Ipsa pergat in sacrario, » inquit manuscriptus codex Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos exaratus, « et induat se » vestimenta benedicta. » Cui consonat manuscriptus codex monasterii Sancti-Victoris Parisiensis annorum quingentorum sic dicens : « Tunc ipsa virgo vadat ad sacrarium, et induat » se ipso vestimento benedicto. » Juxta præscriptum manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Antissiodorensis, virgines primum in Capitulum conveniebant, ubi sermo ab Episcopo habebatur, eoque expleto remanebant ipsæ in eodem Capitulo, quousque Episcopus eas vocaret. Capitulum locus erat in quem Monachi seu Moniales conveniebant, sic dictum, quod capitula ibi legerentur. Notum enim eruditis puto, mane post primam recitatam, antequam fratres ad laborem exirent, jam olim aliquod Regulæ capitulum iis fuisse prælectum : cujus moris ac disciplinæ frequens habetur mentio apud scriptores ecclesiasticos : « Et quia mos est Monachorum, » inquit Smaragdus Abbas, « ut Regulam beati » Benedicti ad Capitulum legant quotidie ma- » tutinum, volumus ut ipse libellus ad eorum » Capitulum legatur vespertinum. » De eo Capituli loco ita scribit Helinandus, monachus Frigidi-Montis : « In corpore Ecclesiæ, præter » illum ubi altare constituitur, nullus locus est » sanctior Capitulo, nullus reverentia dignior, » nullus diabolo remotior, nullus Deo proxi- » mior. Ibi enim perdit diabolus quicquid alibi » lucratur. Ibi Deo restaurat obedientia quic- » quid alibi illi subtraxit, vel negligentia, vel » contemptus.» Vide Haeftenum, *Disquisitionum monasticarum* lib. viii, tractatu i, disquisitione i.

XXXIII. Dixi, fere solum in editis Pontificalibus præscriptum ritum, ut papilio construatur quo virgines primum conveniant, et ibidem se postea vestimentis benedictis induant; diserte enim de eo loquitur manuscriptum Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, his verbis : « Tunc Archipresbyter sacris vestibus indutus » venit ante papilionem, vel cappellam, vel » alium locum in Ecclesia præparatum, ubi be- » nedicendæ virgines sunt inclusæ. »

XXXIV. Quantum denique ad octavam nostræ Rubricæ partem, quæ est de Missa dicenda die

Digitized by Google

quo virgines consecrantur, ex præscripto quidem manuscripti Pontificalis Vaticani, num. 4744, Missæ introitus is erat : *Tibi dixit cor meum, quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam a me.* Psal. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Gloria Patri, etc.* Collecta vero : « Da » quæsumus, Domine, his famulabus tuis, quas » virginitatis honore dignatus es decorare, in- » choati operis consummatum effectum, et ut » perfectam tibi offerant plenitudinem, initia sua » perducere mereantur ad finem. Per Domi- » num. » Epistola. *Fratres, de virginibus præceptum Domini non habeo, etc.*, ut in Communi Virginum, vel alia ex Epistola II ad Corinthios, cap. III, versiculo XVII. *Fratres, Dominus autem spiritus est, etc.*, usque ad totum versiculum secundum capitis IV. Graduale. *Miserere mei, Deus,* ut in feria IV Cinerum. *Alleluia. ℣. Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo quandiu ero.* Evangelium : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, etc.*, ut in Communi Virginum; vel aliud quod incipit : *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit, etc.*, uti habetur in medio Evangelii, cujus initium est : *Modicum etiam non videbitis me;* legiturque in Dominica III post Pascha. Offertorium : *Sperent in te, etc.*, ut in feria III post Dominicam Passionis. Secreta : « Oblatis hostiis, » quæsumus, Domine, præsentibus famulabus » tuis perseverantiam perpetuæ virginitatis ac- » commoda, ut apertis januis summi cœlestis » Regis thalamum cum lætititia mereantur in- » trare. Per Dominum, etc. » Benedictio solemnis : « Domine Deus æterne, qui utrumque » sexum, etc. » Communio : *Notas mihi fecisti vias vitæ, etc.*, ut in feria IV post tertiam Dominicam Quadragesimæ. Oratio. « Deus qui » habitaculum tuum in corde pudico fundasti, » respice super has famulas tuas, et quæ casti- » gationibus assiduis postularunt, tua consola- » tione percipiant. Per Dominum. »

XXXV. Omnia fere, quæ huc usque adnotavimus ex Pontificali codice manuscripto Vaticano de Missa dicenda in consecratione virginum, legi etiam possunt in editis ante Clementem VIII Pontificalibus. Verum operæ pretium erit hoc loco etiam describere Orationes, quæ olim in ea functione ad Missam dicebantur juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, in cujus Sacramentario annorum mille, ab eximio cardinale Thomasio edito, lib. I, pag. 140, num. CV, ita legimus : « Item Orationes ad Missas ejusdem. Da, quæ- » sumus, Domine, famulæ tuæ, etc., » ut supra, mutato numero plurali in singularem. « Se- » creta : Oblatis hostiis, Domine, quæsumus, » præsenti famulæ tuæ perseverantiam perpe- » tuæ virginitatis adcommoda, ut apertis januis » summi Regis adventu cum lætitia mereatur » intrare. Per. » Infra actionem : « Hanc igitur » oblationem famulæ tuæ, *Illius*, quam tibi » offert ob diem natalis sui, in quo eam tibi so- » cians, sacro velamine protegere dignatus es; » quæsumus, Domine, propitiatus sanctifica, ut » tibi Domino, ac sponso suo venienti, cum » lampade sua inexstinguibili placitura recur- » rere mereatur. Per. » Postcommunionem : « Respice, Domine, famulæ tuæ tibi debitam » servitutem, ut inter humanæ fragilitatis in- » certa, nullis adversitatibus obprimatur, quæ » de tua protectione confidit. Per. »

XXXVI. In eadem pagina apud eumdem scriptorem sapientissimum, num. CVI, ita scriptum reperio : « Item alia ejusdem : Deus casti- » tatis amator, et continentiæ conservator, sup- » plicationem nostram benignus exaudi; et hanc » famulam tuam propitius intuere; et quæ pro » timore tuo continentiæ pudicitiam vovit, tuo » auxilio conservetur, ut sexagesimum fructum » continentiæ, vitam æternam, te largiente, per- » cipiat. Per. » Secreta. « Munera, quæsumus, » Domine, famulæ et sacratæ tuæ, *Illius*, quæ » tibi ob consecrationem sui corporis offert, si » mul ad ejus animæ medelam proficiant. Per » Dominum nostrum. » Postcommunionem. « Bonorum Deus operum institutor, famulæ tuæ, » *Illius* corda purifica, ut nihil in ea quod puni- » re, sed quod coronare possis, invenias. Per. »

XXXVII. Denique pag. 141 legitur. « Item » alia ejusdem : Preces famulæ tuæ, *Illius*, quæ- » sumus, Domine, benignus exaudi; ut ad- » sumptam castitatis gratiam, te auxiliante, cu- » stodiat. Per. » Secreta : « Votivis, quæsumus, » Domine, famulæ tuæ, *Illius*, adesto muneri- » bus, ut, te custode, servata, hæreditatem bene- » dictionis æternæ percipiat. Per. » Infra actionem : « Hanc igitur oblationem famulæ tuæ, » *Illius*, quam tibi offerimus ob diem natalis » ejus, quo etiam sacro velamine protegere

Digitized by Google

» dignatus es; quæsumus, Domine, placatus ac-
» cipias. Pro qua, Majestati tuæ supplices fundi-
» mus preces, ut in numerum earum sanctarum
» virginum transire præcipias; ut tibi Sponso
» venienti cum lampade sua inexstinguibili pos-
» sit occurrere; atque intra regni cœlestis clau-
» stra, gratias tibi referat, choris sanctarum
» virginum sociata. Quam oblationem. » Post-communionem. « Deus, qui habitaculum tuum
» in corde pudico fundasti, respice super hanc
» famulam tuam, et quæ castigationibus assi-
» duis postulat, tua consolatione percipiat. Per. »

XXXVIII. Placuit hæc describere ex laudato cardinalis Thomasii codice, tum ob venerandam ipsius codicis antiquitatem, tum præsertim, quod vix apud Bibliopolas inveniatur, sicut et cætera memorati auctoris opera, quæ apud viros eruditissimos summo in honore ac pretio habentur; fuit enim ipse Thomasius quo doctior, eo religiosior, continentque illius libri non modo sanam doctrinam, sed undique etiam sanctimoniam spirant. Cæterum afferri et alii possent Missarum Ordines, quæ pro Ecclesiarum consuetudine olim in consecratione virginum dicebantur; sed cum id immensi plane et inutilis esse laboris arbitratus sim, et allati Ordines satis esse possint, hoc unum adnoto, standum hodie præscripto Rubricæ nostri Pontificalis, præcipientis Missam dicendam esse de die in quo virgines consecrantur, cum orationibus tamen peculiaribus pro ipsis virginibus, sub uno *Per Dominum, etc.* Prima quidem quæ dicenda est initio Missæ, incipitque, « Da, quæ-
» sumus, Domine, his famulabus tuis, etc., » adeo est antiqua, ut non modo in *Sacramentario* S. Gregorii, sed et in Gelasiano codice totidem verbis legatur; exstatque in omnibus fere sequioris ævi Pontificalibus libris. Ne quis autem putet nostram Rubricam quoad Missam in consecratione virginum de die currenti celebrandam cum additione præfatæ orationis, « Da,
» quæsumus, Domine, etc, » rem esse nuper inventam, ita præscriptum lego in manuscripto Pontificali Christiani archiepiscopi, qui ab anno 1249 usque ad annum 1251 Moguntinam rexit Ecclesiam, ubi agit de Ordine ad velandas virgines : « Primo, inquit, Missa incipitur con-
» gruens festo vel tempori. Post primam col-
» lectam adjunge sub una conclusione : Da,
» quæsumus, Domine, famulabus tuis, etc. »

§ II.

Dicto Graduali, Tractu vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris præparatum. Virgines vero in vestibus, quibus in monasterio usæ sunt, sine velis, sine mantellis et sine cucullis e monasterio egressæ, associatæ singulæ a duabus matronis senioribus, et propinquis, ac velis ante faciem demissis, ecclesiam ingrediuntur, et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat competenti voce hanc Antiphonam toni IV : *Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit, exite obviam ei.*

COMMENTARIUS.

I. Quibus vestibus sanctimonialis virgo cum consecratur induenda sit, præscriptum habetur in Concilio III Carthaginensi, anni 397, can. XI : « Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem
» sui Episcopo offertur, in talibus vestibus ap-
» plicetur, qualibus semper usura est, profes-
» sioni et sanctimoniæ aptis. » Ubi nota labi videri eos qui audacter contendunt sacras virgines hominesque Ecclesiasticos nulla fuisse a laicis per quinque priora Christi sæcula veste distinctos. Sed hoc obiter adnotato, exscribit Canonem Carthaginensem tum vetus Ordo Romanus, cum plerique manuscripti libri Pontificales, nempe codex Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos exaratus, Cameracensis annorum quingentorum, et alii. Pontificale Christiani archiepiscopi Moguntini mandat quidem ut « ante Epistolam stent velandæ (vir-
» gines) parum remotæ ab Episcopo in vestibus
» suæ professionis, capitibus detectis, sparsis

Digitized by Google

» crinibus, et Abbatissa cum conventu post » ipsas. » Ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, virgines audientes vocem Archipresbyteri, qui eas ita compellat : *Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit, exite obviam ei*, præparant se, accendentes cereos suos, et exeunt hinc et hinc cum cereis accensis de loco ubi erant inclusæ, absque aliquo capillorum cooperimento, in vestibus quibus semper in monasterio usuræ sunt, sine velis, mantellis et cucullis. Cui fere consonat Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Antissiodorensis, initio officii consecrationis virginum, ita inquiens : « Præparent se ita ut » quælibet habeat cereum accensum in manu » sua, quando Episcopus vocaverit eas, et sint » sine velis et vestimentis, videlicet, mantellis » vel cucullis postea benedicendis ab Episcopo. » Pontificale insuper Ecclesiæ Senonensis, ante annos tercentos scriptum, hunc ea de re ritum præscribit : « Accedant ante Episcopum conse- » crandæ Moniales, indutæ desuper pelliceis et » capitegiis albis, tenentes quælibet unum ce- » reum in manu. » Pellicia sunt indumenta ex pellibus facta; capitegium vero amiculum capitis. Unde Guarinus Ordinis Prædicatorum in Vita B. Margaritæ Hungaricæ, num. XIX : « Pa- » rabat cibum pro infirmis in coquina, accen- » debat ignem, carnes pro eis in proprio portabat » capitegio, vel ad collum. » Et Cæremoniale Romanum ex manuscripto codice Vaticano de consecratione PP. : « Ordinator ponat unum ca- » pitegium subtile in modum serti super caput » Electi, pendentibus capitibus capitegii post » collum, et sic mittit crisma super caput ejus » in modum crucis, etc. »

II. Ex dictis jam liquet quam varii variarum Ecclesiarum pro temporum ratione fuerint ritus et instituta diversa, cum in una detectis capitibus, in alia vero capitegio coopertis consecrandæ virgines Episcopo se præsentarent. Quinimo, cum olim in privatis ædibus etiam degentes professæ virgines consecrarentur, a duodecimo tamen sæculo, ut putat Lupus, constatque ex innumerorum pene Pontificalium constituto, illæ tantum consecrari debent, quæ vitam cœnobiticam solemniter professæ sunt. Id quod non obscure innuit Pontificale manuscriptum Vaticanum, num. 4744, dum ait præsentandas esse Episcopo virgines « in vestibus » quibus semper in monasteriis usæ sunt; » itemque Pontificale Ecclesiæ Senonensis, dicens : « Est » autem advertendum quod consecrandæ debent » esse expresse professæ dum moniales fuerint. » Quibus consentiunt auctores passim tum theologi, tum canonici juris consulti, inter quos Silvester Priaras dominicanus in sua *Summa*, verbo *Consecratio* III, num. II, docet citans Archidiaconum, eam solum esse in virginem consecrandam, quæ tria essentialia vota in religione probata professa est, exceptis Monialibus mendicantium. Quod quidem in *Apostolicarum decisionum Collectaneis* testatur etiam Augustinus Barbosa ad verbum *Consecratio*, affirmans ita a sacra Rituum Congregatione fuisse decisum; quia nimirum, ut quidam docent, hæc consecratio est quædam dignitas Ecclesiastica, quam professæ mendicitatem debent contemnere.

III. Est vero, et illud notandum, quod tum antiquissimi, tum recentiores libri Pontificales docent, debere virgines consecrandas in talibus vestibus Episcopo præsentari, qualibus semper usuræ sunt, professioni et sanctimoniæ aptis. Id quidem præscriptum vidimus in Concilio Carthaginensi III. Hinc recte sextæ Synodi Canon XLV Græcorum morem suggillat, quod in nonnullis mulierum monasteriis mulieres quæ sacro habitu induendæ erant, prius splendido vestium apparatu, auroque ac gemmis conspicuæ ad altare sisterent, ibique illa ornatus inanitate exutæ, monastica indumenta benedicta sumerent : « Neque enim fas est, inquit, ut » quæ jam propria voluntate omnem vitæ ju- » cunditatem deposuit, et eam quæ est secun- » dum Deum, vitæ agendæ rationem amplexa » est, firmisque ac stabilibus rationibus eam » confirmavit, et ita ad monasterium accessit, » per eum qui interit ac fluit, mundum, quo- » rum jam oblita erat, memoriam revocet; et » ex eo anceps reddatur, et ejus anima pertur- » betur instar exundantium fluctuum, hucque » et illuc versantium. » An non et hic Canon abusum illum damnat quarumdam puellarum, quas parentes, antequam monasteriis includant, vitam religiosam professuras, superbis ornatas vestibus, comptum caput habentes, per totam non solum Urbem deducunt, sed etiam ad impurissimas theatrorum obscenitates ? Faxit Deus ut hæc non sit una ex illis causis, ob quas non-

Digitized by Google

nullæ Moniales, sæculi pompis perturbatæ, ac impudicis spectaculorum imaginibus abreptæ, vitam non degant infelicissimam !

IV. Sed omisso hoc abusu, quem alias posteriores sanctorum Episcoporum Synodi non semel damnarunt, cautum est ex nostra Rubrica ut consecrandæ virgines singulæ associatæ a duabus matronis senioribus et propinquis, ac velis ante faciem demissis, ecclesiam ingrediantur. Vetus Ordo Romanus, a parentibus inquit offerendam Episcopo virginem sacrum velum suscepturam. Cui consentire videtur manuscriptum Pontificale Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria, mandans debere Episcopo præsentari virginem « ab illis parentibus qui » eam proximiori gradu consanguinitatis tan» gunt ; » quia scilicet periculosa est puellarum virginitas, et facile ex uno vetularum extranearum verbo contaminari potest ; unde recte cautum est, ex manuscripto Pontificali Cameracensi annorum quingentorum, ut « Abbatissa » stet retro eas, et aliæ virgines testes integri» tatis earum. » Id ipsum præscribit Pontificale Christiani archiepiscopi Moguntini circa medium sæculum XIII, cum ita inquit : « Ante Epistolam » stent velandæ parum remotæ ab Episcopo in » vestibus suæ professionis, capitibus detectis, » sparsis crinibus, et Abbatissa cum conventu » post ipsas. » Ubi nota insignem varietatem; vult enim, sicut et nonnulli alii Pontificales libri, ut virgines discooperto capite præsententur ; cum alias in nostra Rubrica expresse dicatur ut vela ante faciem demissa habeant, non quidem illa quæ benedici debent (sine velis enim, sine mantellis et sine cucullis ecclesiam intrare debent), sed alia cooperiendæ faciei gratia, ne ab hominibus videantur. Quamobrem non virginibus modo, sed et mulieribus nuptis convenire hujusmodi velaminis disciplinam, fuse ostendit in eruditissimo libro *De virginibus velandis* Tertullianus.

V. Tandem quod consecrandis ipsis virginibus ecclesiam ingressis, velis ante faciem demissis, Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus antiphonam cantet, desumptam ex c. XXV Evangelii S. Matthæi : *Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit, exite obviam ei,* nullibi adhuc eum ritum reperi, præterquam in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744. « Tunc, inquit, Ar» chipresbyter sacris vestibus indutus, venit » ante papilionem, vel capellam, vel alium » locum in ecclesia præparatum, ubi benedi» cendæ virgines sunt inclusæ, cantans alta voce » hanc Antiphonam : *Prudentes virgines, aptate* » *vestras lampades, etc.* » Porro juxta præscriptum hujus Pontificalis, omnino ante Missam virginum consecratio peragebatur ; et non nisi tota absoluta functione, Missa ab Episcopo dicebatur ; quanquam ex codice manuscripti Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos scripto, et ex Ordine antiquo Romano, post Evangelium solitæ erant virgines consecrari, ob eam rationem quam tradit manuscriptum Pontificale Sancti-Remigii Remensis, annorum quingentorum, sic inquiens : « Omnes, qui ad » sacros Ordines debent promoveri, ante pro» nuntiationem Evangelii ab ipso Episcopo de» bent consecrari ; quia prædicatio sancti Evan» gelii debet per totum mundum diffundi (ab » ipsis). Virgines autem et viduæ post lectum » Evangelium debent velari, quia decet eas et » per Evangelium prædicari. » Exstant ipsissima verba in antiquo Pontificalis officii libro, quem ex Fuxiani collegii Bibliotheca apud Tolosates refert Morinus in suo *De sacris ordinationibus* opere. Certe fateor me rationem ignorare cur hodiernum Pontificale, a laudato Romano Ordine et ab antiquis Ritualibus discedens, totam consecrationis virginum actionem ante Evangelium absolvat. Res est profecto adiaphora, et unaquæque Ecclesia abundat in suo sensu in iis scilicet quæ nihil fidei officiunt. Unde non mirum si ex Pontificali Christiani archiepiscopi Moguntini, annorum circiter quingentorum, non nisi post peractam virginum consecrationem legitur Epistola, et Missa perficitur ordine suo; et ex Pontificali Ecclesiæ Senonensis, ante annos tercentos scripto, non nisi immediate post lectam Epistolam, antequam Evangelium recitetur.

Digitized by Google

§ III.

Virgines vero, audientes vocem Archipresbyteri et accendentes cereos suos, progrediuntur binæ et binæ. Archipresbyter vero præcedens statuit eas extra chorum, ut facies ad altare majus vertant, et Pontificem coram altari sedentem possint videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter in parte virginum stans, dicit competenti voce in tono lectionis ad Pontificem, virginibus genuflectentibus : *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut has præsentes virgines dignemini benedicere, et consecrare, ac Domino nostro Jesu Christo summi Dei Filio desponsare.* Pontifex interrogat dicens : *Scis illas dignas esse?* Respondet Archipresbyter : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, credo et testificor illas dignas esse* : Tunc Pontifex, adhuc sedens cum mitra, dicit ad circumstantes : *Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus has præsentes virgines benedicere, et consecrare, ac Domino nostro Jesu Christo summi Dei Filio desponsare.*

COMMENTARIUS.

I. Est vetus Ecclesiæ institutum, ut virgines cum ardentibus cereis Episcopo se præsentarent : duos quidam ab unaquaque ferendos præscribit codex Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos scriptus : « Et accipiens, » inquit, duos cereos in manibus suis ardentes, » et veniens ante altare, etc. » Pontificale Christiani archiepiscopi Moguntini unum duntaxat ferendum mandat : « Quælibet autem » velanda habebit candelam ardentem. » Cui consonat Pontificale Ecclesiæ Antissiodorensis, cum ait : « Et præparent se ita (virgines) , ut » quælibet habeat cereum accensum in manu » sua, quando Episcopus vocaverit eas. » Ex plerisque libris Pontificalibus nihil certi colligi potest, unumne, an duos deberent gestare cereos; ut enim alios omittam, Vaticanus, num. 4744, hæc habet : « Virgines vero au- » dientes vocem Archipresbyteri præparant se, » accendentes cereos suos, et exeunt hinc et » hinc cum cereis accensis, etc. » Ubi nota insignem varietatem; nam hic et in nostro hodierno Pontificali, ad vocem Archipresbyteri exeunt puellæ cum cereis suis accensis; in Moguntino vero Christiani archiepiscopi Pontificali, ad vocem Episcopi : « Quando Episcopus » vocaverit eas. » Quam disciplinam amplexa est Ecclesia Silvanectensis, cum in manuscripto Pontificali Petri ejusdem Ecclesiæ antistitis, qui obiit anno 1356, ita legamus : « Paratæ sint » virgines absque aliquo capillorum operimento, » et stent in ordine, congruo tamen spatio re- » motæ ab Episcopo, tenentes accensos in ma- » nibus cereos, donec Episcopus vocet eas. »

II. Sane hunc sacrum ritum, ut consecrandæ virgines ad Episcopum accedant, candelas in manu accensas gestantes, idcirco præscriptum puto ut spiritualis quod cum Christo ineunt matrimonii admoneantur. Cum enim apud ethnicos, ut scribit Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*, Varro lib. IV *De lingua Latina*, Servius in IV *Æneidos Virgilii*, et alii, nuptis tæda jugalis accensa dari soleret, quid mirum, si hoc fit a christianis virginibus, ut gestatione accensæ lampadis se Christo nubere recordentur? Unde S. Cyrillus Hierosolymitanus in procatechesi ad illum ritum alludens, eum qui non purgatus ad sacrum Baptisma accedit, « indignum dicit qui lampades sponsales fe- » rat. » Baptizandos quoque ad ipsum sacrum Baptisma adhortans S. Gregorius Nazianzenus in celebri illa oratione in sanctum Baptisma, ad finem sic inquit : « Lampades quas accendis, » illius luminum gestationis figuram gerunt, » cum qua splendidæ et virgines animæ splen- » didis fidei lampadibus Christo sponso obviam » prodibimus, nec per ignaviam socordiamque » dormientes, ne inscientibus nobis, is cujus » adventus expectatur, inopinato adsit, nec » alimento, et oleo, bonisque operibus carentes,

Digitized by Google

» ne a nuptiali cubiculo excludamur. » Alludit autem S. Doctor ad initium capitis xxv Evangelii S. Matthæi, ubi a Christo nostro Domino horrenda illa parabola proponitur de decem virginibus, ex quibus quinque fatuæ erant, quinque vero prudentes. Quid in eadem mysterii contineatur, ex ipso Evangelio liquet, quod frequenter in Missa audimus, cum de aliqua sancta virgine officium celebratur.

III. Recens est autem ille ritus vix annos quingentos attingens, ut Archipresbyter, post locatas extra chorum virgines, Episcopum sic alloquatur : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia, etc.* Nihil enim de ipso ritu adhuc legi in manuscriptis Pontificalibus, nisi in duobus tantum, uno scilicet Aquensis Ecclesiæ, annorum circiter quadringentorum, altero vero Vaticanæ Bibliothecæ ejusdem fere ætatis, cujus verba hæc sunt : « Archipresbyter » vero præcedens, statuat eas in parte occiden- » tali ecclesiæ extra chorum, ita tamen quod » Episcopum coram altare sedentem possint » videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter » in parte virginum stans, dicit : *Reverende* » *Pater, postulat sancta mater Ecclesia*, etc. » Subjicitur mox in iisdem Pontificalibus interrogatio Episcopi, an scilicet, sciat ipse Archipresbyter num illæ sint dignæ. Quo testificante eas esse profecto dignas ad hujus munus honoris, quantum tamen humana fragilitas nosse eum sinat, statim Episcopus edicit populo, auxiliante Jesu Christo, eligere se eas virgines, et consecrare, ac eidem Christo Domino desponsare.

IV. Concurrisse olim multum populum ad consecrationem virginum, veluti testem, liquido constat ex libello *Ad virginem lapsam*, quem S. Ambrosio adscribit, parte vii sui decreti, cap. cxxxiv, sanctus Ivo Carnotensis episcopus : « Reminiscere ergo, inquit Ambrosius, quantus » ad Sponsi tui et Domini nuptias convenerit » populus : servare te oportuit fidem, quam » sub tantis testibus pollicita es : semper cogi- » tare cui virginitatem spoponderis : facilius te » oportuerit sanguinem cum spiritu fundere, » quam perdere tuam castitatem. His in illo » tunc die consecrationis tuæ dictis, et multis » super castitate tua præconiis, sacro velamine » tecta es. Omnis populus dotem tuam subscri- » bens, non atramento, sed spiritu, pariter cla- » mavit : Amen. » Ubi nota 1° sacram virginem solemniter ad ecclesiam, uti regiam sponsam consecrandam, procedere consuevisse ; ii° concurrere solitum fuisse populum, ut assisteret tanquam testis consecrationis, et eidem veluti magno sacramento publica voce *Amen* subscriberet. Porro populi concursus ad consecrationem virginum, præclarum exstat sancti Ambrosii testimonium in lib. iii *De virginibus*, ubi hunc in modum sororem suam Marcellinam alloquitur : « Tempus est, soror sancta, ea quæ mecum » conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præ- » cepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo » accedat gratior. Namque is, cum in Salvatoris » Natali ad Apostolum Petrum virginitatis » professionem, vestis quoque mutatione signa- » res, atque adstantibus etiam puellis Dei com- » pluribus, quæ certarent invicem de societate, » *Bonas*, inquit, *filia, nuptias desiderasti*. Vides » quantus ad natalis Sponsi tui populus conve- » nerit, et nemo impastus recedat. » Atque hic obiter nota virum sanctiorem appellari a S. Ambrosio Liberium Papam, quem heterodoxi non verentur Arianum dicere.

§ IV.

Deinde Pontifex vocat virgines in cantu dicens : *Venite*. Virgines respondent : *Et nunc sequimur*. Surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen genua flectentes. Tunc Pontifex eas secundo altius vocat in cantu dicens : *Venite*. Virgines surgentes respondent similiter in cantu dicentes : *Ecce nunc sequimur in toto corde*. Deinde usque ad medium chori procedunt, et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat eas in cantu, dicens : *Venite, filiæ, audite me, timorem Domini docebo vos*. Virgines vero surgentes respondent, cantantes Antiphonam : *Ecce nunc sequimur in toto corde; timemus te, et quærimus*

Digitized by Google

faciem tuam videre, Domine, ne confundas nos, sed fac nobis juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et præmissa cantantes virgines, magis appropinquantes ascendunt in Presbyterium, ubi omnes coram Pontifice genuflectunt, et capita profunde quasi usque ad terram inclinant. Deinde singulæ successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc versum : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.*

COMMENTARIUS.

I. Quando præcise in Ecclesia hactenus enarratus exortus sit ritus, non est ita facile definire. Fortasse vix attingit sæculum Christi XII, cum ante eam ætatem scripti libri Pontificales, quos legi, nullam de ipso ritu mentionem faciant. Ex Pontificali quidem manuscripto Cameracensi annorum circiter quingentorum, finita Collecta, antequam legatur Epistola, sedet Episcopus in sella coram altari, ipsæque virgines consecrandæ stant a longe nudatis capitibus, et Abbatissa retro eas, et aliæ virgines testes integritatis earum : « Tunc, inquit, vocet eas Episcopus, » dicendo : *Venite, filiæ;* ipsæque respondeant, » parumper mutantes locum : *Et nunc sequi-* » *mur*. Hoc expleto, iterum repetat Episcopus : » *Venite, venite, filiæ*, Et iterum respondeant, » mutando locum : *Et nunc sequimur*. Et iterum » Episcopus ter vocet eas, dicens : *Venite, filiæ*. » Et illæ aliquantulum appropinquantes dicant : » *Et nunc sequimur*. Quo finito, accedant pro- » pius cum reverentia, faciatque eis Episcopus » sermonem de virginitate servanda, et illæ » fatentes hæc servare per omnia, prior earum » offerat Episcopo velamina, et ipse benedicat » ea, etc. » Ex Pontificali Christiani archiepiscopi Moguntini, Episcopus etiam vocat virgines : « Tunc Episcopus cantet : *Venite, filiæ*. » Et virgines respondent : *Et nunc sequi-* » *mur*, etc. Rursus Episcopus cantet bis : *Venite,* » *venite, filiæ*, per totum. Et virgines appro- » pinquantes Episcopo, repetunt prædictum » versum. » Eumdem ritum legere est in sequioris ævi manuscriptis Pontificalibus, in quibus tamen aliquid semper varietatis apparet, ut vel ex duobus allatis colligi potest.

II. Cæterum nihil de eo ritu in Pontificali manuscripto Barensi exstat, et in illis, in quibus ritus ipse exprimitur, semper fere illa Antiphona desideratur, quam ex nostræ Rubricæ præscripto virgines cantare solent, illam scilicet Antiphonam : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.* Hæc Antiphona ex Ordine antiquo Romano, ex manuscripto Pontificali Sancti Remigii Remensis annorum quingentorum, et ex alio Metropolitanæ Ecclesiæ Apamiensis in Syria, non nisi post velaminum benedictionem a prostratis ante altare virginibus hunc in modum tribus vicibus dicebatur : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.* Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter tercentorum, prioris Antiphonæ lectionem retinet, ter etiam dicendo, vel simul, vel per partes ab ipsa virgine consecranda sub aspectu Episcopi, et ecclesiæ suppliciter ante altare prostrata, hoc quidem modo : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.* II. *Omnis injustitia.* III. *Omnis injustitia.*

III. Sed videamus quomodo hunc eumdem ritum describat Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744 : « Vocat, » inquit, eas (Episcopus) inchoans a principali, » dicendo primum verbum, scilicet : *Venite*. » Virgines vero surgentes mox seriatim veniunt » usque ad introitum chori, exterius tamen » genua flectentes ibi. Et tunc Episcopus vocat » eas secundo, cantans tamen secundum verbum » Antiphonæ : *Venite*. Virgines vero surgentes » respondent : *Ecce nunc sequimur;* et non » dicunt plus : et iterum parum prius versus » Episcopum, scilicet usque ad medium chori » procedunt, et ibi genua flectunt. Tunc Epi- » scopus vocat eas tertio, cantans totum resi- » duum ipsius Antiphonæ : *Venite, venite, ve-* » *nite, virgines, audite me; timorem Domini* » *docebo vos*. Virgines vero surgentes respon-

Digitized by Google

» dent, cantantes totam Antiphonam : *Ecce* » *nunc sequimur in toto corde, et timemus te,* » *et quærimus faciem tuam videre; Domine, ne* » *confundas nos, sed fac nobis secundum man-* » *suetudinem tuam, et secundum multitudinem* » *misericordiæ tuæ.* Quam dicendo, magis ap- » propinquantes ascendunt ad Presbyterium, » ubi omnes se prosternunt in terram coram » Episcopo, et quælibet earum dicit hunc ver- » sum : *Suscipe me, Domine, secundum elo-* » *quium tuum, etc.* » Videtur hodiernum Romanum Pontificale hanc Vaticani manuscripti codicis Rubricam exscripsisse quemadmodum et multas alias, ut alibi notatum est.

§ V.

Quo per singulas dicto, surgunt omnes, et a matronis prædictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronæ coram Pontifice, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum et servandum sanctæ virginitatis propositum; et mox interrogat eas palam et communiter, dicens : *Vultis in sancto virginitatis proposito perseverare?* Et singulæ respondent : *Volumus.* Tunc unaquæque sigillatim genuflectit coram eo; et immissis manibus junctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet, dicens : *Promittis te virginitatem perpetuo servare?* Respondet illa : *Promitto.* Et Pontifex dicit : *Deo gratias.* Illa vero osculatur manus Pontificis, surgitque, et ad suum locum revertitur et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem dispositis, et ad sua loca reversis et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat, dicens : *Vultis benedici, et consecrari, ac Domino nostro Jesu Christo summi Dei Filio desponsari?* Respondent omnes : *Volumus.*

COMMENTARIUS.

I. Quoniam, ut passim decernunt Canones, virginibus invitis non est sacrum velamen imponendum, merito eas Episcopus interrogat an velint in sancto virginitatis proposito perseverare. Etsi enim virgines, etiam non consecratæ, ad susceptum propositum virginale servandum teneantur, uti constat ex Epistola S. Innocentii Papæ ad Victricium episcopum Rothomagensem, et ex aliis plerisque Ecclesiæ legibus; dubitari nihilominus nequit quin per consecrationem iterata professio novo easdem virgines contractus vinculo obstringat. Illud autem fateri cogimur ritum hunc interrogandi virgines, et immittendi ipsarum manus junctas inter ambas Pontificis manus, non haberi in antiquo Romano Ordine, nec in vetustis manuscriptis Pontificalibus, imo nec in multis, quæ scripta fuerunt longe post annum Christi millesimum.

II. Porro omnino fere consentit nostræ huic Rubricæ Pontificale manuscriptum Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, in quo ita legimus : « Deinde surgunt, et a paranymphis sive magi- » stris, quæ sunt duæ vel plures, seriatim or- » dinantur ibidem in modum coronæ coram » Episcopo, congruo tamen spatio distantes ab » eo. Tunc Episcopus hortatur illas publice ad » amplectendum, honorandum et conservandum » sanctæ virginitatis propositum. Et mox inter- » rogat eas palam, et communiter dicens : *Vul-* » *tis in sancto virginitatis proposito perseverare?* » Et illæ respondent : *Volumus.* Tunc unaquæ- » que sigillatim genuflectit coram eo, et im- » missis manibus junctis inter ambas manus » Episcopi, Episcopus interrogat quamlibet, » dicens : *Promittis te perpetuo virginitatem* » *servaturam?* Respondet : *Promitto.* Et Epi- » scopus dicit : *Deo gratias.* Illa vero obscula- » tur manum Episcopi. Omnibus autem sic per » ordinem expeditis, et ad sua loca reversis, » Episcopus omnes communiter interrogat, » dicens : *Vultis benedici, et consecrari, et Do-* » *mino nostro Jesu Christo, summi Regis filio,* » *desponsari?* Respondent : *Volumus.* » In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Aquensis annorum

Digitized by Google

circiter quadringentorum exstant hæ quidem interrogationes ab Episcopo virginibus faciendæ, sed nihil de eo ritu prorsus, ut ipsæ junctas manus suas immittant inter ambas manus Pontificis. Et ut omittam alios recentes libros Pontificales, in Senonensi quidem, quem annorum circiter tercentorum putat Martenius, uterque ritus desideratur.

III. Dicet fortasse quispiam postremum hunc ritum honestati minime convenire, cum sacris hominibus videre fœminas, ac multo magis easdem tangere, nefas sit. Fateor equidem rem esse plenam periculi; unde recte cautum est, ex manuscripto Pontificali Vaticano annorum circiter quingentorum, quod exstat in Bibliotheca Vaticana, num. 4748, ut Episcopus virgines consecrandas ad manus osculum non nisi cum palla superposita vel stola recipiat. Qua cautione res quidem periculo vacat. Cum ergo Episcopus inter manus suas chirothecis non nisi indutas, ambas virgines manus paulisper tenet, non est quod ritus noster improbari possit, sui nequaquam expers mysterii; cujus meminisse videtur S. Basilius in libro *De vera virginitate*, ubi eas suggillans virgines quæ, post fidem Christo datam eique virginitatem suam solemni ritu dicatam, voluptatem sæculi sectabantur, abnegantes quod fuerant ante pollicitæ : « Nec Do» minum, inquit, metuunt, cum quo fœdera » castitatis inierant, cuique dederant dexteras, » eo quod in malorum profunda deciderint. » Fuit sane mos olim ut eo ritu manum immittendi inter alicujus manum, fidem promitterent. Unde in *Tabulario Vindocinensi*, anno 1064 legitur : « Dedit etiam domino Abbati Oderico » fidem, manum suam, sicut mos secularis » exigit, in illius manum mittens. » Vide Dufresne ad verbum *Jurare*.

IV. Porro desumptum autumo hunc nostrum ritum, sicut et alios plerosque qui in consecratione virginum hodieque observantur, a carnali conjugio, quod sponsi dum contrahebant, mutuo sibi manus dabant, ex recepta veteri consuetudine, cujus meminit in suo *De velandis virginibus* libro Tertullianus, cap. XI, his verbis : « Ad desponsationem velantur, quia corpore et » spiritu masculo mixtæ sunt per osculum et » dextras, per quæ primum resignarunt pudo» rem spiritus, per commune conscientiæ pi» gnus, quo totam condixerunt confusionem. » Et S. Gregorius Nazianzenus ad Anysium scribens, Epistola LVII, excusansque se quod, affectus ægritudine, ad ejus filiæ nuptias venire non potuisset : « Animo, inquit, et voluntate adsum, » simulque festum celebro, juvenilesque dextras » inter se jungo, atque utrasque Dei manui. » Demum nescio cur in codice manuscripto Victorino annorum quingentorum, uti videre est apud Martenium, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IX, articulo V, in primis nuptiis nudæ, in secundis velatæ jungerentur manus : « Deinde, inquit, datur fœmina; quæ si puella » est, detecta manu; si vidua, tecta. »

§ VI.

Post hæc Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra; et Ministri hinc et inde genuflectunt; virgines vero post Pontificem super tapetia in modum coronæ se prosternunt, et Cantores incipiunt et prosequuntur Litanias. Et postquam dictum fuerit et a Choro responsum : *Ut omnibus fidelibus, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex surgit cum mitra, et vertens se ad virgines prostratas, tenens baculum pastoralem in sinistra, in pristino tono dicit, primo : *Ut præsentes ancillas tuas bene✠dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos. Ut præsentes ancillas tuas bene✠dicere et sancti✠ficare digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, Cantoribus Litanias, ubi dimiserant, reassumentibus et perficientibus. Quibus finitis surgunt omnes, et dicitur Hymnus *Veni, creator Spiritus, etc.*, Pontifice sine mitra ante altare genuflexo, incipiente, et Choro illum prosequente usque ad finem; primo versu dicto, Pontifice surgente, et usque ad finem ejusdem Hymni sine mitra stante.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Litaniam in consecratione virginum a Cantorum schola dicendam, præscribit quidem vetus Ordo Romanus, sic inquiens : « Imponat » Schola litaniam. » Idipsum mandant in sequentibus sæculis manuscripti libri Pontificales, inter quos Cameracensis annorum circiter quingentorum una cum Litania preces quasdam dicendas jubet. « Deinde, inquit, prosternat se » Episcopus coram altari, et virgines cum eo, » quæ sunt consecrandæ, et agatur Letania, et » sequatur *Kyrie eleison*, et preces : *Pater no-* » *ster. Salvas fac ancillas tuas. Dominus con-* » *servet eas. Dominus custodiat eas ab omni* » *malo. Nihil proficiat inimicus in eis. Esto* » *illis, Domine, turris fortitudinis. Domine,* » *exaudi. Dominus vobiscum, etc.* » His consonat Pontificale manuscriptum Christiani archiepiscopi Moguntini, qui floruit circa medium sæculum XIII. « Induant, inquit (virgines), » vestes benedictas, præter vela, et Episcopus » se prosternat ad altare cum puellis et Clero, » et dicatur Letania. Qua finita, dicit Episco- » pus : *Pater noster.* Preces : *Salvas fac ancil-* » *las tuas, etc.* » Atque hic nota dictam fuisse olim Litaniam ex præscripto horum Pontificalium, Cameracensis et Moguntini, postquam Episcopus benedixit vestes, et ubi hisce indutæ fuerunt virgines.

II. Ritum certe magis consonum nostro hodierno Romano Pontificali ita describit manuscriptus codex Pontificalis Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744 : « Post hæc prosternit se Pontifex » ante altare super faldistorium, et ministri » hinc inde, et virgines post ipsum super tap- » peta in ordine suo; et Cantores incipiunt » Litaniam, ut supra sub Ordinatione Subdia- » coni. Et postquam dixerint, *Ut obsequium* » *servitutis nostræ, etc.*, et deinde a Choro re- » ponsum fuerit, surgit Episcopus ab accubitu, » vertens se ad virgines, illis prostratis manen- » tibus, tenens baculum pastoralem cum sini- » stra, et in pristino tono dicit : *Ut præsentes* » *ancillas tuas bene✠dicere, et sancti✠ficare* (in » margine, *et consecrare*) *digneris, Te rogamus,* » *audi nos. Ut eas in sancto Religionis propo-* » *sito, et virginitatis observantia conservare* » *digneris, Te rogamus, audi nos. Ut eas cæle-* » *stibus disciplinis instruere digneris, Te roga-* » *mus, audi nos. Ut dimittas eis quod conscientia* » *metuit, et adjicias quod oratio non præsumit,* » *Te rogamus, audi nos.* Quibus dictis, et eisdem » a Choro responsis, Pontifex redit ad accubi- » tum, cantoribus Letaniam, ubi dimiserunt, » reassumentibus. » Ita olim in Litania precari solitos fuisse Episcopos, ubi virgines consecrabant, liquido constat ex editis Pontificalibus ante emendationem Clementis VIII, easdemque fere precum formulas habemus etiam in Pontificali manuscripto Aquensis Ecclesiæ annorum circiter quadringentorum, et in alio manuscripto codice Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356, in quibus tamen secundo loco sic orat Pontifex : « Ut eis gratiam tuæ bene- » dictionis infundere digneris, Te rogamus, audi » nos. » Cæterum est et in hisce manuscriptis Pontificalibus, sicut et in aliis multis, sua varietas, ut videre est apud Edmundum Martenium in Ordinibus manuscriptis ab ipso editis, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI *De consecratione seu benedictione virginum.*

III. Ritus dicendi Hymnum *Veni, creator Spiritus*, non ubique usurpatus fuit in ipsa virginum consecratione; quod quidem testantur passim libri Pontificales ante emendationem Clementis VIII editi, in quibus ita legimus : « Finita (Litania) surgunt omnes, et secundum » consuetudinem quorundam monasteriorum » dicitur Hymnus *Veni, creator Spiritus, etc.*, » Pontifice sine mitra ante altare genuflexo » incipiente, et Choro illum prosequente usque » ad finem. » Tum statim hæc addunt : « Pri- » mo versu dicto, Pontifice surgente, et usque » ad finem ejusdem Hymni sine mitra stante : » quod satis videtur actui convenire. » Non ergo mirum si in multis Pontificalibus manuscriptis nulla de ipso Hymno post Litanias dicendo mentio fiat. Verum constat, ex manuscripto Pontificali codice monasterii Sancti-Victoris Parisiensis annorum quingentorum, fuisse ibidem consuetudinem ut post vestimentorum virginum benedictionem, et post Evangelium in Missa recitatum, Hymnus ipse diceretur, et deinde sacrum velum virginibus ab Episcopo imponeretur : « Post Evangelium autem Hymno

Digitized by Google

» dicto *Veni, creator Spiritus*, mittat velamen » super caput ejus dicens : *Accipe, virgo Chri-* » *sti, etc.* » Cur autem Litania et Hymnus iste in virginum consecratione dicatur, id ea factum esse ratione autumo, quia ipsa virginitas, ut in libro *De virginitate* scribit S. Athanasius prope finem, « templum est Dei, domicilium Spiritus » sancti, gaudium Prophetarum, gloriatio » Apostolorum, Angelorum vita, Sanctorum » corona; » vel dicamus invocari Spiritum sanctum, « Ut, » quemadmodum scribit S. Ambrosius *De institutione virginum*, « in utero » accipiat de Spiritu sancto, et spiritum salutis » Deo fœtæ parturiat. »

§ VII.

Hymno dicto, virgines ad papilionem, seu ad alium locum idoneum proximiorem ad hoc ordinatum, revertuntur. Pontifex vero coram altari stans, deposita mitra, benedicit virginum vestes, dicens : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutis, et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta, humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ sancto visibiliter sunt informandæ proposito, propitius bene✠dicas; ut beatæ castitatis habitum, quem, te inspirante, suscipiunt, te protegente, custodiant : et quas venerandæ vestibus promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te obnixis precibus deprecamur, ut has vestes bene✠dicere et sancti✠ficare quas famulæ tuæ pro indicio cognoscendæ Religionis induere se volunt, ut inter reliquas feminas, tibi cognoscantur dicatæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Exaudi, omnipotens Deus, preces nostras, et has vestes, quas famulæ tuæ ad se ipsas operiendas exposcunt, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron benedictione unguenti, profluentis a capite in barbam, et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; ac præsta, clementissime Pater, ut supradictis famulabus tuis, sint hæ vestes salutis protectio, hæ cognitio religionis, hæ initium sanctitatis, hæ contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentia, perseverante continentia, ditentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Et vestes aqua benedicta aspergit, quæ portantur virginibus ad locum ad quem divertunt, ubi, dimissis quotidianis vestibus, induunt benedictis.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Exstant tres istæ Orationes ad benedicendas virginum vestes in *Sacramentario* S. Gregorii, in Ordine antiquo Romano, in manuscripto codice Valicellano signato D. 5, in manuscripto Pontificali Sancti-Remigii Remensis annorum quingentorum, Apamiensi in Syria, Barensi in nostro Neapolitano regno, Aquensi, Vaticano, et in aliis pene innumeris manuscriptis Pontificalibus, in quibus tamen est aliqua verborum immutatio, firma semper manente Orationum ipsarum substantia. Sunt quidam etiam manuscripti libri Pontificales qui unam, vel alteram Orationem habent, uti videre est in manuscripto codice Egberti Eboracensis archiepiscopi, ubi ad consecrationem et benedictionem vestimentorum virginum vel viduarum duæ priores tantum Orationes leguntur : « Deus æternorum bo» norum fidelissme promissor, etc. » et « Deus » bonarum virtutum dator, etc., » omissa penitus tertia. In libro *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ* a viro religiosissimo cardinale Thomasio edito prior tantum exstat, aliaque super ancillas Dei, quibus conversis vestimenta mutantur, cujus initium est : « Te invocamus, » Domine sancte, Pater omnipotens, etc., » ut in nostro hodierno Romano Pontificali, infra. Ex manuscripto Pontificali Vaticano, num. 4744, non modo tribus descriptis Orationibus virginum vestes benedicit Pontifex, sed et eas aqua benedicta aspergit, uti in Appendice videre est.

II. Benedictis vestibus, præscribit nostra Rubrica ut ipsæ ad locum portentur, in quem virgines divertunt, ubi dimissis quotidianis vestibus, benedictas induant. Locus iste ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis erat sacrarium : etenim, ubi dicitur, ut post ipsarum vestium benedictionem, illas sibi virgo imponat, in margine charactere paulo recentiori legitur : « Redeat ad sacrarium, induat se. » Addit et alia quæ vix legi possunt, sed habere videntur hunc sensum : « Et iterum redit ad Episco» pum. » Et paulo infra in eadem margine, eodem charactere scriptum est : « Hic debet » dici Litania. » Hujus mutationis vestium frequens in antiquis Conciliis et apud sanctos Patres habetur mentio, uti videre est in Synodo Carthaginensi IV anni 398, can. XII : « Sancti» monialis virgo, cum ad consecrationem sui » Episcopo offertur, in talibus vestibus appli» cetur, qualibus semper usura est, professioni » et sanctimoniæ aptis. » Ibidem can. CIV, ubi de viduis sermo sit : « Si quæ viduæ, inquiunt » Patres, quantumlibet adhuc in minoribus an» nis positæ, et matura ætate a viro relictæ, » se devoverunt Domino, et veste laicali abjecta, » sub testimonio Episcopi, et Ecclesiæ religioso » habitu apparuerint, postea vero ad nuptias » seculares transierunt, secundum Apostolum » damnationem habebunt, quoniam fidem ca» stitatis, quam Domino voverunt, irritam facere » ausæ sunt, etc. » Meminere et ejus vestium mutationis non solum Patres Concilii Arausicani I, can. XXVII, sed et imperatores Honorius et Theodosius, qui initio V sæculi floruerunt, mimis et scortis publicum habitus virginum Deo dicatarum usum interdicentes, ut videre est in cod. Theodosiano, lib. XV, tit. VII, lege XII, cujus verba hæc sunt : « Mimæ et quæ ludibrio » corporis sui quæstum faciunt, publice habitu » earum virginum quæ Deo dicatæ sunt, non » utantur. » Edita fuit hæc lex, ut observat Gothofredus in *Commentariis* ad ipsum codicem Theodosianum, anno 394. Ex quibus manifeste apparet virgines ipsas ex peculiari quodam, et sibi ipsis proprio habitu dignosci consuevisse, ut scite observat Joseph Binghamus Religioni alias heterodoxæ addictus, lib. VII *Originum Ecclesiasticarum,* cap. IV, unde satis mirari nequeo quorumdam catholicorum scriptorum audaciam, qui negant nullam fuisse per quinque Christi sæcula habitus religiosi a profano distinctionem.

III. Sane cum in prima Oratione hujus præsentis § dicat Episcopus vestes virginum, quas ipse benedicit, humilitatem cordis et contemptum mundi significare, meminisse debent virgines quid eis inculcant Patres Concilii Aquisgranensis, quod anno 816 habitum est, Stephano IV Pontifice Maximo, et Ludovico Pio imperatore : « Meminisse debent (inquiunt » lib. II, cap. X) quæ se castimoniali nominis

Digitized by Google

» professione Domino devinxerunt, in mona-
» steriis jugiter residere, et Domino tota mentis
» et corporis intentione instanter deservire de-
» bere, et nec solum velamentum corporis sine
» ornamento mentis sibi prodesse posse. Quo-
» niam nihil prodest corpus velare, et mentem
» vitiorum portentis maculare. Quid enim pro-
» dest corpus velare, et animum habere vene-
» natum ? Quid prodest nigris vestibus indui,
» et a detractione linguam non cohibere ? » Et paulo post, iterum affirmantes humilitatem vestium nihil valere sine humilitate mentium, necesse esse concludunt ut ipsæ virgines quod habitu demonstrant, opere perficiant, et ut humilitas quam in corpore gestant, in mente potissimum resplendeat. Certe sancti Patres, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Athanasius, aliique, tum Latini, tum Græci, ubi de virginitate seu de virginibus agunt, toti fere sunt ut ostendant humilitatem præ aliis virtutibus necessariam esse ipsis virginibus, adeo ut S. Bernardus, in Homilia prima super *Missus*, ita scribere non dubitavit : « Laudabilis
» virtus virginitas, sed magis necessaria humi-
» litas : illa consulitur, ista præcipitur : ad illam
» invitaris, ad istam cogeris : potes denique
» sine virginitate salvari, sine humilitate non
» potes : potest, inquam, placere humilitas,
» quæ virginitatem deplorat amissam ; sine
» humilitate autem, audeo dicere, nec virginitas
» Mariæ placuisset. *Super quem,* inquit, *re-*
» *quiescet Spiritus meus, nisi super humilem et*
» *quietum?* Super humilem dixit, non super
» virginem. » Addit et alia apud ipsum videnda.

IV. Accumulari ea in re hic alia possent testimonia sanctorum Patrum, sed notandum potius censeo ex mox recitato capite Concilii Aquisgranensis, fuisse olim virginum vestes nigri coloris : « Quid prodest, inquit, nigris
» vestibus indui ? » Scio tunc temporis, quo Concilium Aquisgranense celebratum est, omnes, tum viros tum fæminas, qui monasticum habitum assumebant, profiteri debuisse sancti Benedicti Regulam, ac proinde nigro colore usos fuisse. Certe candido amictu primum suos Camaldulenses induit S. Romualdus longe antequam Cistercienses habitum immutarent, cum quibus Petrus, venerabilis abbas Cluniacensis, gravem admodum disputationem suscepit, contendens lib. IV, epistola XVII, testimoniis complurium sanctorum Patrum allatis, ac præsertim Martini, Hieronymi, Augustini, Paulini, et aliorum, non modo sanctum Benedictum, sed et veteres Monachos ac Moniales nigrum habitum assumpsisse, ob eam scilicet rationem quod color niger humilitati pœnitentiæque magis conveniat. Hæc ejus verba : « Nam, ut quod sentio fatear,
» visum est, ut mihi videtur, magnis Patribus
» illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem
» magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis
» luctui convenire. Quibus studiis, quia totam
» Monachi vitam magis invigilare oportet, de-
» creverunt ut color moribus, vestes virtutibus,
» qua possent cognatione legerentur. » At non solum Monachos Monialesque, sed Clericos olim pariter atque Episcopos atram vestem induisse, non cæruleam, seu violaceam, ut tradit Baronius ad annum 393; adversus ipsum alioqui virum doctissimum asserit atque eleganter comprobat scriptor eximiæ eruditionis, Antonius Caracciolus, clericus regularis Theatinus, in eruditis *Notis* ad Constitutiones Ordinis sui, parte II, cap. II.

V. Cæterum dicta hæc sint ad nigri coloris antiquitatem comprobandam, cum alias laudandum censeam cujusque Ordinis pro suo colore institutum, cui cum Apostolicæ Sedis approbatio et continuatus usus accesserit, non est quod amplius quis requirat. Recte enim scribit Petrus Blesensis in Epistola XCVII ad Abbatem de Evesham : « Christus divisus non
» est, sive in alba, sive in puella veste, in omni
» professione et ordine, in omni gente quicum-
» que operatur voluntatem Domini, acceptus
» est illi. Inter album et nigrum habitum non
» distinguit ille, apud quem non est distinctio
» Judæi et Græci. » Et paulo post : « Sive cum
» Nazaræis candidior nive sit aliquis, sive cum
» B. Job super carbonem denigrata sit cutis ejus,
» uterque salutem in domo Domini operatur.
» Sane in ovili Jacob sunt agni albi et nigri ; in
» vinea Sorec sunt uvæ albæ et nigræ. Sed et
» sponsa, quæ liliis convallium præalbescit,
» ipsa eadem dicit : *Nigra sum, sed formosa.*
» Apud sponsam Christi non est absurda varie-
» tas, cum ipsa circumamicta varietatibus de-
» scribatur. Ipsa varietas uniformitatis causa
» est ; nam in cithara ex diversitate chordarum
» fit uniformis modulatio ad concentum. » Ita ille, cujus verba satis etiam esse possunt ad de-

Digitized by Google

primendam hæreticorum et pseudo-catholicorum quorumdam insaniam, qui varietati coloris religiosarum vestium, inter alias suas impietates, irridere non erubescunt.

§ VIII.

Pontifex autem stans ut supra benedicit vela virginum, dicens :

OREMUS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super has vestes ancillarum tuarum capitibus imponendas, bene✠dictio tua benigna descendat; et sint hæ vestes benedictæ, consecratæ, immaculatæ et sanctæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Caput omnium fidelium Deus, et totius corporis salvator, hæc operimenta velaminum, quæ famulæ tuæ, propter tuum tuæque genitricis beatissimæ Virginis Mariæ amorem, suis capitibus sunt imposituræ, dextera tua sancti✠fica, et hoc, quod per illa mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore pariter et animo incontaminato custodiant; ut, quando ad perpetuam sanctorum remunerationem venerint, cum prudentibus et ipsæ virginibus præparatæ, te perducente, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereantur. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Et vela ipsa aqua benedicta aspergit.

COMMENTARIUS.

I. Etsi antiqua sit benedictio velaminis virginis, neutram tamen istarum Orationum inveni in codice *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ* a religiosissimo Thomasio cardinale edito, imo nec in *Sacramentario* S. Gregorii : exstat tamen altera Oratio quæ incipit : « Caput omnium » fidelium, etc., » in Ordine antiquo Romano, et in multis sequioris ævi manuscriptis libris Pontificalibus, Valicellano octingentorum circiter annorum, Remensi, Apamiensi et aliis. Vaticanum consonat nostro Romano hodierno Pontificali, utramque enim Orationem describit. De velo virginum ac formulis ejus tradendi, mysticisque variis et solidis ejusdem interpretationibus, vide quæ fuse dicam in Commentario, § XV.

II. Illud hoc loco mihi nefas est præterire, recte dici in secunda Oratione, quod operimenta velaminum propter Dei ejusque Genitricis Mariæ amorem sacræ Virgines capitibus suis imposituræ sunt : quia nimirum, ut Honorius Augustodunensis inquit in sua *Gemma animæ*, lib. I, cap. CCXXXIX, « vestis et consecratio San- » ctimonialium a sancta Maria sumpsit exor- » dium. » Certe apud Judæos, teste Tertul., solemne fuit feminis capitis velamen; ut proinde minime ambigendum sit quin et hoc Deipara gestarit. Id quod expresse affirmat Nicephorus, lib. I *Historiæ*, cap. XXIII, sic inquiens : « Vestimentis quæ ipsa (Deipara) gestavit coloris » nativi contenta fuit, id quod etiamnum san- » ctum capitis ejus velamen ostendit. » Merito etiam fieri in ea Oratione mentionem beatæ Virginis, addiscere licet ex sanctis Patribus, qui ipsam semper virginibus imitandam proposuerunt. Sanctus Augustinus, in lib. *De sancta virginitate*, cap. IV, constanter docet beatissimam Virginem virginitatem suam Deo vovisse, quod esset « exemplo sanctis futura virgini- » bus. » Hinc S. Ambrosius, initio lib. II *De*

Digitized by Google

Virginibus, eas alloquens : « Sit vobis, inquit, » tanquam in imagine descripta virginitas vi- » taque beatæ Mariæ, e qua velut speculo re- » fulget species castitatis et forma virtutis. » Hinc sumatis licet exempla vivendi, etc. » S. Isidorus, lib. II *De Ecclesiasticis officiis*, cap. XVII, ubi virorum virginum caput Christum appellat, feminarum virginum caput esse Mariam dicit ; ipsam earum auctricem vocat, ipsam matrem nostri capitis, quod est virginis filius, et virginum sponsus. Tum subdit, inde agmina virorum et puellarum sanctarum, inde sectatores et sectatrices perpetuæ continentiæ pullulasse. S. Bernardus, quinimo et tota Ecclesia ipsam beatissimam Virginem in Litaniis Reginam virginum nuncupat.

III. Jure itaque ac merito in benedictione velaminum dicit Pontifex, quod ipsorum operimenta sacræ virgines propter Dei « Deique » genitricis beatæ Virginis Mariæ amorem suis » capitibus sint imposituræ. » Merito quidem eisdem Jesu Christo desponsatis benedicens Pontifex, sic inquit : « Benedicat vos conditor » cœli et terræ, Deus Pater omnipotens, qui » vos eligere dignatus est ad beatæ Mariæ matris » Domini nostri Jesu Christi consortium, etc. » Merito insuper in postrema super ipsas virgines genuflexas benedictione orat Pontifex ut maneant « semper incorruptæ, inviolatæ, et imma- » culatæ sub vestimento sanctæ Mariæ matris » Domini nostri Jesu Christi. »

§ IX.

Post hæc stans adhuc ut supra Pontifex, benedicit annulos, dicens :

OREMUS.

Creator, et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, et largitor humanæ salutis; tu, Domine, emitte bene✠dictionem tuam super hos annulos; ut quæ eos gestaverint, cœlesti virtute munitæ, fidem integram fidelitatemque sinceram teneant, sicut sponsæ Christi virginitatis propositum custodiant, et in castitate perpetua perseverent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Et aqua benedicta eos aspergit.

COMMENTARIUS.

I. Dari velatis virginibus annulos, complures libri Pontificales nos docent, ut infra suo loco ostendetur. Quod spectat ipsorum benedictionem, vix eam in aliquibus Pontificalibus invenies, ut in Vaticano, numero 4744, Senonensi annorum tercentorum et aliis paucis. In Antissiodorensi Pontificali hæc affertur formula ad benedicendum annulos sacris virginibus a Pontifice tradendos : « Creator et consecrator humani » generis, dator gratiæ spiritualis, et largitor » æternæ salutis; tu, Domine, emitte Spiritum » sanctum tuum Paraclitum super hos annulos, » ut quæ illos gestaverint, sint armatæ virtute » cœlestis defensionis, et proficiat illis ad æter- » nam salutem. Per Dominum. » Est antiqua hæc benedictio super annulum pronubum dari solita, ut videre est in variis ad benedicendas nuptias Ordinibus manuscriptis a Martenio allatis, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IX, articulo V. Certe ex manuscripto Missali Redonensi ab annis circiter septingentis scripto, benedictio super annulum hæc est : « Creator et conservator humani generis, dator » æternæ salutis, omnipotens Deus, tu permitte » Spiritum sanctum Paraclitum super hunc » annulum. Per. » Item alia breviter in hunc modum : « Benedic, Domine, annulum istum, » ut in ejus figura pudicitiam custodiant. Per. »

§ X.

Tum stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit torques sive coronas, dicens :

Digitized by Google

OREMUS.

Bene✠dic, Domine, ornamenta ista, et præsta per invocationem tui nominis, ut quæcumque ea portaverint, si tibi fideliter servierint, coronam, quam illa designant, in cœlo percipere mereantur. Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde eas aqua benedicta aspergit.

COMMENTARIUS.

I. Post benedictionem annulorum sequitur torquium seu coronarum benedictio, et quidem diversa prorsus ab illa quæ non modo in manuscripto Pontificali codice Bibliothecæ Vaticanæ, sed et in plerisque variarum editionum impressis Pontificalibus, præsertim Lugduni anno 1542, et Venetiis anno 1572, hunc in modum legitur : « Benedic, Domine, ornamenta » ista, ut sint remedium salutare generi humano, et præsta per invocationem tui nominis, » ut quæcumque ea portaverint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant, et, si tibi » fideliter servierint, coronam perpetuam, quam » hæc ornamenta designant, in cœlo percipere » mereantur, per te Salvator mundi, qui in » Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per » omnia secula seculorum. ℟. Amen. » Ubi nota dimidiam duntaxat hujus Orationis describi ab hodierno Romano Pontificali. De torquibus, sive de coronis datis virginibus, vide quæ infra opportuniori loco disseremus. Hic unum moneo, fieri quidem vel in antiquis libris Pontificalibus memoratorum ornamentorum traditionis mentionem, non autem benedictionis, si paucos codices excipias, qualis est laudatus Vaticanus et alii nonnulli.

§ XI.

His expletis, virgines benedictis vestibus, exceptis velis, indutæ, binæ et binæ, seriatim redeunt ad Pontificem, cantantes Responsorium toni v : *Regnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini nostri Jesu Christi, * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* ℣. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. * Quem vidi.*

COMMENTARIUS.

I. Consuevisse jam olim hoc Responsorium in consecratione virginum dici, testantur non pauci manuscripti libri Pontificales, etsi longe post annum Christi millesimum exarati. Gulielmus Durandus episcopus Mimatensis in suo *Rationali divinorum officiorum*, libro VII, capite XLVII, pie observat Officium Virginum maxima ex parte sumi de Psalmo epithalamico, scilicet, *Eructavit cor meum, etc.*, in quo agitur de laudibus Sponsi et Sponsæ, « quia virgi» nes sunt sponsæ Christi, quæ sequuntur » Agnum quocumque ierit, in corpore et in » anima, propter integritatem corporis et ani» mæ. » Responsorium vero, quod est de contemptu mundi, idcirco tono v cantari ait, « quia » ibi ostenditur conculcatio quinque sensuum. » Sed omissis istiusmodi observationibus, egregium de eo Responsorio a virginibus olim decantato in sua ipsarum consecratione, testimonium profecto habemus apud antiquum auctorem libri qui inscribitur : *Vitis mystica*, seu tractatus *De Passione Domini*, inter opera S. Bernardi. Ibi enim auctor pius quidem, nec indoctus, nec inelegans, cap. XXVIII, postquam fuse probavit virginitatis lilium superare omnem Salomonis gloriam, statim ad hoc nostrum præsens Responsorium alludens, hunc in modum alloquitur virginem : « Noli ergo subtristis

Digitized by Google

» cantare : *Regnum mundi, et omnem ornatum* » *sæculi contempsi propter amorem Domini no-* » *stri Jesu Christi*, qui tibi etiam in præsenti » vita decorem dedit omni mundano decore » majorem, lilium integritatis tuæ sibi conser- » vando, et sibi præ cæteris pulchritudinibus » virtutum specialiter dedicando, et speciali » dilectione adstringendo. Videbis luculenter » hoc in cantico amoris, ubi cæteris floribus » pene omissis florem tuum sæpius nominat » nomen lilii sæpius inculcando : *Sicut lilium* » *inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et » item : *Dilectus meus ascendit ad areolam aro-* » *matum, ut lilia colligat.* Et rursus : *Dilectus* » *meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* » Laudabile lilium, amica Sponsi; amabile » lilium, quod colligitur a Sponso. Non enim, » ut æstimo, colligitur, ut ultra marcescat, sed » ut in alteri aureo collocetur, quod est ante » oculos Domini, id est, ut collocetur in cœlesti » sanctuario, ut sit ipsum lilium ad ornamen- » tum aliorum sanctorum, etc. »

II. Id quidem passim sedulo sancti Ecclesiæ Patres in suis, quos de virginitate seu de virginibus conscripserunt, libris, inculcarunt ut ipsæ virgines omnem ornatum mundi contemnerent : « Felix illa conscientia, » inquit S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, « et beata virgi- » nitas, in cujus corde, præter amorem Chri- » sti, qui est sapientia, castitas, patientia » atque justitia, cæteræque virtutes, nullus » alius versatur amor, nec ad recordationem » hominis aliquando suspirat, nec videre » desiderat, quem, cum viderit, nolit dimit- » tere. » Et ut omittamus alios Patres fuse ea de re disserentes, audire præstat S. Basilium, qui inter alia in libro *De vera atque integerrima virginitate* ad Letojum Melitensem episcopum, virgines quasdam suggillans, quæ cultui corporis incumbebant, ita scribit : « Cujus autem » rei gratia mortalem illæ persequantur orna- » tum, anceps sententia est. Nam siquidem, ut » virginitatis opitulentur instituto : ei quod pro- » fitetur, repugnant, dum per hujusmodi orna- » tum, plures contra se aucupes irritant. Sin » vero, ut formosæ videantur, ratione caret, si » eis fruituræ non sunt, a quibus opinionem » affectatæ pulchritudinis expetunt, eam curam, » sollicitudinemque suscipere. Quod si, ut etiam » fruantur, quibus placere student, in bara- » trum se delapsas apertissime noverint, ac pro » virginibus meretrices continuo habendas. » Nisi forte gemina concupiscentia distractæ » trahuntur, ut scilicet, et externis amatoribus » exsatiari cupiant; dumque id consequantur, » faciem concupiscentiæ communis illecebram » efficere studeant, et intimo se amatori vere- » cundiæ ac metus reservent causa. » Et statim hanc rationem subjungit, quod nempe fieri non possit puram et simplicem esse talium conscientiam, quæ exteros amatores ad corpus arte et compositione pelliceunt, et Sponso intimo ex dimidio placere volunt. Tum laudato Christi oraculo aientis neminem posse duobus dominis inservire, et Apostoli testimonio, qui dicit innuptam ea quidem quæ Domini sunt sollicite curare, quomodo placeat Domino, sicut nupta curat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro, sic inquit : « Nempe enim possibile non est, et » interna curare, quomodo placeant, et foris » ad spectatorum voluptatem veluti in scena » comi, etc. » Hinc recte admodum S. Gregorius Nazianzenus in carmine quod inscripsit : *Præcepta ad Virgines*, inquit :

Ne tibi curarum moles densissima Christum
Eripiat, quæ vel mentem in sublime volantem
Detrahit, atque humili cogit subsidere terra.
Nec velut indomitus solet in certamine pullus
Currere calce procul; sic in diversa feratur
Mens tua, et a Christo procul excidat omnipotente.

III. Cæterum quod pene nos fugerat dicere, id haudquaquam alienum sit, si nunc hic illud notetur, ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Antissiodorensis, illud Responsorium : *Regnum mundi et omnem ornatum sæculi, etc.*, dici consuevisse una insimul voce a virginibus jam consecratis, post peractos cæteros consecrationis ritus : ex Pontificali vero Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 856, ante ipsam consecrationem : « Stantes, inquit, virgines in » modum coronæ ante altare demissis vultibus » in terram benedicantur ab Episcopo. ℟. *Re-* » *gnum mundi.* ℣. *Eructavit.* » Expressius Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ, numero 4744, quod quidem fere semper nostro hodierno consonat, sic inquit : « His » expletis » (nempe benedictionibus ornamentorum virginibus tradendorum), « virgines » exutis quotidianis vestibus, in loco ad quem » diverterunt, induant benedictas, exceptis ve-

Digitized by Google

» lis, et interim cantatur *Alleluia*, vel Tractus » si dici debeat; et sic indutæ mox seriatim re- » deunt ad Episcopum, cantando Responso- » rium, *Regnum mundi, etc.*, et ordinantur » ante altare coram Episcopo in modum coronæ » stantes flexis genibus, capitibus discoopertis, » et vultibus in terram demissis, et tunc bene- » dicantur, etc. » Vide in Appendice integrum consecrandi virgines ritum ex laudato Vaticano Pontificali.

§ XII.

Tum disponuntur a paranymphis ante altare genuflexæ coram Pontifice in modum coronæ, vultibus demissis. Pontifex vero surgit mitra deposita, et versus ad eas dicit :

OREMUS.

Respice, Domine, propitius super has famulas tuas, ut sanctæ virginitatis propositum, quod te inspirante susceperunt, te gubernante custodiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Deinde dicit competenti voce extensis manibus ante pectus Præfationem. *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℣. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum Deus amator animarum; qui humanam substantiam, in primis hominibus, diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam æternorum bonorum, quæ novo in sæculo sunt habenda, perducas; et obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas Angelorum. Respice, Domine, super has famulas tuas, quæ in manu tua continentiæ suæ propositum collocantes, tibi devotionem suam offerunt, a quo et ipsæ vota assumpserunt. Quomodo enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis evinceret, nisi tu, Deus, per liberum arbitrium, hunc in eis amorem virginitatis clementer attenderes, ut hanc cupiditatem in earum cordibus benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ sub cœlo est, in stellarum innumerabilem numerum, novi Testamenti hæredibus adoptatis inter cæteras virtutes, quas filiis tuis, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de Spiritu sancto tuo genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit; ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium nuptialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent Sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Implorantibus ergo auxilium tuum, Do-*

Digitized by Google

mine, et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupientibus, da protectionis tuæ munimen et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infesta insidiis, ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptiarum. Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In charitate ferveant, et nihil extra te diligant. Laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puritate glorificent. Amore te timeant, amore tibi serviant. Tu eis sis honor, tu gaudium, tu voluntas; tu in mœrore solatium; tu in ambiguitate consilium; tu in injuria defensio; in tribulatione patientia; in paupertate abundantia; in jejunio cibus; in infirmitate medicina. In te habeant omnia, quem diligere appetant super omnia; per te, quod sunt professæ, custodiant. Scrutatori pectorum, non corpore placituræ, sed mente, transeunt in numerum puellarum sapientum, ut cœlestem Sponsum, virtutem accensis lampadibus, cum oleo præparationis exspectent; nec turbatæ improviso Regis adventu, sed securæ, cum lumine, et præcedentium virginum choro junctæ, jucundanter occurrant. Et ne excludantur cum stultis, sed regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeant, et in Agni tui perpetuo comitatu probabiles mansura castitate permaneant. Quatenus centesimi fructus dono virginitatis decorari, te donante, mereantur. Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.*

COMMENTARIUS.

I. Quam antiqua sit prior brevis ac altera Oratio in modum Præfationis, ex eo patet quod utraque non modo in priscis Pontificalibus, et in antiquo Romano Ordine, verum etiam in *Sacramentario* sancti Gregorii, et in pervetusto *Sacramentorum* codice a cardinale Thomasio edito fere ad verbum numero tamen singulari concepta, reperiatur. Non ergo mirum, si utramque passim inveniamus descriptam in sequioris ævi Ritualibus libris, Sancti-Gatiani Turonensis, et Valicellano annorum circiter octingentorum, Barensi in regno Neapolitano, et Sancti-Remigii Remensis in Galliis annorum quingentorum et in aliis pene innumeris, uti videre est apud virum clarissimum Edmundum Martenium, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, in quo plures ad consecrandas virgines Ordines recenset.

II. Sane multa sunt in ea Præfatione a nobis nullatenus omittenda. Primo enim ait Episcopus, ita Deum humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam in Verbo suo, per quod facta sunt omnia, reparare, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revocet, sed etiam ad experientiam æternorum (sive, ut habetur in *Sacramentario* S. Gregorii, in Ordine Romano, in codice manuscripto Valicellano et aliis, *quorumdam*) bonorum, quæ novo in sæculo sunt habenda, perducat, et obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehat Angelorum. Virgines esse angelis Dei æquales uno ore sancti Patres affirmant, edocti ex illo Christi Domini oraculo, qui in Evangelio Lucæ, cap. XX : *Æquales*, inquit, *angelis sunt, et filii sunt Dei*. Hinc S. Cyprianus in libro *De habitu virginum* eas alloquens, sic ait : « Cum castæ perseveratis et » virgines. angelis Dei estis æquales. » Hinc etiam S. Basilius in libro *De vera virginitate* scriptum reliquit : « Cum intra cætera magnum » quiddam et splendidissimum virginitas intel- » ligatur, regenerationis etiam atque incorrup-

Digitized by Google

» tibilis semen esse quoddam purissimum cer-
» nitur. Si enim in resurrectione » (alludit ad laudatum locum S. Lucæ) « neque nubent, ne-
» que nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei, ef-
» ficiuntur filii Dei. Et hi profecto, qui virgini-
» tatem servant, angeli sunt, qui viventes in
» carne corruptibili, mortalium vitam illus-
» trando tuentur, angelique sunt, non obscuri
» aliqui, sed sane illustres atque nobilissimi. »
Hinc quoque S. Petrus patriarcha Alexandrinus in Epistola ad omnes Episcopos orthodoxos, quæ exstat apud Theodoretum, lib IV *Historiæ*, cap. XX, ita scribit : « Sanctorum Christi virgi-
» num pius vitæ cultus exemplar vivendi san-
» ctorum Angelorum expressit. » Denique S. Gregorius Nazianzenus in celebri carmine *De Virginitate* eleganter cecinit :

Salve, Virginitas divino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, et spiritibus sociata supernis
Ignaris thalami ; nam magnus conjugis expers
Est Deus, atque Dei rutilans chorus omnipotentis.

III. Recte itaque concludit S. Ambrosius, libro X, epistola LXXXI, ad Siricium Pontificem Maximum : « Nemo miretur, si angelis compa-
» rentur, si angelorum Domino comparentur. »
Quod ipsum affirmant et alii passim Patres; nam et hinc professorum utriusque sexus virginum sacram vestem Orientalis Ecclesia postmodum appellavit, « Angelicum habitum, » ut eruditi docent. Cæterum omitti non debet observatio S. Cypriani, qui in libro *De disciplina et bono pudicitiæ*, constanter affirmat virgines non solum angelis esse æquales, sed etiam eos longe superare, probatque hac egregia ratione : « Virginitas, inquit, æquat se angelis; si vero
» exquiramus, etiam excedit, dum in carne luc-
» tata, victoriam etiam contra naturam refert,
» quam non habent angeli. » Scio hunc librum negari ab eruditis esse S. Cypriani, sed ignoti antiqui auctoris, verum hanc ejus sententiam facile est apud SS. Patres invenire, præsertim apud S. Bernardum in Epistola CXIII ad Sophiam virginem, num. VI. Imo S. Basilius in laudato libro *De vera atque integerrima virginitate*, asserere haud dubitat virginitatem Deo hominem simillimum reddere : « Magnum revera
» quiddam ac præclarum virginitas est, quæ,
» ut totum simul explicem, hominem incorru-
» ptibili Deo simillimum facit. » Plura virginitatis encomia videri possunt apud Claudium Espencæum in libris *De continentia*.

IV. Ait secundo Episcopus non posse animum mortali carne circumdatum, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis et stimulos ætatis evincere, nisi Deus, per liberum arbitrium, hunc in eis amorem virginitatis clementer accenderet, hanc cupiditatem in earum cordibus benignus aleret, et fortitudinem ministraret. Continentiam et donum esse Dei, et tamen in arbitrio et potestate hominis positam esse, luculentissime ostendit cardinalis Bellarminus lib. III *De Monachis*, cap. XXXI, adversus hæreticos Protestantes, qui temere pernegant esse in nostra potestate, præveniente scilicet et comitante gratia Dei, virginitatem servare : enim vero apertissima sunt contra ipsos, et divinæ Scripturæ oracula, et innumera Patrum et Ecclesiæ Doctorum testimonia : *Sunt Eunuchi*, inquit Christus Dominus, Matthæi XIX, *qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*. Quæ verba aperte indicant arbitrii libertatem. Si enim, ut scite argumentatur Bellarminus, ita esset donum Dei, ut ab hominis electione non penderet, dicendum fuisset : « Sunt Eunu-
» chi, qui sunt facti a Deo ; » non autem : « qui se castraverunt ; » ideo enim de abscissis dicitur : sunt enim Eunuchi, qui sunt facti ab hominibus; non autem « qui se castraverunt ; » quia illa abscissio est opus alienum, non proprium. Præterea, si donum continentiæ et virginitatis simile est dono prophetiæ, linguarum, sanitatis, atque aliis hujusmodi, cur non dicimus : Sunt Prophetæ qui seipsos Prophetas fecerunt; sicut dicimus : Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt.

V. Verum quis melius Scripturæ sensum novit quam prisci Patres ? Hi profecto virginitatem continentiamve in nostra esse potestate, adjuvante scilicet, ut dixi, gratia Dei, passim docent, et quidem ex illo Matthæi loco. Tertullianus, in libro *De Monogamia*, prope finem explicans ea Evangelii verba : *Non omnes capiunt verbum hoc ;* sic inquit : « Elige quod bonum est.
» Si non potes, est, quia non vis. Posse enim, si
» velis, ostendit, quia tuo arbitrio utrumque
» reliquit. » Origenes quoque in commentario ejusdem loci ita docet : « Qui vult capere ver-
» bum, quod de castitate positum est, petat, cre-
» dens dicenti, et accipiet ; non dubitans de illo,

Digitized by Google

» quod dictum est : *Omnis qui petit, accipit.* » Item S. Gregorius Nazianzenus, Oratione XXXI in hoc Evangelii capitulum, de tribus Eunuchorum generibus disserens, inquit : « Cum audis, *qui-* » *bus datum est*, adde datum esse iis qui volunt » et assentiuntur. » Adde his S. Joannem Chrysostomum et S. Ambrosium, quorum primus in ejusdem loci Commentario scribit : « His datum » est qui sponte id eligunt : quod ideo dixit, ut » ostenderet superiore nobis auxilio opus esse, » quod quidem omnibus paratum est, si volu- » mus in hac lucta evadere superiores. » Ambrosius vero, lib. III *De Virginibus*, sic ait : « Dominus qui sciret prædicandam omnibus in- » tegritatem, imitandam paucis : *Non omnes*, » inquit, *capiunt verbum istud.* » Et lib. *De Viduis :* « Sunt spadones, qui se castraverunt » propter regnum cœlorum, sed hoc non omni- » bus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. » Et infra : « Scit Creator omnium, affectus esse va- » rios singulorum ; et ideo præmiis virtutem pro- » vocavit, non infirmitatem vinculis alligavit. » Hæc ille, ubi egregie notat Bellarminus, continentiam omnibus prædicari, ab omnibus flagitari, si ipsi velint præmia ejus consequi. Qui autem plura de hac re desiderat, legat laudatum Espencæum in suis *De continentia* libris.

VI. Ait tertio Pontifex, divina in omnes gentes effusa gratia, innumerabiles pene esse quibus virginitatis donum divinitus concessum est. Certe quod Africana Ecclesia amplissimum habuerit olim sacrarum virginum numerum, aperte innuunt S. Cyprianus, Tertullianus, S. Optatus Milevitanus, et S. Augustinus. Alexandrinæ Ecclesiæ adeo fuisse numerosas virgines, ut ipsarum septingentas unus Arius seduxerit, testatur in ejus hæresi S. Epiphanius ; nec dubium quin longe major numerus in orthodoxa fide constans permanserit, ut recte docet Lupus in scholio ad laudatum caput III libri Tertulliani, *De præscriptionibus contra hæreticos.* Etenim de sancto Antonio, qui nec episcopus, nec clericus fuit, scribit in ejus Vita S. Athanasius : « Quot virgines etiam jam » desponsatæ solo Antonii adspectu eminus » motæ, virginitatem Christo servaverunt ? » De numero immenso virginum primis Ecclesiæ sæculis, videri potest Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III, cap. XLII et seqq. Sed non omittendum S. Joannis Chrysostomi testimonium, qui in Homilia X in Epistolam Pauli ad Romanos affirmat suo tempore virginitatem, quæ olim videbatur res esse impossibilis, jam apud omnes gentes ubique florere : « Neque apud nos » solum, sed apud Scythas, apud Thraces, apud » Indos, apud Persas, reliquosque quamplurimos barbaros. » Affirmat istic esse virginum choros et Monachorum sodalitates et adjungit : « Qui omnes jam plures iis esse cœperunt, qui » uxores habent. »

VII. Quarto, in ea Præfatione commendans virginitatem Pontifex, sublimioresque appellans animas quæ in viri ac mulieris copula connubium fastidientes, « Sacramentum concupi- » scunt » (id est sacro ritu desiderant in virgines consecrari, uti supra S. Leonis locum exposuimus), rectissime ait honorem nuptiarum nullis interdictis minui, ac super sanctum conjugium nuptialem benedictionem permanere. Fuerunt enim hæretici non semel ab Ecclesia proscripti, qui, ut prævidit Apostolus, matrimonium oppugnabant, contra quos strenue sancti Patres dimicarunt : « Spiritus autem manifeste dicit » (ait ille in Epistola I ad Timotheum, capite IV, « quia in novissimis temporibus discedent qui- » dam a fide, attendentes spiritibus erroris...., » prohibentium nubere, etc. » Quinam vero fuerint hi hæretici de quibus Paulus loquitur, refert Chrysostomus in hunc locum fuisse Encratitas, Marcionitas et Manichæos. S. Ignatius, in Epistola ad Philadelphios, hanc esse hæresim Ebionis scribit, S. Irenæus parentem hujus erroris Saturninum tradit : alii etiam alios. Sane fuerunt etiam pseudo-virgines, qui propter virginitatem, quam Deo professi erant, in conjugio positos vituperabant ; quos quidem anathemate feriit Gangrensis Synodus, can. X. Sed et sanctus Augustinus tam in libro *De bono conjugali*, quam in alio *De sancta virginitate*, sui temporis virgines admonuit ne propter excellentiam muneris amplioris, conjugatos sanctos Patres contemnerent. Peccarunt certe in eo non semel virgines, quod de sua virginitate superbirent, quamobrem a sanctis Patribus redarguuntur, et, ut humilitatem servent, frequentissime admonentur ; ut infra ostendemus.

VIII. Quinto, ait agnovisse auctorem suum beatam virginitatem, et æmulam integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovisse, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemad-

Digitized by Google

modum perpetuæ virginitatis est filius. Christum esse auctorem et caput virginitatis, est communis omnium Patrum sententia. S. Athanasius in prima sua *Apologia* ita scribit : « Dei Filius Do-
» minus ac Salvator noster Jesus Christus,
» homo propter nos factus, profligata morte, et
» adserto a servitute et corruptione humano
» genere, inter cætera dona sua largitus est nobis
» in virginitate exemplar angelicæ sanctitatis.
» Certe puellas ea virtute præditas Catholica
» Ecclesia solita est appellare Sponsas Christi. » Cujus quidem rei causam eam reddit in libro *De velandis virginibus* egregius Tertullianus, sic ipsas virgines alloquens, cap. XVI : « Non
» mentiris nuptam ; nupsisti enim Christo ; illi
» tradidisti carnem tuam ; illi sponsasti maturi-
» tatem tuam ; incede secundum Sponsi tui vo-
» luntatem. » Porro, ut alios omittam Patres, S. Augustinus tum initio libri *De virginitate*, tum alibi, Christum Dominum Virginis Filium, et virginum Sponsum passim appellat.

IX. Sexto, orat Pontifex in ipsa Præfatione ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus docet inesse nuptiarum. Constat quidem, vel primis Christi sæculis plerasque virgines a diabolo ejusque satellitibus fuisse seductas, adeo ut coacta fuerit frequenter Ecclesia plangere virgines suas; teste S. Cypriano in libro *De habitu virginum*, et S. Hieronymo, qui in Epistola ad Eustochium, *De custodia virginitatis*, vicem suorum temporum dolens, scriptum reliquit : « Piget dicere quot
» quotidie virgines ruant ; quantas de suo gre-
» mio mater perdat Ecclesia ; superque sidera
» inimicus superbus ponat thronum suum ;
» quot petras excavet, et habitet coluber in fo-
» raminibus earum. Videas plerasque viduas
» antequam nuptas, infelicem conscientiam
» mentita tantum veste protegere ; quas nisi
» tumor uteri et infantum prodiderit vagitus,
» sanctas et castas se esse gloriantur, et erecta
» cervice, et ludentibus pedibus incedunt. Aliæ
» vero sterilitatem præbibunt, et necdum nati
» hominis homicidium faciunt ; nonnullæ, cum
» se senserint concepisse de scelere, abortii ve-
» nena meditantur ; et frequenter etiam ipsæ
» commortuæ, trium criminum reæ ad inferos
» perducuntur, homicidæ sui, Christi adulteræ,
» necdum nati filii parricidæ. » Ubi nota Christi adulteras idcirco appellari illas virgines, quia scilicet primam fidem promissæ Christo virginitatis irritam fecerunt.

X. Possem hic varia exempla accumulare multarum virginum, quæ post sui consecrationem, pudicitiam nefarie prostituerunt. Nota est illius virginis turpitudo, quam e monasterio Bethleemitico ad stuprum fugamque sollicitavit sacrilegus Sabinianus diaconus, ut in Epistola ad ipsum increpatoria idem S. Hieronymus scribit : « Moris est in Ægypti et Syriæ monasteriis,
» ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo vove-
» rint, et seculo renunciantes, omnes delicias
» seculi conculcarint, crinem monasteriorum
» matribus offerant desecandum, non intecto
» postea contra Apostoli voluntatem incessuræ
» capite, sed ligato pariter ac velato. Nec hoc
» quispiam, præter tondentes, novit, et tonsas,
» nisi quod, quia ab omnibus sit, pene scitur ab
» omnibus. Hoc autem duplicem ob causam de
» consuetudine versum est in naturam, vel
» quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum
» nec capite, nec ore norunt, ne a parvis ani-
» malibus, quæ inter cutem et crinem gigni so-
» lent, et concretis sordibus opprimantur. » Hæc quidem præmittit Hieronymus, quo apertius explicetur exsecrabile Sabiniani et corruptæ virginis scelus : « Videamus igitur, » inquit, Sabinianum alloquens, « ita vir bone inter ista
» quid feceris ? futuro matrimonio in spelunca
» illa venerabili, quasi quosdam obsides accipis
» capillos, sudoriola infelicis, et cingulum
» dotale pignus deportas, jurans ei te nullam
» similiter amaturam.... Nihil dico amplius,
» quod in oscula rueris, quod amplexatus sis....
» Post Apostoli Petri basilicam, in qua Christi
» flammeo consecrata est, post crucis, et resur-
» rectionis, et ascensionis Dominicæ sacra-
» menta, in quibus rursum se in monasterio
» victuram spoponderat, audes crinem accipere
» tecum noctibus dormituræ, quem Christo
» messuerat in spelunca ? Deinde a vespere
» usque mane fenestræ illius assides, et quia
» propter altitudinem hærere vobis cominus
» non licebat, per funiculum vel accipis aliquid,
» vel remittis ». Hæc et alia in illa Epistola Hieronymus, in qua nostri etiam sæculi mores depingit, ac præsertim insanissimas artes quibus

Digitized by Google

hodierni homines amore languentes utuntur.

XI. Ex hisce exemplis, atque ex laudatis testimoniis sanctorum Patrum merito septimo orat Pontifex, ut inter alias virtutes, quibus lucere debent, sit in sacris virginibus « prudens » modestia, » nempe in vultu, incessu, habitu et sermone, virgineo statui congruens, de qua generatim monuit Apostolus omnes fideles in Epistola I ad Corinthios, cap. XIV : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant in vobis.* Et in Epistola ad Philippenses, cap. IV : *Modestia vestra*, inquit, *nota sit omnibus hominibus.* Auctoris libri *De bono Pudicitiæ* inter opera S. Cypriani, de modestia a virginibus servanda, hæc profecto monita sunt : « Nihil consideretur » curiose in alienis vultibus. Sermo et brevis » sit, et sobrius visus; signum est enim animi » et facilis, et remissi; nam contactus recedat » etiam honestus : nihil corpori liceat, ubi vi- » tandum est corporis vitium. Cogitetur quam » honestum sit vicisse deduces; quam inhone- » stum victum esse dedecore. » Similia passim invenies apud sanctos Ecclesiæ Patres in libris giquos de virginitate scripserunt, in quibus virnes docent quas debeant sequi virtutes, et quæ vitia fugere. Porro cum orat Episcopus ut Deus virginibus sit *in jejunio cibus*, intelligitur cibus spiritualis, quo mens pascatur, dum caro jejunat, uti recte observat Menardus in laudatum librum *Sacramentorum* S. Gregorii; nam, teste Prudentio libro II *Contra Symmachum*, fuere olim devotis virginibus

Et raræ, tenuesque epulæ, et mens sobria semper.

XII. Postremo precatur Pontifex ut sacræ virgines prudentum quinque virginum exemplum sectantes, « regalem januam licenter in- » troeant, et in Agni divini perpetuo comitatu » probabiles mansura castitate permaneant : » quatenus centesimi fructus, dono virginitatis » decorari mereantur. » Fructum centenum, sexagenum et tricenum, de quo egregia est Christi parabola in Evangelio S. Matthæi, c. XIII, varie intellectum fuisse testatur in suo libro *De Virginibus* S. Augustinus, cap. XLV. « Hoc » autem, inquit, tam magnum est, ut eum fru- » ctum centenum quidam intelligant. Perhibet » enim præclarissimum testimonium Ecclesia- » stica auctoritas, in qua fidelibus notum est » quo loco martyres, et quo defunctæ Sancti- » moniales ad altaris sacramenta recitentur. » Sed quid significet fœcunditatis illa diversitas, » viderint qui hæc melius quam nos intelli- » gunt : sive virginalis vita in centeno fructu » sit, in sexageno vidualis, in triceno autem » conjugalis : sive centena fertilitas martyrio » potius imputetur, sexagena continentiæ, tri- » cena connubio : sive virginitas accedente » martyrio centenum fructum impleat, sola » vero in sexageno sit; conjugati autem trice- » num ferentes, ad sexagenum perveniant, si » martyres fuerint : sive quod probabilius mihi » videtur, quoniam divinæ gratiæ multa sunt » munera, et est aliud alio majus ac melius : » unde dicit Apostolus (in Epistola I ad Corin- » thios, cap. XII) : *Æmulamini autem dona me- » liora*, intelligendum est plura esse quam ut » in tres differentias distribui possint. Primum, » ne continentiam vidualem aut in nullo fructu » constituamus, aut ad conjugalis pudicitiæ me- » ritum deponamus, aut virginali gloriæ coæ- » quemus, aut coronam martyrii, vel in habitu » animi, etiamsi desit tentationis examen, vel » in ipsa passionis experientia constitutam, cui- » libet illarum trium castitati sine ullo incre- » mento fertilitatis accedere existimemus, deinde » ubi ponimus, quod multi ac multæ ita custo- » diunt, ut tamen non faciant quæ Dominus ait » (in Evangelio Matthæi, cap. XIX, versiculo XXI) : » *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ » habes, et da pauperibus, et habebis thesau- » rum in cœlo, et veni, sequere me;* nec audeant » eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo » dicit aliquid proprium, sed sunt eis omnia » communia. Nihilne putamus fructificationis » accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt? aut » sine ullo fructu esse virgines Dei, etiam si hoc » non faciunt ? » Tum concludit Augustinus multa quidem esse dona, et aliis alia clariora, ac superiora, singulis singula; et aliquando alterum fructuosum esse donis paucioribus, seu potioribus, alterum inferioribus, sed pluribus. Addit et alia, quæ in ipso *De virginibus* libro, cap. XLVI, videri possunt.

XIII. S. Cyprianus in libro *De habitu virginum*, centenum quidem martyribus, sexagenum vero virginibus deputat; sic enim illas alloquitur : « Primus cum centeno martyrum fructus, » secundus sexagenarius vester est. » Cui adstipulatur Prudentius, qui in Hymno XIV, ubi

Digitized by Google

passionem S. Agnetis virginis et martyris describit, ita eleganter canit :

Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubæ.
Unam decemplex edita senies.
Merces perenni lumine conficit :
Centenus exstat fructus in altera.

Idem Prudentius, lib. II *Adversus Symmachum* eamdem sententiam confirmat, ubi ait sexagenum fructum esse præmium virginum. Sic ergo vetustus æque ac egregius auctor canit :

Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, nec nota, et publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,
Lexque pudicitæ vitæ cum fine peracta..
Hinc decies seni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur, fraus terris volvitur imis.

Sanctus Hieronymus refert quidem aliorum ea de re auctorum sententiam, sed aliam ipse in libro primo *Contra Jovinianum*, et in Evangelium sancti Matthæi, cap. XIII, eligit, quæ videlicet centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, et trigesimum castis conjugatis deputat. Sequitur hanc S. Hieronymi opinionem pius auctor libri *De modo bene vivendi* ad sororem, inter opera S. Bernardi, tom. III ultimæ editionis Venetæ, qui ita inquit, cap. XXII. « Tricenarius numerus primus est, et significat » fœdera nuptiarum. Sexagenarius numerus » secundus gradus est, et significat continen- » tiam viduarum. Centenarius numerus tertius » gradus est, qui pro virginitatis corona virgi- » nibus deputatur. » Cæterum fatetur sanctus Hieronymus in Epistola ad Eustochium *De custodia virginitatis*, centesimum, et sexagesimum fructum esse quidem de uno semine castitatis ; verum « non tamen quod conjugali detraham » castitati, sed centesimum, aut sexagesimum » fructum, licet de radice tricesimi oriatur, » minime arbitror tricesimo comparandum. » Verba sunt Joannis Saresberiensis, lib. VIII, *Policratici*, cap. XI. Sed ut aliorum omittam testimonia, libri omnes Pontificales tum manuscripti tum editi, non nisi virginibus centenum fructum deputant. « Quatenus centesimi fructus » dono virginitatis decorari mereantur. »

§ XIII.

Tum Pontifex accepta mitra incipit, Schola prosequente, Responsorium toni II, *Veni, Electa mea, et ponam in te thronum meum.* ℣ *Quia concupivit Rex speciem tuam. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.* ℣ *Quia.*

COMMENTARIUS.

I. Fuit et hic priscus Ecclesiæ ritus, ut cum Pontifex virginem consecraret, prædictum Responsorium, Cantorum choro prosequente, pronuntiaret : « Benedictione expleta, » inquit Pontificale Ecclesiæ Antissiodorensis, « incipiat » Episcopus hoc Responsorium : » *Veni, electa mea*, etc. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Barensis, ipsum Responsorium dicendum præcipit « post Evangelium, Hymno dicto, *Veni,* » *creator Spiritus.* » Quod ille versiculus Psalmi XLIV. *Audi, filia, et vide, etc.*, longe ante annum Christi millesimum ab Episcopo dictus non modo, sed explicatus fuerit, ubi virginem consecrabat, testis est vetustus auctor libri *Ad Virginem lapsam*, quem, ut alibi dixi, Ivo Carnotensis episcopus, parte VII sui Decreti, capite CXXXIV, et alii multi auctores S. Ambrosio adscribunt. Sic ergo ille : « Non es memorata » diem sanctum, diem Dominicæ resurrectionis, » in quo divino altari te obtulisti velandam ? » in tanto tamque solemni Ecclesiæ conventu, » inter lumina illa splendida regni cœlestis » quasi regi nuptura processeras. Non es me- » morata qualis ad te illo die facta sit allocutio : » *Adspice, filia, intuere, virgo, et obliviscere* » *populum tuum, et domum patris tui, et con-* » *cupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Do-* » *minus Deus tuus ?* Reminiscere ergo, quantus » ad Sponsi tui, et Domini nuptias convenerit » populus, etc. »

II. Porro hos versiculos Psalmi XLIV pro themate usurpavit S. Hieronymus, cum in Epistola ad Eustochium, quomodo ipsa custodire virginitatem debeat, fusa et eleganti quidem ora-

Digitized by Google

tione sic docet : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet Rex decorem tuum.* In hoc Psalmo ait primo Hieronymus Deum quidem ad animam loqui humanam, ut secundum exemplum Abrahæ, exiens de terra sua et de cognatione sua, relinquat Chaldæos, qui quasi dæmonia interpretantur, et habitet in regione viventium, quam alibi, id est in Psalmo XXVI, Propheta suspirat, dicens : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Mox Eustochium virginem alloquens, sic pergit : « Verum non sufficit tibi exire de terra tua, » nisi obliviscaris populi tui, et domus patris » tui, ut, carne contempta, Sponsi jungaris amplexibus. *Ne respexeris*, inquit (Genesis XIX) » *retro; nec steteris in omni circa regione, sed* » *in monte salvum te fac, ne forte comprehendaris.* Non expedit apprehenso aratro, » respicere post tergum, nec de agro reverti » domum; nec post Christi tunicam, ad tollendum aliud vestimentum tecto descendere. » Et paulo infra, inducens Eustochium ita aientem : « Exivi de domo infantiæ meæ; oblita » sum Patris mei; renascor in Christo. Quid » pro hoc mercedis accipio ? » Respondet Hieronymus attendere illam debere quod sequitur : « *Et concupiscet Rex decorem tuum.* » Statimque adjungit : « *Hoc ergo illud magnum est sacramentum : Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ; et* » *erunt ambo*, jam non, ut ibi, *in carne una*, » sed in uno spiritu. »

III. Huc spectat quod ad initium libri *De Virginitate servanda* scribit S. Athanasius episcopus Alexandrinus : « Audi, ancilla Christi, » et quicumque salutem quæritis, et insinua in » aures tuas verba mea, et accipiant aures tuæ » Numine afflatas sermocinationes. *Hoc mysterium*, inquit Paulus, *magnum est*, eo quod » omnis, qui agglutinatur uxori, ambo in unum » corpus sint, ita quoque omnis vir sive mulier, » agglutinatus Domino, unus spiritus est. Si » enim qui se mundo copulant, relinquuntque » patrem, et matrem, mortalibus hominibus » copulantur, quanto magis virgo continens » relinquere debet terrestria omnia, et Domino » soli agglutinari ? Hujus mei dicti testis est » Paulus, ita loquens (in Epistola I ad Corinthios, capite VII) : *Mulier innupta sollicita est* » *eorum quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore* » *et spiritu; nupta vero sollicita est eorum quæ* » *sunt mundi, quomodo placeat marito, ac ab* » *illa differt.* Hoc igitur dico, quod omnis virgo, aut vidua continens, si curam suam collocet in mundanis, ejus rei cura illi pro » marito est, sive professiones, sive alias substantias sollicitudine sua amplectatur. Ipsa » enim sollicitudo contaminat ejus animam. » Quod quidem ex eo probat, quia sicut per virum corpus contaminatur, ita quoque habitus mundani, et animam, et corpus continentis conspurcant, neque jam est sancta corpore et spiritu. Concludit autem earum Christum esse virginum sponsum, quæ opus Domini curant. Cur vero tantopere Christus præ cæteris virgines diligat, electasque eas vocet, et ponere in eis thronum suum dicat, rationem addiscere licet ex S. Hieronymo, qui in libro I *Adversus Jovinianum*, cap. VII, ita scribit : « Ideo plus » amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, » quod sibi non fuerat imperatum ; majorisque » gratiæ est offerre quod non debeas, quam » reddere quod exigaris. » Ea tandem verba, « *Quia concupivit Rex speciem tuam*, » ita explicat Augustinus ad finem libri *De Virginitate,* ut non quærat a virginibus Christus, « pulchram carnem, sed pulchros mores, » quibus frænent et carnem.

§ XIV.

Incepto Responsorio, sedet Pontifex cum mitra, et eo finito, surgunt virgines, et duæ primæ ex eis præsentantur a paranymphis Pontifici, coram quo humiliter genua flectunt, cantantes simul Antiphonam toni II, *Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem habere personam.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Sunt plerique manuscripti libri Pontificales in quibus hæc Antiphona desideratur, quam tamen invenio in multis, qui quingentis abhinc annis exarati sunt. Ex manuscripto Pontificali Barensi, post Evangelium, Hymno dicto, *Veni, creator Spiritus*, Episcopus dicit Antiphonam, *Veni, sponsa Christi, etc.*, respondet autem virgo : *Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem personam.* Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Aquensis cautum fuit ut, finita Præfatione, erigant se virgines, et Consecrator vocet eas cantando, *Veni, electa mea, etc.*, et dum hoc Responsorium cantatur, duæ virgines veniant, et stent humiliter, et cantent ante ipsum, *Ancilla Christi sum, ideo ostendo me servilem personam.* Pontificale Vaticanum, num. 4744, ritum ita describit : « Præfatione » finita, Pontifex vocat illam, vel illas, si plures » sunt, inchoando sequentem Responsorium, » *Veni, electa mea, etc.* Finito ergo Responsorio » surgit, et si plures sunt, veniunt hinc et hinc, » et præsentantur a paranymphis Episcopo, » hoc modo : illa quæ prior est in alio capite » Ordinis seu coronæ, et alia similiter quæ prior » est in alio capite, simul venientes flectunt » genua humiliter coram illo, cantantes simul » Antiphonam, *Ancilla Christi sum, etc.* »

II. Tandem vero ex manuscripto Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356, antequam sacra velamina acciperent virgines, ponebantur illa super capita earum, et unaquæque virgo antequam suum acciperet, dicebat Antiphonam, *Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem personam.* Deinde hasce alias successive Antiphonas pronuntiabat : « I. Dexteram meam, et collum meum cinxit la- » pidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæsti- » mabiles margaritas. II. Posuit signum in fa- » ciem meam, ut nullum præter eum amatorem » admittam. III. Induit me Dominus cyclade » auro texta, et immensis monilibus ornavit » me. IV. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota de- » votione committo. V. Cujus pulchritudinem » sol et luna mirantur, ipsi soli servo fidem. » VI. Christus circumdedit me vernantibus, at- » que coruscantibus gemmis pretiosis. » Porro desumptæ sunt istæ Antiphonæ ex Officio S. Agnetis virginis ac martyris, uti videre est in Romano Breviario ad diem xx januarii, excepta tamen Antiphona, *Ancilla Christi sum*, quæ habetur initio Psalmi III primi Nocturni Officii sanctæ Agathæ virginis æque ac martyris, de quo vide Breviarium Romanum ad diem v februarii.

§ XV.

Qua dicta, Pontifex interrogat illas palam, dicens : *Vultis persistere in sancta virginitate quam professæ estis?* Et illæ simul respondent : *Volumus.* Tum Pontifex imponit velum super caput cujuslibet, quod dependeat super scapulas, et usque ad pectus, et usque ad oculos, singulis dicens : *Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Christo Jesu veraciter humiliterque, toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Factam iterum ab Episcopo interrogationem virginibus, antequam ipsis velum traderet, an velint in sancta virginitate persistere, quam professæ sunt, responsumque ab eisdem velle se quidem in sancto proposito permanere, aperte insinuat antiquus Ordo Romanus his plane verbis : « Benedictione expleta, et ad interrogatio- » nem Episcopi de observatione sacri velaminis. » illam coram professa, Episcopus mittat vela- » men super caput ipsius virginis, ita dicens : » Accipe velum sacrum, puella, quod perferas » sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu

Digitized by Google

» Christi, cui flectitur omne genu cœlestium, » terrestrium et infernorum, in secula seculo- » rum. *Respondetur* Amen. » Est antiqua formula qua olim Episcopi in tradendo sacrum velamen virginibus utebantur, ut legere est in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, et in manuscripto Anglicano monasterii Gemmeticensis, annorum nongentorum, itemque in manuscripto codice Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos scripto, in quo tamen desunt ea verba : *cui flectitur omne genu, etc.* Eamdem formulam in omnibus fere sequioris ævi manuscriptis Pontificalibus, Remensi, Apamiensi, Parisiensi, Cameracensi, et aliis annorum quingentorum, invenimus, ac præterea in Moguntino Christiani archiepiscopi ejusdem fere ætatis, Aquensi annorum circiter quadringentorum et Senonensi annorum circiter tercentorum.

II. Sed ut videas quam antiqua sit ista formula, in opere *De sacris Ordinationibus*, vir clarissimus Joannes Morinus ex Bibliotheca Petavii senatoris Parisiensis antiquissimum et venerandum duodecim fere sæculorum codicem Pontificalem producit, in quo post tum minorum, tum sacrorum Ordinum ritus, sequitur ritus consecrandæ virginis, cui in fine dat Episcopus pallium sic dicens : « Accipe, puella, » pallium quod perferas sine macula ante tri- » bunal Domini nostri Jesu Christi, cui flecte- » tur omne genu cœlestium, terrestrium, et » infernorum. » Erat quidem pallium velum quod capiti virginis imponebatur, uti liquido constat ex manuscripto codice Sancti-Gatiani ante annos octingentos scripto, ubi ita legimus : « Benedictione expleta, mittet Episcopus illum » pallium benedictum super caput virginis di- » cens : Accipe, puella, pallium, quod perferas » sine macula, etc. » Cæterum dici etiam potest fuisse ipsum passim aliquando a velo diversum in aliquibus saltem Ecclesiis, præsertim nostri regni Neapolitani. Constat enim ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Barensis annorum circiter quingentorum, pallium quidem sub recitata formula traditum, velum autem sub ista : « Accipe velamen, virgo Christi, virgini- » tatis et continentiæ, per quod Spiritus sanctus » superveniat in te, et virtus Altissimi sit tibi » obumbraculum contra æstum malarum tem- » ptationum. Præstante, etc. » Fateor me in nullo alio manuscripto Pontificali ejusmodi formulam invenisse.

III. Porro consonat nostræ Rubricæ hodierni Pontificalis, Rubrica Pontificalis manuscripti Vaticanæ Bibliothecæ, non autem formula traditionis veli. Sic enim ait : « Mox Episcopus » interrogat illas palam dicens : Vultis persi- » stere in sancta virginitate quam professæ estis? » Et illæ simul respondent : Volumus. Tunc » Episcopus imponit velum super caput cujus- » libet, quod dependeat super scapulas, et super » pectus usque ad oculos, dicens cuilibet : Ac- » cipe, virgo, velamen sacrum, quod perferas » ante tribunal æterni Judicis, cui flectitur » omne genu cœlestium, terrestrium, et infer- » norum, quo cognoscaris mundum contemsisse, » humiliterque toto cordis annisu sponsam » perpetualiter subdidisse ei qui te ab omni ad- » versitate defendat, et ad vitam æternam per- » ducat, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit » et regnat Deus per omnia secula seculorum. » *Respondetur* Amen. » Cui formulæ consonat ea quidem quæ habetur in editis ante Clementem VIII Pontificalibus. Respondet autem nostri hodierni Romani Pontificalis formulæ illa quæ exstat in manuscripto Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356.

IV. Velum, seu flammeum, capiti virginum in sua ipsarum consecratione ab Episcopo solemniter ab ipsa Christi nascente Ecclesia impositum, ex complurium veterum Patrum testimoniis liquet : « Scio, » inquit S. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem, *De virginitate servanda*, « quod ad imprecationem Pontificis, » flammeum virginale sanctum operuit caput. » Aiunt flammeum esse genus veli lutei, seu crocei, quod a novis olim nuptis gestabatur, sic dictum quod eo assidue utebatur Flaminica, id est Flaminis uxor; et quia Flamini non erat permissum cum uxore divortium facere, institutum fuisse ut etiam novæ nuptæ hoc amiculi genere uterentur boni ominis causa, et in signum indissolubilis conjugii. Hinc Lucanus de Martia iterum nubente Catoni inquit :

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Occurrit ea vox frequenter apud scriptores Ecclesiasticos ad significandum quidem velum sanctum virginibus solemni ritu impositum. Etenim, ut alios omittam, idem Hieronymus,

Digitized by Google

suggillans Sabinianum diaconum, qui sacram virginem in monasterio Bethlehemitico degentem ad stuprum fugamque sollicitaverat, ita inter alia inquit : « Miser, nonne quando in » spelunca cum virgine stare cœpisti, caliga- » verunt oculi tui, lingua torpuit, conciderunt » brachia, pectus intremuit, nutavit incessus? » Post Apostoli Petri Basilicam, in qua Christi » flammeo consecrata est, post Crucis, et Re- » surrectionis, et Ascensionis Dominicæ sacra- » menta, in quibus rursum se in monasterio » victuram spoponderat, audes crinem accipere » tecum noctibus dormituræ, quem Christo » messuerat in spelunca? »

V. Multa ex hoc loco colligi possent : unum non omittendum censeo, quod superius notatum est, sacra olim cum solemnitate ac pompa impositum sacrum velum virginibus, id quod expressius tradit S. Ambrosius in *Exhortatione ad virgines*, dicens : « Venit Paschæ dies; in toto » orbe Baptismi sacramenta celebrantur, ve- » lantur sacræ virgines. Uno ergo die, sine » dolore aliquo multos filios et filias solet Ec- » clesia parturire. » Et alibi acerbissime, sive ipse Ambrosius, sive alius ejus nomine auctor libri *Ad Virginem lapsam*, objurgans unam ex his quæ datam Sponso virginum fidem temere violaverat, sic ait : « Non es memorata diem » sanctum, diem Dominicæ Resurrectionis, in » quo divino altari te obtulisti velandam? In » tanto tamque solemni Ecclesiæ Dei conventu, » inter lumina illa splendida regni cœlestis, » quasi Regi nuptura processeras. Non es me- » morata qualis ad te illo die facta sit allocutio : » Adspice, filia, intuere, virgo, et obliviscere » populum tuum, et domum patris tui, et con- » cupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Do- » minus Deus tuus? Reminiscere ergo quantus » ad Sponsi tui et Domini nuptias convene- » rit populus; servare te oportuit fidem quam » sub tantis testibus pollicita es : semper cogi- » tare cui virginitatem spoponderis. Facilius te » oportuit sanguinem cum spiritu fundere, » quam perdere tuam castitatem. His in illo » tunc die consecrationis tuæ dictis, et multis » super castitate tua præconiis, sacro velamine » tecta es. Omnis populus, dotem tuam subscri- » bens non atramento sed spiritu, pariter cla- » mavit : Amen. » Scio me alibi ista scripsisse, sed oportuit iterum repetere, quo magis magisque pateat quam auguste et quam solemniter consecratio virginum celebraretur, ac præsertim capiti ipsarum sacrum velum imponeretur.

VI. Ne quis autem hæreat in velo, quod sacris virginibus ab Episcopo debet imponi, existimetque Sanctimoniales virgines, quæ longe ante virginitatis servandæ votum in monasteriis emiserant, toto illo temporis intervallo quod professionem inter et consecrationem intercedit, velo caruisse, observandum est quod post Thomassinum, parte I *Disciplinæ*, lib. III, c. XLIX, n. V, et alios, docet Martenius, duplex olim fuisse virginum velum, unum quod in prima consecratione, alterum quod in secunda tradebatur. Cujus distinctionis egregium proferunt testimonium ex Petri Abaelardi Epistola VIII : « Duo autem velorum genera, inquit, » esse volumus, ut alia sint scilicet virginum » jam ab Episcopo consecratarum, alia vero » minime. Quæ vero prædictarum sunt virgi- » num, crucis sibi signum habeant impressum ; » quo scilicet ipsæ integritate quoque corporis » ad Christum maxime pertinere monstrentur : » et sicut in consecratione distare a ceteris, ita » et hoc habitus signo distinguantur, quo et » quique fidelium territi magis abhorreant in » concupiscentiam earum exardescere. Hoc au- » tem signum virginalis munditiæ in summitate » capitis candidis expressum filis virgo gestabit, » et hoc nullatenus, antequam ab Episcopo » consecretur, gestare præsumat. Nulla autem » alia vela hoc signo insignita sint. » Ubi nota I. duas aliquando fuisse uno in monasterio Sanctimonialium classes, quarum eæ quæ, inauguratæ ab Episcopo, velum gestabant alba cruce insignitum; II. non fuisse eum ritum sui expertem mysterii, ut scilicet ipsæ virgines integritate quoque corporis ad Christum maxime pertinere monstrentur, et ut procaces homines nefarium quidquam in ipsas moliri deterrerentur. Hunc ritum semel ac iterum religiose in urbe Septempedana servatum a Dionysio Pieragostini, ejus urbis episcopo vigilantissimo, in solemni consecratione virginum monasterii Sanctæ-Catharinæ Ordinis S. Benedicti, retulit mihi vir clarissimus Bernardus Gentili Septempedanus, affirmans ipsas memorati monasterii virgines, post sui ipsarum consecrationem, crucis signum velo appictum gestare. Cæterum ex *Rituali* Sanctimonialium Carthusiensium

Digitized by Google

constat dari ipsis, cum consecrantur, crucem, et reclinari super humero earum dextro, dicente Pontifice : « Abnega temetipsam, et tolle crucem » tuam quotidie, et sequere Dominum. »

VII. Si quis autem hic roget cujusnam coloris fuerit olim virginum velum, respondet Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. III, cap. XLIX, et una cum ipso alii eruditi viri, seu solemniter consecratarum et professarum, seu non solemniter professarum nigrum fuisse velum, nisi quod saltem alicubi, ut dictum est, ad distinctionem cruce albi coloris in summitate capitis insignitum erat solemniter consecratarum virginum velum. Verum dicendum autumo fuisse alicubi saltem ipsarum velum etiam coloris rubri, seu purpurei, ut ex ipso vocabulo, quo illud appellant Patres, id est *Flammeum*, eruit Haeftenus, *Disquisitionum monasticarum* lib. V, tractatu IX, disquisitione VII, probatque ex scholio ad S. Hieronymi verba in Epitaphio Paulæ, « Nam neptis Christi flammeo reservatur, » ubi Scholiastes addit *flammeum* vocari indumentum flammei coloris, quo mulieres, præsertim virgines, caput tegebant. Flammeum autem nonnulli interpretantur velum rubrum, quo nuper nuptæ uti solebant, uti videre est apud nostrum eruditissimum scriptorem Neapolitanum Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Dierum genialium*, cap. V, et virum doctissimum Andream Tiraquellum ibidem.

VIII. Sed ut magis magisque nostram sententiam comprobemus, ecce tibi præclarissimum sancti Ambrosii testimonium, qui in libro *De sacræ Virginis institutione*, non modo velum, quod solemniter virginibus imponebatur, purpureum fuisse affirmat, verum etiam mysticum ei colori sensum tribuit. Sic enim in longa, quæ super virginem recitari solebat, oratione Deum precatur : « Succingat sacræ » virginis crinem modestia, sobrietas, conti- » nentia, ut virtutum accincta comitatu, » purpureo Dominici sanguinis redimita ve- » lamine, mortificationem Domini Jesu in sua » carne circumferat. » His adde aliud insigne ac pervetustum testimonium Optati Milevitani, qui libro VI *Adversus Donatistas*, de hujusmodi virginum velo seu mitrella disserens : « Nec ulla sunt præcepta conjuncta, » vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua » purpura pingeretur. » Nec prætereundus Canon IV Concilii Toletani X, ex cujus præscripto velum viduæ benedictæ debebat esse purpurei vel nigri coloris. Parum itaque curamus quid scribat Franciscus Suarez, vir alioqui insignis, tomo IV, *De Religione*, libro I, tractatu IX, cap. XI, num. XI, non oportere scilicet dici Monialium velum tempore S. Hieronymi rubeum fuisse, quia non est attendendum ad originem sive etymologiam vocis *flammei*, sed ad rem ad quam significandam translata est. Cæterum recte Franciscus Meinardus ad illa verba capitis VII Regulæ sancti Cæsarii : « Ve- » stimenta cum purpura nunquam in usu » habeant, » adnotat distinguendum inter vestimenta corporis et vela capitis; nam in vestimentis purpura prohibetur, in velis prohibita non videtur, « ut quasi regalis purpuræ » coronamento Regis æterni sponsa denotetur. » Addi autem hic insuper potest tenendam ea in re esse locorum consuetudinem.

IX. Alienum profecto a nostro instituto non erit, pro coronide ad calcem hujus Commentarii mysticas quasdam interpretationes subnectere; præsertim quia, uti habetur in secunda Oratione benedictionis sacrorum velaminum, supra § VIII, ubi Episcopus ipsa benedicit, Deum alloquens ita exorat : « Ut hoc, quod per illa » mystice datur intelligi, tua semper custodia » corpore pariter et animo incontaminato » custodiant. » Primo itaque per veli impositionem designatur mundi contemptus, ut ex ipsa impositionis veli Oratione constat : « Ac- » cipe, inquit Episcopus, velamen sacrum, quo » cognoscaris mundum contempsisse, etc.; » et ex illo Responsorio quod, ut superius dictum est, velanda virgo decantat nimirum : « Regnum » mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi » propter amorem Domini nostri Jesu Christi, » quem vidi, quem amavi, in quem credidi, » quem dilexi. »

X. Secundo denotat velum subjectionem quam sacra virgo erga sponsum suum Jesum Christum habere debet. Quam interpretationem ut melius intelligamus, audire præstat Apostolum, qui in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, scribit : *Debet mulier potestatem habere supra caput;* quæ verba ita explicat Haeftenus loco citato : « Debet potestatem, id est signum po- » testatis viri, quod est velamen, habere super » caput suum. Est enim metonymia, qua signo

Digitized by Google

» tribuitur nomen rei significatæ. Unde Tertul-
» lianus *De velandis Virginibus*, cap. XVII :
» *Ipsæ sunt, quas subjectas esse oportet, prop-*
» *ter quas potestas supra caput haberi debet,*
» *velamen jugum illarum est.* Unde in *Decreto*
» Gratiani XXX, quæstione V, cap. VII, scribi-
» tur : *Feminæ dum maritantur, ideo velantur,*
» *ut noverint maritis suis subditas esse et hu-*
» *miles.* Hoc si a terrenis (verba sunt memorati
» auctoris) et carnalibus nuptiis transferamus,
» videbimus eadem omnino causa velari sacras
» virgines, ut suo scilicet subjectæ sint Sponso.»
Quo spectat quod aiunt Patres Concilii Aquisgranensis anni 816, libro II, capite X : « Si
» quemadmodum apud Salomonem legitur, in
» domo patris positæ instanter sunt monitis
» paternis erudiendæ; et nexu conjugali de-
» vinctæ, juxta Apostolum, debent viris esse
» subditæ : quanto magis in domo Dei, quæ
» se religiose vivere devoverunt, divinis sunt
» erudiendæ disciplinis et sponso suo Christo
» Domino cum omni humilitate et castitate
» subditæ esse? » Pergit autem Haeftenus, ostenditque eum quidem esse virginum Sponsum, de quo, ceu paranymphus, Paulus ait in Epistola II ad Corinthios, c, XI : *Desponde vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* ejusque jugo esse illas subjectas, qui in Evangelii Matthæi cap. XI ait : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Debent itaque esse humiles virgines et Christo subditæ. Quod quidem tunc ipsæ præstabunt, cum iis quæ Christi vices in monasterio agunt, superioribus, inquam, suis humiliter obtemperaverint. Christi autem jugum tunc vero suscipiunt, cum jugo Regulæ colla submittunt.

XI. Tertio, inquit laudatus scriptor, designatur et ipso velamine, quod casto amore Jesu Christo tanquam sponso velint adhærere, et nihil aliud in consortium amoris admittere. Unde in consecratione virginum, ut supra habetur in § XII, orat Episcopus Deum sic allo-quens : « In charitate ferveant, et nihil extra
» te diligant, amore te timeant, amore tibi
» serviant. In te habeant omnia quem diligere
» appetunt super omnia. » Et, ut infra videbimus, velata jam virgo, illa S. Agnetis jubetur verba cantare : *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Refert insuper Haeftenus binas alias mysticas veli interpretationes denotare illud scilicet accuratum sensum, et cum primis oculorum custodiam, et ut Sanctimoniales pedissequæ sint et quodammodo filiæ beatissimæ Virginis et Dei genitricis Mariæ. Porro addi et iis potest interpretationibus, sacro velamine donari virgines, ut per illud Spiritus sanctus superveniat in eas, et virtus Altissimi obumbret ipsis, contra æstum malarum tentationum, uti habetur in formula traditionis veli juxta Pontificalem manuscriptum codicem Ecclesiæ Barensis.

XII. Sed ubi omitto sapientissimam interpretationem pervetusti Ecclesiæ doctoris S. Isidori episcopi Hispalensis, qui lib. II *De officiis Ecclesiasticis*, cap. XVII, quæstionem sibi proponens, « Cur feminæ virgines in benedictione
» velentur, » hanc affert causam : « In gradi-
» bus, inquit, vel officiis Ecclesiasticis feminæ
» nullatenus præscribuntur. Nam neque per-
» mittitur eis loqui in ecclesia, vel docere, sed
» neque contingere, vel offerre aliquid virilis
» muneris, aut Sacerdotalis officii sortem sibi
» vendicare. Ideoque hoc tantum, quia virgo
» est, et carnem suam sanctificare proposuit,
» idcirco venia sit illi, ut in ecclesia notabilis
» vel insignis introeat, et honorem sanctificati
» corporis in libertate capitis ostendat, atque
» mitram quasi coronam virginalis gloriæ præ-
» ferat in vertice. » Quæ omnia fere desumpta sunt ex Tertulliano, in libro *De velandis Virginibus.* Male autem apud laudatum S. Isidori locum legitur *contingere* pro *tingere.* Notandum quidem illud in ipso memorati Isidori loco est, velum a mitra distingui, etsi etiam prisci auctores illud cum ipsa confundere videantur.

§ XVI.

Ambabus velatis, ambæ simul genuflexæ, ut erant, cantant hanc Antiphonam toni VII : *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Quo facto, reducuntur a matronis prædictis ad loca ordinis sui, ubi prius

Digitized by Google

erant, et aliæ duæ, quæ post illas in ordine sequuntur, præsentantur Pontifici, coram quo simili modo genua flectunt, cantant, et velantur. Omnibus autem sic velatis, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad illas, dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Famulas tuas, Domine, tua custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod, te inspirante, susceperunt, te protegente, illæsum custodiant, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Consonat huic § Rubrica manuscripti Pontificalis Vaticani : præscribit enim ut ipsa virgo accepto velo, vel ambæ simul, si plures sunt, eam Antiphonam canant : *Posuit signum*, *etc.* Vetus tamen Ordo Romanus, aliique complures manuscripti libri Pontificales, nempe Sancti-Remigii Remensis, Apamiensis in Syria, monasterii Sancti-Victoris, Parisiensis, Aquensis, Cameracensis, Moguntini Christiani archiepiscopi, Antissiodorensis, et alii, hanc Antiphonam post acceptum velum a virginibus dicendam jubent : « Induit me Dominus cyclade auro » texta, et immensis monilibus ornavit me. » Porro ex præscripto Pontificalis Ecclesiæ Barensis, sumpto velamine, hasce Antiphonas virgo pronuntiabat. Primo quidem : « Posuit signum » in faciem meam, etc. » Secundo : « Ancilla » Christi sum, ideo me ostendo servilem per» sonam. » Tertio : « Induit me Dominus cycla» de auro texta, etc. » Quarto iterum : « Posuit » signum in faciem meam, etc. » Quinto demum : « Ipsi sum desponsata, cui angeli serviunt, cu» jus pulchritudinem sol et luna mirantur. » Quæ Antiphonæ, præter illam secundo loco positam, et ex Officio S. Agathæ desumptam, habentur in Officio S. Agnetis. Aiunt nonnulli istam virginem, cum ea verba de suo sponso Christo ad tyrannum dixit, « Induit me Domi» nus cyclade, etc., » ad ritum consecrationis suæ allusisse. Quod tamen vix credi potest, cum nihil de eo ritu loquantur pervetusti libri Pontificales. Quamobrem videtur potius sanctam virginem allusisse ad ritum sui baptismatis. Quod spectat Orationem, *Famulas tuas*, *Domine*, *etc.*, eam profecto habes numero singulari conceptam in Ordine antiquo Romano, et in multis sequioris ævi manuscriptis libris Pontificalibus, in quibus statim sequitur hæc Antiphona : « Ipsi sum desponsata, cui angeli ser» viunt, » et deinde Oratio numero singulari : « Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæc fa» mula tua, etc., » quam decurtatam juxta ordinem nostri hodierni Pontificalis infra describemus.

§ XVII.

Tum Pontifex accepta mitra vocat virgines, incipiens Antiphonam, Schola prosequente tono VII : *Desponsari, dilecta, veni; hiems transiit, turtur canit, vineæ florentes redolent.* Qua incœpta sedet Pontifex cum mitra, et ea finita, illæ quæ primæ venerant ad recipiendum velum, præsentantur Pontifici a matronis prædictis, eo modo et ordine, sicut prius. Tunc Pontifex accipiens annulum cum dextra sua, et dextram manum virginis cum sinistra manu sua, et mittens annulum ipsum digito annulari dextræ manus virginis, desponsat illas Jesu Christo, dicens singulis : *Desponso te Jesu Christo Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, ut Sponsa Dei*

Digitized by Google

voceris, et si ei fideliter servieris, in perpetuum coroneris. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen. Quo facto, ambæ simul genuflexæ decantant Antiphonam toni VII : *Ipsi sum desponsata, cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.* Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua, et aliæ duæ, quæ illas sequuntur in ordine, præsentantur Pontifici, coram quo genuflectunt, cantant, et desponsantur modo præmisso.

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Rubrica ad litteram pene descripta in toties laudato manuscripto Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, ubi illud specialiter præscriptum est, ut Episcopus « dicens *In nomine* » *Patris,* immittat illum (annulum) parum in » pollice dextræ manus; deinde dicens, *et Filii,* » immitat eum parum in indice; dicens vero, *et* » *Spiritus sancti,* immittat eum parum in digito » medio, et mox immittat et dimittat illum in » quarto. » Ex Pontificali Ecclesiæ Aquensis annorum quadringentorum immittebat quidem Episcopus parumper annulum in tres primos digitos virginis, formulam vero non prius pronuntiabat, quam ipsum annulum in quarto digito omnino posuisset : « Tunc Consecrator accipiat » annulum, et mittendo in tribus digitis ipsius » virginis, dimittat eum in quarto, et dicat : *Ac-* » *cipe annulum fidei, etc.* » Quem ritum subobscure innuit Pontificale Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356. « Et mittens, » inquit, annulum singulis tribus digitis, dicat : » Despondeo te Jesu Christo Filio summi Pa- » tris, qui te illæsam custodiat, et ab omni malo » defendat; qui cum Deo Patre et Spiritu sancto » vivit et regnat. » Quam formulam legere est in multis manuscriptis Pontificalibus, præsertim vero in illo insignis Ecclesiæ Senonensis, in quo hæc alia etiam occurrit ab ipso Episcopo recitanda : « Accipe annulum castitatis et sancti- » tatis, ut, veniente sponso tuo Christo, possis ei » occurrere una cum sanctis virginibus, et vivas » cum eo in secula seculorum. » Cui virgo respondebat : « Amen. » Sane formula nostri hodierni Romani Pontificalis ex duabus conflata est; prima nempe : *Desponso te Jesu Christo Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat.* Altera vero : *Accipe ergo annulum fidei, etc.* Ut plurimum tamen libri Pontificales eam dicendam præscribunt : « Accipe annulum fidei, si- » gnaculum Spiritus sancti, etc., » uti videre est in Pontificali Barensi, Remensi, Apamiensi, et in Ordine antiquo Romano. In antiquioribus Sacramentorum libris, sive editis, seu manuscriptis, nulla annuli, qui velatis virginibus a plurimis sæculis dari solet, mentio habetur, sed neque ea de re apud auctores sibi reperire licuisse, ingenue fatetur Martenius; imo S. Germanum Antissiodorensem episcopum, S. Genovefæ a se benedictæ inter alia inhibuisse ait, ne ullum in collo aut digitis ornamentum, quo sæculares feminæ uti consueverunt, deferret. Desponsavit autem apud Parisios Genovefam virginem Christo Germanus anno 429, teste Spondano ad ipsum annum, num. II.

II. Etsi autem non tam antiqua sit annuli traditio in consecratione virginum usitata, recte nihilominus institutum ab Ecclesia fuit, ut virginibus quæ spirituale cum Christo conjugium inirent, a Pontifice annulus inter alia ornamenta traderetur. Quod quidem ab ipso Christo probatum videtur, cujus solemnis, ut de aliis silcatur, cum sancta virgine Catharina Senensi non nisi cum aureo annulo pretiosis gemmis insignito desponsatio celebrata est. Rem ita narrat Frater Raymundus Capuanus, ordinis Prædicatorum generalis magister, confessarius ipsius virginis et auctor Vitæ, parte II, cap. VII : « Apparuit ei » Filius Virginis, eique dixit : Ego festum des- » ponsationis animæ tuæ solemniter celebrare » tecum decrevi, et sicut promisi, mihi te spon- » sare volo in fide. Adhuc eo loquente, appa- » ruerunt Virgo gloriosissima mater ejus, » beatissimus Joannes Evangelista, gloriosus » Apostolus Paulus, sanctissimusque Domini- » cus, pater suæ Religionis, psalterium musi- » cum habens in manu sua. Quo supersuavis- » sime ac sonore pulsante, Virgo Dei genitrix » virginis dexteram sacratissima sua cepit ma- » nu, digitosque illius extendens ad Filium, po- » stulabat ut eam sibi desponsare dignaretur in

Digitized by Google

» fide. Quod Dei Unigenitus gratissime annuens, » annulum protulit aureum, habentem in cir- » culo suo quatuor margaritas, ac adamantium » gemmam superpulcherrimam etiam sua sum- » mitate inclusam : quem digito annulari dexte- » ræ virginis dextera sua supersacra imponens : » Ecce, inquit, desponso te mihi Creatori et » Salvatori tuo in fide, quæ, usquequo in cœlis » tuas mecum nuptias perpetuas celebrabis, » semper conservabitur illibata. Age igitur, fi- » lia, viriliter amodo absque cunctatione qua- » cumque, illa quæ, ordinante mea providentia, » tuas deducentur ad manus, quia fortitudine » fidei jam armata es, cunctos tibi adversantes » feliciter superabis. »

III. His dictis, ait laudatus scriptor disparuisse visum mirificum, semperque tamen remansisse annulum illum in digito, quem ipsa quidem semper, non vero cæteri homines cernerent. Addit Frigerius ex antiquo Carthusiæ Pontinianæ manuscripto codice, quod in eodem digito, qui ibidem insigni lipsanothecæ inclusus asservatur, idem annulus fuerit conspectus ab aliquibus devotis personis, licet passim non ita ab aliis videretur. Notandum itaque hic nobis est, I. annulo aureo gemmis pretiosis ornato ab ipso Christo desponsatam fuisse virginem; II. annulum ipsum positum in digito annulari, propter mutuæ fidei signum; sicut in carnali conjugio fieri solet, de quo loquens S. Isidorus, episcopus Hispalensis, lib. II *De divinis Officiis*, cap. XIX, sic inquit : « Illud vero quod in » primis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc » nimirum, vel propter mutuæ fidei signum, » vel propter id magis, ut eodem pignore eorum » corda jungantur : unde et in quarto digito an- » nulus idem inseritur, quod in eo vena quæ- » dam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perve- » niat. » Similes ritus servatos a Christo Domino cum virginibus quas sibi in sponsas elegit, narrat Surius in *Vitis Sanctorum*. Vide etiam ea de re Vitam ven. servæ Dei Rosæ-Mariæ Serio, a viro clarissimo Josepho Gentilio Septempedano societatis Jesu italice scriptam, quam nos non sine animi voluptate legimus ac probavimus. Scio a plerisque immissa a Deo sanctorum mentibus lumina piaque objecta visa impie irrideri ac ludibriis affici : sed non est quid miremur, cum in eam devenerimus tempestatem ut nemo videatur eruditus ac lepidus, atque amicitiæ venator hominum principum, nisi res nostræ Christianæ Religionis præcipuas parvipendat.

IV. Sed hisce omissis, quæ satis alibi deploravimus, tam forte est desponsationis sacræ virginis cum Unigenito Dei vinculum, ut, ex communi sanctorum Patrum sententia, quæ Christo se spopondit, et immortali viro juncta est, si nubere voluerit, adulterium perpetret, et ancilla mortis efficiatur. Celebre est ea de re argumentum S. Basilii in libro *De vera virginitate* : « Qua enim, inquit, non pœna digna, quæ no- » bili conjuncta viro, servo se suo substernens, » in herilem eum thorum inveheret? Qua item » servus, qui Dominæ Dominique sui se cubili » impudice immitteret? » Et post deploratam talium impœnitentiam, impudentemque professionis coram Deo et hominibus factæ abnegationem, quasi prævaricationis excusationem et criminis patrocinium, hoc est crimen majus, magisque a Domino, qui cum data velut dextera castitatis fœdus inierunt, acriter et severius in judicio vindicandum, hæc habet : « Nihil excu- » santibus proderit umbra connubii, nec viven- » tem virum non soluta matrimonii prætextu » fallere poterit, mortali post tantos ab illo per- » ceptos honores, per adulterii nefas impie ei » prælato. » Quibus non incongrue aptari potest illud Pauli in Epistola I ad Timotheum, cap. V, ℣. XI et XII : *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quem locum passim urgent sancti Ecclesiæ Patres ad improbandas carnales virginum cum hominibus nuptias, postquam accepto sacro velamine Christo se sponderunt.

V. Multa huc exempla afferri possent sanctarum virginum quæ mortem crudelissimam maluerunt oppetere, quam, post promissam Deo castitatem, in matrimonium vel cum magnis principibus jungi. De S. Agnete ita inter alia scribit, lib. I *De Virginibus*, sanctus Ambrosius : « Quanto tempore egit carnifex ut timeretur, » quantis blanditiis ut suaderet, quantorum vota » ut sibi ad nuptias proveniret? At illa : « Et hæc » Sponsi injuria est, inquit, expectare placitu- » ram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid, » percussor, moraris? Pereat corpus, quod amari » potest oculis quibus nolo. » Stetit, oravit, cer- » vicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, » quasi ipse addictus fuisset, tremere percusso-

Digitized by Google

» ris dexteram, pallere ora alieno timentis pe-
» riculo, cum puella non timeret suo. » Nota sunt exempla Theclæ, Agathæ, Luciæ, et aliarum complurium virginum quæ, ne primam fidem datam cœlesti Sponso irritam facerent, terrenas nuptias et mortem constantissime contempsere. Narrat Abdias Babylonius in *Historia Apostolorum*, Julio Africano interprete, S. Ephigeniam mortui Æthiopiæ regis filiam, de manu sancti Matthæi Apostoli sacro velamine accepto, virginum amplius quam ducentarum præpositam permansisse : quam cum Christo dicatam procus rex et successor Hyrtacus peteret, de sacra virginitate sic ei inter cætera concionatum esse Matthæum inquit : « Matrimonia si et quando
» sancte, juste, integre, irreprehensibiliter co-
» pulantur, boni operis honestate ornari : nam
» si regi desponsatam regis servus usurpare ho-
» die audeat, non solum offensam, sed etiam
» crimen tam grande incurrat, ut merito vivens
» flammis tradatur ; non quia uxorem duxit, sed
» quia regis sponsam accepit : ita, fili charissi-
» me, sciens Ephigeniam prædecessoris tui filiam
» sponsam Regis cœlestis, hoc est potentioris, ef-
» fectam, sacratam, velatam, quo, quæso, modo
» tollere, et matrimonio tibi copulare possis ? »
Scio hunc Abdiæ librum inter apocryphos reputari, nulliusque apud scriptores esse fidei ; verum placuit locum describere, ob rationem ibidem contentam, qua passim sancti Patres utuntur ad ostendendum nefas esse profecto virginibus terrenas inire nuptias postquam Christo æterni Patris Filio se sponsas solemniter tradiderunt.

VI. Contendunt tamen heterodoxi, et novissime Josephus Binghamus, *Originum Ecclesiasticarum* lib. VII, cap. IV, quod etsi a sacris Canonibus variæ censuræ inflictæ sint iis virginibus quæ post solemnem professionem nuptias inirent, nullum tamen usquam decretum Ecclesiæ factum sit de rescindendis vel irritis declarandis istius modi matrimoniis. Sed huic delirio jam sæpe nostri theologi sapientissime responderunt, Baronius, Bellarminus, aliique innumeri pene scriptores, qui etiam explicarunt ea Patrum loca quæ nobis ipsi heterodoxi objicere solent. Plura hic de eadem re loqui supervacaneum puto ; videri etenim possunt quæ abunde scripsi tomo I *Commentariorum ad sacrosancta Concilia œcumenica*, in Commentario Canonis XVI Chalcedonensis, ubi evidentissime demonstratum est, ex plurimis Patrum et Conciliorum sententiis, nullum omnino esse matrimonium post solemne votum castitatis initum. Cæterum, ut nihil in hoc Commentario prætereamus, ea verba quæ initio § descripta sunt, *Desponsari, dilecta, veni, etc.*, desumpta sunt ex cap. II Cantici Canticorum. Qui liber cum totus sit mysticus, plenissimusque incomprehensibilis amoris Christi erga sponsam suam, ac vicissim sponsæ erga Christum sponsum, non mirum videri debet si multa ex eodem sancti Ecclesiæ Patres loca sumpserunt, ubi virgines consecrarunt, uti videre est apud sanctum Ambrosium in libris *De Virginibus*, et in aliis ejusdem argumenti. Certe Lupus eruditissimus in Scholio ad caput III libri Tertulliani *De præscriptionibus contra hæreticos*, post allatum S. Hieronymi locum ex Epistola quam ad Demetriadem scripsit, diserte docet, inter alios ritus in consecratione virginum usitatos, unum profecto fuisse ritum, ut, « quædam ex Apostolo, quædam ex Psalmo
» quadragesimo quarto, quædam ex Cantico
» Canticorum legerentur. » Quod quidem etiam ex aliis sanctis Ecclesiæ Patribus addiscimus, Ambrosio, Augustino, Athanasio, Basilio, Bernardo et aliis qui libros de virginitate seu de virginibus scripserunt.

§ XVIII.

Omnibus ergo sic seriatim desponsatis, et ad loca sua reductis, omnes genuflexæ simul levant in altum et ostendunt dexteras suas, cantantes hanc Antiphonam toni VII : *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tanquam sponsam decoravit me corona.* Deinde Pontifex cum mitra surgit, et stans versus ad illas, dicit : *Bene✠dicat vos conditor cœli et terræ, Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad beatæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi consortium, ut integram et immaculatam virginitatem, quam professæ estis, coram*

Digitized by Google

Deo et Angelis ejus conservetis; propositum teneatis, patientiam custodiatis, ut coronam virginitatis accipere mereamini. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Manus levare non idem semper significat. In sacris Litteris est jurare ac promittere, ut semper Jonathas Chaldæus exponit, teste Cujacio ad legem x Codicis, tit. xxvii, *De contrahenda et committenda stipulatione.* Consuevisse olim veteres elatione manuum aliquid promittere, testatur quidem Lucanus lib. i *Belli civilis*, sic inquiens :

..... His cunctæ simul assensere cohortes.
Elatasque alte quæcumque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Apud Ciceronem, lib. vii, epistola v ad Cæsarem, tollere manus in altum, signum lætitiæ denotat. « Sustulimus, inquit, manus, et ego, » et Balbus, tanta fuit opportunitas, ut illud » nescio quod non fortuitum, sed divinum vi- » deretur. » Idem quoque lib. iv *Academicarum Quæstionum*, num. xix, sic ait : « Hortensius » autem vehementer admirans, quod quidem » perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam » manus sæpe tolleret. » Erat, ut dixi, tollere manum signum lætitiæ et admirationis dare. Vide de hoc ritu in Appendice manuscripto Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ.

§ XIX.

Post hæc Pontifex cum mitra stans, iterum vocat illas in cantu inchoans, Schola prosequente, hanc Antiphonam toni vii : *Veni, Sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum.* Incœpta Antiphona, sedet Pontifex cum mitra, et, ea finita, præsentantur ei a paranymphis duæ primæ virgines, ut prius, coram eo genuflexæ. Ipse autem torquem sive coronam accipiens, imponit capiti cujuslibet virginis, seriatim singulis dicens : *Accipe coronam virginalis excellentiæ, ut, sicut per manus nostras coronaris in terris, ita a Christo gloria et honore coronari merearis in cœlis. Per eumdem Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Et mox ambæ simul decantant hanc Antiphonam toni vii : *Induit me Dominus cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me.* Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua; et aliæ præsentantur, quæ simili modo genuflectunt, cantant et coronantur.

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum in carnali conjugio consueverunt olim per Sacerdotum manus coronæ imponi conjugibus, uti constat ex sancti Alexii Actis, lateque probat Martenius lib. i *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. ix, articulo iii, num. x, hodieque Græci ipsi observant, ut testantur viri clarissimi, Leo Allatius et Jacobus Goartius; ita etiam sacræ virgini, cum solemniter Christo despondebatur, corona antiquitus fuit imposita. Meminit quippe ejus ritus non modo vetus Ordo Romanus, et sequioris ævi manuscripti libri Pontificales, verum etiam pervetustus scriptor Eusebius; loquens enim de Ennatha quadam virgine Scythopolis in Palæstina, quæ martyrium in persecutione Diocletiani subiit, eam virginitatis corona ornatam fuisse dicit, nisi forte, ut quidam putant, figurate loquens, coronam virginitatis coronæ martyrii in altero sæculo additam intelligat.

II. Verum enim vero pervetustum esse illum ritum, ut caput consecratæ virginis, corona seu mitra vel mitrella exornaretur, testem antiquissimum profecto habemus S. Optatum Milevitanum, cujus verba hæc sunt libro vi *Adversus*

Digitized by Google

Parmenianum: « Jam illud quam stultum, quam » vanum, quod ad voluntatem, et quasi digni- » tatem vestram revocare voluistis, ut virgines » Dei agerent pœnitentiam, dicentes, ut jamdiu » professæ signa voluntatis capitibus, postea vo- » bis lubentibus immutarent : ut mitrellas au- » reas projicerent, alias acciperent. Primo dicite, » ubi vobis aliquid de mitrella mandatum est ? » Virginitas enim voluntatis res est, non neces- » sitatis. » Virginitatem voluntariam rem esse ac liberam multis ostendit, ac pergit : « Nec ulla » sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mi- » trella fieret, vel de qua purpura pingeretur; » non enim panno hoc potest virginitas adju- » vari. » Et paulo post : « Res inventa est ad si- » gnum capitis, non ad remedium castitatis. » Denique talis pannus et deturbari, et rodi, et » perire potest : et tamen virginitas, si inlæsa sit, » sine mitrella esse tuta potest. Spirituale nu- » bendi hoc genus est. In nuptias sponsi jam ve- » nerant voluntate, et professione sua, et ut se- » cularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, » spirituali sponso solverunt crinem, jam cœ- » lestes celebraverunt nuptias. Quid per vos ab » ipsis exacta est professio secunda? Quis est al- » ter spiritualis sponsus, cui iterum nuberent? » Quando mortuus est cui nupserunt, ut iterum » nubant ? Nudastis denuo capita jam velata, de » quibus professionis detraxistis indicia, quæ » contra raptores aut petitores videntur inventa. » In mitrella indicium est voluntatis, non casti- » tatis auxilium : ut rem jam Deo devotam, ne » qui sponsabat, jam perseveret petere, aut ne » raptor audeat violare. Signum est ergo, non » sacramentum. Invenistis igitur hujusmodi vir- » gines, quæ jam spiritaliter nupserant, quasi » secundas coegistis ad nuptias : ut crines iterum » solverent, imperastis, detraxistis non casti- » tatis ornamenta, sed bonæ voluntatis indicia. » Jam consecratas adspersistis immundis cine- » ribus, crines jussistis etiam salsa aqua per- » fundi. »

III. Placuit huc usque antiquissimi auctoris testimonium etsi prolixum describere, quod multa in eo contineantur quæ non solum nostrum hunc præsentem §, sed et peculiares alios ritus consecrationis virginum spectant. Notandum itaque primo, mitram seu mitrellam esse quidem dicatarum Deo capitis tegumentum : « Mitra, » inquit S. Isidorus, lib. XIX *Originum*, cap. XXXI, « est pileum Phrygium caput pro- » tegens, quale est ornamentum capitis de- » votarum ; » II. etsi ipsam mitram cum velo confundat tum Thomassinus, tum alii multi scriptores, fuisse tamen a velo distinctam, teste eodem Isidoro, l. II *De divinis Officiis*, c. XVII, ubi ait mitram virgines Deo dicatas quasi coronam virginalis gloriæ præferre in vertice ; III. fuisse ex lana, auro purpuraque contextam, ut ex iis verbis constat : « Mitrellas aureas pro- » jicerent, et alias acciperent; » et ex illis : « de » qua lana mitrella fieret, vel de qua purpura » pingeretur : » quæ verba insinuant, quod non tantummodo aurum, sed et purpuram auferri mitrellis jusserint Donatistæ, ac ipsas fieri de vili lana ; IV. inventum fuisse hujusmodi ornamentum « ad signum capitis, non ad remedium » castitatis; » id quod infra fortius urget, cum concludat ; « Signum est ergo, non sacramen- » tum ; » V. symbolum fuisse mitram cœlestis cum immortali Sponso conjugii : « spirituale » nubendi hoc genus est; » et paulo post : « jam » cœlestes celebraverunt nuptias; » VI. non potuisse virgines, postquam Christo se sponsas dederant, ad carnales nuptias convolare, quia scilicet semper earum Sponsus vivit : « Quis est » alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? » Quando mortuus est cui nupserunt, ut iterum » nubant ? » VII. inventum fuisse mitræ ornamentum « contra raptores aut petitores, » ut illius sanctitate deterriti nefarii homines, abstinerent sacras virgines vel ambire sibi sponsas, vel rapere : « ut rem jam Deo devotam ne qui » sponsabat, jam perseveret petere, aut ne ra- » ptor audeat violare; » VIII. pluribus probare Optatum istam mitram non esse gratiæ donativum sacramentum, sed merum signum spontaneæ voluntatis, ut evinceret, nullum fuisse fucum ex quo iterari potuisset ista cæremonia, ac ipsas sacras virgines adspergi immundis cineribus et earum crines aqua salsa perfundi : « Jam » consecratas adspersistis immundis cineribus, » crines jussistis etiam salsa aqua perfundi. » Alludit ad priscum ritum adspergendi sacros super capita pœnitentium cineres : quos immundos appellat, quia virgines illæ facere pœnitentiam non debebant, ut scite observat ad eum locum Albaspinæus episcopus Aurelianensis. Fuisse autem publicæ pœnitentiæ ritum, ut qui eam ageret, sacco indutus cinere conspergere-

Digitized by Google

tur, testatur Tertullianus in lib. *De pudicitia*, cap. v, et in lib. *De pœnitentia*, cap. ix.

IV. Est illud quoque in laudatum Optati locum observandum, virgines olim catholicas ad speciem spiritalis sui cum Christo conjugii promissum gestasse crinem : « Spirituale nubendi » hoc genus est; in nuptias Sponsi jam venerant » voluntate et professione sua, et ut secularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, spirituali Sponso solverunt crinem, jam cœlestes » celebraverunt nuptias. » Et paulo post vituperans turpem Donatistarum audaciam, qui eas coegerant iterare professionem, iterata eadem cæremonia : « Invenistis, inquit, igitur hujusmodi virgines, quæ jam spiritaliter nupserant, » quasi secundas coegistis ad nuptias : ut crines » iterum solverent, imperastis. » Ex quo manifestum est olim virgines non ubique saltem locorum fuisse attonsas. Quod etiam ex S. Ambrosio confirmatur, qui, ut habetur in libro *Ad Virginem lapsam*, cap. viii, cum ipsam fœdissimo piaculo incestatam ad pœnitentiam publicam ablegaret, jussit ut crines præcideret, quorum inani ornatu, ut solent hodieque adolescentuli quidam, delectata, et tandem in turpissimum lapsum impulsa fuerat : « Amputentur, inquit, crines, qui per vanam gloriam » occasionem luxuriæ præstiterunt. » Constat ergo quod post Hugonem Menardum Thomassinus docet, parte i *Disciplinæ*, lib. ii, cap. xliv, numero xvi, eas omnes, quibus illæsa constabat castitas, nequaquam crines abscidisse; jussa est autem lapsa virgo illos amputare, quod, juxta priscum Ecclesiæ ritum, ei, cui pœnitentia de aliquo enormi crimine injungeretur, capilli præciderentur. Unde ex Concilii Agathensis Canone xv eautum est, ut « pœnitentes, si comam » non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur. »

V. Docet autem S. Hieronymus in Epistola increpatoria ad Sabinianum diaconum, eam in Ægypti et Syriæ monasteriis consuetudinem viguisse, ut sacræ virgines ad vanitatum et pomparum mundi fugam demonstrandam, et devotam Abbatissæ mandatis obedientiam, incisos sibi capillos in ejus manus deponerent, vel ipsa cæsariem earum cæderet Abbatissa : « Moris est, » inquit, in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam » virgo quam viduæ, quæ se Deo voverint, et » seculo renunciantes, omnes delicias seculi » conculcaverint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea » contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, » sed ligato pariter et velato. » Refert et aliam idem alibi ejus rei causam, « ne parvis animalibus, quæ inter cutem et crinem gigni solent, » et concretis sordibus opprimantur; » quia scilicet, ut ait, balnea non adeunt, nec oleo unguntur; sæculares enim feminæ balneis et unguentis eas a se pestes abigebant. Sane cum non solum propter hanc causam, sed et propter mysterium scribat Hieronymus amputari consuevisse virginum crines, uti cum Baronio observat Spondanus ad annum 57, num. xxvii, sic dicens : « Cum enim in signum subjectionis dati » sint illis capilli, Christo jam desponsatæ in libertatem vindicantur, nec aliquid amplius viris debent, » an non tibi turpissimo errore labi videtur Binghamus, qui citans Hieronymi Epistolam ad Sabinianum, consuetudinem amputandi comam virginibus in Syriæ et Ægypti monasteriis invaluisse obstinate contendit ex causa « munditiei, non Religionis ? » An non mecum fateberis auctorem ipsum delirare, cum post citatum Sozomeni locum ex libro v *Historiæ*, cap. x, ubi ait sacras virgines Heliopoli a Gentilibus in contumeliam fuisse attonsas; et post recitatam legem xxvii *Codicis* Theodosiani, lib. xvi, tit. xi, ubi præcipit ut feminæ quæ crinem suum præciderint, ab Ecclesiæ foribus arceantur, inepte concludit inde « perspicue » intelligi tonsuram virginum et viduarum antiquitus haud probatam fuisse consuetudinem » in Ecclesia, sed potius abusum, quem et civiles, et ecclesiasticæ leges correctum iverint et » exterminatum, tametsi contraria praxis posteriorum temporum illis prævaluit ? »

VI. At vero quæ est hæc praxis ? Præter Hieronymi testimonium circa morem Ægypti et Syriæ monasteriorum, crinem suum amputare solitas Tabennensiotas sanctissimas virgines, quas S. Pachomius ab angelo monitus instituit, auctor est Palladius in *Historia Lausiaca*. Ait Binghamus quod « Eustachius hæreticus omnes » virgines in consecratione tonderi vel radi » oportere contendebat : sed Concilium Gangrense (Can. xvii) se illi statim opponens » ritum ipsum damnabat. » Tum Canonem ipsum describens, sententiam Baronii et Haberti contemnit, qui hunc Canonem de feminis in

Digitized by Google

sæculo et conjugio viventibus, non vero vitam monasticam amplexis, intelligendum statuunt. Verum quam hic allucinetur Binghamus, unusquisque profecto qui prima grammaticæ rudimenta non ignorat, facile intelliget. Verba Canonis ex interpretatione Dionysii Exigui hæc sunt : « Si qua mulier, propter divinum cultum, » ut æstimat, crines attondeat, quos ei Deus ad » subjectionis materiam tribuit, tanquam præ- » ceptum dissolvens obedientiæ ; anathema sit. » Ubi hic de virginibus mentio, seu de profitentibus vitam monasticam ? Damnat quidem eas Canon mulieres, ut cum Baronio et Haberto viri plerique docti censent, quæ, ut obedientiæ viris debitæ jugum simul cum capillis excuterent, et liberiores sub religionis fuco libidinibus posthac vacarent, capillos sibi resecabant. Cum autem sacræ virgines Christo jam desponsatæ in libertatem vindicantur, nec aliquid amplius viris debent, ut supra dictum est, non mirum si, in ejus rei argumentum, coma illis præcidatur. Cæterum cum capitis abrasio indicium sit maximi luctus, ut ex sacris Scripturis liquet, testanturque id passim profani auctores, Suetonius, Seneca, et inter alios Ulpianus in lege *Vestem*, ff. *De injuriis, et famosis libellis*, quid mirum si propter similem rationem sacræ virgines, ut se tristes significarent, tum propter proprias noxas, tum propter flagitiosam cæterorum vitam, comas sibi religiose resecuerint ?

VII. Ille certe abusus est viginti fere abhinc annis exortus, quod passim tum nuptæ, tum cælibes, tum nobiles, tum plebeiæ capillos sibi omnes præcidant. Narrant causam dedisse abusui matronam principem, quæ ad medendum scabiosum capitis morbum, jussu medicorum tonderi coacta est. Ipsam secutæ aulicæ ac subditæ nobiliores feminæ, fœdaque assentatione comam cædentes, istiusmodi vitium adeo propagarunt, ut omnes pene nostræ Italiæ urbes ac terras infecerit. Memini, ante viginti annos, cum essem parvulus, feminas quasdam summopere dolentes capillos a capitibus suis decidisse, multum pecuniæ in medicos erogasse ut ipsorum ope renascerentur. Hodie contra, versum videmus ad tonsores emolumentum, quorum consilio ac opera nobiles æque ac plebeiæ feminæ, nuptæ quoque atque innuptæ utuntur, ut, toto detonso vertice, ea capillorum pars in imo occipitis tantum remaneat, quæ in annulos recidens, cincinnatorum comam exprimat. Ne quis autem dicat injuste me de ea re queri : *Turpe est*, inquit Apostolus in Epistola I ad Corinthios, cap. XI, *mulieri tonderi*. Et paulo infra : *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi*. Ex quo satis liquet quanta sit ipsarum mulierum turpitudo atque ignominia, quæ in spretum Apostolici oraculi, ac mysteriorum quæ in ipso continentur, comam amputant. Cum enim, ut ipse Apostolus docet, in signum subjectionis dati sint illis capilli, jam ostendunt eorum recisione nihil se viris suis vel parentibus amplius debere. Unde non mirum si eisdem etiam nostra hac tempestate ipsæ mulieres dominentur, et maritos ipsos sibi obsequentes ac subjectos velint.

§ XX.

Omnibus coronatis, et ad loca sua reductis et stantibus, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad illas, dicit : *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

OREMUS.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, quæ, pro spe retributionis æternæ, tibi Domino Deo suo desiderant consecrari, plena fide animoque in sancto proposito permaneant. Tribue eis, Domine, humilitatem, castitatem, obedientiam, charitatem, et omnium bonorum operum quantitatem; ut ad meritum æternæ gloriæ possint pervenire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Digitized by Google

§ XXI.

Deinde omnibus simul genua flectentibus, Pontifex stans, ut prius, sine mitra, dicit hanc Orationem :

OREMUS.

Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super has famulas tuas, quæ tibi voverunt pura mente mundoque corde servire, ut eas sociare digneris inter illos centum quadraginta quatuor millia, qui virgines permanserunt et se cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus non est inventus : ita et has famulas tuas facias permanere immaculatas usque in finem. Per immaculatum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XXII.

Qua finita, virgines surgentes simul cantant Antiphonam toni I : *Ecce quod concupivi, jam video; quod speravi, jam teneo; illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita, tota devotione dilexi.*

COMMENTARIUS.

I. Etsi utraque hæc Oratio in multis manuscriptis Pontificalibus habeatur, antiquissima est tamen posterior; exstat enim in codice *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ* a cardinale Thomasio edito, lib. I, pag. 139 et seq., et in aliis priscis Pontificalibus. Alludit autem ipsa Oratio ad ea quæ habentur in cap. XIV Apocalypsis. Cujus loco utuntur SS. Patres ubi agunt de sacris virginibus. Certe S. Hieronymus, in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, non modo laudatum Apocalypsis testimonium citat, sed et plura complexus est, quæ in ritu consecrandarum virginum hodieque Ecclesia usurpat. Sic ergo Eustochium alloquitur : « Egredere, quæso, paulisper de carcere, et » præsentis laboris ante oculos tuos tibi pinge » mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris » audivit, nec in cor hominis ascendit. Qualis » erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini, » choris occurret comitata virgineis! cum post » Rubrum mare submerso cum suo exercitu » Pharaone, tympanum tenens præcinet respon- » suris : *Cantemus Domino, gloriose enim hono- » rificatus est; equum et ascensorem projecit in » mare!* Tunc Thecla in tuos volabit amplexus. » Tunc et ipse Sponsus occurret, et dicet : » *Surge, veni, proxima mea, speciosa mea, » columba mea, quia ecce hiems transivit, plu- » via abiit tibi.* Tunc angeli mirabuntur, et » dicent : *Quæ est ista prospiciens, quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol? Videbunt » te filiæ et laudabunt reginæ, et concubinæ » prædicabunt.* Hinc et alius castitatis chorus » occurret; Sara cum nuptis veniet; filia » Phanuelis Anna cum viduis. Erunt in diversis » gregibus carnis et spiritus matres tuæ. Læta- » bitur illa quod genuit; exultabit ista quod » docuit. Tunc vere super asina Dominus as- » cendet, et cœlestem ingredietur Jerusalem. » Tunc parvuli, de quibus in Isaia Dominus » effatur : *Ecce ego, et pueri mei, quos mihi » dedit Deus, palmas victoriæ sublevantes con- » sono ore cantabunt : Osanna in excelsis : Be- » nedictus qui venit in nomine Domini; Osanna » in excelsis.* Tunc centum quadraginta quatuor » millia in conspectu Throni et Seniorum te- » nebunt citharas, et cantabunt canticum illud, » et nemo poterit dicere canticum illud, nisi » numerus definitus : *Hi sunt, qui cum mulie- » ribus se non coinquinaverunt; virgines enim*

Digitized by Google

» *permanserunt; hi sunt qui sequuntur Agnum* » *quocumque vadit, etc.* » Hactenus ille. Vide quæ infra dicemus fusius in Commentario, § XXIV, ubi prolixum S. Augustini locum ea de re proferemus.

§ XXIII.

Post hæc Pontifex, junctis ante pectus manibus, dicit super illas stantes humiliter inclinatas benedictionem : *Deus, plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, nullum sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium æqualis creator es et redemptor, tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis, ut bonus pastor, ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis, et castimoniam animæ eligere dignatus es, tuæ protectionis scuto circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriæ, magistrante sapientia, præpara, ut vincentes carnis illecebras, et illicita connubia recusantes, insolubilem Filii tui Domini nostri Jesu Christi copulam mereantur. His petimus, Domine, arma suggeras, non carnalia, sed spiritus virtute potentia, ut te muniente earum sensus et membra, in earum corporibus et animabus non possit dominari peccatum; ac sub tua gratia vivere cupientibus, nihil sibi defensor malorum, et inimicus honorum de his vasis nomini tuo consecratis prævaleat vindicare. Omnem etiam nocivum calorem imber gratiæ tuæ cœlestis exstinguat, lumen vero perpetuæ castitatis accendat; facies pudica scandalis non pateat, neque incautis occasionem tribuat delinquendi. Sitque in eis casta virginitas; sint ornatæ pariter et armatæ fide integra, spe certa, charitate sincera; ut, præparato animo ad continentiam, virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli universa figmenta; et contemnendo præsentia, futura sectentur; jejunia epulis carnalibus præferant, lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponant; ut orationibus pastæ, et eruditionibus expletæ, illuminatæ vigiliis, opus gratiæ virginalis exerceant. His igitur virtutum armis has tuas famulas interius exteriusque communiens, præsta inoffensum cursum virginitatis implere. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Non modo prisci auctores, sed et vetus Ordo Romanus ac plerique libri manuscripti Pontificales hanc quidem Orationem seu benedictionem describunt sub nomine sancti Matthæi Apostoli. « Notandum est, » inquit Humbertus de Romanis, Dominicanæ familiæ scriptor vetustus æque ac illustris, lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, cap. XXX, « quod B. Mat- » thæus Ephigeniam filiam regis Æthiopum » induxit ad virginitatem; et præfecit eam plus- » quam ducentis virginibus quibus et dedit » sacrum velamen, et sacratissimam orationem » super eas fecit, quæ etiam adhuc habetur in » Ordinariis Episcoporum. » Tum addit eo exemplo satis admodum apparere quantæ auctoritatis sit hujusmodi consecratio, quæ a tanto Apostolo et a tanto tempore, scilicet Ecclesiæ primitivæ, et in tanta persona, ut est filia regis, et a tot aliis introducta est.

II. Sane plura S. Matthæi circumferuntur Actorum genera. Alia habentur apud Surium ex Metaphraste desumpta; alia vero prolixiora apud Petrum de Natalibus, lib. III, cap. CXXXIX, quæ videntur desumpta ex lib. VII *Apostolicæ Historiæ*, auctore, ut aiunt, Babyloniæ episcopo. Si qua fides iis Actis, in eisdem narratur quod cum Hirtacus Æthiopiæ rex Ephigeniam filiam Æglippi, in cujus locum ipse successerat,

Digitized by Google

deperiret, ac in matrimonium sibi dari contenderet, memorata Ephigenia, quæ S. Matthæi consilio virginitatem jam Deo voverat, prostravit se coram multis virginibus et omni populo ad pedes Apostoli, et dixit : « Obsecro te per » ipsum, cujus apostolus es, ut imponas super » me et super has virgines manus, ut per ver» bum tuum sint Domino consecratæ, ut pos» simus evadere minas illius qui, adhuc vivente » patre meo et matre, multa minabatur, et » multis minis terrebat nos, multisque mune» ribus invitabat ; si hoc viventibus illis audebat, » quid modo facturum putas, ubi regnum in » manibus habet ? » Pergunt Acta et docent S. Apostolum confidentiam habentem in Dominum suum, et nihil penitus Hirtacum metuentem, imposuisse velamen super caput ejus, et supra capita omnium virginum quæ cum ea erant, atque hanc benedictionem pronuntiasse : *Deus, plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, etc.*

III. Non ignoro, tum a nostris, tum præsertim ab heterodoxis parvipendi Apostolicam Abdiæ historiam, ac communiter tanquam opus supposititium existimari ; verum quod locum descriptum spectat, multa quidem in eo sunt quæ apud veteres Ecclesiæ scriptores et apud sanctos priorum sæculorum Patres leguntur. Certe consecrationem virginum per orationem cum manuum impositione olim celebratam, liquido constat ex Actis S. Germani episcopi Antissiodorensis, ubi de consecratione S. Genovefæ virginis ab eo peractæ ita legimus : « Inte» rea Sacerdos gressum divertit ad ecclesiam, » maximo populorum agmine prosequente, » ibique inter diutissimos Psalmorum concen» tus ac prolixam orationis continuationem, » B. Germanus dexteram super caput virginis » indefesse tenuit. » Idipsum præterea liquet ex illustri nobilis virginis exemplo, quod S. Ambrosius, libro I *De Virginibus*, cap. X, hunc in modum narrat : « Memoriæ nostræ » puella dudum nobilis in seculo, nunc nobilior » Deo, cum urgeretur ad nuptias a parentibus » et propinquis, ad sacrosanctum altare confu» git, ubi capiti dexteram Sacerdotis imponens, » precem poscens, juste impatiens moræ, ac » summum altari subjecta verticem : num me» lius, inquit, maforte me quam altare velabit, » quod sanctificat ipsa velamina ? Plus talis de» cet flammeus, in quo caput omnium Christus » quotidie consecratur. » Scriptos esse hos S. Ambrosii *De Virginibus* libros anno Christi 377, Episcopatus sui tertio, docent Patres Benedictini Sancti-Mauri. Dicebatur *maforte*, seu *mavorte*, ut Cassianus tradit, lib. I, cap. VII, velum quoddam quo virginis in consecratione sua caput operiebatur, non secus ac flammeum, seu flammeus, quo puellæ, dum matrimonio copulabantur, faciem obnubebant, unde *nubere nuptiæque* deducuntur ; attamen sæpissime etiam flammeum, seu flammeus, de velo virgineo dicitur, ut ex ipso loco patet, et ex multis aliis ejusdem Ambrosii, ut omittam S. Hieronymum, cujus loca superius allata fuerunt.

IV. Etsi autem Abdiæ libri, qui circumfertur, uti jam dixi, fides non usquequaque probetur, a multis tamen et doctissimis viris defenditur, quinimo vetustissimi codicis exemplo ipsum librum tuetur inter alios Wolfangus Lazius in præfatione ad eumdem Abdiam, cujus testimonio utitur etiam Stanislaus Hosius, scriptor doctissimus, in confessione catholicæ fidei. Neque ii qui contra sentiunt, negant, vel ire inficias possunt pleraque in eo libro vera contineri, ac præsertim benedictionem, seu Orationem, in Pontificali nostro et in multis aliis descriptam, cum qua multa quidem habet communia S. Ambrosii deprecatio super virginem velandam, quæ legitur in fine egregii libri quem inscripsit : *De institutione Virginis ;* quemque viri clarissimi Monachi Benedictini e Congregatione Sancti-Mauri, scriptum docent fuisse a S. Doctore Mediolanensi episcopo circa annum Christi 392.

§ XXIV.

Tum Pontifex, accepta mitra, stans dicit sequentem benedictionem super illas genuflexas : *Benedicat vos Deus Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus ✠ sanctus omni benedictione spirituali, ut manentes semper incorruptæ, inviolatæ et immaculatæ, sub vestimento sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, requiescat super*

Digitized by Google

vos Spiritus septiformis gratiæ, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; et repleat vos Spiritus timoris Domini, fragiles solidet, invalidasque confirmet, pietate allevet, et mentes regat, vias dirigat, cogitationes sanctas instituat, actus probet, opera perficiat, charitate ædificet, sapientia illuminet, castitate muniat, scientia instruat, fide firmet, in virtute multiplicet, in sanctitate sublimet, ad patientiam præparet, ad obedientiam subdat, sobrias protegat, et pudicas in infirmitate visitet, in dolore relevet, in tentatione custodiat, in prosperitate temperet, in iracundia mitiget, in iniquitate emundet; infundat gratiam, remittat offensam, tribuat disciplinam. Ut his et similibus virtutibus fultæ, et sanctis operibus illustratæ, illa semper studeatis agere quæ digna fiant remuneratione. Illum habeatis testem, quem habituræ estis judicem; et vos aptetis ut præfulgentem gestetis in manu lampadem, intraturæ Sponsi thalamum, obcurratis cum gaudio, et nihil in vobis reperiat fœtidum, nihil sordidum, nihil occultum, nihil corruptum, nihil inhonestum, sed niveas et candidas animas, corporaque lucida atque splendida; ut cum ille dies tremendus remunerationis justorum retributionisque malorum advenerit, non inveniat in vobis ultrix flamma quod urat, sed divina pietas quod coronet; quas jam in hoc sæculo conversatio religiosa mundavit, ut ad tribunal æterni Regis ascensuræ celsaque palatia, cum eisdem mereamini habere protectionem, qui sequuntur Agnum, et cantant canticum novum sine cessatione, illic percepturæ præmium post laborem, semperque maneatis in viventium regione. Atque ipse benedicat vos de cœlis, qui per Crucis passionem humanum genus est dignatus venire in terris redimere, Jesus Christus Dominus noster, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto in unitate perfecta vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Variæ sunt in variis manuscriptis Pontificalibus benedictionum formulæ, quæ virginibus consecratis dari solitæ erant. In manuscripto Pontificali Anglicano monasterii Gemmeticensis duplex exstat benedictio, una brevior hunc in modum : « Effunde, Domine, benedictionem » cœlestem super hanc famulam tuam sororem » nostram N. quæ se humiliavit sub dextera » tua. » Altera vero prolixior sub hac forma : « Protege eam protectione tua divina. Amen. » Fugiat universa delicta, sciat sibi bona desi- » deria præparata, ut Regni cœlestis sancta con- » quirat lucra. Amen. Pareat semper divinis » præceptis, ut te adjuvante vitet incendia car- » nis, omnemque libidinem pravæ voluptatis » superet amore castitatis, habeat in se oleum » sanctitatis, et lætetur cum lampadibus sempi- » ternis. Amen. Gestet in manibus faces sanctas, » et apud sapientes et castissimas animas, duce » Christo, introire mereatur januam regni cœ- » lestis. Quod ipse præstare dignetur, cujus » regnum et imperium sine fine permanet in » secula seculorum. Benedictio Dei Patris, et » Filii, et Spiritus sancti permaneat tecum hic » et in perpetuum. » In Ordine antiquo Romano, in Pontificali manuscripto Barensi, una tantum exstat benedictio, quam nos, juxta nostri Romani Pontificalis ordinem, superius enarravimus, incipitque hunc in modum : « Bene ✠ » dicat vos conditor cœli et terræ, Deus Pater » omnipotens, qui vos eligere dignatus ad beatæ » Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi con- » sortium, etc. » Porro, ut alias omittam benedictionum formulas, eam quæ in præsenti § exstat, totidem pene verbis legere est in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744.

II. Multa autem sunt quæ in hac nostra bene-

Digitized by Google

dictione prolixa continentur, quæque sparsim in Commentariis a nobis enarrata sunt. Iis ergo omissis, notanda censui ea verba quibus in fine benedictionis precatur Pontifex, ut cum illis mereantur sacræ virgines habere protectionem, *qui sequuntur Agnum, et cantant canticum novum sine cessatione, etc.* Alludit ad Apocalypsis cap. XIV, ad quem inter alios Patres jam olim alluserat S. Augustinus in libro *De sancta Virginitate*, cap. XXVII, ubi virgines ipsas alloquens, ita scripsit : « Vos afferetis ad nuptias » Agni canticum novum, quod cantabitis in » citharis vestris. Non utique tale, quale cantat » universa terra, cui dicitur : *Cantate Domino* » *canticum novum, cantate Domino, universa* » *terra;* sed tale quale nemo poterit dicere, » nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi » quidam præ cæteris dilectus ab Agno, qui » discumbere super pectus ejus solitus erat, et » bibebat, et eructabat mirabilia supercœle- » stia, Verbum Dei. Ipse vos vidit, duodecies » duodena millia sanctorum citharœdorum » illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ » veritatis in corde : et quia sequimini Agnum » quocumque ierit, scripsit ille de vobis. Quo » ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum » sequi, vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quo » putamus eum ire? In quos saltus et prata? » Ubi, credo, sunt gramina gaudia, non gaudia » sæculi hujus vana, insaniæ mendaces, nec » gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non » virginibus erunt, sed cæterorum omnium » gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum » Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, » post Christum, per Christum, propter Chri- » stum. Gaudia propria virginum Christi, non » sunt eadem non virginum, quamvis Christi. » Nam sunt aliis alia, sed nullis talia, etc. » Ita ille qui in sequentibus duobus capitibus complura scribit lectu digna; quæ pene totidem verbis sua fecit auctor *Vitis mysticæ*, seu tractatus *De Passione Domini*, capite XXXI, inter opera S. Bernardi.

III. Neque insuper omitti debent quæ paulo ante Pontifex ipse bene precatus fuerat, virgines alloquens : « Illum habeatis testem, quem ha- » bituræ estis judicem, et vos aptetis ut præful- » gentem gestetis in manu lampadem, intraturæ » Sponsi thalamum occurratis cum gaudio, etc. » Est enim is locus desumptus ex Evangelio sancti Matthæi, capite XXV, ubi narratur insignis parabola de decem virginibus, ad quam alludens S. Gregorius Nazianzenus in libro *Præcepta ad virgines*, ita ait :

Ac timor incessit mentem, ne forte salutis
Fundamenta meæ molli jaciens in arena,
Obruar a pluviis fluviisque et turbine venti :
Aut velut in siccam labentia flumina terram,
Protinus ipse quidem exoriar, sed solis acutis
Arescam radiis tactus, moriarque repente;
Aut etiam placido recreanti membra sopore,
Inferat impurum semen mihi lividus hostis,
Pinguia zizanium qui fundit in arva nocivum;
Aut cum casta decas privans sua lumina somno,
Ardentemque facem gestans, perfusaque luce
Ætherea Christum venientem ex arce manebit,
Ut splendens rutilo, veluti decet, obvia fiat,
Annumerer stultæ classi, tenuemque micantem
E facibus lucem cernens, jam forte propinqua
Principis æterni sobole : languente lucerna
Tum sero infelix oleum vitale requiram,
Et foribus clausis, thalamo miser arcear illo,
In quo pectoribus puris commixtus amore
Christus splendorem tribuit, famamque perennem.

Et tandem concludens inquit :

At nos, o chari juvenes, charæque puellæ,
Quarum sanctus amor Christi pia pectora cepit,
Connubium Patris æterni celebremus ovantes :
Atque suas omnes accensas usque lucernas
In manibus teneant divinæ imitamina lucis,
Quas sermo, et morum, vitæque elegantia semper
Excitet, in cœlos ut lucida flamma feratur.

§ XXV.

Deinde Pontifex, sedens cum mitra, publica voce anathema ponit, ne quis eas a divino servitio, quæ vexillo castitatis subjectæ sunt, abducat; nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant, in hanc formam : *Auctoritate omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, firmiter, et sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis præsentes virgines seu sanctimoniales a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subjectæ sunt, abducat, nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,*

Digitized by Google

maledictus sit in domo et extra domum; maledictus in civitate et in agro; maledictus vigilando et dormiendo; maledictus manducando et bibendo; maledictus ambulando et sedendo; maledicta sint caro ejus et ossa, et a planta pedis usque ad verticem non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio hominis, quam per Moysen in lege filiis iniquitatis Dominus permisit. Deleatur nomen ejus de libro viventium, et cum justis non scribatur. Fiat pars, et hæreditas ejus cum Cain fratricida; cum Dathan et Abiron; cum Anania et Saphira; cum Simone Mago et Juda proditore, et cum eis qui dixerunt Deo : Recede a nobis, semitam viarum tuarum nolumus. *Pereat in die judicii; devoret eum ignis perpetuus cum diabolo et angelis ejus, nisi restituerit et ad emendationem venerit. Fiat, fiat.*

COMMENTARIUS.

I. Hæc Rubrica tum in antiquo Romano Ordine, cum in multis manuscriptis libris Pontificalibus hunc in modum describitur : « Deinde » publica voce bannum Episcopalem imponat, » ne quis eam (puta virginem consecratam) a » divino servitio sub vexillo castitatis impediat, » ut bona sua cum pace et quiete possideat. » De banno Episcopali multa videri possunt apud Carolum Dufresne in suo *Glossario ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis*. Hic profecto pœnam significat, quæ sacrilegis irrogatur. Quod formulam ipsius spectat, nullibi eam reperi; est tamen consona cum antiquissimis ac prolixis excommunicationis formulis a Martenio editis, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV.

II. Præter autem pœnam spiritualem anathematis, leges etiam civiles durissime in eos animadvertunt qui virgines diripiunt, invadunt, vel opprimunt, uti videre est in Constitutione XVII Justiniani imperatoris, *Authenticorum* collatione III, tit. IV *De mandatis principum*. Ex Concilio Lexoviensi, quod celebratum est anno 1106, præsente Henrico I Angliæ rege et Normanniæ duce, cautum est « ut ei qui virginem » violaverit, effodiantur oculi et genitalia præ» cidantur. » Ex laudato Justiniano in *Novella*, constitutione CXXIII, cap. XLIII, quem Gratianus intexuit in can. *Si quis rapuerit*, XXVII, quæstione I, is qui Ascetriam, id est Monacham, corruperit, vel sollicitaverit, capite plectitur, bonaque ejus monasterio vindicantur, et mulier cum suis rebus cautiori, id est, districtiori monasterio traditur. Multa de raptu virginum videri possunt in Commentario, can. XXVII Chalcedonensis, quem erudite explicavit eruditus adolescens Hieronymus Calabresius Viterbiensis, nostro I tomo *Conciliorum*.

III. Eo quidem atrocius est hujusmodi crimen, quod non unum tantum crimen, sed triplex reputatur. Primum est incestus ex testimonio sancti Cypriani in Epistola LXII : « Quid » Christus Dominus, inquit, et Judex noster, » cum virginem suam sibi dicatam, et sanctitati » suæ destinatam, jacere cum altero cernit, » quam indignatur et irascitur ? Et quas pœnas » incestis ejusmodi comminatur ? » Incestas ideo dicit conjunctiones, quia virgo Deo dicata est mater spiritualis tanquam sponsa Christi, qui est Pater noster. Can. *Qui abstulerit*, XII, quæstione II. Sic Sacerdos, qui virginem consecravit, si eam vitiaverit, incestum committit, ut pote Pater spiritualis. Unde Optatus Milevitanus, lib. II *Adversus Donatistas*, quemdam pseudoepiscopum ac hominem impurissimum suggillans : « Supermemoratus Felix, inquit, inter » crimina sua, et facinora nefanda, ab eo com» prehensa puella, cui mitram ipse imposuerat, » a qua paulo ante Pater vocabatur, nefarie » incestare minime dubitavit. »

IV. Secundum crimen est adulterium, quia scilicet in virgine Deo dicata committitur, quæ est sponsa Christi : quamobrem S. Ambrosius *Ad Virginem lapsam*, cap. V, hanc affert rationem : « Nam si inter decem testes confectis » sponsaliis, nuptiis consummatis, quævis fe» mina viro conjuncta mortali, non sine magno » periculo perpetrat adulterium; quid quod » inter innumerabiles testes Ecclesiæ coram » angelis et exercitibus cœli facta copula spiri» tualis per adulterium solvitur ? » Eo scelere incestum magis quam adulterium contrahi

Digitized by Google

tradit in lib. I *Adversus Jovinianum* S. Hieronymus sic dicens : « Virgines enim, quæ post » consecrationem nupserunt, non tam adulteræ » sunt quam incestæ. »

V. Tertium crimen est sacrilegium quod in ipsa nefaria copula committitur, quia scilicet virgo professa, est vas Deo sacratum, uti passim loquuntur Patres, quinimo simul et adulterium et sacrilegium perpetrari, addiscere licet ex Epistola Episcoporum in causa Pictaviensis monasterii beatæ Radegundis apud S. Gregorium Turonensem, lib. XI, cap. XXXIX : « Si » fortassis Christo relicto, homini voluerit nubere, diabolo captivante, non solum ipsa quæ » refugit, sed etiam ille qui ei conjunctus est, » turpis adulter, et potius sacrilegus quam » maritus. » Quartum quoque facinus in eodem conjungi crimine, nimirum apostasiam, ob eamque causam dici ipsas virgines prævaricari, liquido constat ex Synodo Ancyrana, can. XVIII, et Arausicana, can. XXVIII. Quatuor sane hæc simul scelera in uno crimine Lutherus spurcissimus perpetravit, quum e monasterio Vittembergensi Catharinam Bore, solemni ritu Deo dicatam ac professam, sibi impie in uxorem duxit.

§ XXVI.

Tum dicitur *Alleluia*, sive ultimus versus Tractus vel Sequentiæ, et cætera usque ad Offertorium inclusive, virginibus in ordine suo manentibus. Offertorio dicto, singulæ virgines consecratæ, velatis capitibus, ad manus Pontificis in faldistorio ante medium altaris cum mitra sedentis, offerunt, coram eo genuflexæ, quælibet candelam accensam. Interim parantur pro eis tot hostiæ consecrandæ, quot sunt ipsæ numero.

COMMENTARIUS.

I. Tradunt passim libri antiqui manuscripti Pontificales hunc ritum, ut velato capite, dicto Offertorio, ad manus Episcopi virgines offerant, non quidem cereos accensos, sed forte, uti moris erat, panem et vinum; legimus enim in manuscripto Pontificali Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos scripto, ut post acceptum quidem sacrum velamen, relinquens puella cereos, offerat oblationem, iterumque eosdem accipiens teneat usque dum communicet et finiatur Missa. Idipsum habet manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Remensis annorum quingentorum, Pontificale manuscriptum Sancti-Victoris Parisiensis ejusdem ætatis, et alia complura. Pontificale vero manuscriptum Ecclesiæ Antissiodorensis ritum ipsum ita describit : « Deinde legatur Evangelium, et » præparentur tot hostiæ quot sunt virgines » consecratæ, cum hostia Episcopo præparata; » et cantando Offertorium omnes virgines con» secratæ offerant ad manum Episcopi cereos » suos cum pane et vino, et denariis, et post » agatur Missa ordine suo, etc.» Ex manuscripto Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, offerunt quidem virgines ad manum Episcopi cereos accensos; alia vero donaria offerre, est in ipsarum virginum arbitrio : « Offertorio » cantato, ipsæ velatis capitibus ad manus » Episcopi afferant candelas accensas, et alia si » velint. »

II. Certe licet quævis pactio et exactio pro consecratione virginum simoniaca sit, et passim a sacris Synodis et sanctis Patribus improbata; laudabilem tamen consuetudinem præberi Episcopo munuscula non videri improbandam, ait Pax Jordanus, episcopus Tragoriensis, tomo I *Elucubrationum diversarum*, lib. V, tit. V, num. XXX, ubi etiam addit Eminentissimum Dominum Federicum Cornelium S. R. E. cardinalem, unum e dominis Cardinalibus qui negotiis Episcoporum præfecti sunt, retulisse sibi « sacram ipsam Congregationem sensisse sin» gulas moniales nummum aureum per singu» las posse offerre, idemque censuisse de para» mentis sacris, sive aliis rebus ab eisdem » monialibus confectis. » Tum ita concludit Jordanus : « Consuetudines Ecclesiarum pro di» versitate locorum diversæ sunt; et alicubi di» vitiarum affluentia, monialium æmulatio, et » alii minus probandi impulsus operantur, lar-

Digitized by Google

» gas fieri donationes, exspoliando consanguineos pauperes, ut superfluis induant divitem Episcopum, ex quibus scandalizantur seculares, et alia proficiscuntur incommoda; ideoque parce agendum erit ad effugiendam avaritiæ notam, et ad alios congruentes respectus. » Plura hic addi possent de quarumdam monialium prodigalitate, et nonnullorum Antistitum ingluvie, sed satis superque locutus est laudatus Jordanus Tragoriensis episcopus.

§ XXVII.

Facta oblatione, Pontifex, cum mitra sedens, lavat manus; deinde, deposita mitra, surgit, et prosequitur Missam more consueto.

SECRETA.

Oblatis hostiis, quæsumus, Domine, præsentibus famulabus tuis perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda; ut apertis januis summi Regis adventu, regnum cœleste cum lætitia mereantur intrare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XXVIII.

Postquam Pontifex se de corpore et sanguine communicaverit, tum accedunt ad supremum gradum altaris virgines ipsæ binæ et binæ, et ibidem genuflectunt; Pontifex vero singulas communicat : et omnibus communicatis, ipsæ virgines ante altare, ut in Missa fuerunt genuflexæ, simul cantant Antiphonam toni I, *Mel et lac ex ore ejus suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.* Interim Pontifex ablutionem sumit; tum, accepta mitra, stans lavat manus; deinde perficit Missam.

POSTCOMMUNIO.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super has famulas tuas; et quæ castigationibus assiduis postulant, tua consolatione percipiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Facta cereorum oblatione Pontifici a consecratis virginibus, Pontifex ipse Missam prosequitur, qui postquam Christi corpus ac sanguinem sumpsit, virgines etiam juxta priscum Ecclesiæ ritum communicat : id quod præscribunt tum vetus Ordo Romanus, tum etiam varii manuscripti libri Pontificales, qui etiam mandant ut sacræ virgines de ipsa communione reservent, ut inde communicent : « Missa ordine » suo finita (ait Ordo Romanus), virgo commu- » nicet : postquam communicavit, reservet de » ipsa communione, unde usque in diem octa- » vum communicet. » Cui consonat codex manuscriptus Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos exaratus, dicens : « Stans » inclinata usque dum finiatur Missa, et com- » municet, et reservet de ipsa communione, » unde usque in diem octavum communicet. » Idipsum legere est in Pontificali Salisburgensi annorum sexcentorum, in Remensi Sancti-Remigii annorum quingentorum, in duobus tribusve aliis Remensibus B. Mariæ, et in Abrin-

Digitized by Google

censi monasterii Savinensis annorum circiter quadringentorum, in Noviomensi monasterii Compendiensis, et in Parisiensi annorum tercentorum, de quibus videri potest Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, num. XV, et Joannes Morinus *De sacris Ordinationibus*, parte II, ubi inter alia ex Fuxiani apud Tolosates collegii Bibliotheca Pontificalis officii librum profert, in quo idem ritus describitur. Verum in manuscripto codice Vaticano annorum circiter quadringentorum, et in quibusdam aliis recentioribus tantum præscribitur ut tribus diebus communicent : « Missa suo or» dine peracta, communicent; et hæc per tres » dies. » Ita quidem laudatus manuscriptus codex Bibliothecæ Vaticanæ. Porro puto datam illis fuisse sacram hostiam ad communicandum per octo dies, ut argumentum esset summæ consecratarum virginum dignitatis; cum cæteroqui constet, in Ordinatione duntaxat Sacerdotum, eum ritum antiquitus servari consuevisse.

II. Non eo inficias quin olim sæviente persecutione introductum fuerit, ut cum in locis abditis sacra Synaxis peragebatur, qui ad eam conveniebant, non solum de oblatis participarent, sed particulas quoque acceptas a Sacerdote secum deferrent, et domi reverenter custodirent, ut, quia quotidie vitæ periculum eis imminebat, quotidie seipsos possent sacra communione ad certamen præparare. Pluribus id quidem ostendit eruditissimus Joannes cardinalis Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XVII, num. IV, ubi inter alia præclarissimum locum producit ex Epist. CCLXXXIX S. Basilii Magni, qui ad Cæsariam Patriciam ita scribit : « Quoniam vero per » tempora illa persecutionum cogebantur homi» nes, necessario Sacerdote vel Ministro non » præsente, propriis manibus percipere com» munionem, non est nisi supervacuum ut de» monstrem illam ipsam rem non esse graviter » et inique ferendam, eo quod inveterata con» suetudo hoc ipsum revera confirmatum dede» rat. Nam et illi omnes, qui per eremos vitam » monasticam instituunt, ubi copia non suppe» tit Sacerdotis, cum habeant domi communio» nem, de suis manibus illam percipiunt. » Alexandriæ autem et per Ægyptum unus» quisque etiam de plebe ut plurimum habet » domi suæ communionem. » Et paucis interjectis : « Idem igitur quoad potestatem est, sive » quis de manu Sacerdotis partem unam ali» quam percipiat, sive partes simul quamplurimas. » Ubi nota, etiam cessante persecutione, diu post redditam Ecclesiæ pacem, domesticam communionem viguisse : id quod multis Scriptorum testimoniis ostendi posset. Verum sublata demum ea consuetudine, prærogativa Sacerdotum duntaxat et consecratarum virginum fuit, ut eis usque ad sæculum decimum quartum sacra hostia daretur ad communicandum per aliquot dies.

III. Porro in editis longe ante emendationem Clementis VIII Pontificalibus, paulo fusius explicatur ritus communicandi sacras virgines, quem puto hoc loco minime omittendum. Sic autem aiunt : « Facta confessione, et data ab Episcopo absolutione, ipse Episcopus manu dextra signum crucis super eas producit : tum accedunt ad supremum gradus altaris virgines ipsæ binæ et binæ, et ibidem genuflectunt. Pontifex vero ponit hostias consecratas super patenam pro numero virginum, et accipiens successive manu dextra inter pollicem et indicem singulas hostias, cum eis ante faciem communicandæ format signum crucis, et continuo cum sinistra patenam dextræ supponit, ac singulas communicat, cuilibet dicens : « Corpus Domini » nostri Jesu Christi custodiat te, et perducat » te in vitam æternam. » Quælibet, priusquam communionem sumit, osculatur manum dextram Pontificis; unus Capellanorum Pontificis superpelliceo indutus, stans juxta cornu Epistolæ altaris, calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus : ad quem singulæ communicatæ accedunt, et se purificant, extergunt os, et ad partem, ut prius, genuflectunt. Omnibus communicatis, ipsæ virgines ante altare, ut in Missa fuerunt genuflexæ, simul cantant Antiphonam : *Mel et lac ex ejus ore suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.* »

IV. Est profecto desumpta hæc Antiphona sicut et aliæ complures, ex officio S. Agnetis quæ, ad sui Baptismi ritum alludens, ea verba protulit. Etenim mos olim fuit ut præter sacram Corporis et Sanguinis Christi communionem lac et mel recens baptizatis traderetur, teste Tertulliano, qui in libro *De Corona militis*, cap. III, de baptismo agens : « Dehinc, inquit, ter mer-

Digitized by Google

» gitamur..... Inde suscepti lactis et mellis con-
» cordiam præstamus.» Et lib. I *Adversus Marcionem*, cap. XIV, de eodem ritu disserens, sic ait : « Sed ille quidem usque nunc nec aquam
» reprobavit Creatoris qua suos abluit, nec
» oleum quo suos unguit, nec mellis et lactis
» societatem qua suos infantat, nec panem quo
» ipsum corpus suum repræsentat. » Ne quis autem putet fuisse hanc peculiarem Ecclesiæ Africanæ consuetudinem, eamdem disciplinam in aliis quoque Ecclesiis viguisse, diserte asserit S. Hieronymus in *Dialogo adversus Luciferianos*, ubi ita inquit : « Multa alia quæ per tradi-
» tionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem
» sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lava-
» cro ter caput mergitare, deinde egressos lactis
» et mellis prægustare concordiam ad infantiæ
» significationem. » Alibi tamen idem S. Ecclesiæ doctor, in cap. scilicet LV Isaiæ scribens, non lactis et mellis, sed vini quidem et lactis meminit; etenim illa verba explicans, quibus jubemur emere vinum et lac, ita scribit : « Quod
» vinum miscuit et sapientia in cratere suo,
» omnes stultos seculi, mundique sapientiam
» non habentes provocans ad bibendum; et ut
» non solum vinum emamus, sed et lac, quod
» significat innocentiam parvulorum : qui mos
» ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque
» servatur, ut renatis in Christo vinum lacque
» tribuatur. » Verum non modo usque ad S. Hieronymi tempora, sed etiam usque ad medium sæculum nonum perseverasse in Occidente hunc ritum, perspicue ostendit Martenius ex Joannis diaconi Epistola ad Senarium, quæ exstat apud Joannem Mabillonium, tomo I *Musei Italici;* additque etiamnum servari hunc ritum apud Æthiopes.

V. Fateor equidem nullibi me reperisse in antiquis recentioribusve Pontificalibus libris dari solitum lac et mel consecratis virginibus, puto nihilominus recte ea verba, *lac et mel ex ore ejus suscepi, etc.*, ab ipsis recitari, ut ostendant ipsas, quæ sacræ Eucharistiæ participes factæ sunt, et sæculi pompis per suam consecrationem ac desponsationem cum æterni Patris Filio renuntiarunt, terram promissionis accepisse, lacte et melle fluentem, ut ex sacris Litteris sancti Ecclesiæ Patres passim docent.

§ XXIX.

Missa finita, Pontifex dat benedictionem solemnem. Et quia in nonnullis monasteriis est consuetudo quod loco Diaconissatus, virginibus consecratis datur facultas incipiendi horas canonicas et legendi officium in ecclesia, Pontifex stans ante altare sine mitra, virginibus consecratis coram eo genuflexis, dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras, et super has famulas tuas spiritum tuæ bene✠dictionis emitte; ut cœlesti munere ditatæ, et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXX.

Tum sedet Pontifex accepta mitra, et tradit Breviarium illis, ambabus manibus ipsum tangentibus, dicens : *Accipite librum, ut incipiatis horas canonicas et legatis officium in ecclesia. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Fuse de Diaconissis actum a nobis fuit in Commentario ad Canonem XV Chalcedonensem. Quod autem in Rubrica dicitur esse in aliquibus monasteriis consuetudinem *quod loco Diaconissatus, virginibus consecratis datur facultas incipiendi horas canonicas, et legendi officium in ecclesia*, in nullo manuscripto Pontificali reperi. Silvester quidem Prieras sacri Palatii olim Magister, Dominicanæ familiæ theologus insignis et canonici juris consultus, in sua *Summa*, verbo *Consecratio* II, ubi ex Petro Paludano in IV distinctione XXXVIII, quæstione V, quinque esse monialium vela affirmat: « Ter» tium, inquit, est ordinationis, quod datur » anno quadragesimo, » cum scilicet, ut ait Barbosa *Juris Ecclesiastici universi* lib. I, capite XLIV, monialis ordinatur præposita ad inchoandum officium et homilias legendas, quod aliis non licet : talis autem ordinata olim, ut quidam volunt, Diaconissa dicebatur, quæ hoc velo ante quadragesimum annum non donabatur, ut in cap. *Diaconissam* XVII, quæst. I: « Dia» conissa ideo sic dicitur, inquit Silvester, quia » datur aliqua benedictio, ex qua accipit offi» cium inchoandi horas in choro; unde Epi» scopus dat ei ad tangendum Breviarium, in » quo sunt homiliæ de Evangeliis in matutinis: » quod quidem adhuc servatur post virginum » consecrationem in eodem officio Missæ; sed » non consuevit dari velum in hoc, nec expec» tari illa ætas, sed ex communi consuetudine » hoc fit, quando consecrantur, seu velantur. » Quod etiam fit ante vigesimum quintum » annum. » Videtur ex parte exscripsisse ea quæ docet Glossa juris canonici in laudatum Canonem *Diaconissam*.

II. Sacras virgines jam a primis Christi sæculis consuevisse horas canonicas et divinum officium recitare passim tradunt sancti Ecclesiæ Patres, inter quos S. Hieronymus ad Lætam scribens de educatione filiæ, quam religioni devoverat, omnes pernumerat ab ea evolvendas horas canonicas, quibus maxime eo tempore monasteria virginum occupabantur : « Assue» scat, inquit, ad orationes et psalmos nocte » consurgere, mane hymnos canere, tertia, » sexta, nona hora stare in acie quasi bellatri» cem Christi, accensaque lucerna reddere » sacrificium vespertinum. Orationi lectio, lec» tioni succedat oratio. » Cum vero monasterium in Epistola ad Eustochium de Epitaphio Paulæ describit idem ipse Hieronymus, et turmas virginum, quarum parens et magistra erat S. Paula, easdem ipsis inculcat sex horas canonicas et lectionem creberrimam sacræ Scripturæ : « Post virorum monasterium, quod viris » tradiderat gubernandum, plures virgines, » quas e diversis provinciis congregarat, tam » nobiles quam medii et infimi generis, in tres » turmas monasteriaque divisit, ita duntaxat, » ut in opere et in cibo separatæ, psalmodiis » et orationibus jungerentur. Post *Alleluia* » cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam, » nulli residere licitum erat, sed prima, seu » inter primas veniens, cæterarum operiebatur » adventum, pudore et exemplo ad laborem » eas provocans, non terrore. Mane, hora » tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per » ordinem Psalterium cantabant : nec licebat » cuiquam sororum ignorare psalmos, et non » de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. » Die tantum Dominico ad ecclesiam procede» bant, ex cujus habitabant latere; et unum» quodque agmen matrem propriam sequeba» tur; atque inde pariter revertentes instabant » operi distributo, etc. » Ergo consueverunt jam olim sacræ virgines divinum officium simul recitare, et quod nullæ adhuc ecclesiæ in suis monasteriis essent, solitæ erant una cum laicis ad communionem ecclesiam pergere. Quod idem de compluribus Monachis æque constat, uti dictum est nostro I tomo *Conciliorum* in Commentario Canonis IV Chalcedonensis.

III. Plura quidem de divini officii recitatione tum in Oriente cum in Occidente, tum primis, tum in sequentibus sæculis, tum a viris, tum a religiosis feminis servata, docet eruditissimus Thomassinus parte I *Disciplinæ*, lib. II, capite LXXIII et seqq. Unde vi hujusce inveteratæ consuetudinis, recte hodie docet sanior theologorum pars peccare quidem lethaliter moniales, si divinum officium vel privatim recitare omitterent, sive hoc fieret frequenter, sive semel duntaxat. Quia scilicet, cum consuetudo legi-

Digitized by Google

time præscripta, si est rationabilis, nimirum de re honesta, juri divino aut naturali minime dissona, et per debitum tempus præscripta, vim habeat obligandi per modum legis, uti constat ex cap. ultimo *De consuetudine*, et ex communi Doctorum sententia; recte admodum sequitur teneri moniales sub gravi consuetudinem ipsam servare, adeoque divinum officium recitare. Porro cavere debet monialis cui data est facultas recipiendi horas canonicas et Orationem ad ipsas recitandi, ne eam salutationem dicat, *Dominus vobiscum*. Id quod ex generali Ecclesiæ consuetudine Subdiaconis æque ac Diaconis vetitum est, ut se scilicet inferiores Sacerdotibus cognoscerent, uti docet Durandus in suo *divinorum Officiorum Rationali*, lib. IV, cap. XIV. Porro legens Evangelium, et benedicens cereum paschalem, profert eam salutationem Diaconus, « quia tunc utitur officio Prædicatoris, et pro- » nuntiat doctrinam ab ipso Christo immediate » prolatam; » et quod cereum paschalem spectat; « quia tunc Christi resurrectionem repræ- » sentat; » ut scite explicat laudatus Durandus. Vide quæ de ipsa salutatione *Dominus vobiscum* diximus in opere nostro *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. XV.

§ XXXI.

Surgit Pontifex, mitra deposita et conversus ad altare, incipit hymnum, *Te Deum laudamus*, quem Chorus prosequitur usque ad finem; et eo finito, duo ex Choro dicunt : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis*. Respondet Chorus : *A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem*. Et Pontifex stans in cornu Epistolæ altaris, conversus ad altare, ex libro ibidem super altari posito dicit :

Actiones nostras, quæsumus, Domine, adspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXXII.

Post hæc virgines consecratæ revertuntur ad portam monasterii, ubi Pontifex eas coram se genuflexas præsentat Abbatissæ similiter genuflexæ, dicens : *Vide quomodo istas consecratas Deo serves, et repræsentes immaculatas; redditura pro eis rationem ante tribunal Sponsi earum, venturi Judicis*. Tum Pontifex redit ad ecclesiam, dicens : *Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio, etc.* Et sacris vestibus depositis, vadit in pace.

COMMENTARIUS.

I. Nihil de iis prorsus quæ in § XXXI continentur, vel in recentioribus Pontificalibus manuscriptis invenies. Cum autem ex veteri consuetudine solita sit Ecclesia Hymnum istum, *Te Deum laudamus*, canere, quotiescumque divina aliqua in nos beneficia devenerint; recte admodum constitutum est ut peracta virginum consecratione Deo agantur gratiæ, qui tantum eisdem dignitatis contulit, ut suæ sponsæ dicerentur et essent. Quod vero spectat sequentem § est certe antiquus Ecclesiæ ritus in Ordine antiquo Romano, in manuscripto codice Sancti-Gatiani Turonensis ante annos octingentos exarato, et in aliis passim manuscriptis Pontificalibus libris descriptus, ut Episcopus, peracta functione, virgines sacras ipsarum Præsidi tradens, sic eam admoneat : « Vide quomodo » istam Deo sacratam repræsentes immaculatam » ante tribunal Domini nostri Jesu Christi. » Ita laudatus Ordo Romanus, cui consonat manuscriptum Pontificale Remense annorum quingentorum. Expressius id quidem in Pontificali Vaticano, num. 4744, habetur his plane verbis : « Et si adest qui de eis rationem reddere

Digitized by Google

» debeat, sicut Abbas, Abbatissa, Prior, vel » Priorissa, mittat eas Episcopus in manus illius, » commendans eas sic dicens : « Vide amodo » istas consecratas Deo serves, et repræsentes » immaculatas, redditura pro eis rationem » ante tribunal Sponsi earum, venturi Judicis. »

II. Pro coronide hujus tituli sciendum superest morem fuisse antiquum ut ubi Episcopus virgines consecrabat, sermonem ad ipsas haberet. Constat id quidem ex S. Ambrosio, lib. III *De Virginibus*, ubi, cap. I, Liberii Pontificis Maximi, qui Marcellinam memorati S. Ambrosii sororem sacro velo donaverat, oratio refertur, cujus exordium tum a frequentia confluentium ad illius æterni Sponsi nuptias deducit, tum a convenientia diei quo ex virgine natus est Christus, ad cujus amorem eleganti perfectionum ejus descriptione illam inflammat. Deinde virginem in fide instituit, et in iis quæ ad disciplinam pertinent; quæ nimirum in potu et cibo ratio servanda, et quo pacto motus animi cohibendi sunt : qua occasione ubi fabulosam Hippolyti necem ac suscitationem retulit, suggillavitque, mox calidiores escas et convivia vitanda monet. Tandem hortatur in eo sermone Liberius Marcellinam ad fugiendas visitationes, ad servandum pudorem, nec non ad silentium exemplo Mariæ præbendum, ubi mysteria celebrantur. Porro tertium librum *De Virginibus* orditur Ambrosius ab eo sermone quem Liberius Pontifex Maximus ad Marcellinam, cum Romæ in basilica Apostolorum ipso Dominici Natalis festo, spectante fidelium innumera multitudine, velaretur, habuit. Ea cum fratre sæpius de hoc ipso sermone fuerat collocuta, cui proinde illum integrum initio memorati lib. III *De Virginibus*, suis, non auctoris verbis, expressum misit. Is autem erat in hac virgine animi fervor, ut, cum intra Liberii præceptorum cancellos minime clauderetur, suasit ipsi amantissimus æque ac prudentissimus frater ut remissis tantisper jejuniis, impensius orationi atque interno reliquarum virtutum studio vacet.

III. Sed et S. Ambrosius, cum cujusdam Eusebii neptem nomine Ambrosiam Mediolani, cognito ejus desiderio ac parentum consensu, solemni ritu consecravit, eam primum gravi piaque oratione hortatus est: eamdemque orationem additis tantum duobus primis capitulis ad religiosum illum virum transmisit, librum nempe *De Institutione virginis*. Sane quis hic non admirabitur hominem vixdum a provinciæ administratione sæcularibusque tribunalibus abductum, Ambrosium, inquam, Mediolanensem episcopum, sacris litteris et Christiana facundia tam exquisite instructum se præbuisse, ut libros conscriberet a sancto Hieronymo, Augustino, et ab aliis Patribus qui, vel eodem Ambrosii ævo, vel in sequentibus sæculis in Ecclesia floruerunt, laudibus cumulatos ? De iis libris quos de virginibus scripsit Ambrosius, testatur in Epistola ad Eustochium *De custodia virginitatis* S. Hieronymus, quod tanto in ipsis « se effudit eloquio, ut quicquid ad laudes vir- » ginum pertinet, exquisierit, expresserit, or- » dinarit. »

APPENDIX

In qua duo ad consecrandas virgines manuscripti Ordines referuntur.

ORDO I.

Ex manuscripto codice Pontificali Bibliothecæ Angelicæ Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

Incipit Ordo ad virginem benedicendam.

Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem sui venerit, in talibus vestibus veniat quibus semper usura est, professioni et sanctimoniæ aptis.

Benedictio vestium virginum et viduarum.

« Ecce venio ad te, quem amavi, quem quæ- » sivi, quem semper optavi; » habitum religionis propriis manibus gestans, quem ibi positum Episcopus benedicat.

Digitized by Google

Oratio : « Deus æternorum bonorum fidelis-
» sime promissor, certissime persolutor, etc. »

Alia Oratio : « Domine Deus bonarum virtu-
» tum dator, et omnium benedictionum largus
» infusor, etc. »

Benedictio vestis tam viduæ quam virginis.

« Exaudi, quæsumus, omnipotens Deus,
» preces nostras, et has vestes, quas famula
» tua, etc. »

Consecratio velaminis virginis.

« Suppliciter te, Domine, rogamus, etc. »

Tunc (*a*) induat se virgo vestimentis sacris, et jactet se prona in terra, et adjiciat Episcopus hanc Orationem super eam :

« Respice, Domine, super hanc famulam
» tuam ill. propitius, ut virginitatis sacræ pro-
» positum, quod te inspirante suscepit, te gu-
» bernante custodiat. Per Dominum. »

« Famulam tuam, Domine, custodia muniat
» pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum,
» quod te inspirante suscepit, te protegente
» illæsum custodiat. Per Dominum nostrum. »

« Per omnia secula seculorum. ℟. Amen.
» ✠. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
» ✠. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.
» ✠. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Di-
» gnum et justum est.

» Æterne Deus, castorum corporum benignus
» habitator, et incorruptarum Deus amator ani-
» marum, qui humanam substantiam, etc., et in
» Agni tui perpetuo comitatu probabilis man-
» sura castitate permaneat. Per Dominum.

» Te invocamus, sancte Pater omnipotens,
» æterne Deus, super hanc famulam tuam, quæ
» tibi vovit servire pura mente, etc. »

Item benedictio : « Bene ✠ dicat te Deus Pa-
» ter, et Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ sanctus, omni
» benedictione spirituali, ut maneas semper
» immaculata sub vestimento sanctæ Mariæ
» matris Domini nostri Jesu Christi. Qui vivit. »

Tunc dat ei Episcopus virginitatis vestimentum, et tantum velamen apud se faciat retinere, dicens : « Accipe pallium quod perferas sine
» macula ante tribunal Domini nostri Jesu
» Christi, (*b*) flectitur omne genu cœlestium
» terrestrium et infernorum. Qui cum Deo Patre
» vivit et regnat in secula seculorum. Amen. »

Tunc ipsa virgo vadat ad sacrarium, cantando hanc Antiphonam :« Induit me Dominus vesti-
» mento salutis, et indumento lætitiæ circum-
» dedit me. »

Postea induat se ipso vestimento benedicto, accipiensque duos cereos in manus suas ardentes, veniat ante altare canendo hanc Antiphonam : « Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota de-
» votione committo. »

Post Evangelium, ymno dicto *Veni, creator Spiritus*, Episcopus dicat hanc Antiphonam : « Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam
» tibi Dominus præparavit in æternum. » Ipsa Virgo respondeat : « Ancilla Christi sum, ideo
» me ostendo servilem personam. »

Postea mictat Episcopus velum super caput ejus, dicens :

« Accipe velamen, virgo, Christi virginitatis
» et continentiæ, per quod Spiritus sanctus su-
» perveniat in te, et virtus Altissimi sit tibi
» obumbraculum contra æstum malarum tem-
» ptationum. Præstante, etc. »

Sumpto velamine ipsa dicat has Antiphonas :

« Posuit signum in faciem meam, ut nullum
» præter eum amatorem admittam. »

Antiphona : « Ancilla Christi sum, ideo me
» ostendo servilem personam. »

Antiphona : Induit me Dominus ciclade auro
» texta, et immensis monilibus ornavit me. »

Antiphona : « Posuit signum in faciem meam,
» ut nullum præter amatorem admittam. »

Antiphona : « Ipsi sum desponsata, cui An-
» geli serviunt, cujus pulcritudinem sol et luna
» mirantur. »

Ad annulum dandum.

« Accipe annulum fidei, signaculum Spiritus
» sancti, ut sponsa Dei voceris, si ei fideliter
» servieris. »

Antiphona : « Annulo suo subarravit me
» Dominus meus Jesus Christus, et tanquam
» sponsam decoravit me corona.

» Accipe signum Christi in capite, ut uxor

(*a*) In margine, charactere recentiori ita legimus : *Redeat ad sacrarium, induat se.* Addit et alia quæ vix legi possunt, sed videntur habere hunc sensum : *Et iterum redit ad Episcopum.* Et paulo infra in eadem margine eodem charactere legitur : *Hic debet dici Litania.*

(*b*) Videtur deesse *cui*.

Digitized by Google

» ejus efficiaris, et si in eo permanseris, in per-
» petuum coroneris. »

Item dicatur Antiphona : « Annulo suo
» subarravit me. »

Sequitur benedictio : « Benedicat te conditor
» cœli et terræ, Deus Pater omnipotens, qui te
» eligere dignatur ad sanctæ Mariæ, etc. »

Missam ejusdem Oratio : « Da, quæsumus,
» Domine, famulæ tuæ ill. quam virginitatis
» honore, etc. »

Secreta : « Oblatis hostiis, quæsumus, Do-
» mine, præsenti famulæ tuæ perseverantiam
» perpetuæ virginitatis accommoda, etc. »

Postcommunio : « Deus qui habitaculum
» tuum in corde pudico fundasti : respice super
» hanc famulam tuam ill., et quæ castigationi-
» bus assiduis postulat, tua consolatione per-
» cipiat. Per. »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744.

De benedictione et consecratione virginum.

Rubrica.

Consecratio virginum fieri debet in Epiphania, vel in natalitiis Apostolorum, vel in albis Paschalibus, vel in Ascensione, vel in Pentecostes, vel in solemnitatibus beatæ Virginis, vel, si necesse sit, in Dominicis diebus extra Adventum et Quadragesimam. Potest etiam fieri omni tempore, ubi periculum imminet ne non consecratæ decedant. Die igitur præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Episcopus Missam incipiat, præsentantur ei virgines benedicendæ, qui de earum ætate et proposito, si videlicet viginti quinque annorum sunt, si voluntatem et propositum servandæ virginitatis habuerint, diligenter inquirat, et insuper seorsim cum qualibet de vita et conscientia et carnis integritate. Post hæc hora congrua præparat se ad Missam, in qua proceditur usque ad *Alleluia,* vel Tractum, si dici debeat. Prius, antequam *Alleluia* cantetur, Pontifex sedet super faldistorium coram altari paratum. Tunc Archipresbyter sacris vestibus indutus venit ante papillonem, vel capellam, vel alium locum in ecclesia præparatum, ubi benedicendæ virgines sunt inclusæ, cantans alta voce hanc Antiphonam :

« Prudentes virgines, aptate vestras lampa-
» des. Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. »

Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri præparant se, accendentes cereos suos, et exeunt hinc et hinc cum cereis accensis de loco illo, absque aliquo capillorum cohoperimento, in vestibus quibus semper in monasterio usæ sunt, sine velis, mantellis et cucullis. Archipresbyter vero præcedens statuat eas in parte occidentali ecclesiæ extra chorum, ita tamen quod Episcopum coram altare sedentem possint videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter in parte virginum stans dicit :

« Reverendissime Pater, postulat sancta ma-
» ter Ecclesia Catholica ut has præsentes vir-
» gines seu sanctimoniales dignemini benedicere
» et consecrare, ac Domino nostro Jesu Christo
» summi Dei Filio desponsare. »

Interrogat Episcopus : « Scis illas dignas
» esse ? » Respondet Archipresbyter : « Quan-
» tum humana fragilitas nosse sinit, credo et
» testificor illas dignas esse ad hujus munus
» honoris. »

Tunc Episcopus dicit ad circumstantes : « Auxiliante Domino Deo, etc. » Deinde vocat eas inchoans a principali, dicendo primum verbum, scilicet : « Venite. » Virgines vero surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen, genua flectentes ibi. Et tunc Episcopus vocat eas secundo, cantans tamen secundum verbum Antiphonæ « Venite. » Virgines vero surgentes respondent : « Ecce nunc sequimur. » Et non dicunt plus. Et iterum parum prius versus Episcopum, scilicet usque ad medium chori procedunt, et ibi genua flectuntur. Tunc Episcopus vocat eas tertio cantans totum residuum ipsius Antiphonæ : « Venite, venite, venite, Virgines, audite me,
» timorem Domini docebo vos. » Virgines vero surgentes respondent cantantes totam Antiphonam : « Ecce nunc sequimur in toto corde, et
» timemus te, et quærimus faciem tuam videre,
» Domine, ne confundas nos, sed fac nobis se-
» cundum mansuetudinem tuam, et secundum
» multitudinem misericordiæ tuæ. » Quam dicendo magis appropinquantes, ascendunt ad presbyterium, ubi omnes se prosternunt, et extenduntur in terram coram Episcopo, et quælibet earum dicit hunc versum : « Suscipe me,
» Domine, secundum eloquium tuum, ut non

Digitized by Google

» dominetur mei omnis injustitia. » Deinde surgunt, et a paranymphis, sive magistris, quæ sunt duæ vel plures, seriatim ordinantur ibidem in modum coronæ coram Episcopo, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Episcopus hortatur illas publice ad amplectendum, honorandum et conservandum sanctæ virginitatis propositum. Et mox interrogat eas palam et communiter, dicens : « Vultis in sancto virgi» nitatis proposito perseverare ? » Et illæ respondent : « Volumus. » Tunc unaquæque sigillatim genuflectit coram eo, et immissis manibus junctis inter ambas manus Episcopi, Episcopus interrogat quamlibet, dicens : « Pro» mittis te perpetuo virginitatem servaturam ? » Respondet : « Promitto. » Et Episcopus dicit : « Deo gratias. » Illa vero obsculatur manum Episcopi. Omnibus autem sic per ordinem expeditis, et ad sua loca reversis, Episcopus omnes communiter interrogat, dicens : « Vultis bene» dici, et consecrari, et Domino nostro Jesu » Christo summo Regis filio desponsari ? » Respondent : « Volumus. » Post hæc prosternit se Pontifex ante altare super faldistorium, et ministri hinc inde, et virgines post ipsum super tappeta in ordine suo. Et cantores incipiunt Letaniam, ut supra sub Ordinatione Subdyaconi. Et postquam dixerint : « Ut obsequium servitu» tis nostræ, etc., » et deinde a Choro responsum fuerit, surgit Episcopus ab accubitu, vertens se ad virgines, illis prostratis manentibus, tenens baculum pastoralem cum sinistra, et in pristino tono dicit : « Ut præsentes ancillas tuas » bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare (*in margine,* » et consecrare) digneris, Te rogamus, audi » nos. Ut eas in sancto religionis proposito et » virginitatis observantia consecrare digneris, » Te rogamus, audi nos. Ut eas cœlestibus dis» ciplinis instruere digneris, Te rogamus audi » nos. Ut dimittas eis quod conscientia metuit, » et adjicias quod oratio non præsumit, Te ro» gamus, audi nos. »

Quibus dictis, et eisdem a Choro responsis, Pontifex redit ad accubitum, Cantoribus Letaniam ubi dimiserunt reassumentibus. Qua finita surgunt omnes, et virginibus ad locum unde venerunt, vel ad alium proximiorem ydoneum revertentibus, Pontifex coram altare benedicit virginum vestes, dicens : « ℣. Dominus vobis» cum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oremus.* Deus, » æternorum bonorum, etc., » ut in Pontificali Romano.

« *Oremus.* Domine Deus, bonarum virtutum » et omnium benedictionum largus infusor, te » subnixis precibus deprecamur, etc., » uti ibidem ; in fine tamen ita legitur : « ut inter reli» quas feminas tuo cognoscantur dicatæ admi» ctu. Per Christum, etc. »

Alia, tam viduæ quam virginis, vestis benedictio.

« Exaudi, quæsumus, omnipotens Deus, » preces nostras, et has vestes, quas famulæ » tuæ pro observando castitatis signo, ad se » ipsas cooperiendas exposcunt, uberrime tuæ » benedi ✠ ctionis imbre perfunde, sicut perfu» disti oram vestimentorum Aaron benedictione » unguenti profluentis a capite in barbam ; » et sicut benedixisti vestes omnium religioso» rum virorum, tibi per omnia placentium, ita » etiam has vestes bene ✠ dicere et sancti ✠ » ficare dignare. Et præsta, clementissime Pa» ter, ut super dictis famulabus tuis sint hæc » vestes salutis protectio, hæc cognitio religionis, » hæc initium sanctitatis, hæc contra omnia tela » inimici robusta defensio, ut centesimi mune» ris opulentia (*si vero sunt vestes viduæ,* dica» tur) sexagesimi fructus dono continentia per» severante dicentur. Per Dominum. ℟. Amen. »

Et vestes aqua benedicta aspergantur.

Deinde benedicantur vela virginum. « Bene» dictio. *Oremus.* Suppliciter te, Domine, ro» gamus, ut super has vestes tuarum capitibus » ancillarum imponendas benedi ✠ ctio tua » benigna descendat ; et sint hæc vestes bene ✠ » dictæ, et consecratæ, et imma ✠ culatæ, et » san ✠ ctæ præsentium ancillarum tuarum. » Per Dominum nostrum Jesum Christum. » ℟. Amen. »

« *Oremus.* Capud omnium fidelium Deus, » totius corporis salvator, hæc cohoperimenta » velaminum, quæ famulæ tuæ propter tuum, » etc., » ut in Pontificali.

Et vela ipsa aqua benedicta aspergantur.

Sequitur annulorum benedictio.

« *Oremus.* Creator et conservator humani » generis, dator gratiæ spiritualis, etc. »

Ad torques sive coronas benedictio.

« Benedic, Domine, ornamenta ista, et sint » remedium salutare humano generi, et præsta » per invocationem tui sanctissimi nominis, ut

Digitized by Google

» quæcumque ea portaverint, corporis sanita-
» temet animæ tutelam percipiant; et si tibi fide-
» liter servierint, coronam perpetuam, quam
» hæc hornamenta designant, in cœlo perci-
» pere mereantur, per te, Christe, Salvator
» mundi, etc. ℟. Amen. »

His expletis, virgines exutis quotidianis vestibus in loco ad quem diverterunt, induant bedictas, exceptis velis, et interim cantatur *Alleluia*, vel Tractus, si dici debeat; et sic indutæ mox seriatim redeunt ad Episcopum, cantando Responsorium : *Regnum mundi, etc.* Require in natali Virginum; et ordinentur ante altare coram Episcopo in modum coronæ stantes flexis genibus, capitibus discoopertis et vultibus in terram demissis. Et tunc benedicantur. Benedictio. « Benedicat vos Deus Pa ✠ ter, et Fi ✠
» lius, et Spiritus ✠ sanctus omni benedictione
» spirituali. ℟. Amen. Respice, Domine, propi-
» tius super has famulas tuas, etc. Qui tecum
» vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus. »

Deinde junctis manibus ante pectus, dicit mediocri voce : « Per omnia sæcula sæculorum.
» ℟. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum
» spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Habemus ad
» Dominum. Gratias agamus Domino Deo no-
» stro. ℟. Dignum et justum est. Vere Dignum
» et justum est, etc. Quatenus centesimi fructus
» dono virginitatis decorari, te donante, merean-
» tur. » Quod sequitur, dicitur plane legendo : « Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen. »

Præphatione finita, Pontifex vocat illam, vel illas, si plures sunt, inchoando sequentem Responsorium : « Veni, electa mea, etc. »

Finito ergo Responsorio, surgit, et si plures sunt, veniunt hinc et hinc, et præsentantur a paranymphis Episcopo hoc modo, quoniam illa quæ prior est in alio capite ordinis seu coronæ, et alia similiter quæ prior est in alio capite, simul venientes flectendo genua humiliter coram illo cantantes simul Antiphonam : « An-
» cilla Christi sum, ideo me ostendo servilem
» personam. » Qua dicta, mox Episcopus interrogat illas, palam dicens : « Vultis persistere in sancta virginitate, quam professæ estis. » Et illæ simul respondent : « Volumus. »

Tunc Episcopus imponit velum super capud cujuslibet, quod dependeat super scapulas, et super pectus usque ad oculos, dicens cuilibet : « Accipe, virgo, velamen sacrum, quod perferas
» ante tribunal æterni Judicis, cui flectitur omne
» genu cœlestium, terrestrium et infernorum,
» quo cognoscaris mundum contempsisse, et te
» Christo Jesu veraciter humiliterque toto cor-
» dis annisu sponsam perpetualiter subdidisse;
» et qui te ab omni adversitate defendat, et ad
» vitam æternam perducat. Qui cum Patre et
» Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia
» secula seculorum. ℟. Amen. »

Et mox ipsa virgo, vel ambæ simul, si plures sunt, cantant hanc Antiphonam : « Posuit si-
» gnum in faciem meam, ut nullum præter
» eum amatorem admictam. »

Quo facto reducuntur a paranymphis ad loca ordinis sui, et tunc aliæ duæ, videlicet quæ post illas in ordine coronæ sequuntur, præsentantur Episcopo, et simili modo genuflectunt, et cantant, et velantur ut primæ. Omnibus autem sic velatis, et ad loca sua reductis, dicit Episcopus : « ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum
» spiritu tuo. *Oremus.* Famulas tuas, quæsu-
» mus, Domine, custodia tua, etc. »

Subsequenter Episcopus vocat virgines iterum dicens Antiphonam : « Desponsari dilecta, etc. »

Qua finita, illa, vel illæ quæ primo venerunt ad recipiendum velum, præsentantur Episcopo a paranymphis eodem modo et ordine sicut prius. Tunc Episcopus desponsat illas Christo hoc modo; accipiat enim annulum cum dextra manu, et dextram manum virginis cum sinistra manu, dicens : « Desponso te Jesu Chri-
» sto Filio summi Patris, qui te illæsam custo-
» diat. Accipe ergo anulum fidei, signaculum
» Spiritus sancti, ut sponsa Dei voceris, si ei
» fideliter et munde servies. In nomine Pa ✠ tris,
» et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti. ℟. Amen. »
Et dicens « In nomine Patris, » immittit illum parum in pollice dextræ manus. Deinde dicens « et Filii, » immittit eum parum in indice; dicens vero « et Spiritus sancti, » immittit eum parum in digito medio. Et mox immittit, et dimittit illum in quarto. Quo facto, virgo, vel ambæ simul, si plures sunt, decantant hanc Antiphonam : « Ipsi soli sum desponsata, cui An-
» geli serviunt, cujus pulchritudinem sol, etc. »

Qua cantata, reducuntur a paranymphis ad loca sua, et aliæ duæ quæ post illas sequuntur in ordine, præsentantur Episcopo, et desponsantur, et cantant modo prædicto. Omnibus ergo sic seriatim desponsatis, et ad loca sua

Digitized by Google

reductis, omnes simul levant in altum, et ostendunt dexteras manus suas, cantantes hanc Antiphonam : « Anulo suo subbarravit me Domi- » nus Deus meus Jesus Christus, et tanquam » sponsam decoravit me corona. »

Deinde dicit Episcopus : « Benedicat vos » conditor cœli, etc. »

Post hæc Episcopus iterum vocat illam, seu illas, dicens hanc Antiphonam : « Veni, Sponsa » Christi, accipe coronam quam tibi Dominus » præparavit in æternum. » Qua cantata, simili modo iterum præsentantur Episcopo. Ipse autem torquem, seu coronam imponit capiti cujuslibet virginis seriatim, dicens cuilibet : « Accipe signum Christi in capite tuo, ut uxor » ejus efficiaris, et si in eo permanseris, immor- » talitatis gloria coroneris. Per eumdem Chri- » stum Dominum nostrum. ℟. Amen. » Et mox virgo, seu duæ virgines simul, si plures sunt, decantant hanc Antiphonam : « Induit » me Dominus cyclade auro texta, et immensis » monilibus ornavit me. » Qua finita reducuntur ad loca sua, et aliæ præsentantur, quæ simili modo cantant et coronantur. Omnibus ergo coronatis et ad loca sua reductis, dicit Episcopus. « ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. »

« Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæ » famulæ tuæ, quæ pro spe retributionis æter- » næ, tibi Domino Deo desiderant consecrari, » plena fide animoque in sancto proposito per- » maneant. Tribue eis, Domine, humilitatem, » castitatem, obedientiam, caritatem, et omnium » bonorum operum quantitatem, pro operibus » gloriam, pro pudore reverentiam, pro pudi- » citia sanctitatem, ut ad meritum æternæ pos- » sint gloriæ pervenire. Per Christum Dominum » nostrum. ℟. Amen. »

Deinde omnibus simul genua flectentibus, Episcopus dicit hanc Orationem : « Te invoca- » mus, Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus, super has famulas tuas, etc. »

Oratione finita, virgines surgentes simul, decantantes Antiphonam : *Ecce quod concupivi, etc.*

Post hæc Episcopus, junctis ante pectus manibus, dicat super illas humiliter inclinatus hanc benedictionem B. Matthæi (*a*) Apostoli : « Deus plasmator corporum, afflator anima- » rum, qui nullam conditionem gratia tua du- » cis indignam, sed omnium æqualis creator » es et redemptor, tu has famulas tuas, etc. »

Alia benedictio, quam quidam dicunt : « Be- » ne ✠ dicat vos Deus Pa ✠ ter, et Fi ✠ lius, » et Spiritus ✠ sanctus omni benedictione spi- » rituali, etc. »

Deinde Episcopus publica voce bapnum, id est anathema ponat, ne quis eas a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subjectæ sunt, seducat, nullus earum bona subripiat, sed ea quiete possidere permittat. Deinde legitur Evangelium virginibus in ordine suo manentibus. Quo lecto, et Offertorio cantato, ipsæ velatis capitibus ad manus Episcopi afferant candelas accensas, et alia si velint. Et tot hostiæ consecrandæ parentur, quot ipsæ sunt in numero. Et Missa suo ordine peracta communicent, et hæc per tres dies. Et si adest qui de eis rationem reddere debent, sicut Abbas, Abbatissa, Prior, vel Priorissa, mittat eas Episcopus in manus illius commendans eas, sic dicens : « Vide amodo istas consecratas Deos serves, et » repræsentes immaculatas, redditura pro eis » rationem ante tribunal Sponsi earum, venturi » Judicis. »

Post hæc dicitur Missa. Introitus. *Tibi dixit cor meum, etc.* Require Feria III post secundam Dominicam Quadragesimæ. Collecta : « Da, » quæsumus, Domine, his famulabus tuis, quas » virginitatis honore dignatus es decorare, » inchoati operis consummatum effectum, et ut » perfectam tibi offerant plenitudinem, initia » sua perducere mereantur ad finem. Per Do- » minum. »

Epistola. *Fratres : de virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Require in Communi Virginum, vel dicatur Epistola ad Corinthios : *Fratres : Dominus autem spiritus est, ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas; nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem ymaginem transformemur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu, ideo habentes hanc ministrationem, justa quam memoriam consecuti sumus, non deficiamus, sed*

(*a*) Præter Abdiam, lib. VII *Apostolicæ Historiæ*, sunt et alii libri Pontificales, quin et ipse vetus Ordo Romanus, qui hanc benedictionem S. Matthæo Apostolo tribuunt. Id quod superius notatum est.

Digitized by Google

abdicamus occulta dedecoris; non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione virtutis commendantes nos met-ipsos ad omnem conscientiam hominum cum Deo.

Graduale : *Miserere mei, Deus.* Require Feriam IV in principio Quadragesimæ. *Alleluia.* ℣. *Lauda, anima mea, Dominum; laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero.* Evangelium : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, etc.* Require in Communi Virginum, vel dicatur Evangelium : *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Require in medio Evangelii : *Modicum, et jam non videbitis me, etc.*, quod legitur tertia Dominica post Pascha. Offertorium : *Sperent in te, etc.* Require Feria III post Dominicam de Passione. Secreta. « Oblatis hostiis, quæsumus, Domine, præsentibus » famulabus tuis perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis summi » cœlestis Regis talamum cum lætitia mereantur intrare. Per Dominum, etc. »

Benedictio solempnis : « Domine, Deus æterne, qui utrumque sexum, etc. »

Communio : *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Require Feria IV post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

Oratio : « Deus qui habitaculum tuum in » corde pudico fundasti, respice super has famulas tuas, et quæ castigationibus assiduis » postularunt, tua consolatione percipiant. Per » Dominum, etc. »

TITULUS XX.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGIS.

I. Certa est illorum sententia, qui docent solemnem imperatorum ac regum inaugurationem originem suam ducere a veteri Testamento, in quo non solum ungebatur Sacerdos et Pontifex, sed etiam rex et propheta, uti constat ex lib. III Regum, cap. XIX, ubi præcepit Eliæ Dominus : *Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum; cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, et Jehu filium Namsi unges regem super Israel : Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmesla, unges propheta pro te.* Hoc quidem testimonio utuntur non modo scriptores passim Ecclesiastici, theologi æque ac canonici juris consulti ad comprobandum veterem disciplinam ac ritum ungendi sacro oleo imperatores ac reges Christianos, verum etiam Innocentius III Pontifex Maximus in cap. I *De sacra Unctione.* Sane hoc erat discrimen inter unctionem Sacerdotis et Pontificis Maximi apud Hebræos, quod is oleo sancto in capite ungeretur, Sacerdos vero non in capite, sed tantum in vestibus adspergeretur partim oleo sancto, partim vero sanguine arietis immolati. Docet hæc Menochius lib. II *De republica Hebræorum*, cap. V, probatque ex cap. XXIX Exodi, versu XXI : *Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus.*

II. Quod autem unctionem regum spectat apud ipsos Hebræos, duplex ea profecto erat, privata et publica. Prior ante ipsam inaugurationem fiebat, altera vero in ipsa inauguratione. Privatim uncti fuerunt Saül a Samuele in extrema parte civitatis, lib. I Regum, cap. IX, versiculo XXVII; David ab eodem Samuele in domo Patris sui in Bethlehem, ex citato lib. I Regum, cap. XVI, versiculo XIII; Jehu a filio prophetæ seorsim in cubiculo, lib. IV Regum, cap. IX, versu VI. Publice etiam uncti fuerunt David, Salomon et Joachaz, de quo, lib. IV Regum, capite XXIII, versu XXX, legitur : *Tulit populus terræ Joachaz filium Josiæ; et unxerunt eum, et constituerunt eum regem pro patre suo.* Unde magnum noscitur fuisse discrimen inter unctionem Pontificis Maximi et regis, nam ille publice coram populo, apud tabernaculum Domini, ungebatur, ex lib. Exodi,

Digitized by Google

capite XXIX, versu IV, et Levitici, capite VIII, versu III; rex vero aliquando privatim, aliquando vero publice, ut dictum est. Aliud etiam discrimen inter unctionem regis et Pontificis Maximi illud fuit: nam Pontifex ungebatur quidem oleo sancto confecto ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia, ex ipso lib. Exodi, cap. XXIX, versu VII, et cap. XXX, versu XXIII; reges autem simplici oleo, uti probat Becanus in *Apologia*, cap. XVI, quæstione VII, etsi contrarium teneat Fortunatus Sacchus, *Eleochrismaton* libro I, cap. XXII, in fine. Plura scitu digna de hac unctione regum Hebræorum videri possunt apud Alphonsum Tostatum, episcopum Abulensem, ad lib. I Regum, cap. X, quæstione I et sequentibus; Serarium ad eumdem librum; Pinedam, lib. II *De Rebus Salomonis*, cap. VI; Salianum, tomo III *Annalium veteris Testamenti*, anno mundi 2962, et alios.

III. In nostra Christiana religione ea fuit antiqua pietas imperatorum et regum, ut imperium seu regnum inituri, id auspicato facerent cum se a sacris Pontificibus sacro quidem et solemni ritu palam in Ecclesia benedici et coronari voluerunt. Primum ex imperatoribus, qui sacro solemni ritu a Pontifice inauguratus est, fuisse Theodosium Juniorem a Proclo patriarcha Constantinopolitano coronatum, testatur vir clarissimus Hugo Menardus in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 397. Theodosio successit Marcianus, quem Nicephorus quidem, lib. XIV *Historiæ*, cap. LVIII, ab Anatolio patriarcha rite inauguratum innuit. Eamdem fuisse insequentium imperatorum religionem, ut ab Episcopis coronarentur, apud scriptores Ecclesiasticos passim legimus. Certe in coronatione Leonis Armeni, qui teste Baronio in Oriente imperare cœpit anno Christi 813, hoc notabile refert Cedrenus, quod Nicephorus patriarcha, dum apprehendit coronam, ut ipsam capiti illius imponeret, manus suas spinis ac tribulis compungi senserit : quod præsagium fuit futuræ persecutionis, quod ipse Patriarcha et Catholici ab illo ichonomacho tulerunt. Sunt qui autumant Theodosium Magnum primum fuisse qui ab Episcopo coronam regalem perceperit, sed is quidem in somno, quippe qui, ut narrat Theodoretus, lib. V *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. VI, « videbatur sibi videre divinum Meletium Antiochensis Ecclesiæ præsulem, qui imperiali » chlamyde ipsum indueret, et regalem coronam capiti ipsius imponeret. »

IV. Etsi autem, uti dictum est, Theodosius II eumque subsecuti successores coronam rite ab Episcopis perceperint, neminem tamen puto, ante Justinum Seniorem, tam solemnioribus cæremoniis fuisse inauguratum quam ipsum Justinum, quippe qui non solum a Joanne Exscholastico patriarcha coronatus suscepit imperium, ut scribit in sua *Chronographia* Theophanes, sed iterum a Joanne Papa coronatus benedictusque est. De prima coronatione, præter Theophanis testimonium, exstant litteræ ipsius Joannis, qui Justinum coronavit, ad Hormisdam Pontificem Maximum, apud cardinalem Baronium anno Christi 519. « Quando Deus, » inquit, propria mirabilia in suis operatur, » tunc oportet ea, quæ divinis Litteris conti- » nentur, ipsius Scripturæ vocibus fiducialiter » exclamare : Quis loquetur potentias Domini, » aut auditas faciet omnes laudes ejus omni » tempore? Ecce enim talem pium principem » Romanæ reipublicæ suscitavit, quali multo » ante, et Catholica indigebat Ecclesia, et omne » genus hominum videre cupiebat : ideoque ita » etiam coronam (*alibi* cornu) gratiæ super eum » cœlitus declinavit, ut affluenter in sacrum » ejus caput misericordia funderetur, omnique » annuntiationis ejus tempore cum magna voce » Deum omnium Principem glorificaverunt, » quoniam talem verticem meis manibus tali » corona decoravit. » Fuisse autem secundo Justinum a sancto Joanne Pontifice Maximo Constantinopoli coronatum, diserte affirmat Anastasius Bibliothecarius in Vita ipsius Pontificis, dicens : « Justinus autem imperator gaudio » repletus est, quia meruit temporibus suis » vicarium beati Petri Apostoli videre in regno » suo, de cujus manibus cum gloria corona- » tus est Justinus Augustus. » Id quod etiam Aimonius testatur libro II, cap. I, ita scribens : « Joannes Papa Justino Augusto, ut vica- » rius beati Petri, imperialem imposuit coro- » nam. »

V. Porro haud insolens fuit subsecutis sæculis imperatores pariter et reges secundo aut etiam tertio coronari. Etenim, ut alia exempla omittam, et veterem ac recentiorem disciplinam

Digitized by Google

coronandi imperatorem triplici corona, ferrea, argentea, aurea, de quo ritu infra suo loco dicetur; bis quidem Pipinus in regem unctus est : primum, a S. Bonifacio Apostolicæ Sedis legato in civitate Suessionum anno 752, ut testantur *Annales Francorum* a Pithæo editi, Regino, Marianus Scotus, Sigebertus, annalistæ, Tillianus Metensis, et alii complures; secundo, a Stephano Papa II una cum ejus filiis Carolo et Carolomanno ac uxore Bertrada, die XXVIII mensis julii, quæ anno 754 in Dominicam incidebat. Vide Pagium in *Breviario gestorum Romanorum Pontificum*, in Vita Stephani II, Pontificis Maximi. Cæterum, ut aliquod de aliis regibus exemplum exhibeamus, Henricum II, Angliæ regem, ter una cum sua uxore Eleonora coronatum, Lincolniæ, Londini, Wigorniæ, prodit Hovedenus ad annum 1159 et ex eo Michael Alfordus, alias Griffith, Anglus, Societatis Jesu theologus, tomo IV *Annalium Ecclesiæ Anglicanæ*. Addit autem Hovedenus quod cum rex uxorque illius « ad oblationem venirent, » deposuerunt coronas suas, et eas super altare » obtulerunt, voventes Deo quod nunquam in » vita sua coronarentur. » Est hoc, uti scite observat laudatus Alfordus, illustre pietatis exemplum, quo reges Regem regum et Dominum dominantium pientissimo cultu agnoscunt, ad Christi pedes coronam projicientes. Certe præcessit in hoc religionis actu Canutus Anglorum rex, cum anno 1025 Wintoniæ ad Christum cruci affixum coronam suam deposuit.

VI. Denique si veterem ritum benedicendi et coronandi imperatores ac reges spectemus, elevabantur ii quidem in clypeos, ac deinde recitatis ab Episcopo benedictionis precibus, sacro is ipsorum caput oleo perfundebat, et imperiali vel regali corona percingebat. Sequebantur tandem publicæ populi circumstantis acclamationes, ad quem novus coronatus princeps sermonem habere solitus erat. Hæc fere omnia addiscere licet ex solemni Justini Junioris Augusti benedictione, quam ita describit Corippus Africanus grammaticus, *De laudibus* ipsius *Justini*, lib. II :

Quatuor ingentem clypeis sublimibus orbem
Attollunt lecti juvenes ; manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit, ut sua tectus
Littera, quæ signo stabili non flectitur unquam,
Nominibus sacrata tribus, qui viribus æquis
Imperium rexere suum : genus omnibus unum,
Sceptrum continuum, tempus juge, juncta potestas.

Ubi nota quod ad initium quarti versus observat Thomas Dempsterus, per litteram intelligi I, quæ est prima nominis Justini littera. Estque nominibus sacrata tribus, nempe Justino majore, Justiniano et Justino minore, quorum alter in imperio alteri successit. Pergit autem Corippus de Justino dicens :

Adstitit in clypeo princeps fortissimus ille,
Solis habens specimen, lux altera fulsit in urbe;
Mirata est pariter geminos consurgere soles
Una favens, eademque dies.....

Et paulo infra:

Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum
Pontificum summus, plenaque ætate venustus,
Adstantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans Dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput, summoque coronam
Imponens capiti feliciter.....

Et postea

Intonuit Patrum subitus fragor, inde clientum
Clamores crescunt, clamoribus adsonat æther :
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.
Justino vitam ter centum vocibus optant,
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Felices annos Dominis felicibus orant.
Ipse coronatus solium conscendit avitum,
Atque crucis faciens signum venerabile, sedit,
Erectaque manu, cuncto præsente senatu,
Ore pio hæc dixit: Vos, ô mihi proxima membra,
Conscripti Patres, nostri pars maxima regni,
Vos estis pectus, vos brachia verticis hujus,
Quorum consiliis, quorumque laboribus usa
Publica res domuit gentes, et regna subegit.

VII. Notat ad illud, *Adstitit in clypeo*, Thomas Dempsterus, antiquam et frequentem fuisse consuetudinem nuper creatum imperatorem scuto impositum humeris erigere et elevare, ut vulgus militum conspicue videre posset. Meminit quidem ejus ritus Nicetas Choniates de Alexio Emmanuelis filio, Zonaras in Justiniano, Ammianus Marcellinus lib. XX, Nicephorus lib. IV, in principio, et alii complures : inter quos Codinus Curopalata *De officiis Ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ*, cap. XVII, coronationem Græci imperatoris describens, ita inquit : « Novus imperator in scuto sessitans tollitur in » altum, et ab universa multitudine infra stante » conspicitur. Teneat vero priores partes clypei » imperator parensque renuntiati, si adhuc sit » in vivis, et Patriarcha. Partes a latere et retro

Digitized by Google

» tenent qui dignitate præcipua excellunt, vi-
» delicet despotæ et sebastacratores, si fuerint.
» Sin minus, hoc obeunt præstantiores et nobi-
» liores ex proceribus. Si non superest novi
» imperatoris pater, anteriores partes clypei
» tenet excellentior ex illis qui in dignitate
» sunt, aut aliquis ex proceribus cum Patriar-
» cha. Partes posteriores tenent, quos jam antea
» commemoravimus. Populo et universo Fos-
» sato faustis acclamationibus personante, des-
» cendit de scuto, duciturque ad Sanctæ-Sophiæ
» templum, in quo coronandus est. » Idem tradit Joannes Cantacuzenus, lib. I *Historiæ*, c. XLI.

VIII. Hunc ritum elevandi in clypeo imperatorem, cum ipse benediceretur, etiam in coronatione regum usurpatum, addiscere licet ex Adone Viennensi, præsertim vero ex Forcatulo *De Gallorum imperio*, lib. V, et aliis. In regno Aragoniæ Ambrosius Morales, lib. XIII, cap. II, in tertia parte, usum fuisse tradit ut nocte antecedenti rex in ecclesia Metropolitana vel Cathedrali vigilaret, arma habens, quibus indui debebat, et sequenti die rem sacram audiens, offerebat purpuram et monetæ summam quamdam, et communione sacra accepta, erigebatur in scuto a nobilibus et proceribus, qui dicuntur Hispane *ricos homes*, acclamantibus omnibus ter : « Regium, Regium, Regium, » et spargebantur centum solidi monetarum, et ipse manu propria ensem ad modum crucis cingebat sibi, quod non esset ei æqualis, et par qui cingere posset, et eo die alter non equestrem ordinem armatus suscipiebat. Hanc formam suscipiendi et coronandi regem, usitatam etiam fuisse in regno Castellæ, in scuto nimirum acclamationibus regem elevando, vestigia adhuc quædam sunt in legibus *Partitarum*, præsertim in lege III, tit. XXII, parte III, ubi de generalibus exercitus ducibus mentio fit, qui *Adalides* dicebantur, quod in scuto erigerentur. Id quod ad similitudinem regis introductum inter alios auctores Hispanos docet eruditus Valdesius. Porro quod ea elevatio regis in scuto cum manibus, cum alacritatis clamoribus plaudendo fieret, significabat quidem ut rex intelligeret ea elevatione supra alios electum, et natum ad defensionem et securitatem reipublicæ, uti scite observat Forcatulus.

§ I.

Cum rex est coronandus, Episcopi regni, ubi hæc coronatio fieri debet, convocantur. Rex triduanum jejunium devote peragit per hebdomadam præcedentem, videlicet quarta, et sexta feria, et sabbato. Dominica vero proxima sequenti coronatur, qua ipse rex se ad communionem parat. Ecclesia vero ipsa Metropolitana, sive Cathedralis, ubi solemnitas celebrabitur, paretur et ornetur quo melius fieri poterit. Ad altare majus parantur ea quæ consueta sunt parari Pontifice celebrante, et credentia juxta altare cum rebus opportunis. Super altare ponitur gladius, corona et sceptrum regi danda, et oleum catechumenorum, bombyx ad ligandum et extergendum brachium regis et inter scapulas post unctionem, fascia ad ligandum bombycem in brachio. Paratur in ecclesia in loco competenti thalamus sive suggestum pro rege, in quo sit regalis sedes ornata, et thalamus ipse sit ornatus pannis sericeis et aulæis. Sed advertendum est quod altitudo thalami non sit major quam gradus supremus altaris. Paratur etiam in loco convenienti tentorium sive papilio, sub quo rex vestes regales pro regni consuetudine, quæ ibidem pro eo parantur, suo tempore recipit. Et, si regina etiam simul est coronanda, paratur pro ea alius thalamus non longe a regio, sed illo aliquantulum humilior, et ita sunt situandi thalami, ut inde possint videri altare et Celebrans. Parantur etiam ante altare hinc et inde sedes pro numero Episcoporum interessentium.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Plura in hoc § adnotanda sunt. Primo convocandi sunt Episcopi totius regni ubi coronatio regis fieri debet. Quod quidem servatum lego in complurium regum coronatione. De Rogerio Rogerii comitis Siciliæ filio, qui Simoni fratri in Siciliæ ditione successit, ita scribit Romualdus archiepiscopus Salernitanus, in manuscripto *Chronico* ab eruditissimo Ludovico Muratori tomo VII *Rerum Italicarum* edito, pag. 187 : « Anno 1131, indictione X, die Na» talis Domini præfatus rex Rogerius præcepit » congregari in Siciliæ provincia omnes Episco» pos diversarum provinciarum, id est Cala» briæ, Apuliæ, Campaniæ, qui jussione Cal» listi Papæ unxerunt eum in regem, et ab » omnibus vocari Regem jusserunt. » Scio rem alias ab aliis referri aliique anno consignari, uti videre est apud Pagium in *Critica Baroniana* ad annum 1131. Sed hoc parum refert, cum de eo ritu convocandi ad coronationem regis Episcopos regni, multa passim prodant exempla auctores qui variorum regnorum historias scripserunt; inter quos Rigordus in Philippo Augusto, de ejus in regem Franciæ coronatione agens celebrata Remis anno 1179, ita scribit : « Superveniente Omnium-Sancto» torum festivitate, Philippus Augustus, convo» catis Archiepiscopis, Episcopis, et omnibus » terræ baronibus, a Willelmo reverendo Re» mensium archiepiscopo, titulo Sanctæ-Sabinæ » presbytero cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, » ipsiusque regis avunculo, coronatus est Remis. »

II. Meminit et ejus ritus convocandi Episcopos ac nobiles regni ad consecrationis regiæ solemnitatem S. Petrus Damiani in *Sermone* LXIX, primo autem in dedicatione Ecclesiæ, ubi ita scribit : « Cum enim tantæ nobilitatis » sanguis vel genere, vel electione consecratur » in regem, religio cum nobilitate totius regni » viribus convocatur. Astat hinc Primatum, » Metropolitanorum et Episcoporum gloriosa » societas : illinc ducum, comitum, Castellano» rum non spernenda nobilitas. Procedit me» dius homo super homines regnaturus consti» tutus agmine personali. » Sane decentem Episcoporum numerum in unctione et coronatione regis adhibendum, semel ac iterum tradit Alexander IV Pontifex Maximus, « cum propter » regis honorificentiam, tum propter reveren» tiam acramenti, » uti videre est ejus litteris apud Rainaldum ad annum Christi 1257 et 1260. Mirum certe illud videri debet quod de inauguratione regis Petri II legimus in *Chronico Siciliæ*, cap. XCII, apud Ludovicum Muratori, tomo X *Rerum Italicarum*, pag. 891 : « Die Dominico, XIX aprilis, quartæ indictionis, » anno a Nativitate Domini 1322, dominus idem » rex Fredericus ad postulationem omnium co» mitum, baronum, et universorum hominum » totius Ecclesiæ, unxit et coronavit in regem » Siciliæ dictum regem Petrum filium suum; » et in dicta coronatione non interfuerunt Præ» lati, vel Ecclesiasticæ aliquæ aliæ personæ. »

III. Alter ritus coronationis regum est, ut triduanum jejunium devote peragat per hebdomadam præcedentem, videlicet quarta et sexta feria, et sabbato. Id quod etiam præscribit Pontificale manuscriptum Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, Pontificale Arelatense quadringentorum annorum, et alia nonnulla Pontificalia. Fateor de hoc ritu nihil me invenisse apud antiquos scriptores, conveniens tamen esse videtur ut rex ad sui inaugurationem, non modo per religiosa jejunia se præparet, sed etiam per alia pia opera. Unde ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis, debet rex, sabbato præcedente diem Dominicam in qua est consecrandus, « intempestæ noctis silentio venire in » ecclesiam orationem facturus, et ibidem in » oratione aliquantulum, si voluerit, vigilatu» rus. »

IV. Tertius ritus diem, quo coronatio celebranda est, spectat. Libri quidem manuscripti Pontificales tum veteres, cum recentiores, diem Dominicum ipsi coronationi assignant; eoque die celebratam tum imperatorum, tum regum coronationem, scriptores passim testantur. Stephanus Papa V, dictus IV, teste Baronio ad annum 816, ubi citat Theoganum de gestis Ludovici, « die Dominica in ecclesia Sancti-Pe» tri coram Clero et omni populo ante Missarum » solemnia consecravit, et unxit Ludovicum » ipsum imperatorem, et coronam auream » miræ pulchritudinis et pretiosissimis gemmis

Digitized by Google

» ornatam, quam secum apportaverat, posuit » super caput ejus, et Irmingardam reginam » appellavit Augustam, et posuit coronam au- » ream super caput ejus. » Erat Irmingarda Ludovici uxor. Berengarius etiam dux Forojuliensis, qui regnum Italiæ occupavit anno 888, teste Baronio, coronamque imperii a Joanne Papa IX extorsit anno 904, pacifice tandem die Dominicæ Resurrectionis a Joanne X coronatus est, anno 916. Quod quidem constat ex anonymo scriptore in carmine de laudibus ipsius Berengarii Augusti, lib. IV, apud Ludovicum Muratori *Rerum Italicarum* tomo II, ubi ita laudatus poeta inquit :

Luce Deus, qua factus homo, processit ab antro
Tumbali perflat. Populus concurrit ab Urbe
Cernere vestitum trabea imperiique corona
Augustum; replicata calent spectacula totis
Ædibus, auratis splendent altaria pannis,
Cum princeps nitidus tyrio procedit in ostro,
Tegmina vestitus crurum rutilante metallo.

V. Ergo die Dominicæ Resurrectionis, seu Paschæ, quo die Christus Deus et homo sepulcro suo resurrexit, inauguratus est Berengarius. Antrum autem tumbale poeta vocat locum in quo erat sepulcrum Christi, vel, ut vulgo loquuntur, *tumba*. Hinc corrigendus Carolus Sigonius, qui libro VI *De regno Italiæ*, mense septembri a Joanne Papa anno 915, regni ejus XXVIII, imperatorem inunctum esse dicit, cum ex laudatis versibus constet coronatum die Dominicæ Resurrectionis, seu Paschæ, uti scite observat adnotator in ipsis versibus apud memoratum *Rerum Italicarum* collectorem virum egregium Ludovicum Muratori. Die item Dominica Henricum Germaniæ regem coronatum Romæ imperatorem a Benedicto VIII Summo Pontifice, simulque ejus conjugem mulierem sanctissimam Chunegundem ab eodem corona insignitam, Augustæ nomine decoratam anno 1014, XXV aprilis, pro certo affirmat Ditmarus lib. VII in principio, rem narrans, prout ab iis qui memoratæ coronationi interfuerant, accepit.

VI. Neque vero exempla desunt, quæ nos aperte doceant imperatorum pariter ac regum coronationem aliis diebus festivis ritu solemni celebratam fuisse. Carolum Magnum ipsa die sacratissima Natalis Domini coronatum anno 801 omnes pene scriptores tradunt ; et quidem a Leone III Pontifice Maximo, nondum Missa finita, ut scribit Anastasius : « Pontifex, inquit, » unxit oleo sancto Carolum et excellentissimum » filium ejus regem : » scilicet Pipinum, qui tamen jam ab Adriano Papa non modo Romæ baptizatus, sed et rex Italiæ inunctus fuerat ; vocabatur is antea Carolomanus, sed ipse Adrianus mutato nomine eum Pipinum nominavit, ut nos docet *Appendix ad Chronicon* Nibelungi comitis. Natus autem est anno 776, ut videre est apud Pagium in *Critica Baroniana*. Porro Carolus Magnus adveniente sacratissima Natalis Domini die, cum ad Missam ante confessionem beati Petri ab oratione surgeret, Leo Papa III, ob egregia illius in Romanam Ecclesiam Christique Vicarios merita, nihil tale suspicantis capiti coronam imposuit, et a populo ter unanimi voce acclamatum est : « Carolo piissimo » augusto, a Deo coronato, magno, pacifico im- » peratori vita et victoria. » Antea enim dicebatur tantum Patricius Romanorum, sed et post laudes Carolus « a Domno Apostolico, more » antiquorum principum, adoratus est, atque » ablato Patricii nomine, imperator et augustus » est appellatus, » ut produnt Ademarus et Eginhardus in Caroli Vita. Eodem autem tempore fuisse Carolum a Pontifice inunctum, una cum ejus Filio Pipino, jam ex Anastasio dictum est. De patriciatu vero Caroli Magni videri potest vir clarissimus Octavianus Gentilius patricius Septempedanus in suo eruditissimo opere *De Patriciis*.

VII. His ergo omissis, quod rei est nostræ prosequamur. Etsi enim passim legamus reges die Dominico fuisse unctos, constat tamen ex Nicolao Speciali lib. II *Rerum Sicularum*, c. XIX, « anno ab Incarnatione Domini 1286, in die illa » qua festum Purificationis beatæ Virginis cele- » bratur, convenientibus ex proposito majori- » bus et syndicis omnium Siculorum, Jacobum » filium Petri regis Aragonum, vigore genitoris » sui in regem Siciliæ coronatum. » Carolum I Andegavensem, ac Beatricem uxorem ejus solemni ritu inunctos, ac regio diademate insignitos utriusque Siciliæ, sacra die Epiphaniæ Domini, testatum reliquit Rainaldus ad annum 1266. Balduinum Godefridi fratrem, qui ipsi Godefrido successit anno 1101, « in ipsa solem- » nitate sacratissimæ Nativitatis Dominicæ in » ecclesia Bethlehem solemniter » coronatum

Digitized by Google

a Dagoberto, sive Daimberto, patriarcha Hierosolymorum, prodit quidem Bernardus Thesaurarius *De acquisitione Terræ-Sanctæ*, capite LXXXIV, apud Ludovicum Muratori, tomo VII *Rerum Italicarum*. Idem Bernardus in laudato opere de coronatione Fulconis Hierosolymorum regis agens, cap. CXXV, ita inquit : « Fulco » Hierosolymorum regum ex Christianis quar- » tus, mortuo, ut dictum est, Balduino, regnum » assumpsit, quem una cum Melisauth conjuge » sua, patriarcha Hierosolymitanus Willelmus » nomine, die Exaltationis S. Crucis, in eccle- » sia Sancti-Sepulcri consecravit, inunxit et » coronavit magno cunctorum plausu. » Stephanum I Angliæ regem coronatum die S. Stephani anno 1136 testis est Hovedenus, qui etiam addit quod in ejusdem coronatione, « *Pax Do-* » *mini* ad Missam nec dicta fuit, nec data populo, » cum hoc sacramentum factum est. » Eventus quidem ostendit id verum fuisse, pace per plures annos ab eo regno exsulante, uti constat ex laudato Michaele Alfordo. Tandem, ut alia exempla omittam, de Henrico I Angliæ rege ita scribit Matthæus Parisius : « Consecratus est in » regem apud Westmonasterium in die Assumptionis B. Mariæ, favente Clero et populo, cui » continuo a Mauritio Londinensi episcopo et a » Thoma Eboracensi archiepiscopo corona capiti » imponitur. » Malmesburiensis dicit coronatum ipsum regem nonis augusti, nimirum in festo Dedicationis ad Nives.

VIII. Memini etiam me legisse factam regum inaugurationem diebus etiam non festivis; qualis est illa Petri Aragonum regis, peracta Romæ anno 1204, in die S. Martini, uti videre est apud Pagium in Vita Innocentii III, et alia Friderici ab Adriano IV Romæ coronati die sabbati XVIII julii, anno 1155. De qua coronatione ipse Fridericus in Epistola ad Ottonem de rebus a se gestis hæc habet : « Missa celebrata » ad altare sanctorum Apostolorum Petri et » Pauli, in honore sanctæ Mariæ Virginis, quia » sabbatum erat, benedictionem coronæ Romani » imperii largiter super caput nostrum effudit. » Confer quæ scribit Otto Frisingensis lib. II *De rebus gestis Friderici imperatoris*, cap. XXII, ubi ait : « Celebratis ab ipso Papa Missarum » solemnibus, armato stipatus rex milite cum » benedictione debita imperii coronam accepit, » anno regni sui IV, mense junio, XIV kal. ju- » lii. » Equidem anno 1155 quo hæc coronatio peracta est, dies decimus octavus junii in sabbatum incidebat, uti observat Pagius in Vita Adriani IV. Cæterum docet Restaurus Castaldus, jurisconsultus Perusinus, in tractatu *De Imperatore*, quæst. XXXI, quod cum in jure dies præcisus non determinatur, credendum est et alio die quam Dominico fieri posse coronationem imperatorum ac regum, secundum quod Papæ visum fuerit, qui in hujusmodi re plenitudinem potestatis habet. Quod quidem comprobat exemplo Caroli V imperatoris, quem in XXXV quæst. ait, anno 1530, die jovis XXIV februarii, festo S. Mathiæ, a Clemente VII Pontifice Maximo fuisse imperatorem Bononiæ coronatum.

IX. Quartus ritus est ut coronatio regis in ecclesia Metropolitana et ab ipsius Præsule celebretur, uti passim in Pontificalibus præscriptum est, licet non semel ab aliis quam a Metropolitanis, vel aliqua adacti necessitate, vel ex Romani Pontificis privilegio reges consecrati fuerint. De Willelmo I Anglorum rege ad annum 1066, num. XXI, scribit Alfordus ipsum Willelmum, quod Stigandus Cantuariensis primæ in Anglia Sedis episcopus, ad quem alias coronationis officium spectabat, vitio sedem intraverat, et infulam male gestando, plura præter Ecclesiastici hominis dignitatem fecerat, ab eo noluisse inungi, aut eo dispensante coronam accipere; advocatumque propterea fuisse Aldredum Eboracensem episcopum ad inaugurationis solemnia peragenda; atque ipsum quidem sub finem memorati anni Willelmo ad altare procumbenti inter Missarum solemnia, jurantique se Ecclesiæ privilegia servaturum, sub certa verborum formula, post solitam inunctionem, sceptrum ac coronam tradidisse. Et ne ab Anglia discedamus, Henricus I etiam a Mauritio Londinensi episcopo et Thoma Eboracensi archiepiscopo coronatus est, quod Cantuariensis Antistes longe abesset, periculumque in mora esset ne Robertus, frater ejus natu prior, coronam prériperet. Excusat autem factum Henricus in litteris ad Anselmum tunc Cantuariensem archiepiscopum datis, quæ exstant lib. III *Epistolarum* ipsius Anselmi, estque epistola XLI.

X. Ad evitanda scandala concessum legimus fuisse aliquando a Summis Pontificibus, ut peculiaris regni Ecclesia regem inungeret et

Digitized by Google

coronaret. Cum enim gravis inter Strigoniensem et Colocensem Archiepiscopos de conferendæ regiæ inunctionis auctoritate ac prærogativa exardesceret controversia, quam rex Hungariæ ita diremerat, ut nimirum prima coronatio ipsius regis ad solum Strigoniensem, secunda vero ad utrumque pertineret Episcopum : præcepit tamen Innocentius III, ad evitanda scandala, ut soli Strigoniensi antistiti jus esset coronandi Hungariæ regem, quemadmodum liquet ex laudati Pontificis litteris, apud Rainaldum ad annum 1212, num. VII. « Nos igitur, inquit » Pontifex, attendentes quod olim nobis multa » precum instantia supplicaras, ut super jure » coronandi reges Hungariæ Strigoniensi Ec- » clesiæ privilegium concedere dignaremur; » nosque tuis precibus inclinati, ei super hoc » privilegium concesserimus, fratrum nostro- » rum subscriptionibus roboratum : conside- » rantes etiam, quod si potestas coronandi » reges Hungariæ penes diversas Ecclesias re- » sideret, toti regno grave periculum et hære- » dibus tuis grande posset dispendium generare; » cum sicut plenius ipse nosti, frequenter inter » regum Hungariæ cohæredes super obtinenda » regni corona scandalum sit exortum, quod » utique posset facilius suboriri, si eos diversos » coronatores contingeret invenire, propter » contradictiones et rationes præscriptas, com- » positionem hujusmodi non potuimus nec » debuimus confirmare. » Qua de re ad Strigoniensem quoque Archiepiscopum et Capitulum scripsit. Eodem Innocentio Papa teste hæc fuerat ab ipso Hungariæ rege compositio excogitata : « Prima coronatio regum Hungariæ » specialiter spectat ad solam Strigoniensem » Ecclesiam. Verumtamen, si Strigoniensis » Archiepiscopus non posset, vel malitiose nol- » let regem coronare, vel Strigoniensis Ecclesia » vacaret, coronet regem Colocensis, nullum » ex tali coronatione jus sibi vindicando in pri- » ma coronatione. Secunda coronatio deinceps » æqualiter pertineat ad utrumque. »

XI. Vacante Ecclesia Metropolitana, vel nondum confirmato ipsius Ecclesiæ Antistite, si regem tunc temporis consecrandum contingeret, consulendus videtur Pontifex Maximus, qui alium ad eam functionem Episcopum deputet. Cum enim nondum ornamenta dignitatis Primislaus accepisset, nec tamen Moguntinus archiepiscopus, ad quem reges Bohemiæ sacra unctione perungendi jus spectabat, Apostolica auctoritate confirmatus esset, Pontificem quidem Alexandrum IV consuluit Primislaus, ut decerneret a quibus ipse regiam inunctionem et coronam accipere deberet. Mox ille mandavit Pragensi Olomucensique Episcopis, ut adhibito decenti Præsulum numero tum propter ejusdem regis honorificentiam, tum etiam propter reverentiam sacramenti, ut ipsi Apostolica auctoritate Primislaum regia inunctione linirent, sine ullo tamen Ecclesiæ Moguntinæ, ad quem ista spectabat coronatio, præjudicio. « Volumus » autem atque statuimus ut nullum ex hoc in » posterum Pontificibus Moguntinis, qui erunt » pro tempore, et Ecclesiæ Moguntinæ aliquid » præjudicium generetur, quin circa ipsius regis » successores exequantur libere quod ad eos » pertinet in hac parte. » Et statim addit, ut ea quæ exhibiturus esset idem rex Archiepiscopo Moguntino, si illum is inungeret et coronaret, dicto Electo, si eum confirmari contingat, alioquin ei qui prædictæ Moguntinæ Ecclesiæ præfuerit, fideliter transmittat. Data est Epistola Anagniæ II non. octob. anno Alexandri Pontificatus VI, id est anno Christi 1260. Tradit Menardus, in *Notis et Observationibus* ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pag. 409, quod Remorum urbs, ubi solent Galliæ reges consecrari, a factiosis occupata esset, coronatum fuisse Henricum IV Carnoti a Nicolao Thuano ejusdem civitatis episcopo, qui universum celebritatis hujus ritum perfecit, defectu Archiepiscopi seu Metropolitani, Senonensi tunc sede vacante; etsi Reginaldus de Beaune, archiepiscopus Bituricensis, ad sedem Senonensem a rege nominatus, hanc consecrationem ad se spectare contenderet, qui tamen Thuano episcopo Carnotensi cedere coactus est, quod nondum ipse a Papa confirmatus fuisset.

XII. Constat illud quoque ex variis Maximorum Pontificum litteris, ipsos non semel ad regum preces Episcopos designasse, a quibus illi eorumque successores in posterum consecrarentur. Et, ut alia de hac re exempla omittam, quæ videri possunt apud historicos Ecclesiasticos, cum Theobaldus Campaniæ comes ac rex Navarræ ab Alexandro IV peteret ut, cum divina Providentia ad regium solium ipsum extulisset, inunctionis beneficium illi Episcopus

Digitized by Google

Pampilonensis conferret. Cujus precibus obsecutus Alexander anno 1257, uti liquet ex ejus litteris datis Viterbii III nonas novembris, anno Pontificatus II, Pampilonensi Episcopo provinciam commisit ut regem inungeret et consecraret, atque etiam Apostolica auctoritate ipsi ac successoribus ejus munus imponendi regibus Navarræ coronam contulit : « Nos enim tibi et » tuis successoribus, ad ejusdem regis instantiam, » ungendi et coronandi auctoritate Apostolica » eum suosque successores in devotione Roma- » næ Ecclesiæ persistentes in reges, juxta mo- » rem qui servatur in talibus circa reges alios » Catholicos, et sicut canonica instituta edocent, » liberam per præsentes litteras concedimus » facultatem. »

XIII. Exoptarunt plerumque reges ut ab ipso Romano Pontifice coronarentur, eaque de re complura ex Ecclesiastica historia referri possent exempla. De adventu in Urbem, et coronatione solemni Petri Aragonum regis, post Rainaldum et Spondanum ad annum Christi 1204, hæc habet Pagius in Vita Innocentii III, num. XL, eodem anno 1204. « Mense novembri Petrus rex Aragonum ad Apostolicam Sedem accessit, ut ab Innocentio Papa militare cingulum et regium acciperet diadema. Pontifex, missis ad illum equitaturis, fecit eum apud Sanctum-Petrum ad præsentiam suam venire, mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales, senatorem urbis, et alios multos nobiles, fecitque illum in domo Canonicorum apud Sanctum-Petrum honorabiliter hospitari. Tertio vero die, in festo videlicet S. Martini, Pontifex cum Episcopis, Presbyteris et Diaconis Cardinalibus, Primicerio, Cantoribus, senatore, ad monasterium Sancti-Pancratii martyris trans Tiberim est profectus, ibique præfatum regem per manus Petri Portuensis episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronavit, largiens ei regalia insignia universa, mantum videlicet et colobium, coronam et mitram, corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenorem inferius referemus. Deinde præfatus rex coronatus rediit juxta Dominum Papam ad basilicam Sancti-Petri, super cujus altare sceptrum et diadema deposuit, et de manu ejusdem Pontificis militarem ensem accepit, regnumque suum beato Petro obtulit, illudque constituit censuale, « ita ut annuatim de » camera regis ducentæ quinquaginta nassenu- » tinæ » (erant aurei nummi, quorum singuli sex solidis regalium æstimabantur) « Apostolicæ Sedi redderentur; » uti legitur in privilegio ea de re a Petro rege exarato, quod habetur in *Actis Innocentii*, num. CXX et seqq.

XIV. Ideo autem Petrum a Pontifice coronari voluisse, et in sacello Vaticano, regiis insignibus depositis, gladio de Pontificis manu accepto militiæ auctoramentum profiteri, docet Surita, quod nondum veteres Aragonum reges solemni ritu redimiri corona consuevissent ; sed cum nuberent, aut viginti annorum ætatem attingerent, milites crearentur, et tum demum regium nomen atque insigne usurparent. Jam vero Pontifex privilegium ei postea concessit, anno 1206, ut cum vellent reges coronari, coronam a Sede Apostolica requirentes, de speciali ejus mandato per Archiepiscopos Tarraconenses coronæ in posterum iis Cæsaraugustæ imponerentur. Legitur privilegium in iisdem *Innocentii Actis*, num. CXXII, diciturque « Datum Ferentini, » XV kal. julii, anno nono, » Pontificatus scilicet Innocentii, ideoque anno Christi 1206. Quidam scriptores commenti sunt coronatum fuisse Petrum ab Innocentio Pontifice corona panis azymi, sed hanc ridiculam fabulam infra suo loco refellemus.

XV. Addi et huic exemplum potest Caroli I, Andegavensis comitis, qui anno Christi 1266, in ipsa die Epiphaniæ, Romæ a quinque Cardinalibus ad hoc a Clemente IV Pontifice, Perusio, ubi is agebat, missis, præstito sacramento et homagio ligio Clementi Romanæque Ecclesiæ, inunctus et coronatus est in basilica Sancti-Petri in regem utriusque Siciliæ, citra et ultra Pharum, una cum uxore sua Beatrice. Egregium porro quod ipse Pontifex jam penitus exhaustus Carolo pecunias subinde poscenti prudenter ac pie rescripsit, « nec montes, nec » fluvios habere se aureos, et quantumcumque » necessitas urgeret, nihil se ultra posse; fe- » cisse se liberaliter quod potuisset, et quod » commode poterit facturum : sed exhaustis jam » viribus, et mercatoribus fatigatis, cur ipsum » ulterius inquietaret, videre se non posse; nisi » forsan requireret miraculum, ad quod sibi » nequaquam merita suffragarentur, ut in au- » rum terram vel lapides converteret. » Ubi nota vexatos semper a regibus fuisse Summos Pontifices, ut eis pecuniam elargirentur, quibus

Digitized by Google

nihilominus affluenter semper Pontifices ipsi dederunt, nec ulli unquam improperarunt; cum cæteroqui regum ministri parvam pecuniæ summam, quæ ad expedienda negotia Romam mittitur, tota die decantare non erubescant : et minitari ut plurimum ejusdem parvæ pecuniæ subtractionem non vereantur, quasi ea deficiente Romanus Pontifex ejusque ministri, vel panem emendicare, vel mori fame cogantur.

XVI. Sed de his alias : nunc illud non omittendum quod in nostra Rubrica edicitur, ecclesiam Metropolitanam seu Cathedralem, ubi rex coronari debet, egregie ornandam quo melius fieri poterit. En pompam coronationis Friderici regis Siciliæ mirifice descriptam a Nicolao Speciali libro III *Rerum Sicularum*, cap. I, ubi ita inquit : « Hoc itaque designato tempore propinquante, solum Panormitanæ urbis ubique » myrto sternitur, templa deinde, forus, portici, » plateæ, vici, ceteraque urbis loca tam publica » quam privata, vel operiuntur aulæis sericis, » vel amictu vario decorantur. Conveniunt quos » illo tempore Insula potuit habuisse, Prælati, » comites, milites, barones, feudatarii, parati » pro viribus illo properant cum popularibus et » plebæis. Postquam autem ad urbem deventum » est, et tempus vigiliarum constitutæ solemnitatis instabat, onerata cereis, qui tunc instar » ingentium columnarum agebant, ad matricem » Ecclesiam plaustra festinant, archii accenduntur, e quibus cera liquescens veluti rivi » aquarum torrentium emanabat. Nox illa quidem illuminabatur ut dies, et præ magnitudine » lucis hujus, continuo diescere videbatur. »

XVII. Quinto ritui ornandi ecclesiam succedit sextus, ut nimirum super altare ponatur *gladius, corona et sceptrum regi danda, et oleum catechumenorum, bombyx ad ligandum et extergendum brachium regis et inter scapulas post unctionem, fascia ad ligandum bombycem in brachio.* Ex toties laudato manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum ante annos quadringentos exarato, non solum ista, sed et aurea calcaria, caligæ sericæ et hyacinthinæ, intextæ per totum liliis aureis, et tunica ejusdem coloris et operis in modum tunicæ qua induuntur Subdiaconi ad Missam, super altari collocabantur, ex quo postea accipiebat. Idipsum docet manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Senonensis, et alia complura, quibus addi potest testimonium Hovedeni, qui parte II *Annalium*, ubi ordinem describit coronationis Richardi regis Angliæ, eumdem ritum innuere videtur, posita nempe fuisse ornamenta regia super altare : primum autem dicit ea solemniter allata fuisse a variis Angliæ regni baronibus, qui regem inaugurandum ad ecclesiam Westmonasterii deducebant.

XVIII. Quanta autem pompa sacra olei ampulla, cœlitus, ut aiunt, missa, ex qua reges Francorum inunguntur, ad ecclesiam deferretur, ut ibidem super altari poneretur, egregie describit laudatum Pontificale Bibliothecæ regis Gallorum, et Pontificale Ecclesiæ Senonensis his verbis : « Inter Primam et Tertiam debent » venire Monachi Sancti-Remigii processionaliter cum crucibus et cereis cum sacrosancta » ampulla, quam debet Abbas reverentissime » deferre sub cortina serica, quatuor perticis a » quatuor Monachis in albis indutis sublevata. » Rex autem debet mittere de baronibus qui » eam secure conducunt : et cum venerint ad » ecclesiam B. Dionysii, vel usque ad majorem » januam ecclesiæ, propter turbam comprimentem, debet Archiepiscopus cum ceteris Archiepiscopis et Episcopis, baronibus nec non et » Canonicis, si fieri potest, occurrere sacrosanctæ ampullæ, et eam de manu Abbatis recipere, cum pollicitatione de reddendo bona » fide, et sic ad altare cum magna reverentia » deferre. » Aiunt plerique Galli scriptores, singulari privilegio, non quolibet oleo, sed cœlitus misso consecrari reges Francorum, ex sacra scilicet ampulla, quæ, uti narrant, ore columbæ delata olim fuit S. Remigio, ad baptizandum Clodoveum regem Francorum, servaturque hodie in percelebri Sancti-Remigii monasterio. Hinc Guillelmus Brito, lib. I *Philippidos* agens de Philippi Augusti coronatione, ita cecinit :

Jamque dies aderat cunctis optata, novembris
Quæ caput est mensis, quæ cunctis sanctificata
Jamdudum sanctis, nunc longe sanctior exstat.
In qua sceptrifero fulsit redimitus honore
Magnanimus sacro rex delibutus olivo,
Quo Deus angelicis manibus, virtute parato
Divina, nostris concessit regibus uti;
Ut sacrarentur eo soli specialiter illi,
Qui successive Francorum regna capessunt.

XIX. Septimus ritus est, ut in ecclesia, in qua rex inaugurari debet, thalamus seu suggestum cum regali sede ibidem posita construatur,

Digitized by Google

pannisque sericis et aulæis egregie ornetur. Ut enim infra dicemus, in ea sede locari rex ipse a Metropolitano debet, et quidem solemni ritu, postquam inauguratus fuit. Meminit ipsius thalami seu regii solii non modo Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ, sed et manuscriptus codex insignis Ecclesiæ Senonensis : « Primo, inquit, paratur solium in modum » eschafaudi aliquantulum eminens exterius » choro ecclesiæ inter utrumque chorum, po- » situm in medio, in quo per gradus ascenditur, » et in quo possint Patres regni, et aliqui, si » necesse fuerit, cum rege consistere. » Eschafaudum est tribunal seu pulpitum editius, Gallice dictum *Echafaud*, de cujus vocis origine vide virum clarissimum Carolum Dufresne in *Adnotationibus ad Joinvillam*. Recte autem cautum est ex hac nostra Rubrica, ne altitudo thalami regis major sit quam supremus gradus altaris, non enim decet ut thronus regis terreni altare superet, quod Regis regum et Domini dominantium solium est : « Quid est altare, » inquit Optatus Milevitanus, lib. VI *Contra Donatistas*, « nisi sedes et corporis et sanguinis » Christi ? » Præter thalamum dicitur etiam in nostra Rubrica ut in competenti loco tentorium sive papilio paretur, ut in ipso rex vestes regales pro regni consuetudine, quæ ibidem pro eo parantur, suo tempore assumat. De papilione mentio quidem habetur in laudato manuscripto Pontificali Vaticano, ubi dicitur quod rex ad Introitum Missæ, « vel in sacristia, vel sub pa- » pilione ad hoc præparato, induitur regalibus » indumentis. »

XX. Porro constat ex Codino Curopalata, *De officiis et officialibus Ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ*, cap. XVII, itemque ex Johanne Cantacuzeno, lib. I *Historiæ*, cap. XLI, cum novus imperator Græcus consecraretur, non modo in ecclesia ligneam ædiculam exstructam fuisse, in qua ipse regio quodam vestitu indueretur, sed etiam prope ædiculam illam, ædificatam fuisse ligneam anabathram, pannis rubris vestitam, in qua pro numero imperatorum aurei throni ponebantur, et quidem adeo excelsi, ut quatuor vel quinque gradus haberent, in quibus, si non unus, vel plures erant, residebant. Denique si qui supersint explicandi ritus in hoc præsenti § contenti, infra opportunius in decursu hujus tituli enarrabuntur, allatis non modo manuscriptorum Pontificalium, sed et egregiorum scriptorum testimoniis.

§ II.

Die autem Dominica qua rex benedicendus et coronandus est, omnes Episcopi conveniunt mane in ecclesia in qua hoc fieri debet; et Metropolitanus, sive Pontifex, ad quem spectat, parat se solemniter cum ministris, Missam celebraturus, paramentis tempori convenientibus. Episcopi vero induuntur supra rochetum, vel supra superpelliceum si sint Religiosi, amictu, stola, pluviali albo et mitra simplici. Quibus omnibus paratis, Metropolitanus in faldistorio, ante medium altaris posito, sedet cum mitra, et Episcopi parati hinc et inde super sedibus pro eis paratis, quasi in modum coronæ sedentes, sibi assistunt. Interim rex vestibus militaribus indutus cum suis Prælatis domesticis non paratis, ac baronibus, nobilibus et aliis, venit ad ecclesiam, et cum fuerit prope presbyterium, duo priores Episcopi ex paratis veniunt ei obviam, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsum inter se medium, bireto deposito, usque ante Metropolitanum deducunt, cui rex caput inclinans, humilem reverentiam exhibet : qua facta, prior Episcoporum deducentium stans detecto capite, versus ad Metropolitanum dicit intelligibili voce : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica ut præsentem egregium militem ad dignitatem regiam sublevetis.* Interrogat Metropolitanus : *Scitis illum esse dignum, et utilem ad hanc dignitatem?* Ille respondet :

Digitized by Google

Et novimus, et credimus eum esse dignum, et utilem Ecclesiæ Dei et ad regimen hujus regni. Metropolitanus dicit : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Die Dominica in ecclesia Metropolitana ab ipsius ecclesiæ Antistite celebrandam esse regum inaugurationem, jam in superiori Commentario dictum est. Quod autem præsentem Rubricam spectat, profecto illam invenies tum in manuscripto Pontificali Vaticano annorum circiter quadringentorum, tum etiam in manuscripto Pontificali codice Ecclesiæ Arelatensis annorum circiter quingentorum, in quo tamen ita legimus : « Cum rex benedicitur, Episcopi, » qui adsunt, debent ex seipsis facere coronam, » habentes eum in medium suorum ; accipiant- » que duo ex Episcopis priores, offerentes eum » Metropolitano, his verbis dicentes : « Reveren- » de Pater, postulat mater Ecclesia ut præsentem » militem ad dignitatem regalem sublevetis. » » Tunc dicat Metropolitanus, etc. » Ex manuscripto codice Vaticano duo quidem Episcopi deducunt inaugurandum regem ad Metropolitanum, sed alter eorum alta voce dicit in tono Lectionis : « Reverende Pater, postulat sancta » mater Ecclesia Catholica, etc. » Cæterum nec vetus Ordo Romanus, nec Ratoldi abbatis Corbeiensis codex, neque alii manuscripti libri Pontificales ullam de eo ritu faciunt mentionem, ut scilicet alter ex Episcopis qui coronandum regem Metropolitano offerunt, ea verba proferat : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, etc.* Juxta præscriptum quidem Ordinis antiqui Romani, ubi inaugurandus erat novus rex, ipso primum exeunte thalamum, unus Archiepiscopus hanc Orationem pronuntiabat : « Omnipotens sempi- » terne Deus, qui famulum tuum Ill. regni fa- » stigio dignatus es sublimare, tribue ei, quæ- » sumus, ut ita in præsenti collecta multitudine » cunctorum in commune salutem disponat, » quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. » Per. »

II. Dicta hac Oratione suscipiebant illum duo Episcopi dextra lævaque, honorifice parati, habentes sacras reliquias collo appensas. Cæteri autem Clerici solemni apparatu ornati, præcedente sancto Evangelio, et duabus crucibus cum incenso boni odoris ducebant illum ad ecclesiam, Responsorium canentes : *Ecce mitto angelum meum,* cum versiculo : *Israel, si me audieris,* cuncta eum plebe sequente : ad ostium ecclesiæ subsistente Clero, alius Archiepiscopus hanc dicebat Orationem : « Deus, qui scis hu- » manum genus nulla virtute posse subsistere ; » concede, propitius, ut famulus tuus Ill. quem » populo tuo voluisti præferre, ita tuo fulciatur » adjutorio, quatenus quibus potuit præesse, » valeat et prodesse. Per. » Tum introeuntes Clerici ecclesiam, hanc Antiphonam decantabant : *Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te ;* itemque totum Psalmum XIX, *Exaudiat te Dominus, etc.*, usque ad introitum chori ; Metropolitanus autem istam Orationem recitabat : « Omnipotens sem- » piterne Deus, cœlestium terrestriumque mo- » derator, qui famulum tuum Ill. ad regni » fastigium dignatus es provehere ; concede, » quæsumus, ut a cunctis adversitatibus libera- » tus, et Ecclesiasticæ pacis dono muniatur, et » ad æternæ pacis gaudia, te donante, perve- » nire mereatur. Per. » Qua finita, inaugurandus rex pallium suum deponebat, atque inter manus Episcoporum perductus in chorum, usque ad altaris gradus incedebat, cunctoque pavimento tapetibus et palliolis contecto, ibi humiliter totus in cruce prostratus jacebat una cum Episcopis et Presbyteris hinc inde prostratis, cæteris in choro Litaniam breviter psallentibus.

III. Explicandum nunc censeo quod initio Rubricæ dicitur, ut Metropolitanus, qui consecraturus est regem, paret se solemniter cum ministris paramentis tempori congruentibus. Quæ res ita describitur ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis : « Archiepiscopus, » dum cantatur Tertia, facta aqua benedicta, ad » Missam se præparat cum Diaconibus et Sub- » diaconibus, vestimentis insignioribus et pallio » induendus : et in hunc modum indutus venit » processionaliter ad altare more solito, cui » venienti rex debet assurgere reverenter. » Ubi nota prius venire debet ad ecclesiam regem inaugurandum, quam Archiepiscopum qui

Digitized by Google

illum est consecraturus. Id quod etiam innuit Pontificale Bibliothecæ regis Gallorum, ubi ita inquit : « Post Primam cantatam, debet rex ve- » nire in ecclesia, antequam fiat aqua benedicta, » et debent esse sedes dispositæ circa altare, ubi » honorifice sedeant Archiepiscopi et Episcopi ; » et regni pares sedeant seorsum ab oppositis » altaris. » Quibus verbis non obscure explicatur id quod in nostra Rubrica dicitur, Metropolitanum scilicet in faldistorio ante medium altaris posito sedere, et Episcopos paratos hinc et inde super sedibus, quasi in modum coronæ sedentes, eidem assistere Metropolitano. Quod autem ii Episcopi induti esse debent amictibus, albis, vel superpelliceis si velint, pluvialibus item et mitris, edicit Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ. Quo autem ritu et pompa inaugurandi reges ad ecclesiam pergerent, varia fuit pro varietate regnorum et temporum disciplina, uti videre est in Historiis variorum regnorum. Lubet hic solemnem accessum describere Richardi regis Angliæ, quem ita refert Hovedenus parte secunda *Annalium*.

IV. « In primis venerunt Episcopi, et Abbates, et Clerici multi induti cappis sericis, præcedentibus eos cruce, ceroferariis, thuribulis, cum aqua benedicta ad ostium thalami regis interioris, et ibi receperunt prædictum Richardum ducem, qui coronandus erat, et duxerunt eum in ecclesia Westmonasterii usque ad altare majus cum ordinata processione et cantu glorioso, et omnis via qua gradiebantur, ab ostio thalami regis usque ad altare cooperta erat pannis laneis. Ordo autem processionis talis erat. In prima fronte præcedebant Clerici induti, portantes aquam benedictam, et crucem, et cereos, et thuribulos. Deinde veniebant Priores, deinde Abbates, deinde Episcopi, et in medio illorum ibant quatuor barones portantes quatuor candelabra aurea. Deinde venerunt Godefridus de *Luci* portans pileum regium, et Johannes Marescallus juxta eum portans duo calcaria aurea magna et ponderosa. Deinde venerunt Willelmus Marescallus comes *de Striguil* portans sceptrum regale aureum, in cujus summitate est crux aurea, et Willelmus Patricii comes *de Salisbirie* juxta eum, gestans virgam auream, habentem in summitate columbam auream. Deinde venerunt David frater regis Scotiæ comes *de Hunteden*, et Johannes comes Moretonii frater ducis, et Robertus comes Leicestriæ, portantes tres gladios aureos regios sumptos de thesauro regis, quorum vaginæ desuper per totum auro contextæ erant. Medius autem illorum ibat comes Moretonii. Deinde veniebant sex comites et sex barones portantes in humeris suis unum scaccarium (*alii legunt* saccarium) magnum valde, super quod posita erant regalia insignia et vestes. Deinde veniebat Willelmus de Mandivilla comes Albæ Marliæ, gestans coronam auream magnam et ponderosam, lapidibus pretiosis undique decoratam. Deinde venit Richardus dux Normanniæ, et Hugo Dunelmensis episcopus ibat a dextris illius, et Reginaldus Bathoniensis episcopus a sinistris illius ibat, et quatuor barones portaverunt supra eos umbraculum sericum super quatuor lanceas proceras, et omnis turba comitum, et baronum, et militum, et aliorum, tam Clericorum quam laicorum sequebantur usque in atrium ecclesiæ, et induti introierunt cum duce usque in chorum. »

§ III.

Tunc sedet rex medius inter duos Episcopos deducentes, congruenti spatio a Metropolitano, ita ut illi faciem vertat : ipsi etiam deducentes Episcopi, senior ad dextram, alius ad sinistram regis se collocant, ita ut et ipsi ad alterutrum facies vertant. Quibus sic sedentibus, postquam aliquantulum quieverint, Metropolitanus coronandum regem admonet, dicens :

Cum hodie per manus nostras, optime Princeps, qui Christi Salvatoris nostri vice in hac re fungimur, quamvis indigni, sacram unctionem et regni insignia sis suscepturus; bene est ut te prius de onere, ad quod destinaris, moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, et regendi fideles populos tibi commissos curam sumis.

Digitized by Google

Præclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris atque anxietatis plenum. Verum, si consideraveris quod omnis potestas a Domino Deo est, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt; tu quoque de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditurus. Primum, pietatem servabis; Dominum Deum tuum tota mente ac puro corde coles. Christianam religionem ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum Prælatis ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis. Ecclesiasticam libertatem non conculcabis; justitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis præmia, noxiis debitas pœnas retribuendo. Viduas, pupillos, pauperes ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus benignum, manifestum atque affabilem pro regia tua dignitate te præbebis. Et ita te geres, ut non ad tuam, sed totius populi utilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum, non in terris, sed in cœlo exspectare videaris. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ Pontificali, et ex aliis etiam quæ ante emendationem Clementis VIII edita fuerunt, ut postquam interrogarit Metropolitanus an novus rex dignus et utilis sit ad regiam dignitatem capessendam, responsumque ei fuerit utilem esse ac dignum, mox ille instruatur publice, et diligenter admoneatur de fide, de dilectione Dei et populi regimine, de defensione Ecclesiarum et miserabilium personarum, et de aliis opportunis; exponendo ipsi inter alia conditionem dignitatis suæ et regalis status. Sane illud constat morem fuisse antiquum, ut novi imperatores ac reges non modo de fide admonerentur, verum etiam ipsi publicam ejus professionem ederent. Docet id quidem in *Apologetico* adversus Anastasium Symmachus Pontifex Maximus; Anastasium ipsum non prius coronam ab Euphemio Patriarcha Constantinopolitano suscepisse, quam tradito chirographo jurejurando sancito de orthodoxa fide tuenda, quod custodiæ causa depositum est apud Macedonium Cimeliarcham, testes sunt quidem Evagrius, lib. III, cap. XXXII, Zonaras in Anastasio, et alii, inter quos Theodorus Lector, lib. II, ita scribit: « Zeno imperator moritur, cujus loco imperator » ab Ariadne Augusta renuntiatus est Anasta- » sius Silentiarius oriundus Dyrrachio. Verum » Euphemius episcopus electioni ejus obstitit, » hæreticum illum vocans et indignum qui » Christianis imperaret. Ariadne tamen et Se- » natores vim inferentes, Euphemium assentiri » coegerunt. Ille non alia conditione id se fa- » cturum promisit, quam si confessionem scripto » comprehensam ab eo suscepisset, quo profi- » teretur se pro definitione fidei amplecti ea quæ » in Chalcedonensi Synodo decreta fuerant; » quod quidem præstitit Anastasius. » Addit Evagrius hanc professionem idcirco exactam fuisse, quod Anastasius Manichæorum sectæ addictus esse a pluribus crederetur. Tradit autem Isaacius Haberti in Pontificale Græcorum, observatione III ad ritum coronationis imperatoris, verisimile esse hanc fidei confessionem, si non scripto, saltem semper voce præstitam ab imperatoribus, ex quo sacro diadematis ab Ecclesia suscipiendi ritu honorari cœpere. Multa imperatorum exempla, qui antequam benedictione Pontificali donarentur, soliti fuerunt professionem fidei voce vel scripto coram omnibus emittere, videri possunt apud laudatum Isaacium Haberti, et apud Gretserum in *Notis ad Codinum*, cap. XVII *De officiis aulæ et Ecclesiæ Constantinopolitanæ*.

II. Morem etiam fuisse ut reges in solemni sua inauguratione solemne ederent juramentum de tuenda conservandaque fide Catholica, luculenter docet Concilium Toletanum VI, can. III.:

Digitized by Google

« Quisquis, inquit, succedentium temporum » regni sortitus fuerit apicem, non ante con- » scendat regiam sedem, quam inter reliqua » conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc » se Catholicam non permissurum eos (nempe » Judæos) violare fidem, etc. » Tum vero ita concludit : « Ergo postquam ordine præmisso, » ad gubernacula accesserit regni, si ipse teme- » rator hujus exstiterit promissi, sit anathema » maranatha in conspectu sempiterni Dei, et » pabulum efficiatur ignis æterni. » Quid significet anathema maranatha, explicuimus nostro I tomo *Conciliorum*, in Commentario ad can. XXII Chalcedonensem. Cæterum vetus Ordo Romanus præcipit ut, post cantatas Litanias, a Metropolitano interrogetur inter alia inaugurandus rex, si velit sanctam fidem a Catholicis viris traditam et operibus justis observare. Id quod etiam in aliis manuscriptis Pontificalibus legitur, præsertim vero in manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum, num. 4464, ante annos quadringentos scripto.

III. Longum esset de variis regum officiis disserere, quæ in hoc Episcopi sermone ad regem continentur. Videri potest Joannes Busæus in opusculo *De statibus hominum*, et Dadinus Altaserra in libris *De jurisdictione*. Monet inter alia eum Metropolitanus ut Ecclesiarum Prælatis ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibeat. Id quidem Sacerdotium exigeret ; idque observarunt olim non modo Christiani antiqui principes, sed et ethnici religiosius, ut late ostendit Germonius, lib. I *De sacrorum immunitatibus*. Hodie quid mirum si Sacerdotes et Episcopi a laicis principibus contemnantur ; quid, inquam, mirum si XIII Christi sæculo, imperator Constantinopolitanus « juxta scabellum pedum » suorum, in sinistra parte sedere faceret Pa- » triarcham Constantinopolitanum, » ut testatur et conqueritur Innocentius III in c. VI *De majoritate et obedientia ;* si a principibus ipsis Ecclesiasticis adeo floccipendatur, ut in aulis suis laicos homines eisdem præferant ; et permiserint etiam aliquando Episcopos ante se loqui genuflexos, et in mensa, dum manus lavabant, similiter mantile ministrare. Refert hæc Augustinus Patricius episcopus Pientinus, lib. III *De reverentia Episcoporum erga Cardinales*, c. XIII, ubi etiam ita scribit : « Adscribendum est hoc, » pace illorum dixerim, ignaviæ ac vecordiæ » Prælatorum qui talia faciunt, qui supremam » in Ecclesia Episcopalem dignitatem non co- » gnoscunt ; sive eorumdem ambitioni atque » adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucu- » pentur, dignitatis suæ rationem non habentes » quam serviliter deturpant. » Vide Alvarum Pelagium in opere *De planctu Ecclesiæ*.

§ IV.

Rex electus accedit ad Metropolitanum, et coram eo, detecto capite, genuflexus facit hanc professionem, dicens : *Ego N. Deo annuente, futurus rex N. profiteor et promitto coram Deo et Angelis ejus, deinceps legem, justitiam, et pacem Ecclesiæ Dei, populoque mihi subjecto, pro posse et nosse, facere ac servare; salvo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei, condignum et canonicum honorem exhibere; atque ea, quæ ab imperatoribus et regibus Ecclesiis collata et reddita sunt, inviolabiliter observare. Abbatibus, comitibus et vassallis meis congruum honorem secundum consilium fidelium meorum præstare.* Deinde ambabus manibus tangit librum Evangeliorum, quem Metropolitanus ante se apertum tenet, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Postea rex electus Metropolitani manum reverenter osculatur.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Constat pro temporum et locorum varietate variam olim fuisse professionis formulam, quam novi reges tempore suæ inaugurationis jurabant. Tradit Julianus archiepiscopus Toletanus in historia Wambæ regis, quod « ubi ventum est, » quo sanctæ unctionis susciperet signum in » Prætoriensi ecclesia SS. Petri et Pauli, regio » jam cultu conspicuus, ante altare divinum » consistens, ex more fidem populis reddidit. » Edebant juramentum non solum de tuenda conservandaque fide Catholica, uti jam in superiori Commentario dictum est, verum etiam de protegendis Ecclesiæ ministris, deque gerendis cum omni æquitate et justitia populis sibi commissis. De juramento ab Egica rege præstito de reddenda justitia populis, celebre est testimonium in Concilio Toletano XV. Hujusmodi juramentum non verbo tantum, sed scripto etiam emissum ab Anglorum regibus, delatum fuisse ad altare, testatur S. Thomas Cantuariensis antistes in Epistola LXIV quam Henrico II Angliæ regi scripsit, quamque legere est apud Matthæum Parisium ad annum 1166, et apud Christianum Lupum, tomo X editionis Venetæ, pag. 97 et seq. « Memor sitis, inquit, professionis quam fecistis » et posuistis scriptam super altare apud West-monasterium, de servanda Ecclesiæ Dei libertate » sua, quando consecratus estis et unctus in re» gem a prædecessore nostro. » Fortasse ad hunc ritum alludit S. Petrus Damiani, *Sermone* LXIX, primo autem in Dedicatione Ecclesiæ, ubi ait inaugurandum regem « manu propria » jurare « libertatem Ecclesiarum. »

II. Porro quemadmodum una cum sceptri, coronæ sacrique olei traditione Ecclesia regibus titulos cumulabat, adeo ut sacrosancta majestas illa diceretur, et esset, ita reges humile Matri obsequium, jura sua integra atque illibata non promittebant modo, sed jure etiam jurando interposito religiose asserebant. Ita factum in Willelmi I Angliæ regis auspiciis, Aldredo Eboracensi archiepiscopo dictante, qui Willelmum ungebat, illo vero excipiente juramenti formulam, Hovedenus hunc in modum tradit ad annum 1066 : « Willelmus ipsa Nativitatis die, » quæ illo anno feria II evenit, ab Aldredo » Eboracensium archiepiscopo in Westmonaste» rio consecratus est honorifice. Sed prius, ut » idem Archipræsul ab eo exigebat, ante al» tare S. Petri Apostoli, coram Clero et po» pulo, jurejurando promittens se velle sanctas » Dei Ecclesias et rectores earum defendere, » nec non et cunctum populum sibi subje» ctum juste ac regali providentia regere, » rectam legem statuere et tenere, rapinas in» justaque judicia penitus interdicere. » Meminit et hujus professionis Edmerus, lib. I, ubi agit de Willelmo II Anglorum rege, quem procerum quorumdam et Episcoporum consensu, multa urgentem et plura promittentem, in regem consecravit Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis die vigesimo septimo septembris, anno Christi 1087, paucis a parentis obitu elapsis diebus; cœpit enim ipse Willelmus « tam « per se quam per omnes quos poterat, fide » sacramentoque Lanfranco promittere justi» tiam, æquitatem et misericordiam se per totum » regnum, si rex foret, in omni negotio serva» turum; pacem, libertatem, securitatem Eccle» siarum contra omnes defensurum, nec non » præceptis atque consiliis ejus per omnia et in » omnibus obtemperaturum. » Hac fide quidem data, sed minime servata, a Lanfranco consecratus et unctus est : magna enim fuit ipsius regis in Ecclesiarum retentione impietas, ut testantur scriptores Anglici, inter quos Malmesburiensis, lib. IV *De Regibus*, pag. 125, de miseranda ejus morte horrenda scribit. Refert autem Matthæus Parisius Henricum I, fratrem natu minimum memorati Willelmi, non prius coronatum et in regem consecratum fuisse, quam se juramento obstrinxisset, servaturum se « libertates et consuetudines antiquas, quæ flo» ruerunt in regno (Angliæ) tempore sancti re» gis Eduardi. »

III. Morem etiam in Anglia fuisse ut hujusmodi juramentum flexis genibus ante altare coram omnibus, positisque ibidem non modo sacris Evangeliis, sed et multorum Sanctorum reliquiis, diserte Hovedenus docet, ubi ordinem coronationis Richardi Angliæ regis describit : « Cum autem dux (prius erat Normanniæ dux) » ad altare veniret, coram Archiepiscopis, Epi» scopis, et Clero, et populo, flexis genibus

Digitized by Google

» ante altare, coram positis sacrosanctis Evan-
» geliis, et plurimorum sanctorum reliquiis, ut
» moris est, juravit quod ipse omnibus diebus
» vitæ suæ pacem, et honorem, atque reveren-
» tiam Deo, et sanctæ Ecclesiæ, et ejus ordinatis
» portaret. Deinde juravit quod rectam justitiam
» et æquitatem exerceret in populo sibi com-
» misso. Deinde juravit quod malas leges et
» consuetudines perversas, si quæ in regno suo
» introductæ sunt, deleret, et bonas leges con-
» deret, et sine fraude et malo ingenio eas cu-
» stodiret. » Similem professionem tertio quidem repetebant olim reges Francorum, ubi primum consecrabantur, uti videre est manuscripto codice Bibliothecæ Regiæ, ritus et ordinem in regum Gallorum inauguratione servari solitos continente, apud Martenium, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. x, ordine v.

IV. Quale a regibus ipsis Francorum in coronatione præstaretur juramentum, non modo ex laudato Pontificali, sed addiscere etiam licet a Petro Bertrando episcopo Æduensi, postea S. R. E. cardinale, qui adversus Petrum de Cugneriis scribens Ecclesiasticæ libertatis hostem infensissimum, suum regi Gallorum, quod in sua consecratione emiserat, hoc in memoriam revocat juramentum : « Modo præclarissime
» attendatis, si vos in coronatione vestra juratis
» ista, et non plura, scilicet quod Episcopis, et
» eis commissis canonicum privilegium, et de-
» bitam legem, et justitiam servaretis, et defen-
» sionem, quantum possetis, exhiberetis. Item
» quod vestro arbitrio omnis populus Christia-
» nus veram pacem Dei et Ecclesiæ suæ omni
» tempore servaret. Item quod omnes rapacita-
» tes et omnes iniquitates omnibus gentibus
» interdicetis. Item quod in omnibus judiciis
» æquitatem et misericordiam præcipietis. Item
» quod de tota terra et jurisdictione vestra hæ-
» reticos ab Ecclesiis denotatos pro viribus bona
» fide exterminari studebitis. Ista jurastis, et
» non plura, salva reverentia Domini Petri qui
» adhuc unum aliud jurare dicebat. » Certe ex codice Ratoldi abbatis Corbeiensis, ubi agit de ritu ad benedicendum regem Francorum, interrogatus rex ab uno Episcopo, nomine autem aliorum etiam Episcoporum, vel Clericorum, seu populorum, de servanda Ecclesiæ libertate rectaque justitia administranda, ita illico respondebat : « Promitto vobis, et perdono (id est
» concedo), quia unicuique de vobis, et Ecclesiis
» vobis commissis Canonicum privilegium, et
» debitam legem, atque justitiam servabo, et
» defensionem, quantum potuero, adjuvante
» Domino, exhibebo, sicut rex in suo regno
» unicuique Episcopo et Ecclesiæ sibi commissæ
» per rectum exhibere debet. »

[De juramento Galliæ regum in ipsorum consecratione emisso pauca addere juvat. Sic igitur profitebantur : « Hæc populo Christiano et
» mihi subdito, in Christi promitto nomine.
» In primis, ut Ecclesiæ Dei omnis populus
» Christianus veram pacem nostro arbitrio in
» omni tempore servet. Item, ut omnes rapaci-
» tates et omnes iniquitates omnibus gradibus
» interdicam. Item, ut in omnibus judiciis
» æquitatem et misericordiam præcipiam : ut
» mihi et vobis indulgeat suam misericordiam
» clemens et misericors Deus. Item, de terra
» mea ac jurisdictione mihi subdita universos
» hæreticos ab Ecclesia denotatos pro viribus
» bona fide exterminare studebo. Hæc omnia
» supradicta firmo juramento. Sic me Deus
» adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

Sic præstitum fuit juramentum usque ad coronationem Ludovici XVI, qui omittere cœpit omnia verba quibus de hæreticorum exterminatione agitur. Omissa pariter fuerunt in juramento quod emisit Remis, in sua coronatione, Carolus X, anno 1825.

In coronatione vero Napoleonis in Francorum Imperatorem a Pio VII, forma juramenti modo interrogativo proposita est a Pontifice cui princeps manibus super sacris Evangeliis positis respondit alta voce : *Profiteor*. Hanc sacramenti formam hic transcribimus. « Profiterisne, cha-
» rissime in Christo fili, et promittis coram
» Deo et Angelis ejus, deinceps legem, justitiam,
» et pacem Ecclesiæ Dei, populoque tibi subjecto,
» pro posse et nosse, facere ac servare, salvo
» condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in
» consilio fidelium tuorum melius poteris in-
» venire, ac invigilare ut Pontificibus Ecclesia-
» rum Dei condignus et canonicus honos exhi-
» beatur ?] »

V. In Ordine antiquo Romano post Litanias cantatas, Metropolitanus postquam de fide servanda novum regem interrogavit, sic statim eumdem interrogat : « Vis sanctis Ecclesiis
» Ecclesiarumque ministris tutor et defensor

Digitized by Google

» esse ? » Responderi jubetur : « Volo. » Tum ita subjungit : « Vis regnum tibi a Deo conces- » sum secundum justitiam patrum tuorum » regere et defendere ? » Cui ille respondet : « In quantum divino fultus adjutorio, ac solatio » omnium fidelium suorum valuero, ita me per » omnia fideliter acturum esse promitto. » Qui a Romano Pontifice coronabantur reges Sedique Apostolicæ regnum subjiciebant, ea videntur usi fuisse formula quam, post Rainaldum ad annum 1204, recenset Pagius in Vita Innocentii III, qui a Petro Aragonum rege hujusmodi juramentum recipit : « Ego Petrus rex Arago- » num profiteor et polliceor quod semper ero » fidelis et obediens Domino Papæ meo Inno- » centio, ejusque Catholicis successoribus, et » Ecclesiæ Romanæ, regnumque meum in » ipsius obedientia fideliter conservabo, defen- » dens fidem Catholicam, et persequens hæreti- » cam pravitatem. Libertatem et immunitatem » Ecclesiarum custodiam. In omni terra meæ » potestati subjecta pacem et justitiam servare » studebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta » Dei Evangelia. » Tandem Lupoldus Benenbergius episcopus Bambergensis, qui, teste Tritemio, floruit anno Christi 1340, in libro *De veterum principum Germanorum zelo*, capite VIII, diserte scribit, a tempore Ottonis qui juramentum fidelitatis Joanni Papæ XIII secundum formam in can. *Tibi Domino*, distinctione LXIII, comprehensam præstitit, uti ibidem patet, omnes reges Romanorum, ad suum usque tempus, Ecclesiæ Romanæ præstare juramentum sub forma consimili consuevisse.

VI. At ubi omitto juramenti formulam præstari solitam a regibus utriusque Siciliæ, ubi regia corona ipsorum regnorum a Romanis Pontificibus, dominis eorum directis, donabantur ? Videri quidem de ea re potest Rainaldus tum alibi, tum ad annum 1266, ubi per extensum refert juramentum fidelitatis Apostolicæ Sedi exhibitum a Carolo I Andegavensi, qui etiam in actu quo regiam coronam suscepit ligium homagium Clementi Papæ IV hoc modo fecit : « Nos Carolus Dei gratia rex Siciliæ, » ducatus Apuliæ, et principatus Capuæ, etc., » in manibus vestris » (nempe Legatorum Papæ, qui, ob ipsius absentiam, Carolum Romæ cum uxore ejus, ut alibi dictum est, coronaverunt), « vice et nomine ipsius D. Clementis » Papæ IV et ejus successorum, ac prædictæ » Romanæ Ecclesiæ ligium homagium facimus » pro regno Siciliæ, ac tota terra, quæ est citra » Pharum usque ad confinia terrarum ejusdem » Romanæ Ecclesiæ, quod utique regnum et ter- » ram, excepta civitate Beneventana, cum toto » territorio, et omnibus districtibus et pertinen- » tiis suis, nobis et hæredibus nostris præ dicta » Ecclesia Romana concessit, etc. » Exstat hæc formula in manuscripto codice Bibliothecæ Vaticanæ, ubi census Romanæ Ecclesiæ relati sunt.

VII. Ex hactenus descriptis formulis quis non videt quanto se perjurio involvant principes qui post juratam fidem obediendi Ecclesiæ, ejusque præsertim visibili capiti Romano Pontifici, qui postquam jurejurando promiserunt defensuros se Ecclesiam ac ejus privilegia diligenter servare, qui tandem postquam religiose jurarunt ante divinum altare, tactis sacrosanctis Christi Evangeliis, justitiam populis facere et legibus parere Ecclesiasticis, sacramentorum obliti, Ecclesias earumque ministros conculcare, ac negotiis Ecclesiasticis se immiscere non erubescunt? Unde non mirum videri debet, si ob injustitias et impietatem complurium regum regna de gente in gentem transferri videantur, uti docet Ecclesiasticus, capite X. Non mirum si rex Ozias, uti habetur lib. II Paralipomenon, cap. XXVI, quod usurparet ministerium Sacerdotum, lepra a Deo percussus est et templo ejectus; eademque de causa rex Saul, ut se miscuit Sacerdotum officio, a Deo reprobatus est, posterique ejus regia dignitate spoliati. Utinam reges intelligerent ac memoria semper retinerent quod scriptum reliquit Carolus Magnus lib. VII *Capitularium*, cap. CIV, his verbis : « Novimus ergo multa regna et reges eorum » propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliave- » runt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, » alienaverunt vel diripuerunt; Episcopisque » et Sacerdotibus, atque, quod magis est, Ec- » clesiis eorum abstulerunt, et pugnantibus de- » derunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in » fide stabiles fuerunt, nec victores exstiterunt, » sed terga multi vulnerati, et plures interfecti » verterunt, regnaque, et regiones, et, quod » pejus est, regna cœlestia perdiderunt, atque » propriis hæreditatibus caruerunt, et hactenus » carent. » Atque, ut finem faciam Commentario, hoc regiæ dignitati et honori onus an-

Digitized by Google

nexum est, ut non modo manum ab injuria Ecclesiis, earumque Prælatis, ac Sacerdotibus inferenda rex debeat continere, sed eamdem potius toties extendere ac porrigere, quoties factiosorum tyrannide et laicorum insolentia laborat Ecclesia. « Hoc si fiat, inquit laudatus » Alfordus societatis Jesu, tomo IV *Annalium* » *Ecclesiæ Anglicanæ*, ad annum 1067, Christi » religio propagatur, florent Ecclesiæ, et regio » vertici corona sedet ornatissime. »

§ V.

His expeditis, illo genuflexo manente, Metropolitanus deposita mitra surgit, et stans versus ad ipsum coronandum, dicit competenti voce sequentem Orationem, quam etiam dicunt omnes Pontifices parati, similiter sine mitris stantes, dicunt etiam omnia alia benedictionem et coronationem ipsam concernentia voce submissa, Metropolitanum tamen in omnibus observantes et comitantes.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, creator omnium, imperator Angelorum, Rex regum et Dominus dominantium, qui Abraham fidelem servum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti; respice, quæsumus, Domine, ad preces humilitatis nostræ, et super hunc famulum tuum N., quem supplici devotione in regem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dexteræ tuæ potentia semper et ubique circumda; quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, et per tramitem justitiæ inoffenso gressu semper incedat; tuæ quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cœlestibus circumdatus, optabilis de hostibus sanctæ crucis Christi victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ illis inferat, et pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Christum Dominum nostrum, qui virtute sanctæ crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato, ad cœlos victor ascendit, in quo potestas omnis regnique consistit victoria, qui est gloria humilium, et vita, salusque populorum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc Oratio in Ordine antiquo Romano, itemque in codice Ratoldi abbatis Corbeiensis, et in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis annorum tercentorum, sed in his tamen est multo prolixior, ad eamque Orationem rex sacro oleo inungebatur; inscribiturque idcirco *Consecratio regis*. Plura in ipsam Orationem notatu digna observat vir clarissimus Hugo Menardus, pag. 401 et seq. Nos hic unum notamus, consentire nostram hanc Rubricam fere cum eo quod ex manuscripto Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744, præscriptum est; ait enim laudatum Pontificale quod præstito a rege juramento, eoque se profunde inclinante, excelsa voce dicat Metropolitanus Orationem in hoc § nostro descriptam, et quæcumque ipse

Digitized by Google

dicit, dicant et alii Episcopi voce submissa; ad tollendam scilicet confusionem et nimiam vociferationem, non vero quod in ea vocis submissione aliquid arcani mysteriive contineatur.

§ VI.

Post hæc Metropolitanus cum mitra procumbit supra faldistorium; rex vero ad ejus sinistram in terram se prosternit, aliis Prælatis paratis ante sedes suas similiter procumbentibus. Tunc Cantores incipiunt et prosequuntur Litanias, Choro respondente. Cum dictum fuerit *Ut omnibus fidelibus, etc.*, ℟. *Te rogamus, audi nos,* Metropolitanus surgit, et accepto baculo pastorali in sinistram manum, super electum regem prostratum dicit : *Ut hunc electum in regem coronandum bene✠dicere digneris,* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hunc electum in regem coronandum bene✠dicere et conse✠crare digneris,* ℟. *Te rogamus, audi nos;* producendo semper super eum signum crucis. Idem dicunt et faciunt Episcopi parati, genuflexi tamen permanentes. Quo dicto, Metropolitanus redit ad accubitum, Cantoribus resumentibus et perficientibus Litanias. Quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, illo prostrato atque Episcopis, deposita mitra, genuflexis manentibus, versus ad coronandum dicit : *Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Prætende, Domine, huic famulo tuo dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et quæ digne postulat, consequi mereatur.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, adspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. De Litaniis in consecratione regum dicendis celebre est testimonium Ordinis antiqui Romani; præcipit enim ut, « cuncto Ecclesiæ » pavimento tapetibus et palliolis contecto, ibi » rex humiliter totus in cruce prostratus jaceat » cum Episcopis et Presbyteris, hinc inde pro» stratis, cæteris in choro Litaniam breviter » psallentibus, id est duodecim Apostolos, toti» demque Martyres, Confessores et Virgines. » Cui consonat ritus benedicendi regem Francorum ex manuscripto codice Bibliothecæ regiæ, num. 4464, ante annos quadringentos scripto, itemque Ordo ad benedicendum regem ex manuscripto Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356. Qui codices a Martenio editi sunt, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. X, ordine V et VIII. Notandum hic autem primo est, non modo regem inaugurandum, sed Episcopos æque ac Presbyteros in Litaniis prosterni consuevisse; secundo, tum ipsum, tum illos, cum Litaniæ cantarentur, prostratos humiliter totos in cruce, id est brachiis extensis, jacuisse; tertio, paucos in ipsis Litaniis invocatos fuisse sanctos, nempe duodecim Apostolos, totidemque Martyres, Confessores et Virgines; quarto demum, ad finem Litaniarum hos dici versiculos ex laudato Romano Ordine debuisse : *Ut hunc famulum tuum Ill. in regem eligere*

Digitized by Google

digneris, Te rogamus, audi nos. Ut eum benedicere et sublimare digneris, Te rogamus, audi nos. Ut eum ad imperii fastigium sublimare digneris, Te rogamus, audi nos.

II. Ritus certe in hoc nostro § descriptus cum illo fere omnino consentit, qui habetur in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, ubi ita legimus : « Rege coram altare prostrato ad terram, et Metropolitano, et Episcopis super faldistoria cum mitra accumbentibus, Cantores incipiunt Litaniam, prosequendo eam, sicut moris est. Cumque dixerint *Ut obsequium servitutis nostræ, etc.*, tunc Metropolitanus se erigens, producto super illum signo crucis, dicit : *Ut hunc electum in regem coronandum bene ✠ dicere digneris, ℟. Te rogamus, audi nos.* Secundo dicit : *Ut hunc electum in regem coronandum bene ✠ dicere et conse ✠ crare digneris, ℟. Te rogamus, audi nos.* Idemque dicunt, et faciunt omnes Episcopi. Et a Choro responso, redit ad accubitum suum, Cantoribus resumentibus et prosequentibus Litaniam. Qua finita Metropolitanus surgens, illo et Episcopis prostratis manentibus, annuntiat : *Pater noster*, et prosequitur secrete : *℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvum fac servum tuum, Domine. ℟. Deus meus, sperantem in te. ℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.* » Tum sequuntur binæ Orationes in nostro hoc § descriptæ, *Prætende, quæsumus, Domine*, et *Actiones nostras*. Cæterum brevem Litaniam in benedictione regum dici solitam legere est in manuscripto libro Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis annorum tercentorum, in quo Ordo refertur ad consecrandum et coronandum Franciæ regem ; editusque est a laudato viro clarissimo Edmundo Martenio loco citato, ordine VI.

§ VII.

Post hæc Metropolitanus sedet, accipit mitram, et Electus coram eo genuflectit, et, circumstantibus Prælatis paratis cum suis mitris in modum coronæ, Metropolitanus intingit pollicem dexteræ manus in oleum catechumenorum, et inungit in modum crucis illius brachium dexterum inter juncturam manus et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens hanc Orationem :

Deus, Dei Filius, Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est præ participibus suis; ipse per præsentem sanctæ unctionis infusionem, Spiritus Paracliti super caput tuum bene✠dictionem infundat, eamdemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili oleo, dona invisibilia percipere, et temporali regno justis moderationibus peracto, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato Rex regum vivit et gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Azahel super Syriam, et Jehu super Israel per Eliam, David quoque, et Saulem per Samuelem Prophetam in reges inungi fecisti; tribue, quæsumus, manibus nostris opem tuæ benedictionis, et huic famulo tuo N., quem hodie licet indigni in regem sacra unctione delinimus, dignam delibutionis hujus efficaciam et virtutem concede; constitue, Domine, principatum super humerum ejus, ut sit fortis, justus, fidelis, providus et indefessus regni hu-

Digitized by Google

jus, et populi tui gubernator, infidelium expugnator, justitiæ cultor, meritorum et demeritorum remunerator, Ecclesiæ tuæ sanctæ et fidei Christianæ defensor, ad decus et laudem tui nominis gloriosi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Antequam ritum ungendi reges in hoc § descriptum enucleemus, indaganda est nobis prima ipsius ritus origo. Fuisse hunc morem apud Hebræos, ut non modo Sacerdos et Pontifex, sed et novus etiam rex inungeretur, solide jam ad initium hujus tituli comprobatum a nobis fuit, allatis variis veteris Testamenti locis. Examinandum quidem hoc loco est quandonam reges in sua coronatione inungi cœperint. Scriptores Galli, et qui ipsis assentiuntur, acriter profecto contendunt omnium primos Francorum reges inter Christianos sacra unctione fuisse inauguratos; quia nimirum, ut aiunt, neque ante Clodovæum, neque ante Pipinum, vel Carolum aliquis aut imperatorum aut regum inunctus legitur. Tenent hanc sententiam Franciscus Hallierius in opere *De sacris electionibus*, parte II, sectione VIII, cap. X, articulo V, § II; Chopinus, lib. II *De dominio Franciæ*, tit. II, num. VIII; Chassanæus in *Catalogo gloriæ mundi*, V parte, consideratione XXX et XXXI; Guillelmus Benedictus in cap. *Raynutius*, verbo *Duas*, num. 77 *De Testamentis;* Petrus Gregorius in *Præludiis optimi jurisconsulti*, lib. I, cap. XI; Michael Roussellius, lib. VII *Historiæ Pontificiæ jurisdictionis*, cap. II, et alii complures, adducentes fabulam unctionis Clodovæi, quam solide abundeque refellerunt vir clarissimus Jacobus Valdesius in erudito libro *De dignitate regum regnorumque Hispaniæ*, Granatæ edito anno 1602, cap. XIV; Alexander Patricius Armacanus in *Marte Gallico*, lib. I, cap. XI, et alii bene multi auctores eruditissimi, inter quos etiam Galli.

II. Certe Edmundus Martenius, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. X, ubi agit de solemni regum benedictione, floccipendens fabulosam Clodovæi unctionem, ingenue fatetur antiquissimam omnium benedictionum regum, quas inter legendum ipsi reperire licuit, eam fuisse quæ a Columba abbate Hiensi facta est jussu angeli in Aidanum Scotorum regem, cujus meminit Cumeneus Albus in Vita S. Columbæ, num. V, sæculo primo Benedictino. Sed ea supponit quidem hunc ritum jam usu receptum; nam ait angelum Domini ad dictum Abbatem missum, « qui in manu vitreum or- » dinationis regum habebat librum. » Quæ verba plane innuunt jam antea reges ordinatos fuisse. Illud autem in hac Aidani regis benedictione singulare occurrit, quod non ab Episcopo, sed ab Abbate fuerit ordinatus, qui « imponens » manum super caput ejus, ordinans benedixit » eum, uti habent Acta laudata. Observat hæc Martenius, auctor Gallus eruditissimus, statimque sic inquit num. II : « Longe tardius in Galliis » reges solemnem Episcoporum benedictionem » suscepisse videntur, quippe ante Pipinum, » qui Suessione a Moguntino archiepiscopo Bo- » nifacio primum, deinde a Stephano Papa apud » Sanctum-Dionysium unctus est in regem, » nullus ab Episcopis benedictus legitur; sed » omnes, ut regni imperium adepti erant, a » populis clypeo evecti, reges constituebantur. » Id ipsum tradit alius scriptor Gallus Franciscus Pagius in Vita S. Zachariæ Papæ, ubi ita scribit : « Et quidem Pipinus videtur esse primus » ex Francorum regibus, qui unctus est in re- » gem, nullus enim antea ab Episcopis bene- » dictus legitur, etc. » Ex quorum testimonio facile confutantur ii Galliæ scriptores, qui contendunt primos fuisse Galliæ reges qui rite ab Episcopo consecrarentur, ad eorumque exemplum cæteros reges sacro oleo ungi cœpisse.

III. Fatetur præterea ipse Martenius in Hispania multo antiquiorem fuisse regum benedictionem. Id quod facile ostendit laudatus Valdesius, cap. XIV. Egregia enim, et adeo certæ fidei exstant hujusce ritus in Conciliis Toletanis testimonia, ut a nemine in dubium revocari queant. Concilium Toletanum XII habitum anno 681 (ut omittam VI, ubi mentio fit quidem bene-

Digitized by Google

dictionis regum), can. I, diserte asserit Hervigium seu Herigium, Wambæ successorem, per sacrosanctam unctionem regnandi suscepisse potestatem. Quin et in Historia ipsius Wambæ regis testatur Julianus, Toletanus episcopus, ipsum post electionem suam unctionis tempus in dies novemdecim distulisse, « ne citra locum » sedis antiquæ sacraretur in principem. » Hunc ritum ab aliis qui secuti sunt regibus usurpatum in Hispania, ostendunt passim scriptores Hispani, Jacobus Valdesius in dicto cap. XIV; Ambrosius Morales, lib. XII *Chronici*, cap. LI, LIII et LVII, et alii. Generaliter vero Gothorum reges unctionem accepisse tempore suæ coronationis in ecclesia Toletana, apertum sit ex Patrum *Exhortatione ad principes*, quam inter Concilia Toletana edidit scriptor eruditissimus Garsias Loaysa. Non ergo ad exemplum regum Francorum cæteri reges in sua coronatione inuncti sunt, sed ipsi quidem Francorum reges in eo ritu alios imitati fuerunt; quorum longam seriem affert Menardus in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pag. 402, et duabus sequentibus.

IV. Licet autem constet nullum esse inter antiquos testem qui asserat inunctum fuisse Clodovæum in regem; neque enim ejus inunctionis meminit Gregorius Turonensis, vel alius quispiam antiquus scriptor, nisi quingentis annis Clodovæo posterior, uti observat Armacanus in *Marte Gallico*, lib. I, cap. XI, causa tamen nequaquam defuit, cur insequentium sæculorum scriptores Clodovæum regem inunctum fuisse crederent. Legerant enim fortasse veterum quorumdam loca, quibus dicunt chrismate vel oleo cœlitus misso Clodovæum regem « sacra» tum, ordinatum, *vel* consecratum esse. » Ita quidem loquitur Hormisdas Pontifex in Epistola ad S. Remigium archiepiscopum Remensem : « Clodovæum sacri dono baptismatis conse» crasti, » uti videre est apud Hincmarum in suo opusculo, cap. LV. Sic etiam ipse Gregorius Turonensis, lib. II, cap. XXXI, de baptismo Clodovæi disserens, ait : « Delibutusque sacro » chrismate cum signaculo crucis Christi. » Itaque cum postea sub Carolina stirpe reges peculiari unctione in Francia consecrari cernerent, existimasse videntur etiam istam unctionem eo esse referendam. Hoc eo proclivius ipsis fuit, quod juxta doctrinam primævæ Ecclesiæ, chrismatis unctio baptismo adhiberetur, ut fideles quilibet ipsique adeo populorum rectores, tanquam Christo similes futuri, in reges et Sacerdotes mystica ratione sacrarentur. Unde S. Ambrosius, in lib. *De initiandis*, unctione capitis significari docet, « ut fias electum genus sacer» dotale pretiosum : omnes enim in regnum » Dei et in sacerdotium ungimur gratia spiri» tuali. » Quæ doctrina sicut etiam apud alios Patres perquam communis est, ita occasionem fortasse scriptoribus posterioribus præbuit, ut Clodovæum regem peculiari distinctaque unctione a baptismali sacratum esse arbitrarentur, mysticum regnum in corporale transformandum, ut egregie docet laudatus Armacanus.

V. Sed hisce omissis, ad ritum quo reges sacro oleo inunguntur enucleatius exponendum conferre nunc nos debemus. Professione jam coram Episcopo a rege emissa, Oratione ab eodem recitata, Litaniis dictis, benedictione data regi consecrando, et precibus quibusdam, respondente Choro, ab ipso Episcopo super regem fusis, de quibus in superioribus Commentariis actum fuit, ex præsenti Rubrica nostri Pontificalis : *Post hæc Metropolitanus sedet, accipit mitram, et electus rex coram eo genuflectit, et, circumstantibus Prælatis paratis cum suis mitris in modum coronæ, Metropolitanus intingit pollicem dexteræ manus in oleum catechumenorum, et inungit in modum crucis illius brachium dexterum inter juncturam manus et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens* duas quidem Orationes post ipsam Rubricam descriptas. Consentit jam nostræ huic Rubricæ liber *sacrarum Cæremoniarum* S. R. E. a Marcello episcopo Corcyrensi collectus, et Leoni Papæ X dicatus, sectione V, cap. III, ubi imperatoris Romanorum consecratio describitur, cujus prior Presbyterorum Cardinalium in ecclesia Sancti-Petri, ad altare S. Mauritii jubetur *inungere brachium dexterum in modum crucis*, Orationem eamdem recitans cum ea quæ prior in nostro Pontificali dicenda præscribitur. Consentit etiam Petrus Bertrandus episcopus Æduensis, postea S. R. E. cardinalis, qui floruit sub Philippo rege Valesio, et pro Ecclesiæ libertate adversus Petrum de Cugneriis anno 1329 strenue decertavit; is enim Bertrandus in tractatu *De origine et usu jurisdictionis*, quæstione IV, regiam et Sacerdotalem jurisdictionem comparans, hujus

Digitized by Google

supra illam ex ritu unctionis prærogativam colligit his verbis : « Unde est quod caput Episcopi » inungitur, sed armus regis; et Episcopus chri» smate, rex oleo, ut sciatur quod Episcopus » est vicarius capitis nostri, id est Jesu Christi. »

VI. Fusius hunc ritum Innocentius III, in celebri sua Decretali relata in cap. I *De sacra unctione*, confirmat, simulque hunc in modum declarat : « In veteri Testamento non solum » ungebatur Sacerdos, sed etiam rex et propheta, » sicut in libro Regum Dominus præcepit Eliæ : » *Vade, et revertere in domum tuam per de*» *sertum in Damascum. Cumque perveneris* » *illuc, unges Azael in regem super Syriam, et* » *Jehu filium Namsi unges regem super Israel;* » *Eliseum autem filium Saphat, qui est de* » *Abel, unges prophetam pro te.* Sed ubi Jesus » Nazarenus, quem unxit Deus de Spiritu san» cto, sicut in Actibus Apostolorum legitur, un» ctus est oleo præ consortibus suis, qui secun» dum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est » corpus ipsius; principis unctio a capite ad bra» chium est translata, ut princeps ex tunc non » ungatur in capite, sed in brachio, sive hu» mero, vel in armo, in quibus pricipatus con» grue designatur, juxta quod legitur : *Factus* » *est principatus ejus super humerum ejus, etc.* » Ad quod etiam significandum, Samuel fecit » poni armum ante Saul, cui dederat locum » in capite ante eos qui fuerant invitati. In ca» pite vero Pontificis sacramentalis est delinitio » conservata, quia personam capitis in Pontifi» cali officio repræsentat. Refert ergo inter » Pontificis et principis unctionem, quia caput » Pontificis chrismate consecratur, brachium » vero principis oleo delinitur, ut ostendatur » quanta sit differentia inter auctoritatem Pon» tificis et principis potestatem. »

VII. Quamvis istæ differentiæ inter unctionem Episcopi et regis a laudato Pontifice in recitata Decretali Epistola afferantur, quam aiunt ab ipso missam Trinonitano primati Bulgariæ, ut nimirum chrismate novi Episcopi caput, oleo vero brachium principis inungatur; constat nihilominus prædictas differentias non semper observatas fuisse. Certe Julianus episcopus Toletanus in Historia Wambæ regis, de ipsius inauguratione agens, solius capitis inunctionis mentionem facit : « Curvatis genibus, inquit, » oleum benedictionis per sacri Quirici Ponti» ficis manus vertici ejus refunditur, et bene» dictionis copia exhibetur. » Reges Angliæ non modo in capite, sed in pectore et brachiis inungi consuevisse, præter Hovedenum in Henrico II testatur S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus in Epistola LXIV ad ipsum Henricum II : « Inunguntur, inquit, reges tribus in locis, in » capite, in pectore, in brachiis. Quod signifi» cat gloriam, scientiam, fortitudinem. » Carolum Magnum a capite ad pedes sacro oleo a Leone III Pontifice Maximo in sua coronatione rite perfusum, testis est Constantinus Manasses, et Paulus Diaconus, lib. XXIV, ubi ita inquit : « Leo Papa in imperatorem coronavit Carolum » in templo Sancti-Petri Apostoli, perungens » oleo a capite usque ad pedes. » Manasses vero in Constantino et Irene hæc habet :

Inde Leo, ut gratiam referret Carolo,
Eum renuntiat imperatorem veteris Romæ;
Et coronam imponit, ut Romanorum leges ferunt :
Imo et utens legibus Judæorum,
A capite ad pedes oleo eum inungit,
Nescio propter quas rationes et cogitationes.

VIII. Equidem in veteri Testamento, ut supra dictum est, unctio propria et singularis fuit regum Judæorum. Id quod luculenter confirmat simulque declarat in Psalmum XLIV S. Augustinus, his verbis : « Hoc nomen, quod ap» pellatur Christus, unctionis est, nec in aliquo » alibi ungebantur reges et Sacerdotes, nisi in » illo regno ubi Christus prophetabatur, et unde » venturum erat Christi nomen : nusquam est » alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. » Ubi nota Augustini ætate nondum inolevisse apud Christianos hanc sacram regum vel imperatorum inunctionem. Cæterum nescio cur Manasses Leonem Pontificem in ungendo Carolo imperatore Judaicis usum legibus dicat; cum illæ, ut scite observat Isaacius Haberti in Pontificale Græcorum, ad ritum coronationis imperatoris, observatione prima, non totius corporis unctionem, sed verticis solius præscribant, atque id historia confirmet. Sive enim reges communi oleo ungerentur, ut lib. I Regum, cap. IX, X et XVI, et lib. II, cap. XI, et libro III, cap. XIX, sive oleo de tabernaculo, ut lib. III Regum, cap. I, quod tamen aliud erat ab unctionis Sacerdotalis oleo, Exodi cap. XXVI, et Levitici XXI, nusquam tamen totius corporis peruncti mentio est. Quinimo nec nudum caput oleum ipsum

Digitized by Google

lenticula effusum attingebat, sed super diadema, vel aliud capitis operimentum fundebatur. Ex quo non est absurdum partem aliquam in corpus defluxisse, sed non tanta copia ut totum circumliniretur.

IX. Præterea, etsi diu post datam Ecclesiæ pacem Christiani reges ritu solemni inungi cœperint, constat etiam apud Græcos licet multo post tempore, sacro unguento imperatoris caput delibutum fuisse. Docet laudatus Haberti nihil de hujusmodi unctione, aut raro usque ad Comnenos haberi apud Græcos scriptores; apud Nicetam vero lib. I, de Manuele ita legi: « Patriarcha Manuelem coronante diademate regio » in templo Domini, qui et unxit eum sacram » ædem introeuntem. » Insequentibus sæculis celebrem fuisse apud Græcos ritum ungendi imperatorem in sua ipsius coronatione, diserte nos docent Georgius Codinus Curopalata *De officiis magnæ Ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ*, cap. XVII, tum etiam Simeon Thessalonicensis episcopus: « Chrismate quidem, inquit, » signat illum Patriarcha signo et unctione » rebus omnibus dominantis Dei, et ad ejus in» star constituit illum in terris dominum, et » spiritu corroborat. » Et statim subdit: « Hac » de causa capiti ejus in crucis figuram unguen» tum effundit Patriarcha, manifestaturus Chri» stum illum unxisse, et qui per crucem vicit, » illum victorem ubique renuntiaturum. » Atque hæc ratio reddi potest cur ex Pontificalis nostri Rubrica, et aliorum complurium antiquorum manuscriptorum Pontificalium, regum unctio in modum crucis fieri debeat. De ritu inaugurationis imperatoris Græci videri potest Jacobus Goar in Notis ad *Euchologium*, et Gretserus in Notis ad laudatum Codinum in dicto capite XVII. Cæterum non modo imperatores et reges, sed etiam principes aliquando sacro ab Episcopis oleo liniri, coronamque capiti suo imponere consuevisse, celebre habemus apud Leonem cardinalem Hostiensem testimonium, lib. I *Chronici Casinensis*, cap. IX, ubi de Arichi Beneventi duce hæc habet: « Hic Arichis primus » Beneventi principem se appellari jussit, cum » usque ad istum, qui Benevento præfuerant, » duces appellarentur; nam et ab Episcopis ungi » se fecit, et coronam sibi imposuit, atque in » suis chartis scriptum, *In sacratissimo nostro* » *Palatio*, in finem scribi præcipit. » Etiam Robertum principem Capuanum solemniter inunctum Capuæ in frequenti Episcoporum et Abbatum conventu, narrat ad annum 1127 cardinalis Baronius.

X. Redeamus nunc iterum ad ritum Latinum ungendi reges, expendamusque paulo enucleatius quibusnam in corporis partibus unctio regia fieret ex Ordinis antiqui Romani præscripto: « Tunc » (id est post dictam Orationem, *Deus inenarrabilis auctor mundi*, *etc.*, de qua infra suo loco juxta ordinem nostri Pontificalis) « Dominus Metropolitanus ungat de oleo sancti» ficato caput, pectus, et scapulas, ambasque » compages brachiorum ipsius, ita dicendo: » Ungo te in regem de oleo sanctificato in no» mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et di» cant: Amen. Pax tibi. Et cum spiritu tuo. » Deinde ungat sibi manus de oleo sanctificato, » ita dicendo: Ungantur manus istæ de oleo » sanctificato, unde uncti fuerunt reges et pro» phetæ, et sicut unxit Samuel David in regem: » ut sis benedictus et constitutus rex in regno » isto super populum istum, quem Dominus » Deus tuus dedit tibi ad regendum et guber» nandum. Quod ipse præstare dignetur, etc. » Fuisse hunc morem, ut regibus Franciæ novem corporis partes inungerentur, nempe capitis summitas, pectus, inter scapulas, scapulæ ipsæ, brachiorum compages, et utraque manus, testatur post alios Galliæ scriptores Edmundus Martenius. Quod quidem liquet ex manuscripto codice Bibliothecæ ipsius Galliæ regis, num. 4464, ante annos quadringentos scripto, in quo ita legimus: « Tunc » (nempe post recitatam Orationem, *Deus inenarrabilis, etc.*), « dissutis » ansulis aperturarum, ante, et retro, genibus » in terram positis, primo Archiepiscopus cum » eodem oleo inungit regem in summitate capi» tis, secundo in pectore, tertio inter scapulas, » quarto in scapulis, quinto in compagibus bra» chiorum, dicens: Ungo te in regem de oleo » sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spi» ritus sancti. Dicant omnes: Amen. Et cante» tur hæc Antiphona: Unxerunt Salomonem » Sadoc sacerdos, et Nathan propheta regem in » Gyhon, et accedentes læti dixerunt: VIVAT » REX IN ÆTERNUM. Dum cantatur hæc An» tiphona, dicit basse Archiepiscopus: Christe, » perunge hunc regem in regimen, etc. » Ex præscripto memorati manuscripti codicis, dum

Digitized by Google

manus unguntur, cam recitat Metropolitanus formulam : « Ungantur manus istæ de oleo san- » ctificato, unde uncti, etc., » ut in Ordine antiquo Romano et in aliis Pontificalibus habetur.

XI. Ut ut sit varius ritus ungendi reges, sive de chrismate in aliquibus, vel in multis corporis partibus, sive de sacro oleo, et quidem in solo capite, quod plures Episcopi, uno Orationem dicente, ungebant juxta præscriptum manuscriptorum Pontificalium Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicani monasterii Gemmeticensis annorum nongentorum, quemadmodum supra notatum est ex capite I *De sacra unctione* : « Principis unctio a capite ad brachium » est translata, ut princeps quidem non ungatur » in capite, sed in brachio, sive humero, vel in » armo, in quibus principatus congrue designa- » tur juxta illud quod legitur Isaiæ cap. IX : *Fa- » ctus est principatus super humerum ejus, etc.* » Ad quod etiam significandum, Samuel fecit » poni armum ante Saül, qui dederat locum in » capite ante eos qui fuerant invitati. » Narrat hæc in eo capite Innocentius III, additque inungi etiam in brachio principem, « ut ostendatur » quanta sit differentia inter auctoritatem Pon- » tificis et principis potestatem. » Porro notanda sunt quæ de humero seu armo dixit Pontifex ; nam etiam pars illa victimæ apud ethnicos, uti observat Menardus, honorabilior visa est, et quæ maxime regem decebat. Quare olim Eteocles et Polynices cum sacrificarent, Œdipo patri armum victimæ tanquam regi et præstantiori mittere soliti erant : qui nescio quo casu cum ei aliquando coxam victimæ, non armum misissent, ille se ab eis sperni ratus, supra morem excandescens, diris eos devovit, ut refert Scholiastes Sophoclis in Œdipum Colonæum ex auctore *Circularis Thebaidos* : « Ut cognovit missam » sibi esse coxam, in terram jecit, et dixit : *Hei » misero mihi! pueri mei me spernentes, hoc » mihi miserunt.* Precatus est regem Jovem, et » cæteros Deos immortales, ut mutuis interfecti » gladiis in orcum descenderent. » Sed his omissis, hodie quidem ex Pontificali nostro Romano, inter commissuras manus et cubiti, et inter scapulas in modum crucis de oleo catechumenorum rex inungi debet, etsi aliter in quibusdam regnis Christiani reges inungi soliti fuerint, sacroque etiamnum chrismate, et in aliis quoque corporis partibus perfungantur. Ex eodem hoc nostro Pontificali fieri debet inunctio in brachio dextro, quia honorabilius est ac dignius sinistro, ut allatis variis sacræ Scripturæ testimoniis probat Castaldus in tractatu *De imperatore*, quæstione XXII per totam.

XII. Habent ab ista unctione imperatores et reges Christiani, ut præ reliquis etiam sacri et consecrati dici possint. Nam cum olim sacri passim dicerentur, et sacrosancti, quod inviolabiles essent, et sine piaculo attingi non possent ; quod exsecrandus esset qui contra eos quicquam faceret ex lege *Sacrilegiis*, Cod. *De diversis rescriptis ;* quod sacrilegii instar videretur, divinis ipsorum beneficiis obviare, ex lege *Sacri*, Cod. eodem : cumque ob eas rationes sacri eorum affatus, sacræ eorum principales constitutiones, sacræ adnotationes, sacri vultus, et cætera ad ipsos pertinentia, sacra appellarentur, uti passim videre est legibus imperatoriis : jam vero insuper, uti scite observat ac docet doctissimus Hallierius in opere *De sacris elect.*, pag. 1033, ob receptam consecrationem sacri et sacrati imperatores regesque speciali titulo dici possunt, ob unctionis et sacramentalis istius ritus sanctitatem. Si enim ab unctione veteris legis principes sacrosancti crediti sunt, quidni et Christiani reges ab eadem, quæ non minus apud Deum potentibus Ecclesiæ precibus sociatur, haurient sanctitatem ? Quanti momenti eam fecerit S. Augustinus, ex ipsius verbis colligi potest, qui lib. II contra litteras Petiliani, cap. XLVI, sic inquit : « Quæro, si non habebat Saul Sacramenti » sanctitatem, quid in eo David venerabatur ? » Si autem habebat innocentiam, quare inno- » centem persequebatur ? nam eum propter sa- » crosanctam unctionem, et honoravit vivum, » et vindicavit occisum : et quia vel panniculum » ex ejus veste præscidit, percusso corde trepi- » davit. Ecce Saul non habebat innocentiam, et » tamen habebat sanctitatem, non vitæ suæ (nam » hoc sine innocentia nemo potest), sed sacra- » menti Dei, quod et in malis hominibus san- » ctum est. » Legi hoc Augustini testimonium potest apud Gratianum in can. *Dominus* I, quæstione I.

XIII. Illud plane apud omnes constat, qui in lectione veterum Patrum ac Maximorum Pontificum versati sunt, reges virtute hujus sacræ unctionis, non solum quodammodo consecrari et sacratos manere, verum etiam ipsos in ea

Digitized by Google

unctione recipere sacramentum. Nam præter laudatos, sanctum Augustinum, et Innocentium Tertium Papam, sanctus Gregorius Magnus, ac Pontifex Maximus in *Expositione lib.* I *Regum*, cap. x., de unctione Saulis sermonem instituens, eaque verba explicans, *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus*, ita inquit : « Hoc profecto hac unctione exprimitur, » quod in sancta Ecclesia nunc etiam materia- » liter exhibetur : quia qui in culmine ponitur, » sacramenta suscipit unctionis. Quia vero ipsa » unctio sacramentum est, is qui promovetur, » bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti » roboretur. » Et, ut omittam sanctum Petrum Damiani, qui in Sermone I *De Ecclesiæ Dedicatione*, et alios complures antiquos scriptores qui ipsam regum unctionem sacramentum vocant, eo quidem titulo semel ac iterum Alexander IV Pontifex Maximus appellavit tum in Epistola ad Episcopum Pampilonensem cum in alia ad Pragensem et Olomucensem Episcopos, quibus mandat adhibendum esse in unctione regis decentem Præsulum numerum, « tum propter » ejusdem regis honorificentiam, tum propter » reverentiam sacramenti. » Exstat utraque Epistola apud Rainaldum, ad annum 1257, numero LXII et ad annum 1260, num. XVIII.

XIV. Certo nihilominus certius est ea inunctione non ita regem sacrum effici, aut sanctum, ut Ecclesiastici ordinis exinde censeatur, aut Ecclesiasticam exinde habeat potestatem ; cum plane constet ex superius traditis, et ex iis quæ infra dicentur, imperatorum regumve unctionem nec eo fine fieri, quatenus Ecclesiastica ministeria ipsis tractare liceat, sed potius ut ad Ecclesiæ defensionem ac protectionem se tanquam inunctos pugiles ardentius exsurgere, et præliari bella Domini debere noverint. Unde Valentinianus imperator S. Ambrosio Episcopalem sarcinam subire verenti : « Noli timere, » inquit, quia Deus, qui te elegit, semper te » adjuvabit, et ego adjutor et defensor tuus, ut » meum ordinem decet, semper existam. » Quæ verba leguntur in can. *Valentinianus*, distinctione LXIII, ubi recte notat Glossa imperatorem (quod quidam putaverunt) Subdiaconatus ordine præditum non esse debere, sed militari charactere donatum. Unde a sexta Synodo Trullana, can. LXIX, imperatores laicis adcensentur, licet aditus eis ad altare pateat, quod aliis laicis ex eodem Canone interdictum sit. Quare mirum videri debet omnique reprehensione dignum quod scribit Theodorus Balsamon in Canonem XII Concilii Ancyrani, cum innuit regiam unctionem in consecratione non minoris esse efficaciæ ad delenda peccata prius admissa, probatque exemplo Joannis Zimiscæ imperatoris, qui propter a se interfectum Phocam imperatorem, a Patriarcha non fuerit admissus in ecclesiam ante coronationem ; qua peracta admissum dicit, veluti accepta venia parricidii ab eo patrati. Quod quidem theologi nostri probare nequeunt, cum aperte constet lethalia peccata, nonnisi virtute sacramenti pœnitentiæ purgari ac tolli, ipsamque regiam inunctionem latissime duntaxat sacramentum vocari posse, ut scite docent Fortunatus Schacchus *Eleochrismaton myrothetico* II, Roussellius, l. VII *Historiæ Pontificiæ jurisdictionis*, cap. II et cap. IV, Filesacus *De idololatria politica*, cap. IX, et sacri theologi passim.

XV. Hinc liquet non crude intelligendum esse S. Petrum Damiani, dum in laudato Sermone *De Ecclesiæ Dedicatione*, quintum sacramentum inunctionem esse regis asserit, sumpto scilicet latissime nomine sacramenti. Hanc autem ipse mirifice quidem commendat pompamque ejus describit, et præmissis ejus celebrationi Cleri ac plebis consensu, nec non solemnibus de servandis Ecclesiæ libertatibus sacramentis, eam adhiberi testatur ; deinde vero verba ista subjungit : « Et tunc exuitur rex » vestimentis suis, et oleo sanctificationis as- » pergitur, ut typico rore perfusus, cœlestis un- » guenti plenitudine glorietur. » Sacramentis ergo, ut recte concludit Hallierius *De sacris electionibus*, page 1034, hanc unctionem ipse Damiani adnumerat, quæ duodecim numero statuit, eas omnes sacramenti nomine donans Ecclesiasticas cæremonias, quæ quocumque modo Ecclesiæ membra distinguerent, coordinarent inter se, et in aliquo gradu constituerent, vel in sublimi quodam statu collocarent : quo sensu unctio regum sacramentum dici potest, licet non in Ecclesiasticæ, sed laicæ dignitatis apice suscipientem constituat. Atque eo quidem sensu locutos etiam fuisse S. Augustinum, ac Romanos Pontifices, sacrosque etiam antiquos scriptores, cum regiam unctionem sacramentum vocarunt, latissima scilicet inter-

Digitized by Google

pretatione, omnino censendum est. Non esse autem otiosam, nec inanem hanc unctionis cæremoniam, sed magnæ potius virtutis et gratiæ plenam, ex divina revelatione comprobatur. Refert enim cardinalis Baronius, ad annum Christi 919, quod cum Henricum Saxonem, qui Francis in imperio Romanorum successit, vellet Henrigerus Moguntinus archiepiscopus sacro ritu inungere, ille autem, protestans se tali unctione indignum, unctionem ipsam recusaret, S. Uldarico per visum apparuit S. Petrus Apostolus, ostendens ei duos gladios, alterum cum capulo, sine capulo alterum, dixitque illi: « Dic Henrico regi: Ensis ille qui sine » capulo est, significat regem qui sine bene» dictione Pontificis regnum tenebit; capula» tus autem, qui benedictione divina regni te» nebit gubernacula. » Ita ex Vita ejusdem S. Uldarici, et ex Ditmaro sæculi illius scriptore laudatus Baronius.

XVI. Cæterum Alexander IV Pontifex Maximus in laudata Epistola ad Pragensem et Olomucensem Episcopos, quibus Primislaum regem Bohemiæ inungere mandavit: « Reges, » inquit, unctionis sacræ virtute, quam per ve» nerabiles Christi ministro antiquos more sus» cipiunt, donum gratiæ recipiunt potioris, ut et » in prosecutione justi regiminis fortius conva» lescant, et tam in se quam in eorum subditis » prudentiori et sanctiori spiritu dirigantur. » Tum addit, quod, etsi differat principis unctio a Pontificis unctione, quia in capite Pontifex chrismate ungitur, princeps autem in brachio oleo delinitur, « vehemens tamen est in ipsis » regibus hujus efficacia sacramenti; quoniam » inuncto Saule, insiliit Spiritus Domini super » eum, et in virum alterum est mutatus, et » in David, unctione suscepta, Spiritus Domini » est directus.» Ad quæ alludens Petrus Blesensis in Epistola x ad Gualterium capellanum regis Siciliæ, graviter quidem conqueritur ab ipso rege adolescentulo ad Ecclesiæ Agrigentinæ Episcopatum evectum hominem prorsus inidoneum: «Doleo, inquit, quod inter primitias do» minationis suæ et inter initia consecrationis re» giæ, hoc præsumit; virtus equidem consecra» tionis ab hujusmodi violentiis eum utinam » temperasset! magna enim est hujus efficacia » sacramenti. Nam de David, postquam a Sa» muele unctus est, Scriptura testatur quod di» rectus est Spiritus Domini in David a die illa, » et in reliquum; Saul quoque, die illa qua olei » lenticula a Samuele perfusus est, mutatus est » in virum alterum. Et insiliente in eum Spiritu » Domini, cum accessisset ad cuneum prophe» tarum, cum ei psrophetare incœpit. » Et paulo post ipsum regem suggillans, inquit: « Verum » nec virtus unctionis, nec religiosorum crebra » exhortatio, nec Dei timor, nec Ecclesiæ reve» rentia, nec suæ famæ dispendium, nec exem» plum paternæ mansuetudinis a sua pertinacia » hunc reflectunt. »

XVII. Admonendum superest quod, etsi imperatores ac reges per sacram unctionem Ecclesiastici ordinis participes minime censeantur, nullamque exinde potestatem consequantur Ecclesiasticam; ex privilegio tamen, et ex concessione Summorum Pontificum concessum eis fuit ut, postquam solemniter consecrati sunt, minora quædam in Ecclesia officia obire possint. Glossa quidem canonici juris in can. *Valentinianus*, distinctione LXIII, diserte docet imperatorem Subdiaconi officii gerere, cum ministrat Episcopo; eamque Glossam communi doctorum consensu receptam testatur Abbas in cap. *Venerabilem*, Extra. *De electione*, *etc.* Idem cum Glossa etiam affirmat Cardinalis in expositione Clementinæ I *De jurejurando*. A quibus verbis potius quam sensu differt Speculator in tit. *De legibus*, § *Nunc ostendendum*, versu XXIX, asserens imperatorem consecratum et coronatum non esse Subdiaconum, nec Sacerdotem imo nec officio Subdiaconi fungi cum ministrat Episcopo; non enim, ut Restaurus Castaldus in tractatu *De imperatore*, quæstione XXIX, Hallierius et alii etiam doctores docent Subdiaconale officium dicendum putat, quod imperator obiit ex privilegio; sicut nec Ecclesiasticum dicitur, ordinarie loquendo, officium laicorum missis privatis ministrantium, sed mere et omnino laicum non enim pro Clerico se gerit, qui ex generali hujusmodi consuetudina ita ministrat.

XVIII. Verum quocumque nomine ministerium istud vocetur, certum est imperatori consecrato a Summo Pontifice concedi ut, sacris vestibus indutus, ea exsequatur quæ Subdiaconis committi solent. Etenim vetus Pontificale Romanum de coronatione imperatoris (de qua nihil habetur in hodierno Romano Pontificali)

Digitized by Google

cui consentit *Liber sacrarum cæremoniarum*, auctore Christoforo Marcello episcopo Corcyrensi, sectione v, cap. III, refert quidem imperatorem de novo consecratum, « Pontificem ad » Altare descendentem sequi, et illi in locum » Subdiaconi, calicem, et patenam cum hostiis » offerre, deinde aquam ad infundendam in vi- » no. » Testatur præterea laudatus Castaldus, doctores citans, imperatorem veste Subdiaconi indutum inservire Romano Pontifici sacris operanti, præsertim in die Natalis Domini, si in Urbe et Curia Romana præsens sit ; et in matutinis precibus, quæ in nocte Natalis Domini decantantur, si eis adsit, septimam lectionem Evangelii, quæ incipit, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, publice canere ; quin et ex ipso *Libro sacrarum cæremoniarum* docet idem Castaldus coronandum imperatorem a Canonicis Sancti-Petri in Canonicum et fratrem recipi, post coronationem vero in Canonicum similiter ac fratrem admitti a Canonicis Sancti-Joannis Lateranensis. Tandem post unctionem receptam communicare posse imperatorem sub utraque specie, præcipue in die inaugurationis suæ et in articulo mortis, ex bulla Clementis VI Papæ refert Carrier, tomo II *Digesti fidei*, pagina 645.

XIX. Hæc omnia et reges obtinere ex privilegiis potius quam virtute regiæ unctionis rectissime docet Emmanuel Gonzalez in cap. I *De sacra unctione*, num. XX, in fine. Plura nos de ea re diximus in opere nostro *De codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. IV, ex veteri gallice manuscripto Cæremoniali, ubi in capite *Quomodo imperator creatur*, hæc latinitati donata verba leguntur : « Papa debet cantare Missam ; et rex » Franciæ potest interesse, et Epistolam legere, » et ipso absente, rex Siciliæ ejus vices supple- » re potest. Imperator autem debet legere » Evangelium, et coronatur in Ecclesia Sancti- » Petri Romæ. » Quem ritum solide comprobavimus duobus imperatorum exemplis illustribus, Sigismundi et Caroli IV, cum de primo sic in ejus historia legatur : « Mane venit im- » perator ad Missam Romæ in Sancto-Petro, » quam Papa cantavit, et imperator legit Evan- » gelium in habitu Diaconi. » De altero vero ita scribit Albertus Argentoratensis : « In die » quoque Nativitatis Domini rex communica- » tus fuit, legitque in Missa in galli cantu alta » voce, habens in manu evaginatum gladium, » Evangelium *Exiit edictum a Cæsare Au- » gusto.* » Ubi nota non modo loco Subdiaconi, sed etiam vice Diaconi consuevisse imperatorem in Missa canere Evangelii lectionem.

XX. Tandem imperatores ac reges post coronam in basilica Vaticana susceptam, continuo ejusdem ecclesiæ Canonicos fuisse renuntiatos scribit Achilles, et ipse Vaticanæ basilicæ Canonicus, quem citat Turrigius in secunda parte tractatus *De Cryptis Vaticanis*, secundæ editionis, asserens Carolum Magnum, suscepta per manus Leonis III Summi Pontificis imperii corona, primum imperatorem fuisse qui memoratæ inclytæ ecclesiæ Canonicus fuerit. Sed non solum imperatores ac reges, sed etiam alii complures principes ex quodam privilegio hac dignitate in ecclesiis Canonicalibus gaudebant, ut in iis nempe ecclesiis, quas aut a fundamentis erexerant, aut amplius dotaverant redditibus, Canonicorum catalogis adscriberentur, sæcularibusque depositis insignibus, lineum supparum, seu superpelliceum induti, cum aliis Canonicis fungerentur Ecclesiastico munere. Vide eruditissimum auctorem Ludovicum Thomassinum, parte I *Disciplinæ*, lib. III, c. LXIV, et Carolum Dufresne in suo *mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Canonici honorarii*.

§ VIII.

Quo facto, Metropolitanus mica panis abstergit pollicem et lavat manus : surgit cum mitra, descendit ante altare, ubi, deposita mitra, stans cum suis Ministris facit confessionem. Rex vero electus ad partem se retrahit, et genuflexus cum suis Prælatis domesticis idem facit. Similiter et Episcopi parati, sine mitris stantes, bini et bini confessionem dicunt. Finita confessione, Metropolitanus descendit ad altare, et procedit in Missa more solito usque ad *Alleluia*, sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive, Prælatis paratis juxta suas sedes stantibus vel

Digitized by Google

sedentibus, prout tempus requirit. Interim Schola inchoat Introitum, et prosequitur in Missa, et rex a suis ducitur in sacristiam, vel sub papilione ad hoc parato, ubi inter scapulas et brachium inunctum bombyce bene abstergitur, et induitur regalibus indumentis ex more regni. Paratus itaque rex, et ornatus procedit cum suis Prælatis, baronibus et aliis ad eminentem et ornatum thalamum in ecclesia sibi præparatum, et ibi super aliquo faldistorio ornato, genuflexus incumbens, audit Missam, quam Prælati sui non parati circumstantes etiam genuflexi legunt usque ad *Alleluia*, sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur pro ipso electo rege sub uno *Per Dominum* hæc Oratio :

Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas, et vita es, gloriosus valeat pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quanquam non nisi cum sacrificio Missæ ut plurimum imperatorum ac regum consecrationes celebrarentur, comperi nihilominus nonnullos ante, alios inter, aliquos etiam post Missarum solemnia in imperatores seu reges solemniter consecratos. Quod ut exemplis confirmemus, de coronatione Ludovici Pii et Irmingardæ ejus uxoris a Stephano IV, dicto V, Pontifice Maximo, solemni ritu Remis peracta, ita inquit Theganus apud Baronium ad annum 816, et apud Pagium in Vita laudati Stephani IV : « Postea Pontifex honoravit eum magnis hono- » ribus et multis, et reginam Irmingardam, et » omnes optimates, et ministros ejus : et in » proxima Dominica, ante Missarum solemnia, » coram Clero et omni populo, consecravit » eum, et unxit ad imperatorem, et coronam » auream miræ pulchritudinis et pretiosissimis » gemmis ornatam, quam secum apportaverat, » posuit super caput ejus, et Irmingardam re- » ginam appellavit Augustam, et posuit coro- » nam auream super caput ejus. » Constat etiam, ex Hovedeno, Richardi regis Angliæ coronationem ante Missam quidem absolutam fuisse : postquam enim integram illius coronationis pompam ac cæremoniam descripsit, hæc statim ait : « Deinde inchoata est Missa » Dominicalis, et cum perveniretur ad Offerto- » rium, prædicti Episcopi duxerunt eum ad » altare, et ipse obtulit unam marcam auri » purissimi. » Addit et alia quæ ritum coronationis haudquaquam spectant.

II. Certe est multo antiquior ritus ungendi Reges inter Missarum solemnia; etenim de Stephano II Hilduini verba referens, hæc habet ad annum 754 laudatus Baronius : « Inter cele- » brationem consecrationis altaris, et oblatio- » nem sacratissimi sacrificii, unxit in reges » Francorum florentissimum regem (Pipinum) » et duos filios ejus Carolum et Carlomannum ; » sed et Bertradam ipsius inclyti regis Pipini » conjugem indutam cycladibus regiis, gratia » septiformis Spiritus sancti in Dei nomine » consecravit. » Cui exemplo, et aliis innumeris quæ afferri possunt, egregie suffragantur, tum antiqui, quales sunt Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicanus, monasterii Gemmeticensis, annorum nongentorum, tum recentiores fere omnes libri Pontificales, ex quorum præscripto, imperatorum ac regum coronatio et unctio inter Missarum solemnia celebratur. Cæterum non desunt apud scriptores exempla, quæ docemur, servatam aliquando fuisse cæremoniam consecrationis imperatorum ac regum post absolutum officium Missæ. Etenim Otto episcopus Frisingensis, lib. II *De rebus gestis*

Digitized by Google

Friderici I imperatoris, cap. XXII, describens ritum quo ipse in ecclesia Sancti-Petri coronatus est, inter alia inquit : « Mox princeps ad gradus » ecclesiæ B. Petri veniens, a Summo Pontifice » honorifice susceptus, ac usque ad confessio- » nem B. Petri deductus est. Dehinc celebratis » ab ipso Papa Missarum solemnibus, armato » stipatus rex milite, cum benedictione debita, » imperii coronam accepit, anno regni sui IV, » mense junio, XIV kalendas julii, cunctis qui » aderant cum magna lætitia acclamantibus, » Deumque super tam glorioso facto glorifi- » cantibus. »

III. Admonendi insuper sumus, ex nostra Rubrica, quod dum Cantores incipiunt Introitum Missæ, rex a suis ducitur in sacristiam, vel sub papilione, ubi inter scapulas et brachium inunctum bombyce bene abstergitur, et induitur regalibus indumentis ex more regni. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Senonensis mandat camisiam regis comburi quidem propter sanctam unctionem debere; finita scilicet Missa, postquam ad regium palatium se contulit. Quasnam autem ipse rex post unctionem vestes assumat, non est facile definire, cum variæ illæ fuerint pro regnorum et temporum varietate. Certe de Levigildo Gothorum rege testatur in *Historia Gothorum* S. Isidorus, quod « primus inter » suos regali veste opertus solio resedit. Nam » ante eum, et habitus, et consessus communis » ut genti, ita et regibus erat. » Hoc Levigildi exemplum in memoriam ea revocat, quæ de Carolo Calvo Francorum rege narrant *Annales Fuldenses* ad annum 876 : « Carolus rex de » Italia in Galliam rediens, novos et insolitos » habitus assumpsisse perhibetur. Nam talari » dalmatica indutus, et baltheo desuper accin- » ctus pendente usque ad pedes, nec non capite » involuto serico velamine, ac diademate desu- » per imposito, Dominicis et Festis diebus ad » ecclesiam procedere solebat. Omnem enim » consuetudinem regum Francorum contem- » nens, Græcas glorias optimas arbitrabatur. » Ex manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum, et Pontificali manuscripto Ecclesiæ Senonensis, vestes Franciæ regum sunt caligæ sericæ et hyacintinæ intextæ per totum liliis aureis, et tunica ejusdem coloris et operis in modum tunicalis, quo induuntur Subdiaconi ad Missam, nec non et soccus ejusdem prorsus coloris et operis, qui factus est fere in modum cappæ sericæ absque caperone; quæ omnia in regum inauguratione Abbas Sancti-Dionysii in Francia de monasterio suo debet Remis afferre, et stans ad altare custodire.

§ IX.

Graduali cantato, Metropolitanus sedet ante altare cum mitra in faldistorio, et rex a suis associatus, medius inter priores Prælatos ad Metropolitanum reducitur, cui facta reverentia, ut prius, genuflectit coram eo. Tunc Metropolitanus accipit gladium, quem unus ministrorum sibi porrigit de altari, et illum evaginatum tradit in manus regis, dicens : *Accipe gladium de altari sumptum per nostras manus, licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter concessum, nostræque bene✠dictionis officio, in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum; et memor esto ejus de quo Psalmista prophetavit* : Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; *ut in hoc per eumdem, vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas; et sanctam Dei Ecclesiam, ejusque fideles propugnes ac protegas; nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes exsecreris ac dispergas; viduas et pupillos clementer adjuves ac defendas; desolata restaures, restaurata conserves; ulciscaris injusta, confirmes bene disposita; quatenus hæc agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore sine fine regnare merearis,*

Digitized by Google

qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ X.

His expeditis, ensis a ministris in vaginam reponitur, et Metropolitanus accingit ense regem, dicens : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, et attende quod sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.*

COMMENTARIUS.

I. Tradendum novo regi in sua ipsius consecratione gladium, et quidem sub recitata formula, docet nos vetus Ordo Romanus : « Postea » ab Episcopis, inquit, ensem accipiat, et cum » ense totum regnum sibi fideliter ad regendum » sciat commendatum; et dicatur : Accipe gla- » dium per manus Episcoporum licet indi- » gnas, etc. » Ubi nota non a solo Metropolitano gladium tradi regi, sed ab Episcopis, qui ipsius coronationi aderant : uti aperte constat ex manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum, num. 4464, ubi dicitur recipi ab Episcopis gladium, dicente Metropolitano : « Accipe gladium » per manus Episcoporum licet indignas, etc. » Verum ex manuscripto antiquo codice Ratoldi abbatis Corbeiensis edito a viro clarissimo Hugone Menardo in *Appendice ad librum Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, Metropolitanus quidem cingebat regi gladium, sub alia tamen verborum formula : « Hic cingatur ei gladius » ab Archiepiscopo. » Cujus verba hæc erant : « Accipe hunc gladium cum Dei benedictione » tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus » sancti resistere, et ejicere omnes inimicos tuos » valeas, et cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ adver- » sarios; regnumque tibi commissum tutari » atque protegere castra Dei per auxilium in- » victissimi triumphatoris Domini nostri Jesu » Christi, qui cum Patre in unitate Spiritus » sancti vivit et regnat in sæcula sæculorum. » Juxta eumdem codicem, in quo ritus describitur olim observatus in unctione regum Francorum, post traditum gladium hæc Oratio sequebatur : « Deus, qui providentia tua, cœlestia simul et » terrena moderaris, propitiare Christianissimo » regi nostro, ut omnis hostium suorum forti- » tudo virtute gladii spiritalis frangatur, ac te » pro illo pugnante penitus conteratur. Per. »

II. Ex manuscripto tamen Pontificali codice insignis Ecclesiæ Senonensis, quem Martenius putat annorum tercentorum, antequam rex ungeretur, a solo Archiepiscopo gladio, qui una cum aliis regiis ornamentis super altare positus fuerat, accingebatur : « Quo accincto, ut » laudatus codex ait, statim idem gladius dis- » cingitur, et e vagina ab Archiepiscopo extra- » hitur, vagina super altare posita, et datur ab » Archiepiscopo in manibus cum ista Oratione; » cum illa nempe quam mox descripsimus: Ac- » cipe gladium cum Dei benedictione tibi col- » latum, etc. » Qua Oratione recitata, Antiphona ista cantabatur : *Confortare, et esto vir, et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, et præcepta ejus, et testimonia, et judicia, et quocumque te verteris, confirmet te Deus.* Quæ Antiphona dum cantabatur, eam post gladii traditionem Metropolitanus Orationem pronuntiabat : « Deus qui providentia tua, etc. » Tandem subdit laudatus codex quod « gladium debet rex » humiliter recipere de manu Archiepiscopi, » et offerre ad altare, et statim resumere de » manu Archiepiscopi, et incontinenti dare se- » nescallo Franciæ, si senescallum habuerit; » sin autem, cui voluerit de baronibus, ad por- » tandum ante se, et in ecclesia usque ad finem » Missæ, et post Missam usque ad palatium. »

III. Præter Pontificales libros alii etiam scriptores, ubi agunt de consecratione regis, gladii meminere, ejusque mysticam rationem assignarunt. S. Petrus Damiani in laudato *Sermone* LXIX, primo autem in *Dedicatione ecclesiæ*, de gladio ita inquit : « Præfertur et gladius in ocu- » lis ejus, ut cognoscat quia vindex est iræ Dei » in hoc ipsum constitutus. » Alludit ad Pauli locum, qui in Epistola ad Romanos, cap. XIII, fuse ostendit oportere nos esse obedientes regi : *Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui*

Digitized by Google

malum agit. Vidimus jam in Commentario, § II hujus tituli, ad coronandum Richardum Angliæ regem, referente Hovedeno, tres gladios aureos, quorum vaginæ desuper per totum auro contextæ erant, gestatos fuisse. Cæterum cur gladius novo regi tradatur, egregie explicat Alexander IV in Epistola ad Pragensem et Olomucensem Episcopos missa, is plane verbis: « Ideo namque a summo illo Rege, per quem » singuli reges regnant, et principes principan- » tur, temporalis gladii ad malorum vindictam, » laudemque bonorum terrenis est regibus at- » tributa potestas, ut assumpto ab eis dominandi » officio, judicent in æquitate populos, et diri- » gant in terris subjectas sibi gentium nationes, » quatenus sit voluntas eorum in executione » justitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis, et » observantia sanctæ pacis. » Neque vero hic omittendum est quod de ipso gladio regis S. Petrus Damiani scribit, cujus verba utinam reges intelligerent: « Felix autem, inquit, si » gladium regni cum gladio jungat Sacerdotii; » ut gladius Sacerdotis mitiget gladium regis, » et gladius regis gladium acuat Sacerdotis. Isti » sunt duo gladii, de quibus in Domini passione » legitur: *Ecce duo gladii hic.* Et respondetur » a Domino: *Sufficit.* Tunc enim regnum pro- » vehitur, Sacerdotium dilatatur, honoratur » utrumque, cum a Domino prætexata felici » confederatione junguntur. »

§ XI.

Et mox rex accinctus surgit, et eximit ensem de vagina, illumque viriliter vibrat, deinde super brachium sinistrum tergit, ac iterum coram Metropolitano genuflectit. Tunc ei corona imponitur, quam omnes Prælati parati, qui adsunt, de altari per Metropolitanum sumptam manibus tenent, ipso Metropolitano ipsam regente, capiti illius imponente, ac dicente: *Accipe coronam regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti, quam sanctitatis gloriam, et honorem, et opus fortitudinis significare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores. Ita ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor assistas, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostræ benedictionis in vice Apostolorum, omniumque sanctorum, regimini tuo commissi utilis exsecutor, proficuusque regnator semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus, et præmio sempiternæ felicitatis cum Redemptore ac Salvatore nostro Jesu Christo, cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris. Qui vivit et imperat Deus cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Ense accinctus novus rex, illum de vagina educit, evaginatumque viriliter vibrat, ac super sinistrum brachium tergit; de quo ritu vide quæ infra dicemus in titulo *De benedictione novi militis.* In præsenti totus noster in ipsa regis coronatione versabitur commentarius, et si de eadem in superioribus commentariis sæpe disputatum sit. Docent tum jurisconsulti, cum alii plerique scriptores apud Restaurum Castaldum in tractatu *De imperatore*, quæstione XXXIII, coronandum esse novum imperatorem triplici corona, ferrea, argentea, aurea. Hunc fuisse antiquum morem, ut imperator Germanicus triplici benedictione triplicique corona donaretur, prima argentea Aquisgrani tanquam rex Alemanniæ, secunda ferrea Modoetiæ, ut rex Longobardiæ, tertia aurea Romæ, ut imperator, diserte ostendit Edmundus Martenius, l. II *De antiquis*

Digitized by Google

Ecclesiæ Ritibus, cap. IX, ubi etiam demonstrat neminem olim imperatoris nomen sibi assumpsisse, antequam Romæ a Summo Pontifice benedictus coronatusque esset. Quod quidem patet ex testimonio Ludovici II imperatoris, qui apud Chesnium, tomo III *Historiæ Francorum*, ita scribit ad Basilium Græcorum imperatorem: « Francorum principes primo reges, deinde » vero imperatores dicti sunt, ii duntaxat qui » a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto per» fusi sunt. » Atque hinc est quod Henricus I *Auceps* dictus, imperatoris titulum, eo quod Romæ haudquaquam esset coronatus, non habere dicitur in Vita S. Bennonis Misnensis episcopi, apud Surium ad diem XVI mensis julii. Quod mirum videri non debet; cum, uti omnibus notum est, Leo III Carolo Magno imperium ejusque successoribus suo dudum arbitrio dederint alii Pontifices Maximi; quamobrem ait Lupus, in scholio ad Canonem XII dictatus S. Gregorii VII, plus Pontificem posse in imperium quam in alia suprema regna.

II. At relicta hac quæstione, et aliis quibusdam quæ inde exoriuntur, primam benedictionem cum corona ferrea accipiebat olim ut plurimum imperator Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi, significabatque ea corona fortitudinem, qua vincere debet infideles, et rebelles conculcare. Dixi autem *ut plurimum*, cum constet datam ipsam benedictionem aliquando Moguntiæ; ibi enim S. Henricus, ibi Conradus in Germaniæ reges ordinati fuere, uti discimus ex Vita S. Menverci, cap. XI et XCIII, apud Surium ad diem V mensis junii. In ea benedictione regimen regiamque potestatem tradi *per hastam* consuevisse, docet nos Vita S. Bernardi Hildesheimensis episcopi, cap. XXXII, ubi de coronatione S. Henrici hæc habet: « Omnibus » ergo pari voto in electione illius concordan» tibus, Willigisus archiepiscopus, et B. Ber» nardus cum cæteris regni principibus, domi» num Henricum Moguntiam cum summo » honore ducentes, dominica VIII Pentecostes, » regimen et regiam potestatem cum dominica » hasta illi tradiderunt, ac deinde omnibus » rite peractis, cum maximo tripudio univer» sorum solemniter cum Dei gratia unxerunt.»

III. Alteram coronam argenteam aiunt jurisconsulti recipere imperatorem Italiam ingressum a Mediolanensi Archiepiscopo in villa Modoetiæ, ejusdem diœcesis, vel in ecclesia Sancti-Ambrosii Mediolani, ac designari inquiunt ipsa corona eum in munditia et claritate esse debere. Certe, uti docet Marnius, secunda benedictio imperatoris Modoetiæ, ex jure fieri debebat cum ferrea corona, sed temporum decursu hoc sibi privilegium arrogarunt Mediolanenses: « De » altera, » inquit Cranzius, *Saxoniæ* lib. IV, capite XXXVII, «Modoecenses cum Mediolanensibus » disceptavere, sed prævaluit amplitudo Medio» lani. » Ibi nimirum Henricus VI et VII, aliique coronati sunt; nonnulli tamen utroque in loco inuncti fuerunt, fortasse ut suum cuique jus servaretur. Unde idem Cranzius loco citato agens de coronatione Conradi II: « Constitutum » erat, ait, ut qui coronandus in urbem impe» rator adinveniret, duas in medio itinere co» ronas acciperet, ex palea primam Modoetiæ, » ex ferro autem alteram Mediolani ab Archie» piscopo imponendam. » Quo ritu eam coronam Mediolani acciperet imperator, exponit Ripamontius in *Historia Ecclesiæ Mediolanensis*, decade I, lib. IX, ubi inter alia ita inquit: « Evinciebat deinde Mediolanensis Archiepisco» pus ferreo diademate caput regis, et præfe» rente crucis trophæa comite Anglerico, tem» plum ingrediebantur, ad aram maximam » accedebant. Ibi nudato capite, poplite flexo, » rex pie Numen veneratus, expiabatur ab Ar» chiepiscopo, solemni crucis nota deinde col» locabatur in solio. »

IV. Tertia denique corona aurea, quæ designat ipsum imperatorem aliis regibus ac principibus debere esse excellentiorem, cum aurum cæteris metallis sit excellentius, eidem Romæ ad altare S. Mauritii a Pontifice Maximo tradebatur. Quo ritu eam Romæ acciperet Henricus I a Benedicto VIII, anno 1014, exponit Ditmarus, libro VII, his verbis: « Henricus Dei gratia rex » inclytus, a senatoribus duodecim vallatus, » quorum sex rasi barba, alii prolixa mystice » incedebant cum baculis, cum dilecta suimet » conjuge Chunegunde, ad ecclesiam Sancti» Petri, Papa exspectante, venit; et antequam » introduceretur, ab eodem interrogatus si fide» lis vellet Romanæ patronus esse et defensor » Ecclesiæ; sibi autem suisque successoribus » per omnia fidelis, devota professione respon» dit. Et tunc ab eodem inunctionem et coronam » cum contectali sua suscepit: priorem autem

Digitized by Google

» coronam super altare Principis Apostolorum » suspendi præcepit. » Refert Bartoldus ad legem I, in principio, num. III, ff. *Si quis testamento liber*, etc., imperatori coronam imponi non per Pontificem Maximum, sed per præfectum urbis nomine populi Romani, illo tantum sacras cæremonias peragente; ob idque solitum imperatorem, quasi in præmium istius muneris satisfacere omnibus creditoribus ipsius præfecti. At hoc paradoxum est; nam, uti advertit Roussellius in *Historia jurisdictionis Pontificiæ*, libro VII, cap. III, num. XVII, quotquot de coronatione illa scribunt, eam ab ipso Summo Pontifice collatam referunt. Cæterum illud constat, quod sicut variæ fuerunt olim imperatorum coronationes Romæ, ita etiam et varii ritus servati, uti in uniuscujusque historia legere est.

V. Neque solum imperatores iterum atque iterum coronatos constat, verum etiam reges; etenim, uti alibi etiam dictum est, de Henrico II Angliæ rege ita scribit Rogerus Hovedenus : « Anno gratiæ 1159, rex Henricus tertio fecit se » et Alienor uxorem suam coronari in solemni» tate Paschali; ubi cum ad oblationem venirent, » deposuerunt coronas suas, voventes Deo quod » nunquam in vita sua de cætero coronarentur.» Sane insignis fuit humilitas Godefridi Lotharingiæ ducis, qui, uti scribit Bernardus Thesaurarius, *De acquisitione Terræ sanctæ*, cap. LXXVII, apud Ludovicum Muratori, tomo VII *Rerum Italicarum*, pag. 724, electus in regem Hierusalem, et magnis cunctorum applausibus, ad ecclesiam Sancti-Sepulcri deductus, et Christo Domino præsentatus, rogantibus principibus ut in titulum regiæ dignitatis et moris coronam assumeret: « Absit, inquit, ut in ea urbe coro» natus incedam aureo diademate, lapidibus pre» tiosis insignito, in qua Dominus noster Jesus » Christus pro salute fidelium coronam spineam » detulit, quæ ad ipsius honorem regium satis » sibi sufficere videbatur.» Quod ob hanc piam causam coronari recusaverit princeps religiosissimus, nonnulli catalogo regum Hierusalem non computandum esse dixerunt: recte id tamen ineptum videri et præsumptuose dictum, affirmat memoratus Bernardus : « Certe ine» ptum videtur et præsumptuose dictum, ut » quod ex tanta humilitate et ad sæculi pompam » evitandam facere voluit pro reverentia Jesu » Christi, contra regni et nominis sui gloriam » adscribatur. »

VI. Sunt et alia memoratæ humilitatis exempla; quibus tamen omissis, illustranda est nostri Rubrica Pontificalis, in qua dicitur coronam novo regi imponi, « quam omnes Prælati parati, » qui adsunt, de altari per Metropolitanum sum» ptam manibus tenent, ipso Metropolitano illam » regente, capiti illius imponente, ac dicente » Orationem, etc. » Coronam de altari sumptam, et Archiepiscopi manibus novo regi impositam, omnes pene auctores ac libri Pontificales tradunt. Refert autem Hovedenus, parte secunda *Annalium*, ubi agit de coronatione Richardi regis Angliæ, quod ipse rex « cepit coronam de » altari, et tradidit eam Archiepiscopo, et Archi» episcopus tradidit ei, et posuit eam super caput » illius, quam duo comites sustinebant, propter » ponderositatem ipsius. » Ex manuscripto codice Pontificali Bibliothecæ regis Francorum, num. 4464, ante annos quadringentos scripto, ubi ritus consecrandi et coronandi Francorum regem narratur, « convocatis ex nomine pari» bus regni et circumstantibus, Archiepiscopus » accipit de altari coronam regiam, et solus » imponit capiti regis : qua imposita, omnes pa» res, tam clerici quam laici, manum apponunt » coronæ, et eam undique sustentant. » Cui consonat ritus descriptus in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis annorum tercentorum.

VII. Fuit præterea et is aliquando ritus servatus, ut coronam auream, quam Romanus Pontifex imperatori daturus erat, inter pedes suos poneret, eamque pedibus ipsis percuteret, ut novo imperatori significaret habere se potestatem de imperio illum dejiciendi. Tradit hæc quidem Hovedenus, ubi de Cælestino III Pontifice Maximo ita scribit : « Deinde » (scilicet post præstitum juramentum) « introduxit eos » in ecclesiam » (nempe Henricum regem Germaniæ hujus nominis IV, imperatorem vero V, et Constantiam ejus uxorem), « et unxit eum » in imperatorem, et uxorem ejus in imperatri» cem. Sedebat autem Dominus Papa in cathe» dra Pontificali, tenens coronam auream im» perialem inter pedes suos, et imperator » inclinato capite recepit coronam et impera» toria similiter de pedibus domini Papæ, do» minus autem Papa statim percussit cum pede

Digitized by Google

» suo coronam imperatoris, et dejecit eam in » terram; significans quod ipse potestatem deji- » ciendi eum de imperio habet, si ille deme- » ruerit; sed Cardinales statim arripientes » coronam, imposuerunt eam capiti impera- » toris. » Ita Hovedenus, cujus ut pote tempore viventis, labente scilicet sæculo Christi XII, testimonium eloquentius est ad probandam hujus facti veritatem, quam aliorum omnium silentium ad eam denegandam, ut recte observat Franciscus Pagius in Vita Cælestini III, num. XIV. Quod autem Papæ liceat imperatores deponere, edicit in suo dictatu S. Gregorius VII, can. XII, in cujus scholio complura affert Christianus Lupus exempla imperatorum ac regum degradatorum a Romano Pontifice.

VIII. Nos omissa scabiosa hac quæstione, orta aut verius resuscitata, uti ait ibidem Lupus, ex facto Gregorii VII qui Henricum IV Germaniæ regem ac electum imperatorem excommunicarat, ac in excommunicatione et contumacia fœtentem tandem degradarat, refellendos hoc loco esse censemus quosdam scriptores Hispanos, inter quos Henricus Spondanus in continuatione *Annalium* cardinalis Baronii ad annum 1204, num. XVI, numerat Marianam, lib. X, cap. IX, Tarapham *De regibus Hispaniæ* in Alphonso IX, Blancam *De rebus Aragoniæ* in Petro II, ut alios omittam qui commenti sunt Petrum ipsum Aragoniæ regem coronatum fuisse ab Innocentio III corona panis azymi; eam confingentes rationem, quod nempe cum intellexisset Petrus Romanos Pontifices pedibus diademata regibus imponere consuevisse, coronam ex pane conficiendam curaverit, quo sibi ob reverentiam panis, non pedibus, sed manibus imponenda esset. Certe quamvis posset hoc referri ad modum illum quo vidimus Henricum V imperatorem coronatum a Cælestino III Pontifice Maximo; haud tamen ille pedibus coronam imposuit capiti Henrici, quos sane non habebat uncinatos aut hamatos : nec par jus Pontificis in reges liberos quoad hæc, ac in imperatores, quorum confirmatio et coronatio absolute a Pontificum auctoritate pendet; uti recte docet laudatus Spondanus, qui paulo antea scripserat referri a diligentissimo rerum Aragonensium scriptore Surita in indic. anno 1204 publicas Petri tabulas, in quibus diserte continetur Petrum tam coronam quam alia regia insignia, « non minus speciosa quam pretiosa, » de propriis manibus Innocentii Pontificis accepisse.

IX. Etsi autem innumera pene exempla afferri possint, quibus magis magisque pateat complures principes coronas sibi regias a Summo Pontifice dari voluisse, tum ad demonstrandum obsequium erga Petri Sedem, tum etiam ne subesse imperatori viderentur, regulariter tamen Metropolitani munus est novo regi coronam imponere, uti fuse in Commentario, § I, hujus tituli dictum est; atque ex Ordine antiquo Romano, et ex præsenti nostri Pontificalis Rubrica addiscere licet. Sic a Remensi metropolitano Willelmo coronam capiti Philippi Augusti regis Francorum impositam, testatur lib. I *Philippidos* Willelmus Brito his versibus :

> Hoc, et non alio perfudit membra liquore
> Carolidæ nostro Willelmus præsul in urbe
> Remensi, patrum servato more suorum,
> Imposuitque sacro capiti diadema verendum.

Actam fuisse hanc coronationem anno 1179, in festo Omnium-Sanctorum, refert Pagius in Vita Alexandri III, num. CVI. Cæterum cum de hoc jure ungendi et coronandi regem ad Metropolitanum spectante in laudato Commentario, § XI, hujus tituli, abunde disseruerimus, hic illud notandum est, in coronatione imperatoris Græci, olim, si novi regis seu imperatoris pater adfuisset, ipsum patrem et Patriarcham stemma ei imponere consuevisse; absente autem patre, Patriarcham solum, ut testatur Georgius Codinus, lib. I *De officiis aulæ et Ecclesiæ Constantinopolitanæ,* capite XVII, his verbis : « Si igitur » adest imperator et pater ejus, ipse et Patriar- » cha accipientes stemma imponunt capiti novi » imperatoris, et pronuntiat Patriarcha hanc » vocem, *Dignus*. Quod si non est pater ipsius, » hoc faciat solus Patriarcha. Quemadmodum » autem prius in unguenti applicatione vocem » *Sanctus* excipiebant, sic etiam hanc vocem, » *Dignus*, qui in sacro suggestu sunt, et reliqua » populi multitudo acclamant tertio. » Quid sit autem stemma docet laudatus ibidem Codinus, dicens : « Nosse autem oportet quod nunc ap- » pellatur stemma, id olim nominatum esse » diadema. Id autem erat textile purpureum » cum lapillis et margaritis positum ad impera- » toris frontem, et pone revinctum cerebrum » versus; quamobrem dicitur diadema, quod ex » eo paulatim mutatum, effectum quale videtur

Digitized by Google

» hodie, et nominatur stemma. » Ubi nota 1° quod docet Menardus, stemma non omnino esse quod diadema; 2° quod græce legitur Βλατίον, recte Menardum vertisse *textile purpureum* : id quod variis veterum Scriptorum allatis testimoniis perspicue ostendit, etsi interpres illud verbum græcum Βλατίον, latine reddiderit *textile aureum*.

X. Quod spectat formulam imponendi coronam novi regis capiti, variam illam fuisse constat. Juxta ritum aliquando observatum in unctione regis Francorum ex codice Ratoldi abbatis Corbeiensis, ubi Metropolitanus coronam imponebat, hanc quidem formulam pronuntiabat : « Coronet te Deus corona gloriæ, atque » justitiæ honore, et opere fortitudinis; ut per » officium nostræ benedictionis, cum fide recta » et multiplici bonorum operum fructu, ad » coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cujus regnum permanet in sæcula » sæculorum. » Quæ formula non exstat in Ordine Romano, neque in codice manuscripto Bibliothecæ regis Gallorum, num. 4464, neque in Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, ante annos quadringentos scriptis, neque in aliis compluribus in quibus ea exstat formula, quam in præsenti § nostri Romani Pontificalis descripsimus. Habetur tamen recitata formula Abbatis Corbeiensis in Pontificali Senonensi annorum tercentorum in coronatione Ludovici II et Henrici IV regis Francorum. Exstat etiam in consecratione Caroli Calvi, sed contractior. Sane juxta codicem Ratoldi Abbatis, aliosque libros Pontificales qui cum illo consentiunt, post ipsam formulam in coronæ impositione recitatam, hæc statim sequitur Oratio dicenda post coronam : « Deus perpetuitatis, dux virtutum, » cunctorum hostium victor, benedic hunc famulum tuum tibi caput suum inclinantem; » prolixa sanitate et prospera felicitate eum » conserva; et ubicumque pro quibus auxilium » tuum invocaverit, cito adsis, et protegas, atque defendas. Tribue ei, quæsumus, Domine, » divitias gratiæ tuæ; comple in bonis desiderium ejus; corona eum in miseratione et » misericordia, tibique Domino pia devotione » famuletur. Per Dominum. »

XI. Verum in Ordine antiquo Romano ac in aliis plerisque Pontificalibus, in quibus nostra formula Romani Pontificalis descripta est, ea recitata, statim benedictio subjicitur super ipsum regem in hunc modum dicenda : « Benedicat » tibi Dominus, custodiatque te, et sicut te voluit super populum suum esse regem, ita in » præsenti sæculo felicem et æternæ felicitatis » tribuat esse consortem. Amen. Clerum ac » populum, quem sua voluit opitulatione in tua » sanctione congregari, sua dispensatione et tua » administratione per diuturna tempora faciat » feliciter gubernari. Amen. Quatenus divinis » monitis parentes, adversitatibus carentes, » bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli » amore obsequentes, et in præsenti sæculo » tranquillitate fruantur, et tecum æternorum » civium consortio potiri mereantur. Amen. » Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum » et imperium sine fine permanet in sæcula » sæculorum. » Tum tandem sequitur : « Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti » descendat super te. Amen. »

XII. Redeo ad coronam regiam, de qua ita scribit S. Petrus Damiani in *Sermone* LXIX, primo autem in Dedicatione Ecclesiæ : « Ponitur et corona super caput ejus, expressa signo » sanctitatis, gloria honoris, et ope fortitudinis. » Alexander IV, in toties laudata Epistola ad Pragensem et Olomucensem Episcopos, ait, ad insinuandum quod in regibus esse debet plenitudo virtutum, quodque in eis est integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis honorabile et venerabile sub circulari forma regium diadema imponi. Mox vero hæc addit : « A quo siquidem principe, qui taliter decoratur » insigniis, et titulis præsignitur, tanquam a » capite subditis, velut membris rectus vivendi » modus indicitur, et modestiæ regula compo» nitur et dictatur. » Aliam ejus ritus significationem affert Humbertus de Romanis, dum lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, cap. LXXXI, docet coronam, quæ est super alia ornamenta, et illa excedit in pulchritudine, propterea novi regis capiti, quod est membrum altius, imponi, « ut innuatur quod rex, qui est » super omnes alios, debet esse in virtutibus or» natior. » Tum notat non esse de foliis transitoriis, sed de rebus durabilibus, auro scilicet et lapidibus pretiosis, « quia bonitas regis non » debet esse transitoria, sed durabilis. » De coronis vide sis Casaneum in *Catalogo gloriæ mundi*, parte II, conclusione II, ubi de multi-

Digitized by Google

fariis earum differentiis agit. Vide præterea Angelum Decembrium, lib. v *De politia litteraria*, Cæsarem Bullingerum, in lib. *De spoliis bellicis*, cap. XIII, Antonium Thylesiam, et Carolum Paschalium in libris *De coronis*.

XIII. Est quid adhuc notemus in nostri Romani Pontificalis formula, secundum quam novo regi corona traditur, ubi dicitur, ut per illam intelligant reges quod, sicut Episcopi in interioribus pastores doctoresque animarum intelliguntur, ita et ipsi in exterioribus veri Dei cultores, strenuique contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensores existant. Huc enim spectat quod primus Christianus imperator Constantinus Magnus dixit, cum sic ad Episcopos loqueretur, apud Eusebium, *De Vita Constantini* lib. IV, cap. XXIV : « Ego quidem » communis quidam sum Episcopus, sed vos » eorum quæ sunt in Ecclesia; ego eorum quæ » extra sunt, a Deo constitutus Episcopus vi» deor. » Hanc profecto distinctionem tenuerunt semper Catholici et Christiani veteres, sive a paganis, sive ab hæreticis infestarentur. Unde Modestus, Valentis ariani imperatoris præfectus, apud Theodoretum, lib. IV *Historiæ*, c. X, cum cives Edessenos cohortaretur « ut cum » imperatore communicarent, » sapienter et facete Eulogius presbyter cæterorum nomine ei respondit : « An jam Episcopatum noster nactus » est imperator ? Nos enim Episcopum habe» mus, cui in sacris communicare docemur. » Cæsarem enim audiebat, non ea quæ sunt Cæsaris, sed ea quæ Dei sunt et ad Episcopos pertinebant, sibi temere arrogantem, et aliis impie præcipientem.

XIV. Præter coronam, datam fuisse novo regi in sua ipsius consecratione et mitram, addiscere licet ex coronatione Petri Aragonum regis, quem Innocentius III per manus Petri Portuensis episcopi in ecclesia Sancti-Pancratii, anno 1204, inungi fecit; quemque ipse Pontifex postea in basilica Vaticana manu propria coronavit, « largiens ei regalia insignia universa, mantum » videlicet et colobium, sceptrum et pomum, » coronam et mitram, » teste Pagio in Vita Innocentii III; et videri potest ipsius Innocentii Constitutio VIII, quæ exstat tom. I *Bullarii Romani*. Certe mitram vocarunt olim non pauci scriptores capitis tegumentum, quod imperatorum ac regum coronis substernebatur. Hinc de Ottone imperatore inquit *Chronicon Ceccanense* anno 1209 : « Oddo coronatus imperator, vestitus im» perialibus indumentis, ivit cum domino » Papa, etc. » Mitram etiam Vratislao Bohemiæ regi, quamvis laico homini mitti non consuevisset, in signum intimæ dilectionis misit Alexander II; uti videre est apud Gregorium VII, lib. I, epistola XXXVIII, ubi confirmat quod præstiterat Alexander. Hoc exemplum secutus Lucius II, qui, ut testatur Otto Frisingensis, lib. I *De gestis Friderici*, cap. XXVII, Rogerio Siculorum regi concessit « virgam et annulum, dal» maticam et mitram. »

XV. Illud autem hic omitti non debet, non modo coronam et mitram, verum etiam annulum inter regalia ornamenta numerari. Annulum quidem novi regis digito immissum in sua ipsius benedictione, docent nos vetus Ordo Romanus et manuscripti libri Pontificales, nempe Bibliothecæ regis Gallorum, insignis Ecclesiæ Senonensis, et Petri Silvanectensis Episcopi, qui obiit anno 1356, in quibus hæc etiam habetur formula : « Accipe regiæ dignitatis annulum, » et per hunc in te Catholicæ fidei cognosce » signaculum, quia ut hodie ordinaris caput et » princeps populi, ita perseverabilis auctor ac » stabilior Christianitatis et Christianæ fidei, felix » in opere, locuples in fide cum Rege regum » glorieris, cui est honor et gloria per infinita » sæcula sæculorum. » In laudatis Bibliothecæ regiæ et Ecclesiæ Senonensis Pontificalibus hæc post annuli traditionem Oratio sequitur : « Deus, cujus est omnis potestas et dignitas, da » famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum, » in qua, te remunerante, permaneat, semper» que timeat, tibique jugiter placere contendat. » Per Dominum. » Meminit et ejus ritus tradendi annulum novo regi codex Ratoldi abbatis Corbeiensis, in quo tamen hæc exstat formula : « Accipe annulum, signaculum videlicet sanctæ » fidei, soliditatem regni, augmentum potentiæ, » per quem scias triumphali potentia hostes re» pellere, hæreses destruere, subditos coadu» nare, et Catholicæ fidei perseverabilitati con» necti. Per. » Oratio post annulum datum consentit cum illa quam superius recitavimus : desideratur autem in Ordine antiquo Romano. Cæterum annuli traditio exstat in coronatione Henrici II et Henrici IV, regum Francorum, teste Hugone Menardo et aliis.

Digitized by Google

§ XII.

Postea Metropolitanus dat ei adhuc genuflexo sceptrum, dicens : *Accipe virgam virtutis ac veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos et relevare humiles; et aperiat tibi ostium Jesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait :* Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur. *Qui est clavis David, et sceptrum domus Israel; qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. Sitque tibi ductor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis; et in omnibus sequi merearis eum, de quo David propheta cecinit :* Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis, virga regni tui; *et imitando ipsum, diligas justitiam, et odio habeas iniquitatem; quia propterea unxit te Deus, Deus tuus, ad exemplum illius quem ante sæcula unxerat oleo exsultationis præ participibus suis, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Aliud est sceptrum, aliud est virga : utriusque meminit in consecratione regis codex Ratoldi abbatis, cum diversa verborum formula, ubi tam illud quam ista tradebatur. Idem videre est in manuscriptis Pontificalibus Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Anglicano monasterii Gemmeticensis annorum nongentorum, in quibus prolixior est formula in sceptri quam in virgæ, quam baculum vocant, traditione. Dictum jam nobis ex Hovedeno fuit, in coronatione Richardi regis Angliæ, Willelmum Marescallum comitem *de Striguil* « tulisse sceptrum regale au- » reum, in cujus summitate erat crux aurea, » et Willelmum Patricii comitem *de Salisbirie* juxta eum gestasse « virgam auream habentem » in summitate columbam auream. » In Ordine quidem antiquo Romano sub descripta in hoc § nostro formula, sceptrum et baculus, id est virga, novo regi traditur. Idem ritus habetur in manuscripto codice Pontificali Bibliothecæ regis Gallorum, et in Senonensis Ecclesiæ Pontificali, in quibus non modo sceptri deaurati, sed et virgæ mensuræ unius cubiti, habentis etiam manum eburneam, mentio fit. Illud præterea Hovedenus tradit, laudato Richardo regi Angliæ « scep- » trum regale in manu dextra, et virgam rega- » lem in sinistra » Archiepiscopum tradidisse; celebrata autem Missa, et omnibus rite peractis, duos Episcopos, Dunelmensem et Bathoniensem, unum a dextris, alterum a sinistris, reduxisse regem « coronatum et portantem scep- » trum in dextra, et virgam regalem in sinistra, » ab ecclesia usque in thalamum suum, præce- » dente ordinata processione, ut superius. »

II. Hunc ritum non modo in coronatione Henrici II et Henrici IV, Francorum regum, servatum docet Menardus in *Notis et Observationibus in librum Sacramentorum S. Gregorii*, pagina 409, sed et in coronatione Ludovici regis filii Philippi I, datum ei fuisse sceptrum, et virgam ex continuatore Aimoni constat, qui lib. v, capite v, ita scribit : « Sceptrum et vir- » gam, et per hæc, ecclesiarum et pauperum » defensionem, et quæcumque regni insignia, » approbante Clero et populo, devotissime » contradidit. » Sane in coronatione Caroli Calvi non tradita ei fuit virga, sed palma cum sceptro, ut in ejusdem Caroli *Capitulis* legere est : « Ad » ista verba, *Det tibi Dominus velle*, dede- » runt illi palmam et sceptrum. » In signum videlicet victoriæ perseverantis, quo perveniat ad palmam gloriæ sempiternæ : quod significatur in formula ejusmodi traditionis, quam refert laudatus Menardus : « Det tibi Dominus velle et » posse quæ præcipit; et in regni regimine se- » cundum voluntatem suam proficiens, cum » palma perseverantis victoriæ ad palmam per- » venias gloriæ sempiternæ, gratia Domini nostr

Digitized by Google

» Jesu Christi, qui vivit. » Ubi nota palmam hic non manum significare, sed arboris genus victoriæ perseverantis symbolum.

III. Non desunt autem Pontificales libri et prisci auctores qui vel sceptri tantum vel virgæ in consecratione regis meminere. In Pontificali manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ, et in manuscripto Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356, novo regi sceptrum duntaxat traditur cum ea verborum formula, quæ in nostro hodierno Romano Pontificali habetur. Cum autem virga utantur homines ad defensionem, correctionem et sustentationem; ideo in manu regis virgam poni ait Humbertus de Romanis loco laudato, « ut per hoc intelligat, quod » uti debeat potestate regia ad defensionem » subditorum, ad correctionem delinquentium, » et sustentationem debilium et indigentium. » Quapropter principibus severe præcipit Dominus facere judicium et justitiam, et liberare vi oppressum de manu calumniatoris, uti legere est apud Jeremiam, cap. XXII, et in aliis passim sacræ Scripturæ locis, quos longum esset hic recensere.

IV. Duo tandem apud Græcos quoque tradita novo imperatori sceptra fuerunt, crux videlicet et ferula; de quibus obiter tantum Codinus in laudato cap. XVII, clarius autem de ipsis loquitur Simeon archiepiscopus Thessalonicensis, his plane verbis: « Imperator equidem cum Ponti» ficia manu unctus et benedictus fuerit, et in » capite stemma susceperit, accipit et crucem in » pietatis argumentum, et ἀκανίαν, quæ est pul» vis terræ imperii fragilitatem et abjectionem » illud consecuturam manifestans. » Et inferius: « Insuper etiam virgam assumit, non gra» vem quampiam, sed levem et mollem, propter » castigandi virtutem in mansuetudine, nus» quam cum iracundiæ aut perniciei intentatæ » motu, neque ut confringat et perdat, etc. » Notum est in consecratione Summi Pontificis solere stupam comburi, ut reminiscatur ita gloriam mundi transire; quamobrem recte institutum est ut novo imperatori, saltem apud Græcos, pulvis terræ detur, imperii fragilitatem et abjectionem, ut inquit laudatus Thessalonicensis, illud consecuturam manifestans.

V. His addendum est consuevisse olim novo imperatori ac regi, post sceptrum regale et virgam, dari etiam pomum aureum sive deauratum. Etenim cum Benedictus Papa VIII S. Henrico regi Romam venienti coronam imperialem conferre decrevisset, pro insigni imperiali regi conferendo, jussit, inquit Glaber Rodulphus, fabricari aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Erat autem instar speciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumsistere perhibetur, ut dum illud respiceret princeps, terreni imperii foret ei documentum, non aliter debere imperare, vel militare, quam ut dignus haberetur vivificæ crucis tueri vexillo; in ipso etiam diversarum gemmarum decoramine, videlicet imperii culmen plurimarum virtutum speciebus exornari oportere. Concessum hoc pomum et aliis regibus, patet ex Constitutione VIII Innocentii III, qui Petrum Aragonum regem propria manu coronavit, « largiens ei regalia insignia » universa, mantum videlicet et colobium, sce» ptrum et pomum, coronam et mitram; » ut inquit in Vita laudati Innocentii Franciscus Pagius et alii scriptores.

§ XIII.

Tunc regi surgenti discingitur ensis, et in vagina datur alicui qui eum ante regem immediate portat. Et Metropolitanus cum aliis Prælatis paratis deducit regem sceptrum in manu et coronam in capite ferentem, medium inter se a dextris, et digniorem Prælatum paratum a sinistris regis incedentem ad solium supra thalamum, et adjuvante eum digniore Prælato prædicto, inthronizat regem in solio, dicens: *Sta, et retine amodo locum tibi a Deo delegatum, per auctoritatem omnipotentis Dei, et per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum cæterorumque Dei servorum; et quanto clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere*

Digitized by Google

memineris; quatenus mediator Dei et hominum, te mediatorem Cleri et plebis permanere faciat.

COMMENTARIUS.

I. Dictum jam alibi fuit ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Senonensis, quod « gladium » debet rex humiliter recipere de manu Archi- » episcopi, et offerre ad altare, et statim resumere » de manu Archiepiscopi, et incontinenti dare » senescallo Franciæ, si senescallum habuerit : » sin autem, cui voluerit de baronibus, ad por- » tandum ante se, et in ecclesia usque ad finem » Missæ, et post Missam usque ad palatium. » Id quod etiam præscriptum legitur in manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum : « Rex, inquit, a solo Archiepiscopo gladio cum » vagina accingitur ; quo accincto, idem gladius » de vagina ab Archiepiscopo extrahitur, vagina » super altare reposita, et datur ei ab Archi- » episcopo in manibus, quem debet rex humili- » ter afferre ad altare, et statim resumere de » manu Episcopi, et incontinenti dare sene- » scallo Franciæ, etc., » ut in laudato Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis et in aliis plurimis. De Richardo Angliæ rege tradit Hovedenus, quod ubi accepit ab Archiepiscopo coronam regiam in vertice, sceptrum regale in manu dextra, et virgam regalem in sinistra, ductus fuit ad sedem suam a Dunelmensi et Bathoniensi episcopis, præcedentibus eos Ceroferariis et tribus gladiis.

II. Puto hanc sedem, cujus Hovedenus meminit, fuisse regium solium, quo novus rex de altari per chorum ab Episcopis honorifice ducebatur, dicente illi Metropolitano : « Sta, et retine » amodo locum, etc., » ut habetur in Ordine antiquo Romano, in codice Ratoldi abbatis, et in omnibus fere Pontificalibus libris, inter quos manuscriptus laudatus codex Bibliothecæ regis Gallorum : « Deinde, inquit, coronatus honori- » fice per chorum ducatur de altari ab Episcopis » usque ad solium, cantante Choro hoc Respon- » sorium : *Desiderium animæ ejus tribuisti* » *ei, etc.* Deinde dicat ei dominus Metropolita- » nus : Sta, et retine locum amodo, quem huc » usque paterna successione tenuisti, hæredi- » tario jure tibi delegatum, per auctoritatem » Dei omnipotentis, etc., » ut in nostri Romani Pontificalis formula, ad cujus finem hæc habet memoratus regiæ Bibliothecæ codex : « Hoc loco » dominus Metropolitanus sedere eum faciat » super sedem, dicendo : In hoc regni solio te » confirmet, et in regno æterno secum regnare » faciat Jesus Christus Dominus noster, Rex re- » gum et Dominus dominantium, qui cum Deo » Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. » Per. » Sedem seu sellam semper inter præcipua regum insignia recensitam fuisse, ex latinorum poetarum principe constat, ubi ita cecinit :

> Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Videbatur enim in sella tota fere majestas imperatoris vel regis residere.

III. Est præterea antiquissimus ritus ut novus imperator, post coronam acceptam, thronum conscenderet, ibique, signo crucis se muniens, sermonem haberet ad populum, uti videre est in solemni Justini Augusti inauguratione ac benedictione, de qua hæc inter alia scribit Corippus poeta, lib. II :

> Ipse coronatus solium conscendit avitum,
> Atque crucis faciens signum venerabile sedit,
> Erectaque manu, cuncto præsente senatu,
> Ore pio hæc dixit : Vos, o mihi proxima membra,
> Conscripti Patres, nostri pars maxima regni,
> Vos estis pectus, vos brachia verticis hujus,
> Quorum consiliis, quorumque laboribus usa
> Publica res domuit gentes et regna subegit.

IV. Notanda nunc ea sunt nostri Pontificalis verba, quibus Archiepiscopus regem in solio statuens, eum admonet ut quanto Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicit, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere meminerit. De honore antiquitus Episcopis a regibus, principibus ac imperatoribus exhibito luculentissima exempla lato calamo affert Ludovicus Thomassinus, parte II *Veteris ac novæ Ecclesiæ Disciplinæ*, lib. III, cap. LVIII, et pluribus sequentibus. Hoc unum itaque sat erit in memoriam revocare, quod scripsit lib. V, epistola CCLXVIII, Isidorus Pelusiota : « Sacerdotii » olim dignitas peccantes redarguebat reges re- » gebatque : nunc vero his subjecta est. Olim » enim cum Evangelicam et Apostolicam duce-

Digitized by Google

» rent vitam qui sacris rite operabantur, merito » regiæ dignitati erant terrori : nunc vero con» tra, regia majestas Sacerdoti. Recte consulunt » aguntque reges ; non enim Sacerdotium læ» dere propositum est eis, sed vindicare læsam » dignitatem ab eis qui non debite admini» strant. »

V. Scio multos queri nihil hodie impendi honoris Episcopis a regibus eorumque ministris, qui ipsos Episcopos floccipendere non erubescunt, alienosque eosdem esse a pietate ac zelo religiosissimi Theodosii imperatoris, qui magnanima humilitate ac laudatissima modestia non modo Ambrosium Mediolanensem antistitem reveritus est, sed et ipsi etiam Ambrosio objurganti cessit, paruitque pœnitentiam indicenti. Verum audiendus est ea de re facundus Hermianensis in Africa episcopus, qui lib. XII, cap. V, sic inquit : « Credendum est quia si nunc Deus » aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theodo» sius non deesset. » Quod quidem adeo verum est, ut nostro hoc sæculo viderim non semel principes, quamvis nec imperio, nec Christiana virtute Theodosio æquales, summam tamen impendisse Episcopis reverentiam, quod eos Pontificio zelo præditos, bonis ornatos moribus et integros vitæ cernerent.

VI. Tandem ut nihil prætereamus de iis quæ in hoc § continentur, mediator quidem Dei et hominum utique est Christus Dominus, quem eo passim nomine, et divinæ Scripturæ, et sacræ Synodi, et sancti Patres jure nominant. Scio vocatos non semel fuisse Sacerdotes atque Episcopos ab auctore *Apostolicarum constitutionum*, libro II, cap. XXV, et ab aliis priscis scriptoribus Hieronymo, Origene, Chrysostomo, Basilio, Isidoro Pelusiota, mediatores inter Deum et homines ; sed tamen non ambigendum quin sano sensu eam vocem adhibuerint, non quidem pro veri nominis mediatore, seu mediatore redemptionis, qualis est Christus Dominus, qui sua ipsius merita coram Deo in aliorum gratiam adlegit, sed tantum pro mediatore ministerialis deprecationis ; quo sensu quidem tum S. Basilius in libro *De Spiritu sancto*, cap. XIV, tum alii Moysen *Mediatorem* ab Apostolo in Epistola ad Galatas appellatum esse existimant ; quia internuntius erat ad Dei mentem populo, et populi desiderium ac propositum Deo rursus enarrandum constitutus. Hoc quidem commodo sensu apud omnes in confesso est, Sacerdotes Christianorum etiam mediatores dici posse, ut pote qui populi devota desideria ad Deum, et Dei voluntatem ac beneficia ad populum deferre jussi sunt : « Solus Christus, aiunt theologi, me» diator est naturæ ac redemptionis, Sacerdotes » autem mediatores sunt ministerii et interces» sionis. » Verba sunt Cotelerii in *Notis* ad laudatum lib. II auctoris *Constitutionum Apostolicarum*, cap. XXV.

§ XIV.

Deinde Metropolitanus deposita mitra, stans versus ad altare, inchoat, Schola prosequente, Hymnum *Te Deum laudamus*, qui totus dicitur. Quo incœpto, Metropolitanus accedit ad dexteram regis, ibi continuo manens usque ad finem Hymni : et eo finito, Metropolitanus stans ut prius ad dexteram regis, sine mitra, dicit super illum versum : *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.* ℟. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui victrices Moysi manus in oratione firmasti, qui quamvis ætate languesceret, infatigabili sanctitate pugnabat, ut dum Amalech iniquus vincitur, dum profanus nationum populus subjugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa serviret, opus manuum tuarum pia nostræ orationis exauditione confirma : habemus et nos apud te, sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro

Digitized by Google

nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur, Altissime, ut, tua potentia suffragante, universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus, cessante formidine, te solum timere condiscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti regem sæculis profuturum, tu præsentem insignem regem hunc cum exercitu suo per intercessionem beatæ Mariæ semper virginis, et omnium Sanctorum uberi bene✠dictione locupleta : et in solium regni firma stabilitate connecte : visita eum, sicut visitasti Moysen in rubo, Josue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, et illa cum siderea bene✠dictione, ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam beatus David in psalterio, et Salomon filius ejus, te remunerante, percepit de cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis sapientia, in protectione clypeus sempiternus. Et præsta ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem, et ita populus iste sub ejus imperio pullulet, coalitus benedictione æternitatis, ut semper tripudiantes maneant in pace ac victores. Quod ipse præstare dignetur qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Dictum Hymnum *Te Deum laudamus* in consecratione regis, constat ex multis libris Pontificalibus, inter quos recenseri potest codex Ratoldi abbatis Corbeiensis, quippe qui ejus ritus meminit, licet initio consecrationis regiæ, postquam scilicet ab Episcopis admonitus, promisit ipsis et Ecclesiis eorum curæ commissis canonicum privilegium, ac debitam legem, atque justitiam servare, et defensionem exhibere: « Deinde, inquit, alloquantur duo Episcopi po- » pulum in Ecclesia, inquirentes eorum volun- » tatem; et si concordes fuerint, agant Deo » gratias omnipotenti, decantantes *Te Deum* » *laudamus :* et duo Episcopi accipiant eum per » manus, et deducant ante altare, et prosternat » se usque ad finem *Te Deum laudamus.* » Hunc eumdem ritum servatum in secunda coronatione Caroli Calvi sub finem ipsius allocutionis ad populum, docet Hincmarus, quem citat ac refert Menardus in *Notis et Observationibus in librum Sacramentorum S. Gregorii :* « Non con- » gruum, ait, videtur istis venerabilibus Episco- » pis, si vestræ communitati placet ut in obe- » dientia regni, unde vos ad illum sponte con- » venistis, Sacerdotali ministerio ante hoc altare » coronetur, et sacra unctione Deo consacretur. » Quod si vobis placet, propriis vocibus conso- » nate. Et in hoc clamantibus omnibus, dixit » idem Episcopus : Agamus ergo unanimiter » Deo gratias, decantantes *Te Deum laudamus.* »

II. Ex adverso in Ordine antiquo Romano, et in multis libris Pontificalibus decantatum ipsum Hymnum liquet postquam rex in solio suo sedit : « Post hæc » inquit vetus Ordo Romanus, « det illi (Metropolitanus) oscula pacis : » cunctus autem cœtus Clericorum tali rectore » gratulans, sonantibus campanis, Hymnum » alta voce concinant, *Te Deum laudamus.* » Idipsum fere docet Pontificale Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356. « Deinde » ducatur ab Episcopis ad solium, detque eis » osculum pacis, et cantatur *Te Deum lauda-* » *mus :* quando in solio rex sublimatur, dicat » Metropolitanus : Sta, et retine locum, etc. » Porro nostri Romani Pontificalis ritui omnino consentit Pontificale manuscriptum Bibliothecæ

Digitized by Google

Vaticanæ, ut in Appendice videre est. Ut autem nunc ritum aliquo exemplo comprobemus, post peractam quidem Richardi II in Angliæ regem consecrationem, ipsum Hymnum *Te Deum laudamus*, similiter decantatum refert Thomas Walsinghamus in Richardo II. Ad Orationes quod spectat in nostro hoc § descriptas, exstant ambæ quidem in laudato codice Vaticanæ Bibliothecæ; in Ordine Romano nonnisi secunda habetur, antequam rex inungatur; in aliis libris Pontificalibus utraque Oratio desideratur; aliæque Orationes loco illarum descriptæ sunt, uti videre est apud virum clarissimum Edmundum Martene.

§ XV.

Quibus finitis, Metropolitanus cum Prælatis paratis redit ad sedem suam, vel faldistorium, prope altare, et (nisi sit coronanda regina) dicitur *Alleluia*, sive ultimus versus Tractus vel Sequentiæ, Evangelium, et alia usque ad Offertorium inclusive. Quo dicto, Metropolitanus residet in faldistorio suo ante medium altaris cum mitra, et rex a suis Prælatis et baronibus associatus venit ante Metropolitanum; coram quo genuflexus, detecto capite, offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur. Deinde ad solium suum revertitur. Metropolitanus lavat manus, surgensque accedit ad altare, et prosequitur Missam usque ad Communionem. Cum Secreta diei dicitur pro rege sub uno *Per Dominum*:

SECRETA.

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et regi nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Fuit et illud notatum supra ex manuscripto Pontificali Senonensis Ecclesiæ, deponendam esse a rege coronam dum Evangelium legitur; juxta ritum jam olim servatum a priscis imperatoribus, uti in nostro opere *De codice sancti Evangelii*, lib. II, cap. XXIV *De ritu aperiendi caput ad lectionem Evangelii*. Lecto autem Evangelio, ex manuscripto Pontificali Bibliothecæ regiæ, major inter Episcopos et Archiepiscopos assistentes librum Evangelii accipit, et tam ad regem quam ad reginam deosculandum defert; deinde vero ad Archiepiscopum qui Missam celebrat. Cui consonat Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Senonensis, sic inquiens: « Lecto Evangelio, major inter Archiepiscopos » et Episcopos accipit librum Evangelii, et de- » fert domino regi ad deosculandum, et postea » reginæ, et postea domino Archiepiscopo Mis- » sam celebranti. » Videtur hic esse abusus, ut sacer Evangelii codex prius homini laico quam Episcopo celebranti et regem consecranti deosculandus præberetur. Vide quæ de ea re diximus in laudato opere *De codice sancti Evangelii*, libro II, cap. XXVII, *De ritu osculandi Evangelium*.

II. Hoc ergo obiter notato, docet Rubrica ut novus rex post dictum Offertorium, detecto capite, ac genuflexus coram Metropolitano, offerat ei aurum, quantum sibi placuerit, manumque ipsius exosculetur. De qua re ita legimus apud Hovedenum, ubi ordinem refert coronationis Richardi Angliæ regis: « Deinde inchoata est, » inquit, Missa Dominicalis, et cum pervenire- » tur ad Offertorium, prædicti Episcopi (Dunel- » mensis et Bathoniensis) duxerunt eum ad » altare, et ipse obtulit unam marcam auri » purissimi. Talis enim oblatio decet regem in » singulis coronationibus suis, et præfati Episcopi » reduxerunt eum ad sedem suam.» Codex Ratoldi abbatis Corbeiensis nullam de auro mentionem facit, sed mandat ut « post Evange-

Digitized by Google

lium offerat rex ad manum Archiepiscopi oblationem et vinum, id est panem et vinum ad communicandum. Pontificale manuscriptum Bibliothecæ regis Gallorum hæc habet : « Dum autem cantatur Offertorium, deduci- » tur tam rex quam regina de solio, et offert » uterque ad manum Archiepiscopi tam panem » quam vinum in urceo argenteo, et tredecim » aureos.» Ex Pontificali autem insignis Ecclesiæ Senonensis, post Offertorium pares deducunt regem ad altare, coronam ejus sustentantes. Rex autem debet offerre panem unum, vinum in urceo argenteo, tredecim bisancios aureos, et regina similiter : et in eundo et redeundo gladius nudus defertur coram rege.

§ XVI.

Pax datur regi per primum ex Prælatis paratis cum instrumento ad hoc ordinato. Postquam Metropolitanus se de corpore et sanguine, quem totum sumere debet, communicaverit, rex, detecto capite, de thalamo suo accedit ad altare, coram quo in supremo gradu genuflectit, et Metropolitanus, conversus ad regem, ipsum communicat. Rex, priusquam communionem sumat, osculatur manum dexteram Metropolitani; et sumpta communione, ex calice de manu Metropolitani se purificat, et purificatus ad thalamum suum revertitur. Metropolitanus vero ablutionem sumit, et accepta mitra, lavat manus, et perficit Missam. Cum Postcommunione diei dicitur pro rege sub uno *Per Dominum* :

POSTCOMMUNIO.

Hæc, Domine, oblatio salutaris famulum tuum N. regem nostrum ab omnibus tueatur adversis; quatenus Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post ipsius temporis decursum, ad æternam perveniat hæreditatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

In fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem, ut supra; qua data, singuli ad sua revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. Pacem dari novo regi in Missa præsertim suæ consecrationis, antiquum est Ecclesiæ institutum. De Stephano Angliæ rege scribit ad annum 1136 Hovedenus, quod « in ejus coro- » natione *Pax Domini* ad Missam nec dicta fuit, » nec data populo, cum hoc sacramentum fa- » ctum est.» Quod quidem præsagium fuit futuræ impietatis qua Ecclesiam regnumque Angliæ rex ipse vexavit. Ex laudatis autem manuscriptis codice regiæ Bibliothecæ et Pontificali Ecclesiæ Senonensis, ille qui dedit regi Evangelium deosculandum, debebat, postquam Archiepiscopus *Pax Domini* dixerat in Missa, accipere pacem ab ipso Archiepiscopo, et deferre regi et reginæ cum libro, et post eum omnes Archiepiscopi et Episcopi osculum pacis unus post alium regi dare debebant in suo solio residenti.

II. Data pace, et accepto Christi corpore et sanguine a Metropolitano, rex e solio detecto capite accedit ad altare, in ejusque supremo gradu genuflexus, sub una specie, panis scilicet, de manu Metropolitani communionem sumit, et quidem juxta præscriptum nostræ Rubricæ; nam alias ex memoratis Pontificalibus Bibliothecæ regiæ, et insignis Ecclesiæ Senonensis, tum rex tum regina de manu ipsius Archiepiscopi corpus æque ac sanguinem Domini accipiunt. Id quod etiam ex codice Ratoldi abbatis præscriptum est, ubi ad finem ordinis ad benedicendum regem Francorum, ita legimus : « Peragatur Missa suo ordine : deinde commu- » nicetur ab Archiepiscopo corpore et sangui- » ne Christi. » Tradit Spondanus ad annum 1352, num. XVI, Clementem VI Pontificem Maximum ob ingentia coronæ Franciæ in Sedem

Digitized by Google

Apostolicam merita, Christianissimis regibus potestatem fecisse, sub utraque specie, quandocumque id optarent, communicandi; eos tamen illa potestate raro, nec nisi die inaugurationis suæ et in viatico mortis uti consuevisse.

III. Apud Græcos consuevisse novum imperatorem sub utraque specie communicare, notum est, tum ex Codino Curopalata, *De officiis et officialibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, cap. XVII, etiam ex Joanne Cantacuzeno, lib. I *Historiæ*, cap. XLI. Describunt autem communionis ritum hunc in modum : « Post elevationem (Christi » scilicet corporis), si ad sacram communionem » paratus non est imperator, usque ad divi- » næ mystagogiæ finem in trono sedet; si vero » ad eam sit paratus, Diaconi rursus accedentes » accersunt, et cum iis statim in sanctuarium » ingreditur, ac tradito sibi thuribulo, sacram » primum mensam versus Orientem vaporat, » deinde versus Septentrionem, tum ad Occi- » dentem, denique ad Orientem respiciens. » Rursum vero ad Orientem vaporans, thure » quoque Patriarcham perfundit; qui salutans » imperatorem, deque ipsius manu thuribulum » accipiens, vicissim eum thuris suffitu excipit; » postea coronam capiti detrahens imperator, » eam Diaconis tradit. Patriarcha tradit ei in » manum partem corporis Dominici : cujus fa- » ctus particeps, sanguinis etiam partem accipit, » non ut vulgus solet ex cochleari, sed in ipso » calice, more Sacerdotum. » Habet hæc quidem Joannes Cantacuzenus, cui omnino fere ac totidem verbis consentit Codinus Curopalata loco citato.

IV. Placet autem hujus communionis seriem describere juxta egregium testimonium Simeonis archiepiscopi Thessalonicensis, qui ea de re ita inquit : « Intra tribunal imperator com- » municat, eo solo die et tempore quo ungitur » et renuntiatur; verum cum Diaconis, et, ut » ex antiquis ritibus nobis notum est, non in » sancta mensa, sed a latere in antimensio » mensulæ cuidam superposito. » Et paulo post adjungit : « Post hæc vero accedens imperator, » sanctum panem de manu Patriarchæ recipit, » prout solent Diaconi : vivificum quoque san- » guinem degustat ex calice ab eis præparato. » Docet hoc fuisse antiquitus institutum, adeptum que hunc honorem esse imperatorem propter regni unctionem, ut pote qui et sanctæ Ecclesiæ deputati locum obtinet, et illius defensor habetur, et unctus Domini, et a Christo nominati populi Christiani princeps est acclamatus.

V. Explicatis huc usque ritibus et alii nonnulli addendi sunt, qui in plurimis manuscriptis Pontificalibus, et apud historiæ scriptores inveniuntur. Acclamatur enim a plebe regi suo jam coronato et in regali solio constituto vita, hac formula, tribus vicibus : « Vivat Rex feliciter » in sempiternum; » uti videre est in codice Ratoldi abbatis Corbeiensis, et in aliis etiam Pontificalibus. Sic olim Sauli uncto et creato regi clamavit omnis populus, ut aperte liquet ex lib. I *Regum*, capite X : *Et ait : Vivat rex.* Sic *Regum* lib. III, cap. I, de Salomone legitur : *Ducite eum in Gihon, et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, et Nathan propheta in regem super Israel, et canetis buccina, atque dicetis : Vivat rex Salomon.* Et libro II *Paralipomenon*, c. XXIII, de Joa rege uncto legimus : *Eduxerunt filium regis, et imposuerunt ei diadema, et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem : unxit quoque illum Joiada Pontifex, et filii ejus : imprecatique sunt ei, atque dixerunt : Vivat rex.*

VI. Occurrit frequenter in aliis locis divinæ Scripturæ ea formula, quam puto deinde manasse ad imperatores et reges Christianos. Sic itaque anno 801 ineunte, Carolo Magno coronato acclamatum est : « Carolo Augusto M. » imperatori Romanorum vita et victoria. » Anno 813, Ludovico constituto imperatori populi acclamavere : *Vivat imperator Ludovicus.* Et anno 916, post unctionem et coronationem Berengarii Augusti, tota basilica Sancti-Petri fremitu et clamoribus populi Romani et Longobardorum resonare cœpit acclamantium : « Valeat tuus princeps Roma et Romanorum » imperium victis hostibus, ac rebellibus edo- » mitis pristino splendori restituat. » Testis de ea re luculentissimus est scriptor anonymus, qui lib. IV de laudibus ipsius Berengarii apud Ludovicum Muratori *Rerum Italicarum* tomo II, ita cecinit :

Jam sacræ resonant ædes, fremituque resultant
Clamantis populi : Valeat tuus, aurea, princeps,
Roma diu; imperiumque gravi sub pondere pressum
Erigat, et supera sternat virtute rebelles.
Perstrinuere nimis. Sed facta silentia tandem,
Lectitat Augusti concessos munere pagos.
Præsulis obsequio gradibus stans lector in altis.

Digitized by Google

Cæsare quo norint omnes data munera, prædo
Ulterius paveat sacras sibi sumere terras.
Dona tulit perpulcra plus tum denique templo,
Baltea lata ducum, gestamina cara parentum,
Gemmis, ac rutilo nimium pretiosa metallo,
Ac vestes etiam signis auroque rigentes,
Distinctum variis simul ac diadema figuris.

Ubi nota binos alios ritus; primum quidem, quod finitis populi acclamationibus et laudibus ac votis, et facto tandem silentio, Lector stans summis in gradibus basilicæ Vaticanæ legit litteras, quibus omnium superiorum principum donationes confirmabantur, et quicumque pagi, regiones ac urbes S. Petro datæ olim fuerant a Pipino, Carolo Magno, aliisque, a Berengario Augusto eidem S. Petro ac ejus successori Joanni Papæ concedebantur, ac nominatim exprimebantur. Alter ritus fuit, quod eidem Basilicæ obtulit contulitque Berengarius Augustus ex more dona pretiosa, baltea majorum suorum, vestes, diadema. Sic Carolus Magnus a Leone III coronatus imperator, « ante sacram confessio- » nem B. Betri Apostoli post celebrationem » Missarum obtulit Apostolo Dei mensam ar- » genteam, vasa ex auro, coronam auream, et » alia aliis basilicis Romæ obtulit. »

VII. Post coronationem peractam moris et olim fuit missilia spargere in vulgus. Observatum hoc fuisse Bononiæ cum Carolus V imperator coronam accepit anno Christi 430, testantur Paulus Jovius et Laurentius Surius; effusam nimirum in populum ad excitandam lætitiam, argenteam atque auream stipem signatam imagine Cæsaris. Meminit et hujus ritus Codinus Curopalata in laudato cap. XVII, ubi agens de coronatione Græci imperatoris, hæc habet : « Stat vero prope ipsum imperatorii vestiarii » seu ærarii Præfectus, tenetque intra vestem » suam multa aurea numismata fusilia, quæ » imperator apprehensa dispergit in circum- » stantes proceres et honorarios pueros, quot- » quot ipse volet. » Addit, causam hujus distributionis numismatum esse, quod imperator cupiat omnes proceres, et honorarios pueros, ac populum simul lætari, edentes et bibentes ex imperatoris impensis. Antiqua ejus rei exempla passim referunt Latini æque ac Græci scriptores.

APPENDIX,

In qua unicus manuscriptus Ordo ad benedicendum regem describitur ex manuscripto codice Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, ubi post Ordinem ad benedicendum regem vel reginam in imperatorem vel imperatricem coronandos, sequitur Ordo.

De coronatione et benedictione aliorum regum et reginarum.

Cum aliquis princeps benedicendus et coronandus est in regem, omnes Episcopi regni conveniant ad civitatem Metropolitanam, vel regiam, in qua hoc fieri consuevit. Ipse vero rex benedicendus et coronandus triduanum devote peragat jejunium in hebdomada præcedenti, videlicet IV et VI feriis, ac Sabbato die ante Dominicam in qua benedicendus et coronandus est. Omnes Episcopi conveniant mane in ecclesia in qua hoc fieri debet et Metropolitanus parat se solempniter cum ministris sicut Missam celebraturus; Episcopi vero parent se amictibus, albis vel superpelliceis, si velint, pluvialibus et mitris; ipse vero totus ablutus debet esse corpore, et mundus mente. Tunc vero duo ex Episcopis, priores videlicet, eum hinc inde deducentes, offerunt Metropolitano coram altari super faldistorium residenti, aliis Episcopis coronam seu circulum facientibus; et coronando in medio illorum constituto, tunc alter deducentium dicit alta voce in tono Lectionis : « Reverende Pater, postulat sancta » mater Ecclesia Catholica, ut præsentem egre- » gium militem ad dignitatem regiam suble- » vetis. » Et tunc interrogat Metropolitanus :

Digitized by Google

« Scitis illum esse dignum et utilem ad hanc » dignitatem? » Illi vero respondent : « Et no- » vimus et credimus illum esse dignum et utilem » Ecclesiæ Dei, et ad regimen hujus regni. » Et respondeant omnes : « Deo gratias. »

Et mox instruatur ille publice, et diligenter admoneatur de fide, de dilectione Dei, et de salubri regni et populi regimine, de defensione Ecclesiarum et miserabilium personarum, et similibus; exponendo sibi insuper conditionem dignitatis suæ et regalis status. Quo facto publice faciat hanc professionem : « Ego S. profi- » teor et promitto coram Deo et Angelis ejus, etc. » Et hæc omnia super hæc sacrosancta Dei » Evangelia tacta me veraciter observaturum » juro. »

Hiis expeditis, eo se profunde inclinante, dicit excelsa voce Metropolitanus in modum orationis quod sequitur. Et quæcumque ipse dicit, dicunt et alii Episcopi voce submissa : Oratio. « Ore- » mus. Omnipotens æterne Deus, creator om- » nium, imperator Angelorum, etc. »

Post rege coram altare prostrato ad terram, et Metropolitano et Episcopis super faldistoria cum mitra accumbentibus, Cantores incipiunt Letaniam, prosequendo eam sicut moris est. Cumque dixerint : « Ut obsequium servitutis » nostræ, etc.,» tunc Metropolitanus se erigens, producto super illum signo crucis, dicit : « Et » hunc electum in regem coronandum bene✠dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos. » Secundo dicit : « Et hunc electum in regem » coronandum bene✠dicere, et conse✠crare » digneris. ℟. Te rogamus audi nos. » Idemque dicunt et faciunt omnes Episcopi. Et a Choro responso, redit ad accubitum suum, Cantoribus resumentibus et prosequentibus Letaniam. Qua finita, Metropolitanus surgens, illo et Episcopis prostratis manentibus, annuntiat : « Pater no- » ster. » Et prosequitur secrete : « ℣. Et ne nos » inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a » malo. ℣. Salvum fac servum tuum, Domine, » ℟. Deus meus, sperantem in te. ℣. Esto ei, » Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimi- » ci. ℣. Nichil proficiat inimicus in eo. ℟. Et » filius iniquitatis non apponat nocere ei. » ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et » clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobi- » scum. ℟. Et cum spiritu tuo. » Oratio. « Ore- » mus. Prætende quæsumus, Domine, etc. » Oratio. « Actiones nostras, quæsumus, Domine, » adspirando præveni, adjuvando prosequе- » re, etc. »

Post hæc Metropolitanus inungit in modum crucis cum oleo exorcizato dextrum illius brachium, et inter scapulas, dicens : « Deus Dei » filius Jesus Christus Dominus noster, etc. » Item alia Oratio : « Omnipotens sempiterne » Deus qui (*a*) Azahel, etc. »

Quo facto, Scola inchoat et prosequitur Antiphonam et Introitum ad Missam. Tunc Rex vel in sacristia, vel sub papilione ad hoc præparato, induitur regalibus indumentis. Induit eum super vestes communes lineam, sive amplam camiseam lineam ad similitudinem albæ, amphibalum novum mundum et candidum. Et est amphibalus villosa vestis, ac desuper marinam purpuram auro et gemmis decoratam. Paratus itaque sic rex et ornatus, procedit cum suis Prælatis et baronibus ad solium suum eminenter ornatum sibi in ecclesia præparatum. Et dicta Collecta officio diei competenti, dicit pro ipso rege hanc orationem : Oratio. « Deus Re- » gnorum omnium, etc. » Require supra (*b*) sub titulo Coronationis Imperatoris ad cartam XXV.

Deinde Graduali et Alleluia cantatis, rege coram altari reducto, Metropolitanus dat gladium sub forma (*c*) in eodem titulo scripta ad cartas prædictas, ubi sic fieri mos est. Deinde corona sibi imponitur hoc modo. Omnes enim Episcopi, qui absunt (*d*), manibus suis eam de altari per Metropolitanum sumptam tenent, ipso Metropolitano ipsam regente, et capiti illius imponente, dicendo : « Accipe coronam regni, quæ » licet ab indignis Episcoporum manibus, capiti » tuo imponitur, in nomine Pa✠tris et Fi✠ » lii, et Spiritus ✠ sancti, Amen. Quam san-

(*a*) Ubi in hac Oratione ex nostro Romano Pontificali legitur *sacra unctione*, in hoc manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ habetur, *sacro unguimine*.

(*b*) Sub titulo Coronationis imperatoris, ad cartam XXV, ita legitur hæc Oratio : « Deus regnorum omnium, et » Christiani maxime protector imperii, da servo tuo S. imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter extollere, » ut qui tua institutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per Dominum. »

(*c*) Est eadem ac nostra hodierni Romani Pontificalis formula. — (*d*) Legendum, *Adsunt*.

Digitized by Google

» ctitatis gloriam et honorem, et opus fortitu-
» dinis intelligas signare, per hanc te participem
» ministerii nostri non ignores, ita ut sicut nos
» in interioribus pastores doctoresque anima-
» marum intelligimur, ita tu contra omnes ad-
» versitates Ecclesiæ Christi defensor existas,
» regnique tibi a Deo dati, etc. »

Postea dat sceptrum, dicens super eum genua flectentem : « Accipe virgam virtutis atque veri-
» tatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios,
» et terrere reprobos, errantibus viam docere,
» lapsis manum porrigere adjutricem, disper-
» dere superbos et relevare humiles; ut aperiat
» tibi hostium Jesus Christus Deus noster, qui
» de semetipso ait : *Ego sum hostium; per me*
» *si quis introierit, salvabitur*. Qui est clavis
» David, et sceptrum domus Israel; qui aperit
» et nemo claudit. Sitque tibi auctor qui educit
» vinctum de domo carceris, etc. »

Post hæc Metropolitanus et unus Episcoporum deducunt illum ad solium, sive thalamum, intronizantes, sive ponentes eum ibi, et dicentes : « Sta, et retine amodo locum, etc., quate-
» nus mediator Dei et hominum te mediatorem
» Cleri et plebis in hoc regni solio confirmet, et
» in regnum æternum secum regnare faciat
» Jesus Christus Dominus noster, Rex regum et
» Dominus dominantium, qui cum Deo Patre et
» Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per om-
» nia sæcula sæculorum. ℟. Amen. »

Deinde Metropolitanus, Scola prosequente, inchoat ympnum *Te Deum laudamus*. Quo finito, super eum dicit : « ℣. Firmetur manus
» tua, et exaltetur dextera tua. ℟. Justitia et
» judicium præparatio sedis tuæ. ℣. Domine,
» exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus
» ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum
» spiritu tuo. Oremus. » Oratio. « Deus qui
» victrices Moysi manus in oratione firma-
» sti, etc. »

Item alia benedictio : « Deus inenarrabilis
» auctor mundi, etc. » Require supra in Coronatione (*a*) imperatoris, ad cartas XXIV.

Omnibus igitur expeditis, eo in solio cum regalibus insigniis et regni magnatibus Ecclesiasticis et mundanis residente, legitur Evangelium. Et dicto Offertorio, vadit ad offerendum. Secreta : « Suscipe, Domine, preces, etc. » Postcommunio : « Deus qui ad prædicandum, etc. » Require supra in titulo de Coronatione imperatoris (*b*), ad cartas XXVI.

TITULUS XXI.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGINÆ.

I. Cum multa sparsim in superioris tituli Commentariis de benedictione et consecratione reginæ dicta jam fuerint, non mirum videri debet si minus fuse de hoc ritu in Commentariis præsentis tituli disseremus. Monendum hic illud est, benedictionem et coronationem reginæ altero ex tribus modis fieri solere. Aut enim coronatur cum ipso rege, aut separatim post ipsum, aut sola tanquam regni domina : de quibus singulis exstant particulares rubricæ, inter quas nulla quoad effectum consecrationis notabilis est differentia, nisi quod in prioribus

(*a*) Est illa eadem quæ habetur in nostro Romano Pontificali.

(*b*) Secreta in titulo de Coronatione imperatoris, ad cartas XXVI, hæc est : « Suscipe, Domine, preces et hostias
» Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui S. supplicantis, et protectione fidelium populorum antiqua brachii operare
» miracula, ut superatis pacis inimicis, secura tibi serviat Christiana libertas. Per Dominum nostrum, etc. »
Postcommunio vero sic : « Deus, qui ad prædicandum æterni regni Evangelium, Romanum imperium propagasti,
» prætende famulo tuo S. imperatori nostro arma cœlestia, ut pax Ecclesiæ nullatenus turbetur tempestate bel-
» lorum. Per Dominum. ℟. Amen. »

Digitized by Google

duabus inungitur quidem oleo Catechumenorum brachium reginæ dexterum inter juncturam manus et cubitum, prout fit in rege; in tertia vero, quando coronatur ut regni domina, ipsum brachium inter juncturam cubiti et scapulam inungitur. Unde in hac parte ab unctione regis etiam differt, uti recte observat Pax Jordanus episcopus Traguriensis, *Elucubrationum* tomo I, lib. V, tit. VI, num. XVII. Cæterum cum benedictio et coronatio reginæ altero ex tribus memoratis modis fieri soleat, operæ pretium me facturum putavi præsentem titulum in tria capita partiri. Sit ergo

CAPUT I.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGINÆ UNA CUM REGE.

§ I.

Si vero tunc regina benedicenda sit et coronanda, quamprimum ipso rege inthronizato, et orationibus expletis, Metropolitanus cum Prælatis paratis ad altare reversus, in faldistorio sedet. Rex de solio suo surgens cum comitiva sua, coronam in capite et sceptrum in manu gestans, ante altare, ad Metropolitanum proficiscitur, et facta ei reverentia, stans detecto capite, petit reginam benedici et coronari, sub his verbis : *Reverendissime Pater, postulamus ut consortem nostram nobis a Deo conjunctam benedicere et corona reginali decorare dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.* Deinde ad solium suum revertitur.

COMMENTARIUS.

I. Nihil vel in antiquis, vel in recentioribus manuscriptis Pontificalibus de hoc ritu licuit invenire, ut scilicet coronatus rex de solio suo surgens reginam conjugem Antistiti benedicendam consecrandamque repræsentet, sub illis verbis : « Reverendissime Pater, postulamus, etc. » Exstat nihilominus ritus in editis vel longe ante Clementem VIII Pontificalibus libris, in quibus non *reverendissimum*, sed *reverendum* rex Antistitem ipsum appellat : « Reverende Pater, postulamus, etc.» Certe in Ordine Romano, auctore Jacobo Gaetano, qui Cardinalis S. Georgii in velo aureo seu velabro a Bonifacio VIII cujus erat nepos, cardinalis creatus fuit, cap. CVI, apud Joannem Mabillonium, tomo II *Musei Italici*, de coronatione reginæ hæc legimus : « Si vero regina fuerit coronanda, debet super Lectorium ex opposito thalamus præparari, ubi cum duabus ad minus puellis, et aliquibus ex principibus imperii tam Ecclesiasticis quam mundanis resideat, etc. » In Pontificali autem manuscripto Ecclesiæ Senonensis, ubi agit de ordine ad reginam benedicendam post factam consecrationem regis, ritus ita quidem describitur : « Debet parari ei solium in modum solii regis : tamen aliquantulum minus esse. Debet autem regina adduci in ecclesiam, et rex in suo solio parari in omnibus ornamentis regiis, sicut in solio residebat post inunctionem et coronationem suam superius annotatam. Regina autem, adducta in ecclesiam, debet prosterni ante altare, et prostrata debet orare : qua elevata ab oratione ab Episcopis, debet iterum caput inclinare, et Archiepiscopus hanc Orationem dicere : *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, etc.* »

Digitized by Google

§ II.

Tunc regina, quæ in aliquo loco ad partem in ecclesia a principio steterat, a duobus Episcopis paratis, non his qui regem deduxerunt, sed primis post eos, crine soluto et capite velato in vestibus suis communibus, ad Metropolitanum ante altare deducitur; et facta Metropolitano reverentia, coram illo genuflectit, et ejus manum osculatur. Tunc surgit Metropolitanus cum mitra, et in faldistorio procumbit. Regina vero ad ejus sinistram in terram se prosternit, et inchoantur ac perficiuntur Litaniæ, ut supra. Quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, et stans versus ad illam ante se genuflexam, dicit sequentem Orationem intelligibili voce, quam etiam, et alia sequentia adstantes Prælati parati submissa voce dicunt :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, hanc famulam tuam N. cœlesti bene✠dictione sanctifica, quam in adjutorium regni reginam eligimus, tua ubique sapientia eam doceat et confortet, atque Ecclesia tua fidelem famulam semper agnoscat. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Brevius hæc Rubrica habetur quidem in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Arelatensis, ubi de benedictione reginæ hæc habet : « Regina cum benedicitur, crine soluto, capite » cooperto, inter duos Episcopos stare debet. » Perducta ante altare, Metropolitano eam consecrante atque benedicente, verso ad altare » dorso, expleta prius Letania sub brevitate » composita : qua expleta fundat Metropolitanus » hanc orationem super eam. » Et statim post recitatam Orationem in § hoc nostro descriptam, subdit : « Adveniat autem rex, qui eam præcipit » coronari. » Cui ritui omnino fere consentit Rubrica prolixior manuscripti Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ, in quo hæc legimus : « Si » vero regina benedicatur et coronetur, hoc » modo et ordine procedatur. Rege enim præ» sente, et eam benedici et coronari jubente, ipsa » statim, eo coronato, crine soluto et capite coo» perto, a duobus Episcopis deducitur ante al» tare, et tunc inchoatur et sub brevitate perfi» citur Litania. Qua expleta, Metropolitanus ab » accubitu surgens, stans ante altare, dorso ad » illud verso, fundat super illam ab accubitu » surgentem, et flexis genibus humiliter coram » illo stantem, hanc benedictionem, quam etiam » quandocumque Archiepiscopus dixit : omnes » alii Episcopi voce tantum submissa dicere » debent : *Omnipotens sempiterne Deus, hanc* » *famulam tuam, etc.* »

§ III.

Deinde extensis manibus ante pectus dicit : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum cunctorum*

Digitized by Google

auctor ac distributor, benedictionumque omnium largus infusor, tribue super hanc famulam tuam reginam bene✠dictionis tuæ copiam, et quam humana electio sibi præesse gaudet, tua supernæ electionis et benedictionis infusio accumulet. Concede ei, Domine, auctoritatem regiminis, consilii magnitudinem, sapientiæ, prudentiæ et intellectus abundantiam, religionis ac pietatis custodiam; quatenus mereatur benedici et augmentari in nomine, ut Sara; visitari et fecundari, ut Rebecca; contra omnia muniri vitiorum monstra, ut Judith; in regimine regni eligi, ut Esther; ut quam humana nititur fragilitas benedicere, cœlestis potius intimi roris repleat infusio. Et quæ a nobis eligitur et bene✠dicitur in reginam, a te mereatur obtinere præmium æternitatis perpetuæ; et sicut ab hominibus sublimatur in nomine, ita a te sublimetur fide et operatione. Illo etiam sapientiæ tuæ eam rore perfunde, quem beatus David in repromissione et filius ejus Salomon percepit in locupletatione. Sis ei, Domine, contra cunctorum ictus inimicorum lorica; in adversis galea; in prosperis sapientia; in protectione clypeus sempiternus. Sequatur pacem, diligat charitatem, abstineat se ab omni impietate. Loquatur justitiam, custodiat veritatem, sit cultrix justitiæ et pietatis, amatrix religionis. Vigeatque præsenti bene✠dictione in hoc ævo annis plurimis, et in sempiterno sine fine æternis. Quod sequitur dicit submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiatur : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc præfatio in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ annorum circiter quadringentorum, et in Arelatensi longe ante annos quadringentos scripto. In Ordine antiquo Romano, et in manuscripto codice Bibliothecæ regis Gallorum, num. 4464, ejusdem ætatis, binæ ab Episcopo recitantur benedictiones, quarum prima hæc est : « Omnipotens æterne Deus, » fons et origo totius bonitatis, qui feminei » sexus fragilitatem nequaquam reprobando » aversaris, sed dignanter comprobando potius » eligis, et qui infirma mundi eligendo, fortia » quæque confundere decrevisti, quique etiam » gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu » Judith feminæ olim Judaicæ plebi de hoste » sævissimo resignare voluisti : respice, quæsu- » sumus, ad preces humilitatis nostræ, et super » hanc famulam tuam N., quam supplici devo- » tione in reginam elegimus, benedictionum » tuarum dona multiplica, eamque dexteræ tuæ » potentia semper et ubique circumda, ut am- » bone muniminis tui undique firmiter protecta, » visibilis, seu invisibilis hostis nequitias trium- » phaliter expugnare valeat, et una cum Sara » atque Rebecca, Lia et Rachel beatis reveren- » disque feminis fructu uteri sui fecundari seu » gratulari mereatur, ad decorem totius regni, » statumque sanctæ Dei Ecclesiæ regendum, » nec non protegendum; per Christum Domi- » num nostrum, qui ex intemerato B. Mariæ » Virginis alvo visitare ac renovare hunc digna- » tus est mundum, qui tecum vivit et gloriatur » Deus in unitate Spiritus sancti, per immor- » talia sæcula sæculorum. »

II. Altera benedictio super eamdem reginam ab Episcopo dicenda, et quidem ante altare juxta præscriptum antiqui Romani Ordinis, hæc est : « Deus, qui solus habes immortalitatem, lucem- » que habitas inaccessibilem, cujus providentia » in sui dispositione non fallitur, qui fecisti quæ » ventura sunt, et vocas ea quæ non sunt, qui » superbos æquo moderamine de principatu » dejicis, atque humiles dignanter in sublime » provehis; ineffabilem misericordiam tuam » supplices rogamus, ut sicut Hester reginam, » Israelis causa salutis, de captivitatis suæ com-

Digitized by Google

» pede solutam, ad regis Assueri thalamum re-
» gnique sui consortium transire fecisti; ita
» hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ
» benedictione, Christianæ plebis gratia salutis,
» ad dignam sublimemque regis nostri copulam,
» regnique sui participium misericorditer trans-
» ire concedas; et ut in regalis fœdere conjugii
» semper manens pudica, proximam virginitati
» palmam obtinere queat, tibique Deo vivo et
» vero in omnibus et super omnia jugiter pla-
» cere desideret, et, te inspirante, quæ placita
» sunt toto corde perficiat. Per. »

§ IV.

Qua præfatione expleta, sedet Metropolitanus, et accepta mitra, inungit in modum crucis cum oleo Catechumenorum illius brachium dexterum, inter juncturam manus et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens :

Deus Pater æternæ gloriæ sit tibi adjutor, et omnipotens benedicat tibi; preces tuas exaudiat; vitam tuam longitudine dierum adimpleat; benedictionem tuam jugiter confirmet; te cum omni populo in æternum conservet; inimicos tuos confusione induat, et super te Christi sanctificatio atque hujus olei infusio floreat : ut qui tibi in terris tribuit benedictionem, ipse in cœlis conferat meritum Angelorum, ac benedicat te, et custodiat in vitam æternam Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Reginarum unctionem esse in Ecclesia antiquissimam cæremoniam, constat ex iis quæ diximus in superioris tituli Commentariis. Ex codice Ratoldi abbatis, caput ejus quidem inungi oleo debebat cum ista verborum formula : « In » nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pro- » sit tibi hæc unctio olei in honorem et confir- » mationem æternam. » Tum hæc Oratio post unctionem sequebatur : « Omnipotens sempi- » terne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedi- » ctionis super famulam tuam, nobis orantibus, » propitiatus infunde; ut quæ per manus nostræ » impositionem hodie regina instituitur, sancti- » ficatione tua digna et electa permaneat; ut » nunquam postmodum de tua gratia separetur » indigna. Per. » Credibile esse ait Menardus hanc impositionem manus fieri solitam fuisse unctione completa, cum hæc Oratio recitaretur, « Omnipotens sempiterne Deus, affluen- » tem, etc. » Quod sane valde notandum docet, quia in regum ordinatione nihil simile in ipso Ratoldi codice scriptum est. Fuit tamen is olim ritus in coronatione Aidani regis Hiberniæ servatus, teste Adamanno in Vita S. Columbæ abbatis, lib. II : « Sanctus, inquit, verbo obsecutus » Domini, ad Jovam transmigravit insulam, » ibidem Aidanum iisdem adventantem diebus, » in regem, sicut jussus fuerat, ordinavit : et » inter ordinationis verba de filiis, et nepotibus, » pronepotibusque ejus futura prophetizavit, » imponensque manum super caput ejus ordi- » nans benedixit. »

II. Codex manuscriptus Bibliothecæ regis Gallorum hunc ritum servandum jubet in unctione ipsius reginæ, ut scilicet regina inungatur « in » capite tantum et in pectore; nec inunctione » regis cœlitus emissa, sed oleo sanctificato sim- » plici. » Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Senonensis in Ordine ad reginam benedicendam, quæ debet consecrari statim post factam consecrationem regis, ea de re ita nos admonet : « Notandum quod tunica reginæ et camisia » debent esse apertæ usque ad corrigiam. Et » dominus Archiepiscopus debet inungere eam » de oleo sancto in capite et in pectore, et di- » cere dum inungit : *In nomine Pa ✠ tris, et* » *Filii, et Spiritus sancti, prosit tibi, etc.*, » ut in formula codicis Ratoldi abbatis, quam legere est in aliis quoque manuscriptis Pontificalibus; licet in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium alia prolixior legatur formula. In manuscripto Pontificali codice Vaticanæ Bibliothecæ, « Præfatione completa, inungitur regina oleo » sancto, et in eisdem locis quibus inungitur

Digitized by Google

» rex, et inungendo dicit Metropolitanus : *Deus* » *Pater æternæ gloriæ sit tibi adjutor, etc.* »

III. Docet laudatus Menardus eam capitis inunctionem, quam præscribit Ratoldi codex, exstare in Ordine manuscripto monasterii Sancti-Germani a Pratis, in coronatione Claudiæ reginæ Franciæ, primæ conjugis Francisci I; in coronatione Eleonoris, secundæ uxoris dicti Francisci I; et in coronatione Catharinæ Mediceæ, conjugis Henrici II. Verum ex nostro hoc hodierno Romano Pontificali non inungitur reginæ caput, sed brachium dextrum, inter manus commissuram et brachii internodium. Sed quidquid sit de varietate hujus ritus, impium fuit quod de Angliæ regina Elisabetha narrat Nicolaus Sanderus, lib. III *De schismate Anglicano* sub initium, sic inquiens : « Permisit se quoque » oleo liniri, sed non sine irrisione; nam sub » papilionem parumper pro more ad regales » induendas vestes divertens, nobilioribus cir- » cumstantibus ancillis dixisse fertur : Abite, ne » fœtor hujus olei vos offendat. »

§ V.

Quo facto, surgit regina, et a suis ducitur ad sacristiam seu papilionem, ubi rex regales vestes indutus est, ibi et ipsa induitur vestibus reginalibus; quibus induta reducitur ad Metropolitanum adhuc cum mitra in faldistorio sedentem, qui imponit illi ante se genuflexæ coronam, dicens : *Accipe coronam gloriæ, ut scias te esse consortem regni; et quanto plus exaltaris, tanto amplius humilitatem diligas et custodias, in Christo Jesu Domino nostro.*

COMMENTARIUS.

I. Peracta sacra unctione, docet Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ induendam esse reginam « in aliquo apto loco vestibus re- » galibus, » quibus ornata procedat ad Metropolitanum, qui capiti illius coronam imponat sub recitata quidem formula nostri hujus §. Ex codice Ratoldi abbatis, coronam reginæ imponens Metropolitanus sic aiebat : « Accipe coronam » gloriæ, honorem jucunditatis, ut splendida » fulgeas, et æterna exultatione coroneris. Per » Dominum. » In *Capitulis Caroli Calvi*, Judith ejusdem Caroli filia, uxor Adelulphi Anglorum regis, sub hac formula coronata est : « Gloria et » honore coronet te Dominus, et ponat super » caput tuum coronam de spiritali lapide pre- » tioso : ut quicquid in fulgore auri et in vario » nitore gemmarum significatur, hoc in tuis » moribus et actibus semper refulgeat. Quod » ipse præstare dignetur, cui est honor et gloria » in sæcula sæculorum. » Quo ritu imponeretur corona ita explicat manuscriptus codex Bibliothecæ regis Gallorum : « Imponitur ab Archi- » episcopo solo corona capiti ipsius, quam im- » positam sustentant undique barones; et sic » deducunt eam ad solium, ubi in sede parata » collocatur, circumstantibus eam baronibus et » matronis nobilioribus. » Cui ritui profecto consonat Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Senonensis; Pontificale autem Ecclesiæ Arelatensis ait « præcipiente rege » imponendam esse coronam reginæ.

II. Olim Constantinopolitanæ imperatricis capiti a viro suo imperatore stemma de manu Patriarchæ acceptum, prius ab eo benedictum, imponebatur, ut refert Codinus, *De officiis et officialibus Ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ*, cap. XVII, ubi ita inquit : « Descendens » igitur de ambone imperator maritus ejus, » acceptum ex Patriarchæ manu prius ab ipso » benedictum stemma imponit capiti uxoris suæ, » non ejus formæ cujus est stemma imperatoris, » sed alterius, quod prius hanc in rem præpa- » ratum fertur, et ipsum vel a genuinis cogna- » tis, vel a duobus eunuchis. Illa, stemmate ca- » piti imposito, statim adorat imperatorem et » conjugem suum, quasi per delatam reveren- » tiam aperte fateatur se illi subjectam esse. » Tum addit laudatus Codinus, imperatore jam prius coronato, coronari quidem imperatricem ab ipso conjuge suo imperatore, « quando du- « cta illa in uxorem nuptialem solemnitatem » peragit. » Etiam apud Latinos accepisse non semel reginas coronam de manibus regum conjugum suorum, multa nos docent exempla. Cæ-

Digitized by Google

terum non omittendum hic est, in coronatione reginæ prolixam haberi formulam in Ordine antiquo Romano; in codice vero Ratoldi abbatis, post recitatam superius verborum formulam, hanc sequi Orationem : « Omnium, Domine, fons honorum, et cunctorum dator » provectuum, tribue famulæ tuæ Ill. adeptam » bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam » in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per » Dominum. »

§ VI.

Et mox dat ei sceptrum, dicens : *Accipe virgam virtutis ac veritatis, et esto pauperibus misericors et affabilis; viduis, pupillis et orphanis diligentissimam curam exhibeas; ut omnipotens Deus augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Sceptrum tradi reginæ, plurimi quidem manuscripti Pontificales docent sub recitata verborum formula, uti videre est in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ. Ex manuscripto autem codice Bibliothecæ regis Gallorum, « post inunctionem datur ei ab Archiepisco- » po sceptrum modicum alterius in omni quam » sceptrum regium, et virga consimilis virgæ » regiæ. » Annulum quoque eidem datum, testatur codex Ratoldi abbatis Corbeiensis, ubi etiam in ejus traditione, sive cum in reginæ digitum immitteretur, hanc Archiepiscopus pronuntiabat formulam : « Accipe fidei signa- » culum sanctæ Trinitatis, quo possis omnes » pravitates hæreticas devitare, et barbaricas » gentes virtute tibi præstitere (*legendum* præ- » stita) ad agnitionem veritatis advocare ! » Hæc eadem verba exstant in coronatione Claudiæ reginæ Franciæ, primæ conjugis Francisci I. Significant autem has esse reginæ partes conversionis infidelium curam gerere, dum earum viri pro patriæ salute militant, ut scite docet Hugo Menardus. Plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ momumentis piarum reginarum, quæ pro fide Christiana propaganda non mediocriter laborarunt. Quibus omissis, non omittenda Oratio quæ post annuli traditionem statim sequebatur, juxta præscriptum laudati codicis Ratoldi abbatis : « Sequitur, inquit, Oratio. Deus, cujus » est omnis potestas et dignitas, da famulæ tuæ » Ill. signo tuæ fidei prosperum suæ dignitatis » effectum, qua tibi semper firma maneat, ti- » bique jugiter placere contendat. »

II. Plurima etiam passim in eadem Ecclesiastica historia exempla invenies reginarum sanctarum, quæ sceptrum non inaniter acceperunt, sed religiosissime quidem servarunt, quidquid in ejusdem traditione ipsis ab Archiepiscopo inculcari solet : *Esto*, inquit, *pauperibus misericors et affabilis; viduis, pupillis et orphanis diligentissimam curam exhibens.* Has partes egregie nostra hac tempestate implevit pientissima Angliæ regina Maria Clementina, licet sacro ritu non adhuc inuncta esset; quam constat regias etiam manus variis opificiis exercuisse, ut viduarum orphanorumque necessitatibus consuleret; ut omittam insignem illius animi fortitudinem in nosocomiis iuvisendis, in quibus non modo ægris et infirmis assistebat, verum vilissima obeundo ministeria, et auxilli quod posset et solatii afferre conabatur. Decessit pientissima hæc femina die XVIII januarii, cum annos triginta et tres, menses sex et diem unum explevisset. Post mortem quænam sit ejus existimatio, declarat eorum fiducia qui in calamitatibus suis eam invocant adjutricem. Novi religiosos æque ac doctos et dignitate præstantes viros erga ipsam adeo devotos, ut ejus imagines in cubiculis suis religiose asservent. Nos, qui dum ipsa viveret Romæ degebamus, admirati non semel fuimus eximiam illius pietatem in visitandis sacris basilicis, iis præsertim in quibus venerationi fidelium expositum erat sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, coram quo humiliter genuflexa diu orabat.

Digitized by Google

§ VII.

Quo facto, surgit regina, et Episcopi parati, qui ipsam ad altare deduxerunt eam associant usque ad suum thalamum, ubi sedet in solio suo, matronis ejus ipsam comitantibus. Deinde dicitur *Alleluia*, sive ultimus versus Tractus vel Sequentiæ, Evangelium et Offertorium. Quo dicto, regina cum rege a suis tantum associati, vadunt ad offerendum Metropolitano in faldistorio ante medium altaris sedenti, de auro quantum volunt, et manum Metropolitani recipientis osculantur; deinde revertuntur ambo ad thalamum suum, et proceditur in Missa usque ad communionem. Data pace regi et reginæ per primum ex Prælatis paratis cum instrumento ad hoc ordinato, rex et regina a suis tantum associati descendunt de thalamis, et veniunt ad altare, ubi in supremo gradu genuflectunt; et percepta communione, Metropolitanus ponit ambas hostias consecratas super patenam, et conversus ad regem et reginam, eos communicat. Rex, priusquam communionem sumat, osculatur manum dexteram Metropolitani : tum simili modo communicat reginam, quæ similiter ejus manum osculatur, et successive ambos ex calice suo purificat : qui purificati ad thalamos suos revertuntur eo ordine quo venerunt; Metropolitanus vero ablutionem sumit, et accepta mitra lavat manus, perficitque Missam, et in fine dat benedictionem. Qua data, rex et regina vadunt ad palatium suum, et Metropolitanus atque alii Prælati omnes deponunt vestes sacras, et ad propria quisque revertitur.

COMMENTARIUS.

I. Ex celebri manuscripto codice Bibliothecæ regiæ Gallorum, quem sæpe laudavimus, postquam rex et regina coronati et solemniter in soliis suis collocati fuerant, Missa quidem decantabatur. Lecto autem Evangelio, major inter Episcopos et Archiepiscopos assistentes, sacrum Evangelii codicem accipiens, tam ad regem quam ad reginam deosculandum ferebat, deinde vero ad Archiepiscopum qui Missam solemniter celebrabat. Dum Offertorium cantaretur, deducebatur tam rex quam regina de soliis suis, offerebatque uterque ad manum Archiepiscopi tam panem quam vinum in urceo argenteo, et tredecim aureos; et ad solium suum unusquisque revertebatur. Antequam autem Archiepiscopus *Pax vobis* diceret, faciebat quidem benedictionem super regem et populum, et accepto osculo pacis ab Archiepiscopo, is qui librum Evangelii ante detulerat, pacem regi et reginæ in soliis suis residentibus deferebat; postea eo omnes Archiepiscopi et Episcopi, unus post alium, regi ipsi in solio suo residenti osculum pacis præbebant. Post perceptionem Eucharistiæ ab Archiepiscopo factam, iterum rex et regina de soliis suis descendentes, accedebant humiliter ad altare, percipiebantque ibidem de manu Archiepiscopi communionem sub utraque specie, corpus nempe et sanguinem Domini. Expleta Missa deponebat Archiepiscopus de capitibus regis et reginæ coronas, aliasque minores imponebat, quibus ipsi insigniti ad regale palatium suum tendebant, nudo gladio præcedente.

II. De communione Eucharistiæ, quam regina Romæ a Pontifice Maximo coronata de manu ipsius recipit, præscribit quidem Ordo Romanus, auctore Jacobo Gaetano, Bonifacii Papæ VIII nepote, et S. R. E. Cardinale, ut, postquam rex communicaverit, et sacrum sanguinem Domini nostri Jesu Christi susceperit, regina genuflexa de manu Romani Pontificis sedentis, et mitram tenentis in capite, consecra-

Digitized by Google

tam hostiam reverenter sumat, et ad suum thalamum revertatur; post finem vero Missæ, recepta ab ipso Pontifice benedictione in Missis papalibus fieri solita, regalibus indumentis amicta, nihil velaminis tenens in capite, sed expansis crinibus et solutis coronam in vertice suo gestans, sedens in equo cum sua comitiva regem præcedat. Verba sunt laudati Ordinis, cap. cx, apud virum clarissimum Joannem Mabillonium, tomo II *Musæi Italici.*

CAP. II.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGINÆ, SEPARATIM A BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGIS.

Si autem, rege jampridem coronato, regina sola ut conjux illius coronanda sit, parantur duo thalami, et alius locus in quo regina a principio officii usque ad tempus coronationis exspectat. Vocantur omnes Prælati regni, atque omnia alia fiunt quæ supra pro coronatione regis ordinata sunt. Die autem statuto, Metropolitano et Prælatis in Ecclesia constitutis, et se vestientibus, rex vestibus regalibus indutus, cum corona in capite et sceptro in manu, ense præcedente, a suis associatus venit ad ecclesiam, et ascendit thalamum suum : et, Metropolitano ac Prælatis omnibus paratis, incipitur Missa more solito, et continuatur usque ad *Alleluia,* sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ exclusive. Tum rex coronam et sceptrum ferens descendit de thalamo suo, et Metropolitano in faldistorio ante altare cum mitra sedente, stans detecto capite, petit ab eo reginam benedici et coronari, sub his verbis : *Reverendissime Pater, postulamus ut consortem nostram nobis a Deo conjunctam benedicere et corona reginali decorare dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.* Deinde ad thalamum suum revertitur; et regina, quæ usque tunc in aliquo loco ad partem in ecclesia steterat, a duobus prioribus Prælatis paratis, crine soluto et capite velato ducitur ad Metropolitanum ante altare sedentem; et facta ei reverentia, coram eo genuflectit, et ejus manum osculatur. Tunc surgit Metropolitanus, et cum mitra procumbit supra faldistorium. Regina vero ad ejus sinistram se in terram prosternit, et inchoantur Litaniæ prout supra, et perficiuntur; atque omnia alia fiunt quæ supra in coronatione reginæ dicta sunt, usque ad Offertorium, ad quod poterit rex cum regina procedere, vel regina sola, prout regi placebit. Facta communione per Metropolitanum, communicatur regina; deinde perficitur Missa, et in fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem.

COMMENTARIUS.

I. Cum ea quæ in hac Rubrica continentur enarrata jam fuerint superius, et infra etiam sint attingenda, ad evitandam prolixitatis notam, nihil hic addere existimavimus. Hoc unum quidem non omittendum videtur, quod legimus apud Codinum Curopalatam in libro *De officiis et officialibus Ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ,* cap. XVII, ubi de coronatione Augustæ, quæ fieri apud Græcos consueverat, ita scribit : « Si imperator prius coronatus fuerat, coronatur imperatrix a proprio » conjuge suo, quando ducta illa in uxorem, » nuptialem solemnitatem peragit. » Sed nec apud Latinos certus fuit de ea re ubique serva-

Digitized by Google

vatus ritus, cum perspicue ex historiis constet, pro varietate regnorum, coronatos et unctos fuisse reges et reginas. Id quod et ex nostris hisce Commentariis intelligi potest, in quibus non modo veterum Pontificalium, sed et variorum scriptorum testimonia descripsimus.

Cæterum non tam obvium fuit ac frequens, ut reginæ separatim a benedictione et coronatione regis, benedici et coronari solerent. Unde non mirum videri debet, si de ea re parce loquamur, cum et de ipsa re scriptores et libri Pontificales, non modo antiqui, verum etiam recentiores, parce loquantur.

CAP. III.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGINÆ, UT REGNI DOMINÆ, ABSQUE REGE.

§ I.

Si vero regina coronanda est ut regni domina, et absque rege, tunc paratur thalamus unus in ecclesia, vocantur Prælati regni; et omnia alia similiter fiunt, quæ supra pro coronatione regis ordinata sunt. Die statuto conveniunt in ecclesia in qua coronatio fieri debet, ubi Metropolitanus, aut alius ad quem spectat, cum Episcopis aliis parat se, et sedent ante altare, ut supra dictum est. Interim regina, consuetis vestibus induta, cum suis Prælatis, baronibus et matronis, atque aliis domesticis, venit ad ecclesiam; et cum fuerit prope presbyterium, duo priores Episcopi parati veniunt ei obviam, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsam inter se mediam usque ad Metropolitanum deducunt, cui regina caput inclinans, humilem reverentiam exhibet; qua facta prior ipsorum deducentium, detecto capite, versus ad Metropolitanum, dicit : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica ut præsentem circumspectam mulierem ad dignitatem reginalem sublevetis.* Tunc interrogat Metropolitanus : *Scitis illam dignam esse, et utilem ad hanc dignitatem?* Ille respondet : *Et novimus, et credimus eam esse dignam, et utilem Ecclesiæ Dei, et ad regimen hujus regni.* Metropolitanus dicit : *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Sunt multa regna quibus, non existentibus masculis, feminæ etiam succedunt, prout in Hispaniis, in Anglia, in nostro regno Neapolitano, et in aliis nonnullis. Hinc Joanna II, utriusque Siciliæ regina, et Elisabetha, Henrici VIII filia, regina Angliæ, illa quidem anno 1419, hæc vero anno 1535, uti regni dominæ coronatæ fuerunt. De Joanna tradit Summontius, lib. IV *Historiæ Neapolitanæ*, capite III, et ex eo Henricus Spondanus ad annum 1419, et Franciscus Pagius in Vita Martini V, obtinuisse illam a laudato Pontifice mitti Neapolim Petrum Maurocenum Venetum, diaconum cardinalem, virum apprime doctum et jurisconsultum insignem, ad ipsam coronandam reginam, ipsius Pontificis auctoritate. Quod tamen ea conditione concessum aiunt, ut ante omnia rex Jacobus, Joannæ maritus, e custodia liberaretur, in qua misere multo tempore detinebatur ab ea, dum illa interim lasciviæ suæ venereæ absque ullo pudore turpissime indulgebat. Leodrisius Cribellus, lib. II *De vita et gestis Sfortiæ*, scribit quod jussu quidem memorati Pontificis, « Sancti-Marci cardinalis Venetus ex » familia Maurocena, Franciscus Montepulcia- » nus, episcopus Aretinus, et Angelus Roma- » nus, episcopus Anagninus, reginam, solemni » ex more, regio diademate coronarunt.» Sane

Digitized by Google

refert Summontius, loco laudato, coronatam fuisse Joannam sub conditionibus in investitura appositis, quam legere est apud ipsum Summontium.

§ II.

Tunc sedet regina media inter ipsos Episcopos deducentes, congruenti spatio a Metropolitano, ita ut illi faciem vertat : ipsi etiam deducentes Episcopi, senior ad dexteram, alius ad sinistram reginæ se collocant, ut et ipsi ad alterutrum facies vertant. Ipsis sic sedentibus, postquam aliquantulum quieverint, Metropolitanus coronandam reginam admonet, dicens :

Cum hodie per manus nostras, circumspecta mulier, qui Christi Salvatoris nostri vice in hac re fungimur, quamvis indigni, sacram unctionem et regni insignia sis susceptura; bene est ut te prius de onere ad quod destinaris moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, et regendi fideles populos tibi commissos curam sumis. Præclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atque anxietatis plenum. Verum si consideraveris quod omnis potestas a Domino Deo est, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt; tu quoque de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditura. Primum pietatem servabis, et Dominum Deum tuum tota mente ac puro corde coles; Christianam religionem, ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professa es, ad fidem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum Prælatis, ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis; Ecclesiasticam libertatem non conculcabis. Justitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis præmia, noxiis debitas pœnas retribuendo. Viduas, pupillos, pauperes ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus benignam, mansuetam atque affabilem pro regia tua dignitate te præbebis, et ita te reges, ut non ad tuam, sed totius populi utilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum, non in terris, sed in cœlo exspectare videaris. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Priscum spectat Ecclesiæ morem, ut ad reges, antequam benedictione regia solemniter donarentur, sermonem Episcopus haberet, ut de suo ipsorum officio instrueret. Idipsum debuit cum reginis servari, cum ipsæ benedicuntur et coronantur. Plura sunt in hac admonitione Episcopi, quæ longum et frustraneum esset hic explicare, cum tota hæc admonitio totidem verbis exscripta sit ac illa quæ superius relata est in titulo *De benedictione et coronatione regis*, mutato genere masculino in femininum. Non desunt in Ecclesiastica historia religiosissimæ reginæ, quæ omnia quæ in eo sermone continentur prompto animo exsecutæ sunt. Qualis fuerit S. Pulcheriæ imperatricis religio ac fides, atque insignis reverentia erga Episcopos, fuse enarrat in suis *Annalibus* cardinalis Baronius. Facta a fratre Theodosio consors imperii, quam prudenter illud rexerit, quamque recte pieque omni virtutum genere Theodosium ipsum instituerit, apud Sozomenum, lib. IX *Historiæ Ecclesiasticæ*, capite I, et apud Socratem, lib. VII, cap. XXII, abunde videre licet. Ex quibus plane intelligas, quod ad annum 415 cum laudato Baronio observat Spondanus, quantum scilicet valeat in recte administrando imperio, ac bene

Digitized by Google

regendis populis erga Deum pietas, cum tantam molem puer unus atque puella summa tranquillitate ab omni barbarorum timore securam (quod nec temporibus bellicosissimorum imperatorum concessum est) feliciter rexerint. Commendant ipsam Pulcheriam et alii scriptores.

§ III.

Regina electa accedit ad Metropolitanum, et genuflexa facit hanc professionem, dicens : *Ego N., Deo annuente, futura regina N. profiteor et promitto coram Deo et Angelis ejus deinceps legem, justitiam et pacem Ecclesiæ Dei, populoque mihi subjecto, pro posse et nosse, facere ac servare; salvo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei condignum et canonicum honorem exhibere, atque ea quæ ab imperatoribus et regibus Ecclesiis collata et reddita sunt, inviolabiliter observare. Abbatibus, comitibus, et vassallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum præstare.* Deinde ambabus manibus tangit librum Evangeliorum, quem Metropolitanus coram ea super genibus apertum tenet, inferiori parte libri reginæ versa, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Et post regina electa Metropolitani manum reverenter osculatur.

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum reges non prius inaugurabantur, quam præstito juramento de servanda justitia et pace Ecclesiæ Dei populoque sibi subjecto, idipsum reginæ facere tenebantur, cum primum a Pontifice ut regni dominæ consecrabantur. De Joanna II, utriusque Siciliæ regina, scribunt scriptores, anno 1419, principio mensis octobris, a cardinale Petro Mauroceno, Martini V Pontificis Maximi legato, coronatam quidem fuisse, non solum præstito prius juramento in ejusmodi solemnitatibus fieri solito, verum etiam sub conditionibus in investitura regni appositis, ut videri potest apud Summontium. Nicolaus Sanderus, initio libri III *De schismate Anglicano*, ubi enarrat Elisabethæ filiæ adulterinæ Henrici VIII consecrationem, de juramento ab ipsa præstito sic inquit : « Jusjurandum Christianis regibus lege et more majorum præscriptum, de fidei Catholicæ defensione, privilegiorumque ac libertatum Ecclesiasticarum conservatione, ne forte de regno minus rite adepto postea fieret quæstio, suorum suasu qui regni causa quidvis simulandum, dissimulandum, jurandum, pejerandum senserant, in sua inauguratione solemniter præstitit. »

II. Verum enim vero parum curans istiusmodi sacramentum, paulo post hæresim, quam diu intus aluerat, aperte explicans, convocatis ordinibus ad parlamentum, ut vocant, voluit communi decreto esse et vocari ipsam supremam Ecclesiæ regnorum suorum etiam in causis spiritualibus gubernatricem, uti videre est in juramenti formula quam ea de re fieri præcepit, quamque affert laudatus Sanderus et alii complures scriptores. Hinc arrepta sibi hac potestate, protinus applicavit sibi omnium spiritualium proventuum perpetuas decimas et primitias, id est primi anni cujusque beneficii adepti integros fructus, omnesque Religiosorum possessiones sibi tribuit. Quibus excessibus non contenta, contra fidem juramenti præstiti in sua ipsius inauguratione, vicarios et commissarios in spiritualibus ipsa constituit, sigillumque ad causas Ecclesiasticas peculiare cudit. Et ne diutius in hujusce impiæ enarrandis sceleribus immoremur, tremendum Missæ sacrificium, cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi et sacramenta administrandi abolens, nova sacra, cæremonias precesque in lingua vulgari ad normam maxime Lutheranorum præscripsit; licet Calvini hæresis magis tum et deinceps approbata in eo miserabili Angliæ regno fuerit.

III. Aiunt nonnulli auctores quod cum ipsa

Digitized by Google

regina Elisabetha inaugurationem suam Paulo IV, Pontifici Maximo, significandam curarit per Eduardum Carnum, qui Mariæ sororis legatione functus adhuc Romæ degebat, Pontifex autem respondens regnum Angliæ feudum esse Apostolicæ Sedis, nec potuisse ipsam obstante maxime natalium impedimento, administrationem regni inconsulta eadem Sede assumere, occasionem Elisabethæ præbuerit hæresim profitendi, et Ecclesiam ac ejus ministros dirissime affligendi. At vero quid peccavit Pontifex, si, ut erat dignitatis suæ et auctoritatis retinentissimus vehementiori verborum impetu usus sit? si feminam sententia Sedis Apostolicæ pro spuria habitam non existimaverit tam facile ad regnum non admittendum? quam præcipue non ignorabat corde hæresim alere, ut scite ipsum Pontificem defendit Henricus Spondanus, et Antonius Caracciolus in manuscripta ejus Vita.

§ IV.

Quo facto, Metropolitanus surgit, et cum mitra procumbit in faldistorio, regina vero ad ejus sinistram in terram se prosternit. Et Cantores incipiunt, Schola prosequente, Litanias, ut supra; in quibus cum dictum fuerit *Ut omnibus fidelibus, etc.*, ℟. *Te rogamus, audi nos*, Metropolitanus surgit, et accepto baculo Pastorali in sinistra, super illam dicit : *Ut hanc electam in reginam coronandam bene✠dicere digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos*. Secundo dicit : *Ut hanc electam in reginam coronandam bene✠dicere et conse✠crare digneris*, ℟. *Te rogamus, audi nos;* producendo semper super reginam signum crucis. Idem dicunt et faciunt Episcopi parati, genuflexi tamen permanentes. Quo dicto, Metropolitanus redit ad accubitum, Cantoribus Litanias resumentibus et perficientibus. Quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, regina prostrata manente, et dicit super eam intelligibili voce Orationem sequentem, quam adstantes Episcopi, etiam sine mitris in locis suis stantes, submissa voce pronuntiant.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, hanc famulam tuam cœlesti bene✠dictione sanctifica, quam in gubernationem regni reginam eligimus; tua ubique sapientia eam doceat et confortet, atque Ecclesia tua fidelem famulam semper agnoscat. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

COMMENTARIUS.

I. Reginam benedicendam debere adduci in ecclesiam, et ibidem prosterni ante altare, præscribit codex Ratoldi abbatis Corbeiensis. De Litania in ejusdem reginæ benedictione recitanda, una cum aliis ritibus diserte meminit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Arelatensis, annorum circiter quingentorum. «Regina, inquit, » cum benedicitur, crine soluto, capite cooperto, inter duos Episcopos stare debet. Perducta » ante altare, Metropolitano eam consecrante » atque benedicente, verso ad altare dorso, expleta prius Letania sub brevitate composita : » qua expleta fundat Metropolitanus hanc Orationem super eam, etc. » Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ de benedictione reginæ agens, recitandam jubet Litaniam quæ in Ordinatione Subdiaconi dici consuevit. Tum vero addit ut, Litania expleta, « Metropolitanus » ab accubitu surgens, stans ante altare, dorso » ad illud verso, fundat super illam ab accubitu

Digitized by Google

» surgentem, et flexis genibus humiliter coram » illo stantem, hanc benedictionem; quam etiam » quandocumque Archiepiscopus dixit, omnes » alii Episcopi voce tantum submissa dicere de- » bent : *Omnipotens sempiterne Deus, hanc fa- » mulam tuam, etc.* »

§ V.

Tum surgit regina, et coram Pontifice genuflectit. Deinde Pontifice mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem quæ habetur supra. Qua Præfatione cum sua conclusione expleta, sedet Metropolitanus, et accepta mitra intingit pollicem dexteræ manus in oleum catechumenorum, et inungit in modum crucis brachium dexterum reginæ inter juncturam manus et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens : *Deus Pater æternæ gloriæ sit tibi adjutor, et Omnipotens benedicat tibi; preces tuas exaudiat; vitam tuam longitudine dierum adimpleat; benedictionem tuam jugiter confirmet; te cum omni populo in æternum conservet; inimicos tuos confusione induat; et super te Christi sanctificatio, atque hujus olei infusio floreat; ut, qui tibi in terris tribuit benedictionem, ipse in cœlis conferat meritum Angelorum; ac benedicat te et custodiat in vitam æternam Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. De Præfatione in inauguratione reginæ pronuntianda, vide quæ dicta fuerunt in Commentario § III hujus tituli; quod vero unctionem spectat, multa superius allata sunt etiam ubi egimus de benedictione et coronatione regis. Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Senonensis ante annos tercentos, notandum illud reliquit, « quod tunica reginæ et camisia debent » esse apertæ usque ad corrigiam, et dominus » Archiepiscopus debet inungere eam de oleo » sancto in capite et in pectore, et dicere dum » inungit : *In nomine Pa ✠ tris, et Filii, et » Spiritus sancti prosit tibi hæc unctio olei in » honorem et confirmationem æternam.* » Plura hic adderem, sed et de hoc ritu inungendi reginam superius etiam locuti jam sumus. Porro ea inunctionis formula quæ exstat in nostro Romano hodierno Pontificali, habetur in manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, et in Pontificali Ecclesiæ Arelatensis ante annos quadringentos scripto, in quo tamen illud Episcopo præscriptum lego, ut « ponat oleum super caput » ejus, ita dicendo : *Deus Pater gloriæ sit tibi » adjutor, et Omnipotens benedicat tibi, etc.* » Atque hic nota solum reginæ caput ex hoc Pontificali consuevisse inungi.

§ VI.

Quo facto, surgit regina, et ad partem se retrahit ubi Prælati sui domestici ei assistunt. Metropolitanus vero mica panis abstergit pollicem et lavat manus; deinde accedit ante altare, et, deposita mitra, cum suis ministris facit Confessionem. Idem faciunt Episcopi parati juxta sedes suas sine mitris stantes. Facta Confessione, Metropolitanus ascendit ad altare, osculatur, incensat, et procedit in Missa usque ad *Alleluia* exclusive, sive ultimum versum Tractus vel Sequentiæ, si dicatur, more consueto. Regina vero ducitur a suis ad sacristiam vel papilionem, ubi accipit vestes reginales. Deinde redit cum illis ad thalamum, ubi manet usque ad dictum Graduale : non tamen sedet in solio, sed super aliquod scabellum sibi

Digitized by Google

paratum genuflexa procumbit, audiens Missam, quæ dicitur de die : et cum oratione diei dicitur pro ipsa electa regina sub uno *Per Dominum*

ORATIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut famula tua N. regina nostra, quæ tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus dicenter ornata, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosa valeat pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Inuncta regina, incipit Episcopus Missam, cujus ordo ex manuscripto codice regis Gallorum, annorum circiter quingentorum, is erat : « Introitus ad Missam : *Sicut oculi servorum*, etc. » Psalmus : *Ad te levavi oculos.* Epistola ad » Ephesios : *Fratres, mulieres subditæ sint, etc.* » ℟. *Protector noster, etc.* ℣. *Domine Deus vir-* » *tutum.* Evangelium secundum Matthæum : *In* » *illo tempore : accesserunt ad Jesum Pharisæi,* » *tentantes et docentes, si licet homini dimittere* » *uxorem, etc.* Offertorium : *In te speravi, Do-* » *mine, etc.* Communio : *Domine, memorabor.* » Sed his omissis, et aliis quæ videri possunt in laudato Pontificali codice a Martenio edito, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. X, ordine V, præscribit Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ, annorum circiter quadringentorum, ut completa solemni unctione, regina « in » aliquo apto loco induatur vestibus regalibus ; » deinde vero reducatur sic ornata ad Metropo- » litanum, qui imponat illi coronam, etc. » De quo ritu alias diximus, et mox in § sequenti nonnulla attingemus. Sciendum autem Orationem in præsenti § descriptam, *Quæsumus, omnipotens Deus, etc.*, desumptam esse ex titulo *De benedictione et coronatione regis*, ut ibidem videre est.

§ VII.

Graduali cantato, Metropolitanus sedet ante altare in faldistorio cum mitra, et regina a suis associata, media inter priores duos Prælatos paratos ad Metropolitanum reducitur, cui facta reverentia, ut prius, genuflectit coram eo. Tunc imponitur ei corona, quam omnes Episcopi parati, qui adsunt, de altari per Metropolitanum sumptam manibus tenent, ipso Metropolitano illam regente, et capiti illius imponente, ac dicente : *Accipe coronam regni, quæ, licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti; quam sanctitatis gloriam, et honorem, et opus fortitudinis significare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores. Ita, ut sicut nos interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus vera Dei cultrix, strenuaque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensatrix assistas, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostræ benedictionis in vice Apostolorum omniumque Sanctorum regimini tuo commissi utilis exsecutrix, proficuaque regnatrix semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornata, et præmio sempiternæ felicitatis coronata, cum Redemptore et Salvatore nostro Jesu Christo, cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris, qui vivit et imperat Deus cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Alia est formula aliusque ritus est imponendi coronam reginæ, cum sola et uti regni domina benedicitur, ac illa formula et ritus quo consecrari solet regina una cum rege, uti ex præscripto nostri hujus Romani Pontificalis liquet. Etsi autem in editis Romanis Pontificalibus eadem sit verborum formula in imponenda corona regi ac reginæ, in Ordine tamen antiquo Romano ita inquit Antistes, ubi reginæ coronam imponit : « Officio indignitatis nostræ, seu » congregationis, in reginam benedicta, accipe » coronam regalis excellentiæ : quæ, licet ab » indignis, Episcoporum tamen manibus capiti » tuo imponitur; ut velut exterius auro et gemmis redimita enites, ita et interius auro sapientiæ, virtutumque gemmis decorari contendas : quatenus post occasum hujus sæculi, » cum prudentibus virginibus sponsa perenni » Deo nostro Jesu Christo digne et laudabiliter » occurrens, regiam cœlestis aulæ merearis ingredi; qui cum Deo Patre et Spiritu sancto » vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen. » In manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, ubi agit de benedictione reginæ, non alia exstat formula imponendi coronam reginæ, quam illa quæ in hoc præsenti § VII recitata est.

§ VIII.

Et mox dat ei sceptrum in manum, dicens : *Accipe virgam virtutis ac veritatis, et esto pauperibus misericors et affabilis; viduis, pupillis et orphanis diligentissimam curam exhibeas, ut omnipotens Deus augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

NOTA.

Cum in superioribus Commentariis explicatus a nobis jam fuerit iste ritus tradendi reginæ sceptrum, allatis manuscriptis Pontificalium librorum formulis; ex iis ergo quæ ibi dicta sunt, hujus § quoque intelligentiam qui voluerit assequetur. Quæ enim semel dicta sunt, iterum repetere inanis plane fuerit laboris.

§ IX.

Tunc surgunt omnes, et Metropolitanus cum omnibus Episcopis paratis deducit reginam coronam in capite et sceptrum in manu ferentem, mediam inter se et digniorem Episcopum paratum, supra solium, ubi stans cum mitra, una cum eodem digniore Episcopo inthronizat eam in solio, dicens : *Sta, et retine amodo locum tibi a Deo delegatum per auctoritatem omnipotentis Dei, et per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum cæterorumque Dei servorum; et quanto Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei et hominum, te mediatricem Cleri et plebis permanere faciat.* Deinde Metropolitanus, deposita mitra, inchoat, Schola sequente, Hymnum *Te Deum laudamus,* ut supra, qui totus dicitur : quo incœpto, Metropolitanus accedit ad dexteram reginæ, ibi continuo manens usque ad finem Hymni. Finito Hymno, Metropolitanus stans ut prius juxta reginam sine mitra, dicit super illam : ℣. *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.* ℟. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* ℣. *Domine, exaudi orationem*

Digitized by Google

meam. ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus qui victrices Moysi manus in oratione firmasti, qui quamvis ætate languesceret, infatigabili sanctitate pugnabat; ut dum Amalech iniquus vincitur, dum profanus nationum populus subjugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa serviret : opus manum tuarum pia nostræ orationis exauditione confirma. Habemus et nos apud te, sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur, Altissime, ut, tua potentia suffragante, universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus, cessante formidine, te solum timere condiscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Desumpta hæc sunt ex iis quæ habentur in titulo *De benedictione et coronatione regis.* Quapropter ex iis quæ in illius §§ scripsimus, hujus quoque explicationi satisfactum putamus. Censuimus autem hic illud addendum quod legitur in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis ante annos tercentos exarato, barones nempe qui coronam reginæ sustentant, debere illam deducere ad solium, ubi in sede parata collocetur, circumstantibus ipsam reginam baronibus ipsis et matronis nobilioribus. Eumdem ritum jam ante tradiderat manuscriptus codex Bibliothecæ regis Gallorum, num. 4463, annorum circiter quingentorum. « Deinde, inquit, imponitur ei ab Archiepiscopo solo » corona capiti ipsius, quam impositam sustentant undique barones ; et sic deducant eam ad » solium, ubi in sede parata collocatur, circumstantibus eam baronibus et matronis nobilioribus. » In multis manuscriptis Pontificalibus libris, itemque in codice Ratoldi abbatis Corbeiensis, ritus certe collocandi reginam in solio omnino desideratur.

§ X.

Quibus finitis, Metropolitanus cum Episcopis paratis revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium prope altare; et dicitur *Alleluia,* sive ultimus versus Tractus vel Sequentiæ, Evangelium, et alia usque ad Offertorium inclusive. Quo dicto, Metropolitanus sedet in faldistorio ante medium altaris cum mitra, et regina, a suis Prælatis, magnatibus et aliis associata, venit ante Metropolitanum, coram quo genuflexa, offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur. Deinde ad solium suum revertitur. Metropolitanus lavat manus, surgit, et accedit ad altare, et prosequitur Missam usque ad Communionem. Cum Secreta diei dicitur pro regina, sub uno *Per Dominum*

SECRETA.

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et reginæ nostræ ad obtinendam animæ corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eumdem

Digitized by Google

Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Lecto Evangelio, majorem inter Episcopos et Archiepiscopos assistentes debere Evangelii librum accipere, et ad reginam, ut illum deosculetur, deferre, edicit memoratus manuscriptus codex Bibliothecæ regis Gallorum, ubi agit de Ordine ab benedicendum regem Francorum. In quo codice et illud cautum est, ut « dum » cantatur Offertorium, deducatur regina so- » lemniter de solio, et offerat ad manum Ar- » chiepiscopi tam panem quam vinum in urceo » argenteo, et tredecim aureos ; » postea vero ad solium suum et sedem revertatur.

§ XI.

Pax datur reginæ per primum ex Prælatis paratis, cum instrumento ad hoc ordinato. Postquam Metropolitanus se communicaverit corpore et sanguine, regina sine corona et sine sceptro de thalamo suo, a suis duntaxat associata, accedit ad altare, genuflectit in supremo gradu altaris; Metropolitanus conversus ad reginam, eam communicat. Regina, antequam sumat Sacramentum, osculatur manum dexteram Metropolitani, et sumpta communione, ex calice de manu Metropolitani se purificat, et purificata ad thalamum suum revertitur cum suis, ut venit. Metropolitanus vero ablutionem sumit, et accepta mitra, lavat manus, et perficit Missam. Cum Postcommunione diei dicitur pro regina, sub uno *Per Dominum*

POSTCOMMUNIO.

Hæc, Domine, oblatio salutaris famulam tuam reginam nostram ab omnibus tueatur adversis, quatenus Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post istius temporis decursum, ad æternam perveniat hæreditatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ XII.

In fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem; qua data, omnes vadunt in pace.

COMMENTARIUS.

I. Neque hic diutius immorandum, cum de ritibus in hoc § contentis, alibi abunde locuti fuerimus. Juvabit autem hic recensere quod docet Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Senonensis, illum nempe qui dedit Evangelii librum reginæ, ut illum oscularetur, debere post *Pax Domini* accipere pacem ab Archiepiscopo Missam celebrante, et deferre reginæ cum libro. Sunt hæc quidem ipsissima verba memorati Pontificalis, cui consonat manuscriptum Pontificale Bibliothecæ regis Gallorum, cujus verba hæc sunt : « Accepto osculo pacis » ab Archiepiscopo, is qui librum Evangelii » deosculandum ante detulerat, defert pacem » regi et reginæ in soliis residentibus. »

II. Quod vero insuper ad Eucharistiæ perceptionem spectat, ex ipso Pontificali codice manuscripto regis Gallorum, postquam Archiepi-

Digitized by Google

scopus seipsum communicabat, descendebat regina de solio suo, et accedens humiliter ad altare, de manu ipsius Archiepiscopi corpus pariter et sanguinem Domini percipiebat : « Post perceptionem, inquit, Eucharistiæ factam » ab Archiepiscopo, iterum descendunt rex et » regina de soliis, et accedentes humiliter ad » altare, percipiunt corpus et sanguinem Do- » mini de manu Archiepiscopi. » Id quod in præsenti correctum est ex hodierno Romano Pontificali, ubi mandat reginam quidem ex calice de manu Metropolitani purificari; nulla facta prorsus mentione sumendi sub utraque specie Eucharistiam.

APPENDIX

In qua unicus Ordo refertur ad benedicendam reginam, ex manuscripto Pontificali codice Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744.

DE BENEDICTIONE REGINÆ RUBRICA.

Si vero regina benedicatur et coronetur, hoc modo et ordine procedatur. Rege enim præsente, et eam benedici et coronari jubente, ipsa statim eo coronato, crine soluto et capite cooperto, a duobus Episcopis deducitur ante altare; et tunc inchoatur et sub brevitate perficitur Litania. Require eam supra sub Ordinatione Subdiaconi ad cartas v. Qua expleta, Metropolitanus ab accubitu surgens, stans ante altare, dorso ad illud verso, fundat super illam ab accubitu surgentem, et flexis genibus humiliter coram illo stantem, hanc benedictionem, quam etiam quandocumque Archiepiscopus dixit, omnes alii Episcopi voce tantum submissa dicere debent.

Benedictio : « Omnipotens sempiterne Deus, » hanc famulam tuam, etc. »

Deinde dicit mediocri voce junctis manibus ante pectus : « Per omnia sæcula sæculorum. » ℟. Amen. ✝. Dominus vobiscum. ℟. Et cum » spiritu tuo. ✝. Sursum corda. ℟. Habemus ad » Dominum. ✝. Gratias agamus Domino Deo » nostro. ℟. Dignum et justum est. Vere di- » gnum et justum est, etc., vigeatque præsenti » benedictione in hoc ævo annis plurimis et » in sempiterno sine fine æternis. »

Qua Præphatione completa, inungitur oleo sancto, et in eisdem locis quibus inungitur rex, et inungendo dicit Metropolitanus : « Deus Pa- » ter æternæ gloriæ sit tibi adjutor, etc. »

Subsequenter in aliquo apto loco induitur vestibus regalibus : quo facto, reducatur sic ornata ad Metropolitanum, qui imponat illi coronam dicens : « Accipe coronam gloriæ regni, » quæ licet ab indignis, etc. »

Et mox dat ei sceptrum, dicens : « Accipe » virgam virtutis et æquitatis, et esto pauperi- » bus misericors et affabilis; viduis, pupillis et » orphanis diligentissimam curam exhibens; ut » omnipotens Deus augeat tibi gratiam suam, » qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. » ℟. Amen. »

TITULUS XXII.

DE BENEDICTIONE ET CORONATIONE REGIS IN CONSORTEM ELECTI.

I. Sunt quædam regna quibus, non exstantibus masculis, feminæ etiam succedunt : hinc recte præsens ponitur titulus, in quo ritus describitur, ut nimirum regina jam pridem veluti regni domina coronata, quem sibi consortem elegerit, in regem consecrandum Metropolitano

Digitized by Google

præsentare debet. Satis autem hic fuerit totam rubricam describere, parumque de ipsa dicere, cum jam in superioribus Commentariis nostris Rubrica ipsa abunde explicata sit. Eadem itaque repetere supervacaneum hoc loco putamus.

§ I.

Cum autem regina, jam pridem ut regni domina benedicta et coronata, deinde consortem sibi elegerit quem postea statuerit coronari, ad diem ordinatam vocantur omnes Prælati regni. Parantur duo thalami, atque omnia alia ordinantur, prout supra in coronatione regis posita sunt. Die autem statuto, Metropolitano et Prælatis in ecclesia constitutis, et se vestientibus, regina reginalibus vestimentis induta, cum corona in capite et sceptro in manu, a suis associata venit ad ecclesiam, et ascendit thalamum suum. Illis autem paratis et suo ordine sedentibus, ut supra in coronatione regis ordinatum est, regina de thalamo suo descendens cum corona in capite et sceptro in manu, venit coram Metropolitano, a quo, facta ei reverentia, petit regem consortem suum benedici et coronari sub his verbis : *Reverendissime Pater, postulamus ut consortem nostrum a Deo nobis conjunctum benedicere et corona regali decorari dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.* Deinde ad thalamum suum revertitur. Interim rex vestibus militaribus indutus venit ad ecclesiam, a suis Prælatis domesticis non paratis, et comitibus, magnatibus regni et aliis associatus. Qui cum venerit prope presbyterium, duo priores Episcopi ex paratis ei obviam veniunt, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsum, bireto deposito, usque ante Metropolitanum deducunt, coram quo rex caput inclinans, humilem ei reverentiam exhibet. Qua facta, prior Episcoporum deducentium, stans, detecto capite, versus ad Metropolitanum, voce intelligibili dicit : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut præsentem egregium militem ad dignitatem regiam sublevetis.* Et omnia alia suo ordine fiunt, prout habetur supra sub prima Rubrica, *De benedictione et coronatione regis,* usque ad aliam Rubricam, *De coronatione reginæ,* quæ hic omittitur, cum sit prius coronata.

NOTA.

Cum vel ex ipsa Rubrica aperte edoceamur ritum, qui in præsenti titulo describitur, in superioribus titulis fuse exhiberi, consulere idcirco ibidem Commentarios nostros curiosus poterit lector. Eadem enim repetere frustanei erit laboris.

TITULUS XXIII.

DE BENEDICTIONE NOVI MILITIS.

I. Miles, græce στρατιώτης, et στρατιά, militia, et στρατεύω, milito, dicitur. Olim Manichæi quidem militiam tanquam malam aspernebantur, omnemque bellum illicitum esse censebant. Ex apostatis impius Julianus imperator fuit, qui, ut insinuat S. Gregorius Nazianzenus, Oratione

Digitized by Google

prima in eumdem sub finem, arbitratus fuit Christianis omnino vetitum esse bellum; eumque errorem cum Anabaptistis tenuit duobus abhinc sæculis semicatholicus Erasmus Roteredamus, qui in *Annotationibus ad cap.* III et XXII Lucæ, et fuse chiliade IV *Adagiorum,* centuria prima, id persuadere conatus est, reclamantibus tum divinis Scripturis, tum innumeris sanctorum Patrum testimoniis. Enim vero, ut plurima veteris Testamenti loca omittam, in novo quidem, Lucæ cap. III, cum milites rogarent Joannem Baptistam, dicentes : *Quid faciemus et nos*, nempe ut faciamus fructus dignos pœnitentiæ? respondit ille : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Quem locum expendens S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXIV : « Non respondit eis, inquit, Arma » abjicite, militiam istam deserite, neminem » percutite, vulnerate, prosternite neminem; » sed quia sciebat eos, cum hæc militando fa» cerent, non esse homicidas, sed ministros » legis, et non ultores injuriarum suarum, sed » salutis publicæ defensores, respondit eis : » *Neminem concutiatis, etc.* » Vide plura in Epistola L ejusdem Augustini ad Bonifacium, et in laudato lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXIV.

II. Sed et Christus Dominus, Matthæi cap. VIII, fidem Centurionis militis commendavit, non enim illi militiæ desertionem imperavit, ut notat ibidem S. Augustinus; imo S. Joannes Chrysostomus in *Homilia contra Judæos, Gentiles et Hæreticos,* de ipso Centurione agens : « Militiam, inquit, prætexis, et dicis : Non pos» sum esse pius. Centurio nonne miles erat, de » quo Jesus ait : *Neque in Israel tantam fidem* » *inveni;* nihilque nocuit illi militia sua. » Idem S. Doctor de Cornelio centurione agens, cujus fit mentio in Actis Apostolorum, cap. X, *Homilia* XXI in ipsa Acta, hortatur milites ut in timore et pietate illum imitentur, ac de justo lucro eleemosynas faciant. In Historia tandem Ecclesiastica plurima exempla nos docent Christianorum militum armis victas urbes, ac hostes profligatos, uti videre in *Annalibus* cardinalis Baronii. Unde labi omnino videtur Edmundus Martenius, ubi lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XII, scribit benedictionem novi militis in antiquis Pontificalibus libris, quos sibi summa cum diligentia et magno numero perlustrare licuit, nusquam se deprehendisse, quod scilicet Ecclesia abhorreat a sanguine; et plerique Christianæ pietatis æmuli militiam in viro Christiano tanquam rem illicitam suspexerint; id quod ex S. Martini dicto ad Julianum probat ita aientis : « Christi enim sum miles, pugnare mihi non » licet. »

III. Sane fateor nondum olim inolevisse benedicendi novi militis ritum, qui alias jam ante annos octingentos in Ecclesia obtinuit; quemadmodum et alii ritus, qui posterioribus sæculis instituti sunt. Verum in eo allucinari videtur Martenius, cum ait ideo non fuisse olim in usu benedictionem novi militis, quod primævi Christiani militiam tanquam rem illicitam judicarent. Quod quidem ex superius traditis falsum omnino esse constat. Neque enim allatum a Martenio exemplum S. Martini ullum nobis facessit negotium; militia etenim, quam ipse recusabat, variis idololatriæ periculis plena erat : unde et Valentinianus Senior Augustus, uti in filii ejus Oratione funebri testatur S. Ambrosius, « Militiam sub Juliano, et tribunatus honores » fidei amore contempsit. » Factum id etiam tunc a pluribus diserte scribit Theodoretus, aliique auctores testantur. Vide Lupum, tom. XI, *De antiqua disciplina, etc.*, cap. VII.

§ I.

Miles creari et benedici potest quacumque die, loco et hora : sed si inter Missarum solemnia creandus est, Pontifex in eo habitu in quo Missam celebravit, aut illi interfuit, in faldistorio, ante medium altaris, stans vel sedens, prout convenit, finita Missa id peragit. Si autem extra divina, in stola supra rochetum, vel si sit regularis supra superpelliceum, id facit. Et primo ensem, quem aliquis coram eo genuflexus evaginatum tenet, stans detecto capite, benedicit, si non sit benedictus, dicens : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

Digitized by Google

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, et hunc ensem, quo hic famulus tuus circumcingi desiderat, majestatis tuæ dextera dignare bene✠dicere; quatenus esse possit defensor Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium, contra sævitiam paganorum atque hæreticorum; aliisque sibi insidiantibus sit terror et formido. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Bene✠dic, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem sancti nominis, et per adventum Jesu Christi Filii tui Domini nostri, et per donum sancti Spiritus Paracliti, hunc ensem, ut famulus tuus, qui hodierna die eo tua pietate præcingitur, visibiles inimicos conculcet, victoriaque per omnia potitus, semper maneat illæsus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ II.

Deinde dicit stans, ut prius : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus. Protector meus, et in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me. Gloria Patri. Sicut erat, etc. ℣. Salvum fac servum tuum, Domine, ℟. Deus meus, sperantem in te. ℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℣. Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta solus ordinas et recte disponis, qui ad coercendam malitiam reproborum, et tuendam justitiam, usum gladii in terris hominibus tua salubri dispositione permisisti, et militarem ordinem ad populi protectionem institui voluisti, quique per beatum Joannem militibus ad se in deserto venientibus, ut neminem concuterent, sed propriis contenti essent stipendiis, dici fecisti : clementiam tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut David puero tuo Goliam superandi largitus es facultatem; et Judam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium triumphare fecisti; ita et huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla supponit, pietate cœlesti, vires et audaciam ad fidei et justitiæ defensionem tribuas; et præstes ei fidei, spei et charitatis augmentum : et da tui timorem pariter et amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, et patientiam bonam; et cuncta in eo recte disponas, ut neminem cum gladio isto, vel alio, injuste lædat; et omnia cum eo justa et recta defendat : et sicut ipse de minori gradu ad novum militiæ promovetur honorem,

Digitized by Google

ita veterem hominem deponens cum actibus suis, novum induat hominem; ut te timeat et recte colat, perfidorum consortia vitet, et suam in proximum charitatem extendat, præposito suo in omnibus recte obediat, et suum in cunctis juste officium exsequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Tum ensem aqua benedicta aspergit. Si autem ensis sit prius benedictus, omnia prædicta omittuntur.

COMMENTARIUS.

I. Milites creare et ordinare proprie ad principes pertinet, qui eos solemni cum pompa præcipuis festisque diebus, præsertim vero coronationis suæ, cingulo militari donare solebant. Enim vero de Joanne Moretonii comite, in Angliæ regem coronato ita scribit Hovedenus: « Eodem die coronationis suæ Joannes » rex accinxit Willelmum marescallum gladio » comitatus de Striguil, et Gaufridum filium » Petri de Esserqui, licet antea vocati essent » comites et administrationem suorum comi- » tatuum habuissent, tamen non erant accincti » gladio comitatus, et ipsi illa die servierunt ad » mensam regis accincti gladiis. » Verum scitu dignum illud est, quod is Joannes, antequam regia corona donaretur, a Rothomagensi quidem Archiepiscopo multa cum solemnitate ac pompa gladio accinctus fuit, eodem Hovedeno teste, qui rem totam ita describit : « Joannes » autem comes Moretonii fuit, in Andegavia » apud Beaufort, die Paschæ, quæ XIV kal. maii » venit. Deinde idem comes venit Rothomagum, » et die dominica in octavis Paschæ, VII kal. » maii, festo S. Marci Evangelistæ accinctus » est gladio ducatus Normanniæ in matrici ec- » clesia per manum Walteri Rothomagensis » archiepiscopi; et prædictus Archiepiscopus » posuit in capite ducis circulum aureum, ha- » bentem in summitate per circuitum rosas » aureas; et ipse dux coram omni Clero et » populo juravit super reliquias sanctorum et » super sacrosancta Evangelia, quod ipse san- » ctam Ecclesiam et dignitates illius bona fide » et sine malo ingenio servabit illæsas, et re- » ctam justitiam exercebit, et leges iniquas » destruet, et bonas instituet. »

II. Plura hic essent notatu digna, sed cum hæc spectare potius videantur modum ac ritum benedicendi principem, vel ducem, vel comitem, notanda sunt quæ ad nostram materiam pertinent; et primo quidem allucinari Martenium qui, lib. II *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XII, asserere videtur militum ab Episcopis benedictionem non attingere annos sexcentos, quamvis, ut ait, summa cum diligentia et magno numero libros manuscriptos Pontificales perlustravit. Docet ideo in antiquis Pontificalibus benedictionem novi militis minime reperiri, quod Ecclesia a sanguine abhorreret, et plerique Christianæ pietatis æmuli militiam in viro Christiano tanquam rem illicitam suspicerent. Sed hæc perperam a Martenio asseri, jam superius a nobis ostensum est, egregieque hic etiam demonstratur ex celebri Ingulfi Angli scriptoris testimonio, qui vivebat anno Domini 1050, ut ipse testatur in fine *Historiæ* suæ. Tradit autem Ingulfus Anglorum fuisse consuetudinem, ut « qui militiæ legitime conse- » crandus esset, vespere præcedente die suæ » consecrationis, ad Episcopum, vel Abbatem, » vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem, » contritus et compunctus, de omnibus suis » peccatis confessionem faceret, et absolutus, » orationibus et devotionibus et afflictionibus » deditus in Ecclesia pernoctaret, in crastino » Missam auditurus, gladium super altare of- » ferret, et post Evangelium Sacerdos benedi- » ctum gladium collo militis cum benedictione » imponeret, et communicatus ad eamdem Mis- » sam sacris Christi mysteriis denuo miles legi- » timus permaneret. » Cæterum ex manuscripto codice Vallicelliano signato D. S., annorum octingentorum, ut recte autumat vir clarissimus ac sacræ profanæque antiquitatis peritissimus Joseph Blanchinus Congregationis Oratorii presbyter, aperte constat quam sit antiqua benedictio novi militis, ensisve quo ipse noviter accingendus erat. Exstant enim in ipso codice Vallicelliano fere ad verbum binæ Orationes, *Exaudi, quæsumus, Domine, etc. Benedic, Domine, etc.*, in § præsenti descriptæ; sed et aliæ etiam, de quibus vide infra in sequentibus Com-

Digitized by Google

mentariis, et præsertim in Appendice, in qua integer ordo afferetur quarto loco.

III. Hinc iterum labitur, et quidem gravissime, vir cæteroqui eruditissimus Edmundus Martenius, ubi inquit quæ in fine Ordinis Romani apud Hittorpium, benedictio novi militis edita habetur, eam extra ordinem ex recentiori aliquo codice desumptam videri; cum ipsæ Orationes quæ in Ordine Romano habentur, eædem fere sint ac illæ Vallicelliani codicis annorum octingentorum, ut omittam manuscriptum Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, annorum quadringentorum, in quo benedictio novi militis ita describitur: « In benedictione novi » militis hoc modo proceditur. Pontifex enim » priusquam dicat Evangelium, benedicit ensem » ejus, dicens: *Oremus*: Exaudi, quæsumus, » Domine, preces nostras, etc. » Tum sequitur hæc alia benedictio: « Bene ✝ dic, Domine » sancte, Pater omnipotens, etc. » Ubi nota consuevisse benedici novum militem antequam Evangelium diceretur: id quod etiam præscribit Pontificale manuscriptum Guillelmi Durandi a Martenio editum, quod quidem cum illo Vaticanæ Bibliothecæ consentit, licet in Anglia, ex laudato Ingulfi testimonio, circa annum Christi millesimum, « post Evangelium Sacerdos be» nedictum gladium collo militis cum bene» dictione imponeret. »

IV. Exstat autem in celeberrima Vaticana Bibliotheca alius manuscriptus codex Pontificalis, num. 4748, quem puto esse annorum circiter quingentorum, ad cujus finem descriptus est « Ordo: Qualiter in sacrosancta beati Petri, » Apostolorum principis, basilica de Urbe aliquis » militetur, » id est miles benedicatur. Sic autem inquit: « Primo militandus debet in ipsa basi» lica pernoctare orationibusque vacare. Mane » autem facto, audita Missa, Archipresbyter, si » præsens fuerit, vel prior Canonicorum dictæ » basilicæ indutus pluviali, Canonicisque cæteris » sociatus, et aliis basilicæ Clericis, sine nota » dicat: ℣. *Adjutorium nostrum in nomine* » *Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* ℣. *Sit* » *nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc* » *et usque in sæculum.* ℣. *Esto nobis, Domine,* » *turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Sal*» *vum fac servum tuum, Domine,* ℟. *Deus meus,* » *sperantem in te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus* » *in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat* » *nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* » ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus* » *vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio: » *Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspi*» *rando præveni, etc.* Alia Oratio: *Prætende,* » *Domine, famulo tuo N. dexteram cœlestis* » *auxilii, ut te toto corde perquirat, et quæ* » *digne postulat, consequi mereatur. Per Do*» *minum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* » *qui tecum.* Alia Oratio: *Propugnatores tuos* » *aspice, Deus, et super hunc N. famulum tuum* » *bene ✝ dictionis tuæ militiæ virtutis et gratiæ* » *dextera tuæ potentiæ munus infunde, per* » *Dominum nostrum Jesum Christum.* »

V. Ergo ex isto manuscripto codice benedicebatur miles post Missam, et in ipsa benedictione dicebantur versiculi quorum complures una cum suis responsionibus habentur in § II nostri hodierni Romani Pontificalis. Quod autem spectat prolixam illam Orationem in eodem nostro Pontificali Romano descriptam, *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta solus ordinas, etc.*, fateor me nullibi reperisse, nisi in laudato Pontificali codice Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, in Romanis Pontificalibus longe ante Clementem VIII editis, ac præsertim in Rituali codice Augustini Patricii, libro I *Sacrarum Cæremoniarum*, in eo titulo qui inscribitur *Ordo benedicendi novum militem;* quem Ordinem puto institutum fuisse a Paulo Papa II, estque cæteris longe prolixior, continetque varios ritus, quos nos infra suis locis describemus.

§ III.

Post hæc Pontifex sedens, accepta mitra, dat ensem nudum novo militi ante se genuflexum in manum dexteram, dicens: *Accipe gladium istum in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti, et utaris eo ad defensionem tuam ac sanctæ Dei Ecclesiæ, et ad confusionem inimicorum crucis Christi ac fidei Chri-*

Digitized by Google

stianæ; et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste lædas: quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ IV.

Deinde ensis in vaginam reponitur, et Pontifex cingit militem novum ense, dicens : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; et attende, quod sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.*

COMMENTARIUS.

I. Exstat hic ritus tradendi gladium novo militi in codice Vaticanæ Bibliothecæ, numero 4744, in Pontificali Guillelmi Durandi, et in laudato Rituali Augustini Patricii. In Ordine Romano apud Hittorpium hæc exhibetur formula, ubi Episcopus novum militem accingit gladio : « Accipe hunc gladium, cum Dei benedictione » tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus » sancti resistere, et ejicere valeas omnes ini- » micos tuos, et cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ » adversarios, adjuvante Domino nostro Jesu » Christo, qui cum Deo. » Hunc ensem quo miles accingebatur, ab ipsomet altari sumebat Pontifex, ponebatque illum in dextera manu ipsius, ex præscripto manuscripti Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, et Guillelmi Durandi. Imponebatur autem militi ensis, præstito prius ab ipso milite juramento de defendenda Ecclesia, viduisque, pupillis ac orphanis; ad quem ritum alludens Joannes Sarisberiensis, lib. VI *Policratici*, cap. X, inquit : « Inole- » vit consuetudo solemnis, ut eo die, quo quisque » militari cingulo decoratur, ecclesiam solem- » niter adeat, gladioque super altare posito et » oblato, quasi celebri professione facta, se » ipsum obsequio altaris devoveat, et gladii, » id est, officii sui jugem Deo spondeat famu- » latum. » Quæ ipsissima verba descripserunt Helinandus, *Sermone* III in festo Omnium-Sanctorum, Vincentius Bellovacensis, libro XXIX, cap. CXXXI, Nicolaus Uptonus, libro I *De militari cingulo*, cap. XIV, et Petrus Blesensis, qui in Epistola XCIV ita scribit : « Sed et hodie tirones » enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur » se filios Ecclesiæ, atque ad honorem Sacer- » dotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam » malefactorum et patriæ liberationem, gladium » accepisse. » Gladius quippe quo accingebatur novus miles, præcipuum fuit semper militaris ordinis argumentum.

II. Iis quæ diximus ex laudatis auctoribus mirifice quidem suffragatur ritus in manuscripto Pontificali codice Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4748 descriptus, ubi hæc habet : « Deinde » spondeat suo sacramento militandus in ma- » nibus dicti domini Archipresbyteri, vel Prio- » ris dictæ basilicæ, omnium aliarum ecclesia- » rum, viduarum, pupillorum et orphanorum » esse defensor, atque in necessitatibus propu- » gnator et virilis adjutor. Quo facto, procedant » ad altare majus, vel si maluerit ex devotione » ad altare confessionis beati Petri Apostoli : in » quo altari ejusdem evaginatum (gladium) » reperiant, quem dominus Archipresbyter si » voluerit, vel dictus Prior, eidem jam militi » donet, dicens : *Accipe gladium de super beati » Petri corpore sumptum per nostras manus li- » cet indignas, vice tamen et auctoritate Apo- » stolorum consecratas, militariter tibi conces- » sum, nostræque bene ✠ dictionis officio in » defensionem hujus universalis Ecclesiæ divi- » nitus ordinatum, ad vindictam malorum, » laudem vero bonorum. Et memor esto, de quo » Psalmista prophetavit, dicens :* Accingere » gladio tuo circa femur tuum, potentissime; *ut » in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas, » molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam » Dei Ecclesiam ejusque fideles propugnes ac » protegas, nec minus sub fide falsos quam » Christiani nominis hostes exsecres et disper- » gas; viduas, ut pollicitus es, et pupillos et or- » phanos clementer adjuves et defendas, desolata » restaures, restaurata conserves, ulciscaris in- » justa, confirmes bene disposita; quatenus in*

Digitized by Google

» *hæc agenda, virtutum triumpho gloriosus,* » *justitiæ cultor egregius, cum mundi Salvatore,* » *cujus typum geris in nomine, merearis sine* » *fine regnare. Qui cum Deo Patre.* » Mox addit laudatus codex id quod in § IV ex hodierno nostro Romano Pontificali præscriptum est, ut scilicet accingat militi ensem dicens : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; et attende, quia sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.* Pontificale manuscriptum Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, et Guillelmi Durandi, diserte mandant ut post prolatam tradendi ensis formulam *ense in vagina reposito* accingat Pontifex militem, dicens : *Accingere gladio tuo, etc.*

III Notatu insuper dignum et illud est, quod docet in *Historia* sua Ingulfus, gladium quidem super altare obtulisse militem, ejusque collo post Evangelium a Sacerdote cum benedictione fuisse impositum : « Anglorum erat consuetudo, » quod qui militiæ legitime consecrandus es- » set..... Missam auditurus gladium super » altare offerret, et post Evangelium Sacerdos » benedictum gladium collo militis cum bene- » dictione imponeret, etc. » Idipsum fere legere est apud Joannem Sarisberiensem, lib. VI *Policratici*, cap. X, ubi etiam rationem innuit cur gladius ipse super altari poneretur : « Inolevit, » inquit, consuetudo solemnis, ut ea die qua » quisque militari cingulo decoratur, ecclesiam » solemniter adeat, gladioque super altare posito » et oblato, quasi celebri professione facta, » seipsum obsequio altaris devoveat, et gladii, » id est, officii sui jugem Deo spondeat famula- » tum. » Quæ quidem ipsissima verba descripserunt Helinandus, *Sermone* III in festum Omnium-Sanctorum, Vincentius Belvacensis, lib. XXIX, cap. CXXXI, et Nicolaus Uptonus, lib. I *De militari officio*, cap. XIV, et alii complures, inter quos Petrus Blesensis, Epistola XCIV, hanc ejus ritus rationem docet : « Sed et hodie tirones » enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur » se filios Ecclesiæ, atque ad honorem Sacer- » dotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam » malefactorum et patriæ liberationem, gladium » accepisse. » Id quod superius etiam dictum est.

§ V.

Ense igitur accinctus miles novus surgit, et ensem de vagina educit, et evaginatum ter viriliter vibrat, et super brachium sinistrum tergit, et in vaginam reponit. Tum Pontifex dat novo militi osculum pacis, dicens : *Pax tecum.* Et iterum ensem evaginatum in dexteram accipiens, militem novum ante se genuflexum cum ipso ense evaginato ter super scapulas leviter percutit, interim semel tantum dicens : *Esto miles pacificus, strenuus, fidelis, et Deo devotus.*

COMMENTARIUS.

I. Ubi ense miles fuerat accinctus, ex præscripto antiqui Romani Ordinis apud Hittorpium, Clerici has Antiphonas decantabant : « Specio- » sus forma præ filiis hominum, diffusa est » gratia in labiis tuis. ℣. Accingere gladio tuo » super femur tuum, potentissime, *cum* Gloria. » *Antiphona :* Specie tua et pulchritudine tua » intende, prospere procede, et regna ; *cum* » *Psalmo :* Propter veritatem, et mansuetudi- » nem, et justitiam, deducet te mirabiliter dex- » tera sua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te » cadent; *cum* Gloria, *et repetitione Antiphonæ* » Specie tua. » Tum hæc Oratio sequebatur : « Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum » tuum N. eminenti mucrone circumcingi vo- » luisti, fac illum contra cuncta adversantia » ita cœlestibus armari præsidiis, quo hic et in » ævum nullis tempestatibus bellorum turbetur, » nec inimicorum hominum insidiis terreatur. » Per. » Ex ipso Romano Ordine tradebat Episcopus novo militi scutum, quod prius quidem benedicebat, et post ipsius traditionem orationem ad Deum fundebat, ut per merita sanctorum martyrum et militum Mauritii, Sebastiani, Georgii, militi novo victoriam de hostibus suis præstaret.

Digitized by Google

II. At vero ne alios ritus quæramus, consentiunt nostræ Rubricæ, tum manuscriptum Pontificale Guillelmi Durandi, tum illud Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744, ut mox ense novus miles accinctus, illum de vagina educat, et evaginatum ter in manu viriliter vibret, et eo super brachium terso, mox in vaginam reponat. Id quod etiam tradit Augustinus Patricius, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum*, ubi adjungit dari deinde a Pontifice novo militi osculum pacis, sub iis verbis : *Pax tibi.* Dari ipsi militi osculum pacis, antiquus ritus est, quippe cujus meminere laudati libri Pontificales annorum quadringentorum : « Dat illi, inquiunt, osculum » pacis dicens : *Esto miles pacificus, strenuus, fidelis, et Deo devotus.* » Aliud manuscriptum Pontificale Vaticanæ Bibliothecæ, signatum num. 4748, annorum quingentorum, sub hac forma præscribit dandum ab Archipresbytero vel Priore Canonicorum basilicæ Vaticanæ novo militi pacis osculum : « Vade, et age ut bonus » miles Christi, beatique Petri cœlestis regni » clavigeri. ℟. Amen. » Quod demum, sub descripta in nostro hoc § verborum formula, *Esto miles pacificus, etc.*, Pontifex accipiens militis ensem nudum leviter ter ipsum percutiat super scapulas, edicit in memorato *Sacrarum Cæremoniarum* libro Augustinus Patricius.

III. Sciendum denique alapam militarem dici quidem a scriptoribus Latinis medii ævi ictum, qui tironis ad militarem dignitatem promovendi collo aut humeris, ense vel gladio, quo miles fiebat, infligebatur : « Plerique mi» lites moderni temporis patrimoniis intenden» tes, omissis sumptuosis solemnitatibus, saltem » per infractum colaphum, militarem conse» quuntur dignitatem. » Verba sunt *Magni Chronici* Belgici anno 1247. Apud Lambertum Ardensem expresse dicitur, in novi militis inauguratione, inter alios ritus alapam collo ejus fuisse inflictam. « Eidem comiti in signum mi» litiæ gladium lateri, et calcaria sui militis » aptavit, et alapam collo ejus inflixit. » Id quod alio etiam loco auctor ipse repetit. Agit et de hujusmodi alapa inter alios auctores Joannes de Beka in Ottone III, episcopo Trajectensi, ubi refert militarem inaugurationem Willelmi comitis Hollandiæ, in regem Romanorum electi, qui a Bohemiæ rege in æde Coloniensis urbis præcipua militari cingulo accinctus est anno 1247. « Illis itaque dictis, rex » Bohemiæ grandem dedit ictum in collo tiro» nis, ita dicens : *Ad honorem Dei omnipoten» tis te militem ordino, ac in nostro collegio te » gratanter accipio; sed memento quoniam » Salvator mundi coram Anna pontifice pro te » colophizatus, et illusus coram Pilato præside, » et flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram » Herode rege vestitus chlamide, et coram omni » populo nudus et vulneratus in cruce suspensus » est, cujus opprobria meminisse te suadeo, » cujus crucem acceptare te consulo, cujus etiam » mortem ulcisci te moneo.* » Porro alia est formula, quam legimus in *Historia Cortusiorum*, lib. XI, cap. II : « Imperator.... sedens in equo » fecit (Franciscum de Carraria) militem, et » cum palma eum percutiens super collum, » ait : Esto bonus miles, et fidelis imperii. » Affert et alia hanc in rem veterum loca Carolus Dufresne, in suo Lexico, verbo *Alapa militaris;* ex iisque colligit errasse Duchesnium in *Notis ad Alanum Chart.* et lib. *Historiæ Guin*, cap. VI, qui putavit ejusmodi alapas militares manu, non gladio in collum tironis impactas.

§ VI.

Deinde reposito ense in vaginam, Pontifex manu dextera dat novo militi leviter alapam, dicens : *Exciteris a somno malitiæ, et vigila in fide Christi et fama laudabili.* Et milites astantes imponunt novo militi calcaria; et Pontifex sedens dicit Antiphonam : *Speciosus forma præ filiis hominum, accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Surgit Pontifex, et versus ad novum militem stans, et detecto capite, dicit : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, super hunc famulum tuum, qui hoc eminenti

Digitized by Google

mucrone circumcingi desiderat, gratiam tuæ bene✠dictionis infunde : et eum dexteræ tuæ virtute fretum, fac contra cuncta adversantia cœlestibus armari præsidiis, quo nullis in hoc sæculo tempestatibus bellorum turbetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ VII.

His dictis, novus miles osculatur manum Pontificis, et depositis ense et calcaribus, vadit in pace.

COMMENTARIUS.

I. Etsi nihil de ritu in § VI descripto exstat in Ordine Romano apud Hittorpium, habetur tamen in laudato manuscripto Pontificali Guillelmi Durandi, et Vaticanæ Bibliothecæ, numero 4744, in quibus ita legimus : « Et mox » dat (Pontifex) sibi (id est militi) alapam leviter, » dicens : *Exciteris a somno malitiæ, etc.* Tunc » nobiles astantes imponunt sibi (id est militi) » calcaria, ubi hoc fieri mos est, et cantatur » Antiphona *Speciosus forma, etc.* Deinde dicit » Pontifex : *Oremus. Omnipotens sempiterne* » *Deus, super hunc famulum tuum N., etc.* » Ex præscripto alterius manuscripti Pontificalis Vaticanæ Bibliothecæ, ubi nulla de danda militi alapa habetur mentio, recipiebat quidem ipse novus miles de manu alicujus antiqui militis astantis calcaria deaurata super gradus dictæ basilicæ Sancti-Petri.

II. Propria fuisse militum calcaria aurea, seu deaurata, eorumque pedibus aptari consuevisse, cum armis accingebantur, docent passim Latini scriptores. Joannes, monachus Majoris-Monasterii, de Gaufridi ducis Normanniæ militia agens : « Calcaribus, inquit, aureis pedes ejus » adstricti sunt. » In *Historia Caroli VI*, de Ludovici II regis Siciliæ, et Caroli fratris militiis, dicitur, quod « eos accingit baltheo militari, » et per dominum de Chauvigniaco calcaribus » deauratis jussit rex Carolus insigniri. » Ita fuisse veterum Francorum calcaria, auctor est Joannes Puricellus in *Monumentis Ambrosianæ Mediolanensis Basilicæ,* pag. 71, ubi tumulum detectum et apertum Bernardi regis Italiæ, Pipini filii, describit. Denique quod calcaria amputari solerent militibus cum ipsi degradabantur, testis est Thomas Walsinghamus ubi agit de Andrea de Harcley, comite Carlilensi, exauctorato, et propter læsæ majestatis crimen suspenso : « Nempe primo degradatus est, » amputatis securi ad talos suos calcaribus et » sic vicissim discinctus est baltheo militari. »

III. Jam non desunt apud veteres scriptores tum profanos, tum etiam Ecclesiasticos, testimonia luculentissima, quæ nos condocent creatos olim fuisse solemni cum pompa ac variis ritibus milites a principibus laicis, ut videre est in *Historia Anglicana* Matthæi Parisii; quanquam ex superius enarratis constet consuevisse antiquitus Episcopos creare milites juxta ritus in Pontificalibus libris præscriptos; sive potius creatos duntaxat benedicere, ac benedictos armis induere. Erat quippe hæc creatio actus mixti fori, fierique debebat ab utraque potestate; ideoque aliquando Episcopo, aliquando principi ea creatio adscribi solet. De S. Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo scribit lib. II, cap. VIII, Henricus Cnyghtonus : « Gulielmus » Rufus coronatus est in regem ab Archiepiscopo » Lantfranco, qui eum nutriverat ac militem » fecerat. » Quod ipsum affirmat Matthæus Parisius ad annum 1087. Cæterum, ut alia exempla omittam, Oratio superius in § VI descripta, antiqua profecto est, legiturque contractius in manuscripto codice Vallicelliano, ut minimum annorum octingentorum hunc in modum : « Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum » tuum N. eminenti mucrone circumcingi jus- » sisti : fac illum contra cuncta adversantia ita » cœlestibus armari, quo nullus hic et in ævum » tempestatibus bellorum turbetur. »

IV. Duo hic insuper notanda supersunt : unum ex manuscripto Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, numero 4744, alterum vero ex ejusdem Bibliothecæ Pontificali manuscripto, num. 4748. In primo dicitur dandum novo militi vexillum, « ubi hoc fieri mos est ; » de quo ritu vide in

Digitized by Google

Appendice ad hunc titulum, et nostro tomo II Commentariorum in partem II hujus Romani Pontificalis, tit. ultimo, *De benedictione et traditione Vexilli bellici*. In altero autem præscribitur quod, si miles benedicendus « fuerit » Romanus, juxta morem patriæ, ante omnia » debet de aqua rosacea nudus lavari, et in lecto » strato nudus prius quiescere, vestiri deinde » aureis vestimentis variis foderatis, deinde vi- » gilare in ecclesia, et orare ; et de mane cætera » fieri quæ supra sunt dicta. » Sed de hoc ritu vide in sequenti Appendice, ordine II.

APPENDIX

In qua tres manuscripti Ordines referuntur ad benedicendum novum militem.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Vaticano, num. 4744.

DE BENEDICTIONE NOVI MILITIS. — RUBRICA.

In benedictione novi militis hoc modo proceditur : Pontifex enim priusquam dicat Evangelium, benedicit ensem ejus dicens : « Oremus. » *Benedictio ensis*. Exaudi, quæsumus, Domine, » preces nostras, et hunc ensem quo hic famu- » lus tuus circumcingi desiderat, majestatis tuæ » dextera dignare bene ✠ dicere, quatenus esse » possit defensio Ecclesiarum, viduarum, or- » phanorum, omniumque Deo servientium, » contra sævitiam paganorum; aliisque sibi » insidiantibus sit terror et formido, præstans ei » æque persecutionis et justæ defensionis effe- » ctum. Per Dominum nostrum. ℟. Amen. »

Alia benedictio.

« Bene ✠ dic, Domine sancte, Pater omni- » potens, æterne Deus, per invocationem tui » sanctissimi nominis, et per adventum Christi » Filii tui Domini nostri, et per donum Spiritus » sancti Paracliti, hunc ensem, ut hic famulus » tuus, qui hodierna die hoc, tua concedente » pietate, præcingitur, invisibiles (*a*) inimicos » sub pedibus conculcet, victoriaque per omnia » potitus, semper maneat illæsus. Per Dominum, » etc. . Amen. »

Possent etiam hic dici aliæ benedictiones armorum, quas require infra sub Benedictione armorum (*b*), ad cartas 52.

Armis itaque benedictis, priusquam cingat illi ensem, præmittens Psalmum *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium ;* et dictis tribus vicibus versibus cum *Gloria Patri*, dicit : « Salvum fac servum tuum, » ℟. Deus meus, sperantem in. ℣. Esto ei, » Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. » ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et » clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobis- » cum. ℟. Et cum spiritu tuo. »

(*a*) Puto mendum irrepsisse, cum omnino dici debeat *visibiles*.

(*b*) De benedictione armorum, ad cartas 52. Rubrica hæc est : Armorum benedictio fit hoc modo : « ℣. Adjutorium » nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.* » Oremus. Benedictio Dei Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti sit super hæc arma et super induentes ea, » quibus ad tuendam justitiam induantur; rogantes te, Domine Deus, ut illum protegas et defendas. Qui vivis. » ℟. Amen. *Oremus.* Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnan- » dum rebellem Goliam viros mirabiles tribuisti : clementiam tuam humili prece deposcimus, ut hæc arma almi- » fica pietate bene ✠ dicere digneris; et concede famulo tuo S. gestare cupienti, ut ad munimen ac defensionem » sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum et viduarum, contra visibilium et invisibilium hostium impugnationem, ipsis » libere et victoriosissime utantur. Per Christum. ℟. Amen.

De benedictione ensis. — Rubrica.

Bene ✠ dicere digneris, quæsumus, Domine, ensem istum, et hunc famulum tuum, qui eum te inspiciente suscipere desiderat, pietatis tuæ custodia muniat et illæsum custodiat. Per Christum. ℟. Amen.

Digitized by Google

OREMUS.

« Domine sancte, Pater omnipotens, etc. »

Post hæc Pontifex ensem nudum sumit de altari, et ponit illum in dextera manu militis dicens : « Accipe gladium istum in nomine » Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ sancti, » ut utaris eo ad defensionem tuam et sanctæ » Ecclesiæ Dei, et ad confusionem inimicorum » crucis Christi, et fidei Christianæ, et coronæ » regni Franciæ (*vel* talis) ; et quantum humana » fragilitas tibi permiserit, cum eo neminem in» juste lædas. Quod ipse præstare dignetur, qui » cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat » per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. »

Deinde, ense in vagina posito, cingit illi ensem cum vagina, dicens : « Accingere gladio tuo » super femur tuum, potentissime, in nomine » Domini nostri Jesu Christi ; et attende, quod » sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt » regna. »

Ense igitur accincto, miles novus illum de vagina educit, et evaginatum ter in manu viriliter vibrat, et eo super brachium terso, mox in vaginam reponit. Quo facto insigniens eum charactere militari, dat ei obsculum, dicens : « Esto miles pacificus, strenuus, fidelis, et Deo » devotus. » Et mox dat sibi alapam leviter dicens : « Exciteris a sompno malitiæ, et vigila in » fide Christi et fama laudabili. ℟. Amen. »

Tunc nobiles adstantes imponunt sibi calcaria ubi hoc fieri mos est ; et cantatur Antiphona : « Speciosus forma præ filiis hominum. » Accingere gladio tuo super femur tuum, po» tentissime. » Deinde dicit Pontifex : « *Oremus.* » Omnipotens sempiterne Deus, super hunc » famulum tuum, etc., » ut in nostro Pontificali.

Ultimo dat illi vexillum, ubi hoc fieri mos est. Cujus vexilli (*a*) benedictionem require sub Benedictione armorum, ad cartas 52.

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali codice Vaticano, num. 1748, ad finem.

Ordo qualiter in sacrosancta beati Petri Apostolorum Principis basilica de Urbe aliquis militetur.

Primo militandus debet in ipsa basilica pernoctare, orationibusque vacare in aliqua capellarum, quam duxit eligendo. Mane autem facto, audita Missa, Archipresbyter, si præsens fuerit, vel Prior Canonicorum dictæ basilicæ indutus pluviali, Canonicisque cæteris sociatus, et aliis basilicæ Clericis sine nota dicat : « ℣. Adjuto» rium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit » cœlum et terram. ℣. Sit nomen Domini bene» dictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum. » ℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. » ℟. A facie inimici. ℣. Salvum fac servum » tuum, Domine, ℟. Deus meus, sperantem in » te. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et fi» lius iniquitatis non apponat se nocere ei. » ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et » clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobis» cum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Oratio.* Actiones » nostras, quæsumus, Domine, adspirando præ» veni, etc. *Alia Oratio.* Prætende, Domine, » famulo tuo N. dexteram cœlestis auxilii, ut te » toto corde perquirat ; et quæ digne postulat, » consequi mereatur. Per Dominum nostrum » Jesum Christum Filium tuum, qui tecum. » *Alia Oratio.* Propugnatores tuos aspice, Deus, » et super hunc N. famulum tuum bene ✠ di» ctionis tuæ, militiæ virtutis et gratiæ, dextera » tuæ potentiæ munus infunde. Per Dominum » nostrum Jesum Christum. »

Et deinde dictus dominus Archipresbyter, vel Prior Canonicorum, dicto militando alapam vel collatam dat : quo facto dicat super eum Orationem : « Deus, qui fidelibus tuis de cœlo vi» ctoriam præstitisti ; concede, quæsumus, huic

(*a*) De benedictione vexilli bellici in ea pagina hanc statim legimus Orationem : « Omnipotens sempiterne Deus » qui es cunctorum benedictio et triumphantium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et hoc » vexillum, quod bellico usui præparatum est, cœlesti bene ✠ dictione sancti ✠ fica, ut contra adversarias et re» belles nationes sit validum tuoque munimine circumtectum ; sitque inimicis Christiani populi terribile, atque » in te credentibus solidamentum, et victoriæ certa fiducia. Tu es Deus, qui convertis bella, et cœlestis præsi» dii sperantibus in te præstas auxilium. Per Dominum. ℟. Amen. » Ultimo aspergat eum cum aqua benedicta. In traditione vero vexilli ita dicat : « Accipe vexillum cœlesti benedictione sanctificatum, sitque inimicis populi » Christiani terribile. Det tibi Dominus gratiam, ut ad ipsius nomen et honorem cum illo hostium cuneo po» tenter penetrare valeas incolumis et secururus. ℟. Amen. » Tradendo autem illud vexillum, fert ei obsculum pacis.

Digitized by Google

» N. famulo tuo, et omnibus tua bella gerenti-
» bus, in potentiæ nostræ virtute invisibilium
» hostium superare nequitiam, et visibilium
» proterviam conculcare; ut utrorumque super-
» bia perfugata, Ecclesia tua unitatis et pacis
» gaudio perfruatur. Per Dominum nostrum
» Jesum Christum. »

Deinde spondeat sub sacramento militandus in manibus dicti domini Archipresbyteri, vel prioris dictæ basilicæ, omnium aliarum Ecclesiarum, viduarum, pupillorum et orfanorum esse defensor, atque in necessitatibus propugnator, et virilis adjutor. Quo facto procedant ad altare majus, vel si maluerit, ex devotione ad altare Confessionis beati Petri Apostoli. In quo altari ejusdem evaginatum (*a*) reperiant, quem dominus Archipresbyter si voluerit, vel dictus Prior eidem jam militi donet dicens :

« Accipe gladium desuper beatri Petri cor-
» pore sumptum per nostras manus licet indi-
» gnas, vice tamen et auctoritate Apostolorum
» consecratas militariter tibi concessum, nostræ-
» que bene ✠ dictionis officio in defensionem
» hujus universalis Ecclesiæ divinitus ordina-
» tum, ad vindictam malorum, laudem vero bo-
» norum. Et memor esto de quo Psalmista pro-
» phetavit, dicens : *Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime*, ut in hoc per eun-
» dem vim æquitatis exerceas, molem iniquita-
» tis potenter destruas, et sanctam Dei Ecclesiam
» ejusque fideles propugnes ac protegas, nec
» minus sub fide falsos, quam Christiani nomi-
» nis hostes exsecres et dispergas; viduas, ut
» pollicitus es, et pupillos, et orfanos clementer
» adjuves et defendas, desolata restaures, restau-
» rata conserves, ulciscaris injusta, confirmes
» bene disposita; quatenus in hæc agenda, vir-
» tutum triumpho gloriosus, justitiæ cultor
» egregius cum mundi Salvatore, cujus typum
» geris in nomine, merearis sine fine regnare,
» qui cum Deo Patre. »

Accingitque illi ensem, dicens : « Accingere
» gladio tuo super femur tuum, potentissime;
» et attende, quia sancti non in gladio, sed per
» fidem vicerunt regna. »

Tandem dominus Archipresbyter vel Prior Canonicorum dictæ basilicæ dat sibi osculum pacis, dicens : « Vade et age ut bonus miles
» Christi beatique Petri, cœlestis regni clavi-
» geri. ℟. Amen. »

Factaque reverentia ad altare, prædictisque dominis Archipresbytero, Priori et Canonicis honorabili sua comitatus et stipatus societate, oblatione facta, ad propria revertatur; prius tamen receptis de manu alicujus antiqui militis adstantis calcaribus deauratis super gradus dictæ basilicæ Sancti-Petri.

Si vero fuerit Romanus, qui fuerit militandus juxta morem patriæ, ante omnia (*b*) debet de aqua (*c*) rosacea nudus (*d*) lavari, et in lecto

(*a*) Puto deesse *gladium*.

(*b*) Hinc labi videtur Tommasius dum in *Historia Senensi* de equitibus quos Balneatos vocant, sermonem instituens, præcipuam in ea functione cæremoniam fuisse, ut finita Missa novus eques in balneo poneretur, cum ex hoc Pontificali contrarium omnino constet.

(*c*) Aqua rosacea consuevisse olim Romæ lavari hunc novum equitem, et quidem in celebri Cœnobio Aræ-Cæli Fratrum Minorum, quos vocant de Observantia, testatum habemus ex quadam manuscripta historia, quæ servabatur in bibliotheca domini marchionis Pompei Frangipani. In ea siquidem historia scripta circa annum 1317, ita inquit auctor : « Io cominzerajo da lo tempo che Jacovo de Saviello, essendo senatore solo per lo re Ruberto, fo
» cacciato da Campituoglio da li sindichi, quali sindichi fuoro Stefano della Colonna, signore de Palestrina, e
» Poncello, e messer Orso signore de lo Castello de Santo Agnilo. Questi se ridussero nello Aracello, et sonata la
» campana fecero adonare lo popolo, et moita cavalleria armata..... Anche cominzo lo da lo tempo, che questi dui
» baroni fuoro fatti cavalieri per lo popolo de Roma bagnati de acqua rosata, per li ventiotto boni uomini in Santa
» Maria de Aracello. L'uno fo chiamato messere Stefano, l'altro messere Napoleone. Granne fo la festa, granne fo
» l'onore là in campituoglio. Ne la piazza de Santa Maria fuoro sparse travacche e paviglioni : la erano tromme, e
» ciarammelle, e onne istrumento. Videsi rompere de aste, correre de cavalli, e pettorali de sonaglie. Moite erano le
» banniere, più erano le reconoscanze : moita se fece festa : moito le fo fatto onore nella chiesa de Santa Maria de
» Aracello. » Refert hoc monumentum totidem verbis vir clarissimus Frater Casimirus Romanus, ordinis FF. Minorum in celebri opere quod ita inscripsit : *Memorie istoriche della chiesa e convento di S. Maria in Ara-Cœli di Roma*, cap. xv, § III, ubi illud notandum censeo, magna cum solemnitate celebratam fuisse Romæ eam functionem creandi militem, seu equitem Balnei. Prolixum ac curiosum legere est de ipsa re ritum in quodam Gallico manuscripto codice, quem latinitate donavit amicus noster vir clarissimus Jacobus Mora, ordinis Prædicatorum, in Universitate Tolosana jam sacræ theologiæ professor.

(*d*) Plura exstant de ea re in historia tum profana, tum sacra, hujusce moris exempla, quæ studio brevitatis

Digitized by Google

strato nudus prius quiescere, vestiri deinde aureis vestimentis variis foderatis, deinde vigilare in ecclesia, et orare; et de mane cætera fieri quæ supra sunt dicta.

ORDO III.

Ex *Magno Belgii Chronico* descriptus, in quo ritus narratur quo Wilhelmus Hollandiæ comes electus in imperatorem fuit, et in militem ordinatus.

Electus vigesimum agens annum adhuc fuit imberbis, robore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, statura procerus, ac in corporis dispositione collaudandus. Sed quoniam idem adolescens, electionis suæ tempore fuit armiger, cum festinatione præparata sunt omnia quæcumque fuerunt necessaria, ut secundum ritum Christicolarum imperatorum miles fieret, antequam Aquisgrani diadema regni susciperet. Verum quia plerique milites moderni temporis, patrimoniis intendentes, omissis sumptuosis solemnitatibus, saltem per impactum colaphum consequuntur militarem dignitatem, ideoque multi regulam ejusdem Ordinis ignorantes, debite militare nesciunt; visum nobis fuit in præsenti Chronographia paulo fusius annotare quem in modum hic Wilhelmus secundum Christianam institutionem miles effectus, et regulam militaris ordinis cum summa festivitate professus sit, ut ex eo discant moderni milites, cujusmodi justum in ordine suo susceperint, aut certe quale votum in professione suæ regulæ emiserint. Itaque præparatis in ecclesia Coloniensi omnibus, post Evangelium solemnis Missæ, prædictus Wilhelmus armiger coram Cardinale Legato productus est per regem Bohemiæ, dicentem in hunc modum : « Vestræ Reverentiæ, Pater al» miflue, præsentamus hunc electum armige» rum, devotissime supplicantes, ut vestra Pa» ternitas votivam ejus professionem suscipiat, » quo militari nostro collegio digne adscribi » possit. » Dominus autem Cardinalis in Pontificalibus assistens ornamentis, eidem armigero dixit, secundum etymologiam ejusdem nominis, quod est miles : « Oportet unumquemque mili» tare volentem esse magnanimum, ingenuum, » largifluum, egregium et strenuum : magna» nimum quidem in adversitate; ingenuum in » consanguinitate; largifluum in honestate; » egregium in curialitate, et strenuum in virili » probitate. Sed antequam votum tuæ profes» sionis facias, cum matura deliberatione jugum » regulæ prius audias. Ista itaque regula est mi» litaris ordinis : In primis cum devota recor» datione Dominicæ Passionis Missam quotidie » audire; pro fide catholica corpus audacter » exponere; sanctam Ecclesiam cum ministris » ejus a quibuscumque grassatoribus liberare; » viduas, pupillos et orphanos in eorum neces» sitate protegere; injusta bella vitare; iniqua » stipendia renuere; pro liberatione cujuslibet » innocentis duellum inire; tirocinia non nisi » causa militaris exercitii frequentare; Roma» norum imperatori seu ejus patricio reveren» ter in temporalibus obedire; rempublicam » illibatam in vigore suo permittere; bona feu» dalia regni vel imperii nequaquam alienare; » ac irreprehensibiliter apud Deum ac homines » in hoc mundo vivere. Hæc statuta militaris re» gulæ si devote custodieris, et pro virili dili» genter adimpleveris, scias temporalem te ho» norem in terris, et post hanc vitam requiem » æternam in cœlis mereri. » Quibus expletis, dominus Cardinalis conjunctas manus ejusdem tironis clausit in Missali supra lectum Evangelium, ita dicens : « Vis ergo militarem ordinem » devote in Domino suscipere, et regulam tibi » verbo tenus explicatam, quantum potes, per» ficere? » Cui respondit armiger : «Volo. » Et tum dominus Cardinalis subsequentem professionem armigero dedit, quam idem armiger palam omnibus in hunc modum legit : « Ego » Wilhelmus comes Hollandiæ, militiæ prin» ceps, sacrique Imperii vasallus liber, jurando » profiteor militaris regulæ observantiam in » præsentia domini mei Petri, ad Velum-aureum » Diaconi Cardinalis, et Apostolicæ Sedis Lega» ti, per hoc sacrosanctum Evangelium quod » manu tango. » Cui Cardinalis : « Hæc devota » professio peccatorum tuorum sit vera remis» sio. Amen. » Istis itaque dictis, rex Bohemiæ ictum impegit in collum tironis, ita dicens : « Ad honorem Dei omnipotentis te in militem » ordino, ac in nostrum collegium gratanter ac-

omittimus; lavabatur autem novus miles in balneo, ut eidem significaretur, quod immunis ab omni labe peccati vitam equestrem suscipere deberet.

Digitized by Google

» cipio. Sed memento, quoniam Salvator mundi » coram Anna Pontifice pro te colaphizatus, et » illusus coram Pilato præside, et flagellis cæ- » sus, ac spinis coronatus, coram Hærode rege » vestitus chlamide et derisus, et coram omni » populo nudus et vulneratus in cruce suspen- » sus est; cujus oppropria meminisse te suadeo, » cujus crucem acceptare te consulo, cujus » etiam mortem ulcisci te moneo. » Quibus ita solemniter adimpletis, novus tiro post dictam Missam, cum stridentibus buccinis, perstrepentibus tympanis, et tinnientibus cymbalis, contra filium regis Bohemiæ tribus vicibus concurrit cum hastiludio, et exinde cum gladiis enitentibus dimicationis tirocinium fecit.

NOTA.

Multa sunt quæ in hactenus enarrato ritu observari possunt cum eruditissimo Christiano Lupo in celebri Dissertatione *De antiqua disciplina Christianæ militiæ*, cap. VII : primo, quod antiqui Christianorum armigeri descendant ex antiquis Romanorum tironibus; secundo, quod quis antequam eveheretur in militem, debebat esse promotus in armigerum; tertio, quod militis creatio fuerit functio mixta, partim ad sacerdotium spectans, partim ad regnum; quarto, quod fuerit actus multæ solemnitatis; quinto, quod fuerit evectio ad dignitatem et statum; sexto, quod fuerit provectio, et votum, et quidem solemne, per Ecclesiam acceptari solitum; septimo, quod istius voti materia et obligatio fuerint quotidie audire Missam, pro fide catholica corpus audacter exponere, et alia superius memorata; octavo, quod militis creatio fuerit sumptuosa solemnitas; nono, quod inter alios ejus ritus fuerit impactus colaphus propter adductas per regem Bohemiæ rationes; decimo, quod quidam ad evitandos sumptus impetrarint creari milites per solum colaphum; undecimo, quod ista creatio fuerit obnoxia incommodis, promittebat siquidem novus miles « pro libera- » tione cujuslibet innocentis duellum inire,» hoc est ex judicis mandato campionem agere, et innocentem divino judicio defendere. Hujusmodi duellum modus est dignus sciri a Christianis militibus; absit tamen ut ullatenus faveat hodiernis duellistis, contra quos tum leges civiles, tum præsertim Ecclesiasticæ, et novissime Patres Concilii Tridentini summopere invehuntur, variis contra hujusmodi homines pœnis constitutis.

Porro constat ex hactenus dictis hanc creandi militis formam penitus esse ab illa diversam quam habet nostrum hodiernum Pontificale, et antiquus Ordo Romanus. Etenim in hac forma nullum quidem votum emittitur, nulla acceptatur professio, nullum imponitur onus audiendi quotidie Missam, nullus colaphus impingitur. Quare hic fuit singularis et proprius mos inclytæ nationis Germanicæ, ob eximiam pietatem admodum probandus atque laudandus. Istam professionem ait memoratus Lupus successisse antiquo militum sacramento, de quo Petrus Blesensis, Epistola LXXXXV ad Joannem archidiaconum, ita scripsit : « Militaris hodie disci- » plina prorsus evanuit, et se in quamdam de- » linquendi libertatem et succurilitatis speciem » deformavit. Olim se juramenti vinculo milites » obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, » quod in acie non fugerent, et quod vitæ pro- » priæ utilitatem publicam præhaberent. Sed et » hodie tirones enses suos recipiunt de altari, » ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad ho- » norem Sacerdotis, ad tuitionem pauperum, » ad patriæ liberationem, gladium accepisse. » Loquitur ex Romano Pontificali, atque ita affirmat, quod etiam per istud fieri consueta militis creatio non sit vacua omnis professionis.

Restat et illud scire, quem *Magnum Belgii Chronicon* appellat armigerum, vocari ab aliis scriptoribus tironem; erantque olim armiger, seu tiro, et miles subordinati gradus; prior erat dispositio ac via ad posteriorem; uterque autem dari consuevit per multam solemnitatem in Ecclesia Latina, quæ quidem, ut dixi, non statim donavit dignitatem ac benedictionem militis, sed per gradus; primo namque aliquem creabat armigerum, deinde vero ex armigero militem. De Frederico I ita scribit in *Sclavorum Chronico* Arnoldus abbas Lubecensis, lib. III, c. XXVII : « Ex abundanti lætitia, quam dominus » imperator sub tanta exercitus conceperat mul- » titudine, militiæ ludum gaudens in propria per- » sona ordinavit, et sexaginta juvenes nobiles, qui » armigeri nuncupantur, ad militarem habitum » et cultum militiæ transtulit. » Et de Boleslao Bohemorum duce, ac S. Henrico imperatore, ita inquit in sexto sui *Chronici* libro Ditmarus

Digitized by Google

episcopus Merseburgensis : « In die sancto Pentecostes manibus applicatis miles efficitur ; et » post sacramenta regi ad ecclesiam ornato in» cedenti armiger habetur. » Nimirum licet esset evectus in militem, non est dedignatus imperatori exhibere armigeri officium. Plura de armigeris videri possunt apud Carolum Dufresne, in suo *mediæ et infimæ latinitatis Glossario*.

ORDO IV.

Ex manuscripto codice Vallicellano, signato D. S., annorum circiter octingentorum.

BENEDICTIO VEXILLI BELLICI.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui es cun» ctorum benedictio, et triumphantium fortitu» do, respice propitius ad preces humilitatis » nostræ, et hoc vexillum, quod bellico usui » præparatum est, cœlesti benedictione sancti» fica, ut contra adversarias et rebelles nationes » sit validum, tuoque munimine circumseptum, » sitque inimicis Christiani populi terribile, at» que in te confidentibus solidamentum, et vi» ctoriæ certa fiducia. Tu es enim Deus qui » conteris bella, et cœlestis præsidii sperantibus » in te præstas auxilium. Per. »

BENEDICTIO ENSIS NOVITER SUCCINCTI.

« Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, » et hunc ensem, quo hic famulus tuus N. se » succingi desiderat, majestatis tuæ dextera be» nedicere dignare, quatenus defensio atque » protectio possit esse Ecclesiarum, viduarum, » orphanorum, omniumque Deo servientium » contra sævitiam paganorum, aliisque insi» diantibus sit pavor, terror et formido. Per. »

ALIA ORATIO.

« Famulum tuum N. pietatis tuæ custodia » muniat, et hunc ensem, quem, te inspirante, » desiderat suscipere, te adjuvante illæsum cu» stodiat. Per. »

ALIA ORATIO.

« Benedic, Domine sancte, Pater omnipotens, » per invocationem sancti nominis tui, et per » adventum Filii tui Domini nostri Jesu Christi, » atque per donum Spiritus Paracliti, hunc en» sem, ut is qui hodierna die tua pietate eo præ» cingitur, visibiles inimicos sub pedibus con» culcet, victoriaque per omnia potitus, semper » maneat illæsus. Per. »

Tunc cantetur Antiphona ista :

« Accingere gladio tuo super fœmur. »

ORATIO.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui famu» lum tuum N. eminenti mucrone circumcingi » jussisti, fac illum contra cuncta adversantia » ita cœlestibus armari præsidiis, quo nullus » hic et in ævum tempestatibus bellorum turbe» tur. Per. »

NOTA.

Hunc manuscriptum codicem una cum aliis quam citissime editurus est in publicam lucem vir omnigenæ eruditionis Joseph Blanchinus, congregationis Oratorii de Urbe Presbyter, ut ipse mihi retulit. Censui autem hic integras Orationum formulas ex codice ipso describere, ut videas antiquum ritum benedicendi militem, quem, ut superius notatum est, quidam perperam recentiorem putant. Plura de benedictione vexilli dicemus nos suo loco, parte secunda hujus Romani Pontificalis.

Digitized by Google

TITULUS XXIV.

DE CREATIONE MILITIS REGULARIS.

Miles regularis is est qui tribus religionis votis adstrictus, formulam vivendi, auctoritate Ecclesiæ approbatam professus, cum hostibus fidei et religionis Christianæ bella sive navalia, sive terrestria committit; ut definit Joannes Busæcus in libro *De statibus hominum*, ubi de militiæ statu agit, cap. I, num. V. Vetus Ordo Romanus, aliique antiqui libri Pontificales, etsi ritum benedicendi laicum militem enarrent, nullam tamen mentionem faciunt creandi milites regulares, qui scilicet tunc nondum nati erant, uti scite observat scriptor undequaque eruditissimus Christianus Lupus, in Dissertatione *De antiqua disciplina Christianæ militiæ*, cap. VII.

§ I.

Cum summus Pontifex committit aliquem creari in militem ordinis militaris, Pontifex cui creatio hujusmodi commissa est, in primis imponit ei habitum illum, quo milites illius ordinis quem intendit profiteri uti consueverunt. Deinde recipit ab eo adhuc genuflexo professionem, per tales emitti solitam, votorum, secundum illius Ordinis instituta.

COMMENTARIUS.

I. Tradit Natalis Alexander in sæculum Christi XI et XII, cap. VI, articulo VIII, regno Hierosolymitano per Godefridum Bullonium restituto, ordines equestres fuisse institutos; celeberrimosque inter ipsos fuisse Hospitalarios Sancti-Joannis Hierosolymitani, milites Templi, ordinem Sanctæ-Mariæ Teutonicorum, et ordinem de Calatrava. Verum ad annum Christi 1099, institutionem Equitum Hospitalariorum refert Pagius, num. XIV, in *Critica* Baroniana. Porro illud notandum est, militares complusculos ordines et monasticos vere fuisse, et a continentiæ freno solutos, etsi ipsis permissum esset honestis et legitimis alligari nuptiis. Et ne singulos recenseamus, confirmavit quidem Innocentius III, lib. XIII, epistola XI, prædecessoris sui Alexandri statutum, qui probaverat confirmaveratque ordinem Equitum Sancti-Jacobi in Hispania, facta Equitibus potestate conjugii; admonet eosdem tamen in communi teneri religiosa professione obedientiæ, abdicationis temporalium omnium, æternæ a sæculo fugæ; denique æmulandos eis esse primævos Christianos, qui ad pedes Apostolorum omnia conferebant sua. Vide Rainaldum, ad annum 1210, num. VI, VII, et ad annum 1223, num. LIV.

II. Satis denique hæc sint pro explicatione primæ partis Romani hodierni Pontificalis, quæ quidem magna ex parte debetur piæ sollicitudini felicis memoriæ reverendissimi Patris Antonii Attayde, congregationis Oratorii Ulyssiponensis presbyteri. Ipse namque, dum viveret (obiit enim die XI octobris 1237, in hac nostra domo Sancti-Hieronymi Caritatis, quam triginta et amplius annis inhabitavit), ut in Romanum Pontificale scriberem, addebat aculeos, ipse torpentem excitabat, ipse ne oscitare quidem me sinebat; cogebatque me quotidie ut, quos noctu

Digitized by Google

scribebam, ipsi interdiu legerem Commentarios. Spero autem oraturum pro me in cœlis hominem hunc eximium, ac omnibus virtutibus decoratum, ut quod iter, illo in terris cogente, carpsi, eodem nunc e cœlo favente, peragam; editionem scilicet duorum aliorum tomorum, secundam et tertiam Romani Pontificalis partem continentium. Porro indicem operis locupletissimum in calce tomi III, Deo dante, describam; titulorum autem primæ partis indicem initio operis descripsi.

FINIS PRIMÆ PARTIS ROMANI PONTIFICALIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

		Pag.
Caput I.	Operis difficultas, argumentum, et protestatio Auctoris ad Lectorem.	1
II.	De origine, progressu, emendatione et auctoritate Romani Pontificalis.	3
III.	Describuntur binæ Constitutiones, quas super editione Romani Pontificalis, ad perpetuam rei memoriam edidere Pontifices Maximi Clemens VIII et Urbanus VIII.	6
IV.	De cantu Ecclesiastico, variis ipsius tonis, et Schola cantorum, ac de instrumentis musicis.	9
V.	De cathedra, baldachino et faldistorio Episcopi.	11
VI.	De sacris Sacerdotum, Episcoporum et Ministrorum indumentis.	15
VII.	De hujusmodi indumentorum colore.	*ibid.*
VIII.	De caligis et sandaliis.	16
IX.	De amictu.	*ibid.*
X.	De alba.	17
Caput XI.	De cingulo.	19
XII.	De rochetto et superpelliceo.	*ibid.*
XIII.	De cruce pectorali Episcoporum.	21
XIV.	De manipulo et stola.	23
XV.	De tunicella et dalmatica.	25
XVI.	De chirothecis.	27
XVII.	De annulo.	28
XVIII.	De planeta, seu casula.	29
XIX.	De mitra.	31
XX.	De baculo.	35
XXI.	De pluviali, seu cappa et pallio.	37
XXII.	De gremiali, sudario et bugia.	38
XXIII.	De capellanis et scutariis.	39
XXIV.	Rituum sacrorum ac cæremoniarum Pontificalium notitia Episcopis pernecessaria.	*ibid.*
XXV.	Recensentur versus novis quibusdam Pontificalibus præfixi, ritus omnes in tribus Pontificalis partibus contentos, brevi ac egregie enarrantes.	41

INDEX TITULORUM

PRIMÆ PARTIS.

Titulus I.	De Confirmandis.	43
II.	De Ordinibus conferendis.	80
III.	De Clerico faciendo.	131
IV.	De Minoribus Ordinibus.	151
V.	De Ordinatione Ostiariorum.	153
VI.	De Ordinatione Lectorum.	161
VII.	De Ordinatione Exorcistarum.	168
VIII.	De Ordinatione Acolythorum.	173
IX.	De Sacris Ordinibus in genere.	179
X.	De Ordinatione Subdiaconi.	180
XI.	De Ordinatione Diaconi.	198
XII.	De Ordinatione Presbyteri.	219
XIII.	De Consecratione Electi in Episcopum.	289
XIV.	De Pallio.	383
Titulus XV.	De Benedictione Abbatis.	407
XVI.	De Benedictione Abbatis auctoritate Apostolica.	431
XVII.	De Benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii.	473
XVIII.	De Benedictione Abbatissæ.	484
XIX.	De Benedictione et Consecratione virginum.	502
XX.	De Benedictione et Coronatione regis.	575
XXI.	De Benedictione et Coronatione reginæ.	623
XXII.	De Benedictione et Coronatione regis in consortem electi.	641
XXIII.	De Benedictione novi militis.	642
XXIV.	De Benedictione militis regularis.	657

Digitized by Google

INDEX

ORDINES PONTIFICALES TUM EDITOS, TUM MANUSCRIPTOS CONTINENS,

IN APPENDICIBUS TITULORUM RECENSITOS.

ORDINES AD CONFIRMANDUM.

Pag.

I. Ex manuscripto codice Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744. 77
II. Ex alio ibidem, num. 4747. 78
III. Ex alio ibidem, num. 4748. *ibid.*
IV. Ex Pontificali manuscripto Bibliothecæ Angelicæ sub lit. X. 2, 24. *ibid.*
V. Ex codice Sacramentorum cardinalis Thomasii. 79

ORDINES AD CONFERENDAM ORDINATIONEM.

I. Ex manuscripto codice Bibliothecæ Casanatensis, 269
II. Ex manuscripto Bibliothecæ Angelicæ. 273
III. Ex manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744. 279

ORDINES AD CONSECRANDUM NOVUM EPISCOPUM.

I. Ex codice Pontificali Bibliothecæ Angelicæ. 373
II. Ex Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744. 376

ORDINES AD BENEDICENDUM ABBATEM.

Pag.

I. Ex Pontificali Bibliothecæ Angelicæ. 476
II. Ex Pontificali Bibliothecæ Vaticanæ, num. 4744. 477
III. Ex alio ibidem, num. 4748. 479
IV. Ex Euchologio apud Jacobum Goar. 483

ORDINES AD CONSECRANDUM VIRGINES.

I. Ex Pontificali Bibliothecæ Angelicæ. 569
II. Ex Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ, num. 4744. 571

Ordo unicus ad benedicendum regem, ex laudato Pontificali Vaticanæ Bibliothecæ. 621

Ordo unicus ad benedicendam reginam, ex eodem. 641

ORDINES AD BENEDICENDUM NOVUM MILITEM.

I. Ex eodem. 651
II. Ex alio ibidem, num. 4748. 652
III. Ex Magno Belgii Chronico. 654
IV. Ex codice manuscripto Vallicellano signato D. S. 656

Fili hominis, pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia quæ ego loquor ad te de universis Cæremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus.

(*Ezechielis* cap. XLIV.)

Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et Cæremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones.

(*Deuteronomii* cap. XXVIII.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google